81/120

2122

R. P. ANTONII

DE

ESCOBAR

ET MENDOZA,

SOCIETATIS IESV,

THEOLOGIÆ MORALIS

Tomus Primus.

Tomus Primus.

MORALIS THEOLOGIAE

SOCIETATIS IESV

TOMVS PRIMVS

EMANVELIS SA

DE

REGNAULT

R. P. ANTONII
DE ESCOBAR
ET MENDOZA,
VALLISOLETANI,

Societatis IESV Theologi,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ
MORALIS, RECEPTIORES ABSQVE LITE
Sententiæ nec non Problematicæ disquisitiones,

Siue quod frequentius, Doctoribus consentientibus, asserendum eligitur: & quod, dissentientibus plerumque in vtrumuis probabile apponitur.

VOLVMEN PRIMVM,

GENERALIA PRINCIPIA:

Decem libris continet totidem Materias, nempe de Actibus humanis, De Conscientia, De Peccatis, De Vitiis Capitalibus, De Legibus, De Priuilegiis, De Priuilegio magno Bullæ Cruciatæ, De Sacramentis in genere, De Censuris in communi, De Iustitia, Iure, ac Contractibus generatim.

LVGDVNI,

Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & CLAVDII RIGAVD.

M. DC. LII.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.



ADMODVM REVERENDO,

ET OPTIMO PATRI P. GOZVVINIO NIKEL, SOCIETATIS IESV, GENERALI PRÆPOSITO.

PRIMVM Problematum Volumen, mearum in Theologiam Moralem lucubrationum primitias primogenitósve conceptus tuis auſpiciis inſcribo, ſecutus qui diuina humanáque præcepta explico, diuini præſcripti rationem: *Dabunt ſacerdoti primitias frumenti, vini, & olei.* Deut.18. Cur ſacerdoti primitiæ præparantur? *Ipſum enim* (ſubditur) *elegit Deus de cunctis Tribubus tuis vt ſtet, & miniſtret Nomini Domini.* Theologiam Moralem Auſonius Epiſcopus vocita-

uit *frumentum*, quo victitant cuncti, qui æternam destinantur in vitam. Eandem Adamus de Persevia appellauit *oleum*, quo peccatoribus lenia, & vinum quo rigida medicamina præparantur. Tibi admodum Reuerende Pater, Eæ primitiæ debentur è cunctis Societatis Prouinciis recens electo, vt Præpositus vigilans stares, & ministrares, seu iura dicens *Nominis* Iesu alumnis. Fateor, me affectum fuisse, vt opusculum tantillum tuæ Paternitati litarem, ex illa Nazianzeni sententia, qua te contemplor in Basilio descriptum: *Vita sublimis erat, verum animo humilis, atque ea quidem virtute, vt nemo ad eam adspirare posset. Cæterum ea comitate, vt ad eius congressum facilis omnibus aditus appareret, ad miserationem propensus, sermone iucundus, moribus iucundior, aspectu Angelus, animo magis Angelicus; increpatio paternam charitatem, & laudatio imperio dignam grauitatem ob-*

tine

tinerent; vtraque verò sapientiæ laudem consequeretur. Tua me modestia non sinit tuis egregiis meritis Doctoris verba accommodare. Si benignitas tua cunctis facilem exponit aditum, cur non filio? Canebat comicus Periander, *Qui errata scripti tui haud limari expetis, ad parentis limam accurre.* Parens non limat errata quia ipsam filij fœditatem pulchritudinem esse pio dilectionis errore contemplatur. Accipe ergò paterno primitiarum munusculum affectu, & errata dissimulans, aut corrigens ad reliqua volumina edenda perpetuus deinceps, fautor, & adiutor existe. Vale Pater optime, quem Deus publico Societatis nostræ bono multos annos seruet incolumem.

Obsequentissimus paternitatis tuæ filius

ANTONIVS DE ESCOBAR & MENDOZA.

APPROBATIONES.

BREVIS hæc & compendiosa *Theologiæ Moralis* Synopsis peritorum memoriam iuuare poterit, minus verò peritis in rudimentum erit, illius enim author videlicet Reuerendus Pater ANTONIVS DE ESCOBAR Societatis IESV cum se in suis omnibus operibus orthodoxum ostenderit, nihil etiam nunc alienum à fide & Christianis moribus scripsisse testamur. Datum Lugduni die 22. Augusti 1652.

Fr. STEPHANVS MOLIN
Carmelita, Doctor Parisiensis.

Fr. PHILIBERTVS PETROT Minor.

LICENTIA ORDINARII.

ATtento præfatorum Doctorum testimonio exeat in lucem opus, cui titulus *Vniuersæ Theologiæ moralis generalia principia*, per nos licet. Lugduni die 27. Augusti 1652.

DEVILLE *Prouic. Generalis.*

CONSENSVS.

HVnc librum, qui inscribitur, R. P. ANTONIJ DE ESCOBAR ET MENDOZA *Vniuersæ Theologiæ moralis generalia principia* typis mandari, & in lucem edi hac in vrbe, sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTIJ ARNAVD, & CLAVDIJ RIGAVD, Bibliopolarum Lugdunensium, Ego Regis in Præfectura Lugdunensi Procurator non impedio, die 29. Augusti 1652.

LORIN.

PERMISSIO.

VIso Procuratoris Regis consensu hunc librum typis mandari supradictis Lugdunensibus Bibliopolis concedimus, & ne quis citra facultatem denuò excudat, prohibemus. Lugduni die 29. Augusti 1652.

SEVE.

INDEX

INDEX LIBRORVM, SECTIONVM, CAPITVM, & Problematum huius Voluminis.

PRÆLOQVIVM.

Cap. I. *VIDNAM Receptioris Sententiæ nomine intelligam.* p. 1

II. *Quidnam sit sententiam aliquam esse communem.* 2

III. *De Problematibus, seu de quæstionibus in vtrumuis probabilibus.* 4

IV. *Vnius Doctoris auctoritas mihi sæpe sæpius sufficit constituere probabilem opinionem.* 6

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS Receptiores absque lite sententiæ, ac Problematicæ disceptationes.

LIBER PRIMVS.

ACTVS HVMANI.

SECTIO I.

De Actibus humanis receptiores absque lite sententiæ.

Cap. I. *ACtus humanus, & voluntarium, quidnam?* 8

II. *De Actibus voluntatis.* 11

III. *De violentia, metu, cupiditate, ignorantia.* 13

IV. *De bonitate, & malitia humanorum actuum.* 14

SECTIO II.

De Actibus humanis problemata.

CAPVT V.

Circa voluntarium.

Probl. I. *Imperfecta libertas ex aliquorum sententia reddit, & ex aliorum mente, non reddit, veniale peccatum, quod aliàs mortale esset.* 16

II. *Delectatio morosa de obiecto materialiter prauo est, & non est, mortale peccatum, in re venerea.* 16

III. *Omnis delectatio de obiecto mortali siue contra ius naturale, siue contra positiuum in quacumque materia est & non est peccatum mortale.* 17

IV. *Desiderium obiecti mali sub conditione tollente malitiam ipsius, est, & non est peccatum mortale etiam in prohibitis iure naturæ.* 17

V. *Delectatio morosa præcisè tendens in delectationem operis præcisam ab aliis circunstantiis personæ, contrahit & non contrahit omnem malitiam obiecti praui.* 18

VI. *Est voluntarium, & non est voluntarium etiam indirectè quod non aduertitur, nec vlla subit illius cogitatio vel dubitatio, quando causa ponitur.* 18

VII. *Effectus, aut omissio ex actione voluntaria procedens, quando iam vitari non potest, imputatur, & non imputatur ad culpam.* 18

CAPVT VI.

Circa ea, quæ voluntarium imminuunt.

Probl. VIII. *Concupiscentia minuit, & non minuit voluntarium.* 19

IX. *Blanditiæ, & amatoria verba inferunt, & non inferunt inuoluntarium.* 19.

X. *Ignorantia concomitans inuincibilis excusat,*

& non excusat à peccato, faciens, & non faciens inuoluntarium. 20
XI. *Ignorantia inuincibilis pœnæ excusat, & non excusat à pœna delinquentem.* ibid.
XII. *Dari potest, & non potest ignorantia inuincibilis iuris.* 21
XIII. *Pro longo tempore potest & non potest dari ignorantia inuincibilis circa Decalogi præcepta.* ibid.
XIV. *Agnoscens malitiam actus externi sed ignorans malitiam interni actus excusatur, & non excusatur à peccato prorsus interno.* 22
XV. *Ignorantia vincibilis variat, & non variat speciem peccati.* ibid.
XVI. *Ignorantia, quæ aliàs esset mortaliter culpabilis, quæ non sit affectata aut crassa, excusat, & non excusat à præceptorum humanorum transgressione.* 23
XVII. *Vt ignorantia dicatur vincibilis, sufficit, & non sufficit, me esse obligatum aduertere.* ibid.
XVIII. *Ignorantia vincibilis plurium præceptorum fidei est, & non est constitutiua plurium peccatorum distinctorum numero.* ibid.
XIX. *Quando pœna simpliciter imponitur, & datur ignorantia mortaliter vincibilis, talis ignorantia excusat & non excusat à pœna.* 24

CAPVT VII.

Circa metum.

Probl. XX. *Metus grauis excusat, & non excusat à legis naturalis obseruantia.* ibid.
XXI. *Metu mortis licet, & non licet humanis carnibus vesci.* 25
XXII. *Potest, & non potest Cartusianus ob reuerentiam statuti præcipientis abstinentiam à carnibus, mortis metum, imo & mortem subire.* ibid.
XXIII. *Metus grauis excusat & non excusat à iuris diuini positiui obseruatione.* ibid.
XXIV. *Ex metu graui licet, & non licet contrahere matrimonium.* 26
XXV. *Ex metu graui licet, & non licet non solum matrimonium contrahere, sed consummare.* 26
XXVI. *Licet, & non licet ob grauem metum in administratione Sacramentorum simulatione vti.* 27
XXVII. *Grauis metus excusat, & non excusat à præcepto diuino recipiendi Baptismum, aut pœnitentiam.* ibid.
XXVIII. *Metus grauis excusat, & non excusat à legum humanarum obseruatione.* 28
XXIX. *Grauis metus excusat, & non excusat à transgressione legis humanæ, quæ pœnam capitis transgressori minitatur.* ibid.

CAPVT VIII.

Circa bonitatem, & malitiam moralem.

Probl. XXX. *Bonitas & malitia moralis sumitur, & non sumitur ab obiecto, & non à fine.* 29
XXXI. *Potest, & non potest dari in individuo actus humanus omnibus circunstantiis vestitus, & adhuc indifferens.* ibid.

LIBER II.

CONSCIENTIA.

SECTIO I.

De conscientia receptiores absque lite sententiæ.

Cap. I. §. I. *QVidnam conscientia? vbi de conscientia recta.* 30
§. II. *Quotuplex conscientia.* 31
II. *De conscientia probabili.* 32
III. *De conscientia dubia.* 34
IV. *De conscientia erronea.* 35
V. *De conscientia scrupulosa.* 36

SECTIO II.

De conscientia Problemata.

CAPVT VI.

Circà Conscientiæ probabilitatem.

Probl. I. *POssumus, & non possumus probabilem opinionem circa idem obiectum pro libito variare, prout nobis commodius obuenerit.* 37.
II. *Iudicium probabile de bonitate actus gerendi sufficit, & non sufficit ad rectam operationem.* ibid.
III. *Licet mihi, & non licet, sequi quamlibet opinionem probabilem, etsi minus tuta sit, & minus probabilis, quam opposita.* 38
IV. *Illiteratus debet, & non debet semper sequi opinionem, quam existimat, apud peritos magis esse communem, nisi contraria tutior inueniatur.* ibid.
V. *Opinio speculatiuè probabilis semper in praxi est tuta, & non semper est tuta.* ibid.
VI *Mortis instante articulo, mihi licet, & non licet opinioni minus probabili, minusque tutæ hærescere.* 39
VII. *Licet, & non licet fouere propositum, varios adeundi Doctores donec inueniam mihi, qui ad libitum respondeat.* ibid.
VIII. *Potest confessarius aut Doctor consultus, & non potest respondere iuxta aliorum sententiam, quam minus probabilem reputat.* 40
IX. *Expedit, & non expedit Confessarium, aut Doctorẽ consultum respondere iuxtà probabilem aliorũ sententiam suppressa sua probabiliori.* ib.

X. *Doctor consultus credens aliorum opinionem esse falsam, potest, & non potest iuxta illam exhibere consilium.* ibid.

XI. *Potest, & non potest Doctor consultus iuxta sententiam aliorum respondere, quando hæc non liberat quidem, sed illigat consulentem.* 41

XII. *In materia iustitiæ licet, & non licet consilium dare iuxtà minus probabilem opinionem.* ibid.

XIII. *Potest, & non potest iudex eligere quam maluerit probabilem æque opinionem & secundum illam iudicare.* ibid.

XIV. *Iudex reputans vnam opinionem probabiliorem esse altera, debet, & non debet iuxta illam iudicare.* 42

XV. *Iuxtà æque probabiles opiniones Aduocatus potest, & non potest patrocinari.* ibid.

XVI. *Cum vna pars sit probabilior altera, licet, & non licet, aduocato minus probabilem causam suscipere.* 43

XVII. *Princeps ad tributa subditis imponenda potest, & non potest opinionem probabilem sectari.* ibid.

XVIII. *Subditi excusantur, & non excusantur soluere tributum, per opinionem probabilem oppositam.* ibid.

XIX. *Princeps supremus potest, & non potest ex opinione probabili circa ius Regni alij supremo Principi bellum inferre.* 44

XX. *Princeps supremus in propria causa circa ius Regni potest, & non potest Iudex esse.* ibid.

XXI. *Miles non subditus potest & non potest haud præmisso iustitiæ probabilis belli examine aduersus alium Principem dimicare.* 45

XXII. *Subditus opinans, sibi præcipi rem illicitam, potest, & non potest obedire.* 45

XXIII. *Subditus opinans, sibi præcipi rem illicitam, tenetur, & non tenetur obedire.* ibid.

XXIV. *Cum est opinionum diuersitas circa præcipientis iurisdictionem, subditus debet, & non debet obedire.* 46

XXV. *Confessarius potest, & non potest absoluere pœnitentem, qui contra sententiam confessarij opinionem sequatur probabilem etiam deobligantem à restitutione.* ibid.

XXVI. *Quilibet confessarius Ordinarius aut delegatus potest & non potest pœnitentem absoluere contra sententiam propriam ex probabili pœnitentis opinione.* ibid.

XXVII. *Confessarius ordinarius & delegatus debet, & non debet pœnitentem absoluere iuxta eius opinionem.* ibid.

XXVIII. *Confessarius ordinarius & delegatus tenentur, & non tenentur sub mortali absoluere pœnitentem iuxta ipsius opinionem.* 47

XXIX. *Si confessio sit de venialibus, Confessarius sub mortali tenetur, & non tenetur pœnitentem iuxta eius opinionem absoluere.* ibid.

XXX. *Licèt & non licet Medico, ægroto de cuius salute desperatur, applicare medicamentum, de quo æque dubitat, an profuturum sit, an obfuturum, dubio scilicet negatiuo.* 48

XXXI. *Medico licet, & non licet medicamentum adhibere, quod probabiliter credit profuturum, relicto eo, quod probabilius reputat forè salutare, dum non suppetit medicamentum certum.* ibid.

XXXII. *Est, & non est contra Religionem, vti probabili opinione, relicta probabiliore in materia Sacramentorum.* 49

XXXIII. *Quando fas est, aliquam probabilem opinionem sectari in vita, licet, & non licet illi hæresceré in mortis articulo.* ibid.

CAPVT VII.

De conscientiæ dubietate.

Probl. XXXIV. *Necessaria est, & non est necessaria dubitatio expressa per iudicium reflexum, vt dicatur quis operari cum iudicio practicè practico.* ibid.

XXXV. *Circa materiam iustitiæ prævalet, & non prævalet possessio in casu dubio.* 50

XXXVI. *Si possessor in dubio debitam inquisitionem omittat, vt Dominus rei inueniatur, & omissio sit causa, ne postea veritas possit deprehendi: tenetur, & non tenetur restituere prudentis arbitrio.* ibid.

XXXVII. *Quoties aliquis abstulit iniustè rem à possessore bonæ fidei, dubitans an sit sua: debet, & non debet integrè tali possessori restituere.* 51

XXXVIII. *Certò nescis te mutuum accepisse dubitasque, an solueris etiam dubitante simul qui mutuum dedit: teneris, & non teneris in integrum restituere.* ibid.

XXXIX. *Dubitat Commodatarius vel Depositarius an commodatum, aut depositum sua culpa perierit: tunc tenetur, & non tenetur id restituere.* ibid.

XL. *Bonæ fidei possessor præmissa debita inquisitione, adhuc dubitat rem esse alienam ad idque magis propendere videtur: hoc in casu debet & non debet rstituere.* 52

XLI. *Cum possessor bonæ fidei dubitat de rei proprietate, potest, & non potest, eam alienare, vel consumere.* ibid.

XLII. *Possessor dubitans, an sit aliena res, eam alienat, vel consumit: debet tunc, & non debet esse paratus, pretium rei domino, cum comparuerit, restituere.* ibid.

XLIII. *Qui rem dubiæ proprietatis emit, aut accepit dubitans scilicet esse furtiuam, vel alienam: post adhibitam debitam diligentiam, potest, & non potest eam retinere.* 53

XLIV. *Si rem furtiuam, vel quam dubitabat esse furtiuam quis accipit, vel emit: vt verum dominum inquirat, & eam illi reddat: comparens dominus debet, & non debet ei totum pretium reddere, quod exhibuit.* ibid.

XLV. *Cooperatus quis ad furtum dubitat, num ex eius cooperatione secutum sit damnum: tenetur is, & non tenetur damnum resarcire.* 54

XLVI. *Suasit quis homicidium, dubitat, an suasio fuerit occisionis causa: fit, & non fit irregularis.* ibid.

XLVII. *Dubitas de tua legitimitate: Potes tunc, & non potes te reputare legitimum.* ibid.

XLVIII. *In dubio valet, & non valet possessio circa materiam aliarum virtutum à iustitia.* 55

XLIX. *Adest dubium, an res præcepta licita sit: Tunc quidem subditus tenetur, & non tenetur Præsuli obedire.* ibid.

L. *Subdito res nimis molesta, seu difficilis à Præsule præcipitur, de qua dubitat, an implere teneatur: In dubio quidem tenetur, & non tenetur obedire.* 56

LI. *Dubitat non solùm subditus, sed & superior, num res præcepta sit licita vel excedens præcipientis potestatem: subditus sciens huiusmodi dubitationem Rectoris, tenetur, & non tenetur obedire.* ibid.

LII. *Subditus ex obedientia graue timet damnum obuenturum: Tunc dubitans an res sit licita, nec ne, tenetur, & non tenetur obedire.* 57

LIII. *Dubitat Religiosus, an superioris præceptum sub voto suo comprehendatur: Tenetur, tunc, & non tenetur obedire Prælato.* ibid.

LIV. *Dubitat subditus de honestate præcepti: Tenetur, & non tenetur doctos adire consiliarios, ad dubium deponendum.* 58

LV. *Dubium adest, num Petrus sit legitimè Præsul, nec ne: Tunc subditus tenetur, & non tenetur eius præceptis obedire.* ibid.

LVI. *Rex infert bellum alij Principi, de cuius iustitia dubitatur: Milites possunt, ac debent, non possunt nec debent aduersum talem Principem dimicare.* ibid.

LVII. *Dubitatur, an lex lata sit, vel num de hac, aut illa re impositum sit præceptum? Tunc lex, seu præceptum seruandum est, & non est seruandum.* 59

LVIII. *Dubitat quis, num lex sit acceptata, vel usu recepta? tenetur & non tenetur eam obseruare.* ibid.

LIX. *Dubitatur, an lex sit derogata, vel dispensata, vel num detur excusatio sufficiens ab eius obseruatione? subditus tenetur, & non tenetur obedire.* 60

LX. *In vrgenti casu, quo superior consuli non potest circa casum dubium, licet & non licet subditum vti Epiicheia.* ibid.

LXI. *Cum de voto, iuramento, aut promissione es dubius: teneris, & non teneris illam implere.* ibid.

LXII. *Dubium est inæquale, magisque propendes in eam partem, vt emiseris votum, iuramentum, aut promissionem: Tunc teneris, & non teneris votum, iuramentum, aut promissionem implere.* 61

LXIII. *Certus est Antonius, se vouisse, iurasse, aut promisisse, dubius autem est de qualitate voti, iuramenti, aut promissionis: Tenetur & non tenetur, quod tutius, aut maius est eligere.* ibid.

LXIV. *Constat, Antonium vouisse, iurasse, promisisse, dubitat autem ipse, num se obligandi habuerit animum, eo quod votum, aut iuramentum metu fuerit extortum: debet, & non debet implere.* 62

LXX. *Certus quis est de voto, iuramento, aut promissione, dubitat autem de necessaria deliberatione ob defectum ætatis: votum, iuramentum, promissio valet & non valet.* 62

LXVI. *Certus quis de voto, iuramento, aut promissione, dubitat de necessaria deliberatione ex somno, ebrietate, seu phrenesi: votum, iuramentum, promissio valet, & non valet.* 63

LXVII. *Certus quis de voto, iuramento, aut promissione, dubitat de necessaria deliberatione ex subita passione timoris, vel iræ, vel alterius perturbationis: votum, iuramentum, seu promissio valet, & non valet.* ibid.

LXVIII. *Præmissa debita veritatis inquisitione circa irregularitatem ex homicidio prouenientem, adhuc res dubia exponitur. In foro conscientiæ manes, & non manes irregularis.* ibid.

LXIX. *Iuris decisio circà dubium de homicidio extendenda est, & non est extendenda ad cuiuslibet dubium irregularitatis.* 64

LXX. *Dubitans, an occiderit in bello iusto, censendus, & non censendus irregularis.* ibid.

LXXI. *Dubitans dubio iuris, num contraxerit irregularitatem, vel censuram: & ante præmissam debitam veritatis inquisitionem ordines recipiens: potest, & non potest in illis post adhibitam sufficientem diligentiam, perseuerante dubio ministrare.* 65

LXXII. *In censurarum dubio iuris, & dubio facti, in vtroque foro censeris ligatus, & non ligatus.* ibid.

LXXIII. *In dubio iuris, facti, aut confessionis tenetur quis, & non tenetur confiteri peccatum.* ibid.

LXXIV. *Dubitans, num post horam duodecimam noctis comederit, aut biberit, potest, & non potest communicare.* 66

LXXV. *Dubitans, an habeat matrimonij impedimentum, facta sufficienti diligentia, potest, & non potest illud contrahere.* 67
LXXVI. *Post contractum bona fide matrimonium oboritur dubium de eius valore: Coniuges sic dubitantes possunt, & non possunt petere, & reddere.* ibid.
LXXII. *Dubitat quis de recitandi horas canonicas obligatione propter tenues annuos reditus beneficij: tenetur, & non tenetur recitare,* ibid.

CAPVT VIII.
De conscientiæ scrupulo.

Probl. LXXVIII. *Licet, & non licet aduersus scrupulum non depositum operari.* ibid.

LIBER III.
PECCATA.

SECTIO I.
De peccatis receptiores absque lite sententiæ.

Cap. I. *QVid peccatum, eius diuisio, ac distinctio.* 68
II. *De peccato commissionis, & omissionis.* 72
III. *De peccatorum causis.* 73
IV. *De peccatis Cordis, Oris, & Operis, eorúmque specifia, ac numerica distinctione.* 75
V. *De peccati subiecto.* 78
VI. *De peccatorum circunstantiis.* 79
VII. *De peccatorum effectibus.* 82

SECTIO II.
De peccatis problemata.

CAPVT VIII.
Varia de peccatis.

Probl. I. *HAbens voluntatem peccata omnia venialia perpetrandi, solaque vitandi mortalia, peccat, & non peccat mortaliter.* 83
II. *Potest, & non potest quis habere vsum rationis sufficientem ad peccandum venialiter, qui tamen non habeat sufficientem ad peccandum mortaliter.* 84
III. *Peccatum veniale potest, & non potest cum solo originali consistere.* ibid.
IV. *Qui ex consuetudine, & frequenter admodum aliquod peccatum veniale, v. gr. mendacium committit, peccat, & non peccat mortaliter.* ibid.
V. *In confessione exponenda, & non exponenda non solum peccata, sed & causa, propter quam fuere commissa.* 85
VI. *Deformitas peccati omissionis minuitur, & non minuitur ex causæ illius bonitate.* ibid
VII. *Peccatum omissionis absolutè potest, & non potest esse sine omni actu, qui sit causa, vel occasio illius.* ibid.
VIII. *Tota malitia peccati omissionis tunc solum contrahitur, & tunc solum non contrahitur, cum causa culpabilis omissioni exhibetur.* 86
IX. *Pecata specie distinguuntur, & non distinguuntur, secundum. obiecta.* ibid.
X. *In eodem actu possunt, & non possunt dari plures malitiæ solo numero distinctæ, in confessione aperiendæ.* ibid.
XI. *Actus subsequentes peccatum sunt, & non sunt distincta numero peccata: & in confessione sunt & non sunt aperienda.* 87
XII. *Macula in anima post peccatum relicta (quæ est peccati effectus) est, & non est relatio rationis, seu obligatio, reatusve ad pœnam.* ibid.
XIII. *Peccatum veniale per accidens punitur aliquando, & non punitur pœna æterna.* 88

CAPVT IX.
Circa Paruitatem materiæ.

Probl. XIV. *In rebus venereis datur, & non datur, materiæ paruitas.* ibid.
XV. *In simonia datur, & non datur materiæ paruitas: vnde id peccatum potest & non potest esse vnquam veniale.* 89
XVI. *Paruitas materiæ datur, & non datur in blasphemia contra Deum, ac Diuos peccato,* ibid.
XVII. *In anticipatione comestionis ieiunij die datur, & non datur materiæ paruitas.* 90
XVII. *In naturali ieiunio ad Communionem necessario, datur, & non datur materiæ paruitas.* ibid.
XIX. *In acceptione personarum quoad beneficia conferenda, datur, & non datur materiæ paruitas.* 91
XX. *In adimpletione pœnitentiæ iniunctæ datur, & non datur materiæ paruitas circa Rosarium.* ibid.
XXI. *In ætate requisita ad Matrimonij valorem datur, & non datur paruitas materiæ.* ibid.
XXII. *In ætate requisita ad Ordines suscipiendos datur, & non datur materiæ paruitas.* ibid.
XXIII. *In continuatione anni Nouitiatus datur, & non datur materiæ paruitas.* 92
XXIV. *In ingressu fœminarum ad claustra Religiosorum, in ingressuque, vel egressu clausuræ monialium datur, & non datur materiæ paruitas.* ibid.
XXV. *Capellanus obligatus ad Missam quotidie celebrandam, potest, & non potest aliquot dies*

Missam illam omittere, ac pro alio conferente sibi specialem stipem celebrare ob huiusce scilicet materiæ paruitatem. 93

XXVI. *In obligatione restituendi fructus pro Horarum Canonicarum omissione culpabili datur, & non datur materiæ paruitas.* ibid.

XXVII. *In fructibus beneficij datur, & non datur ea materiæ paruitas, vt non consurgat recitandi horas Canonicas obligatio.* ibid.

XXVIII. *In mendacio commisso in Confessione datur, & non datur materiæ paruitas.* 94

XXIX. *In mendacio facto in iudicio externo datur, & non datur materiæ leuitas.* ibid.

XXX. *In hæresi datur, & non datur materiæ paruitas.* ibid.

XXXI. *In conscientia erronea, quando non distinguit, an mortale sit, vel veniale; sed solum confuse actio mala proponitur: datur, & non datur materiæ leuitas.* ibid.

XXXII. *In totali materia voti datur, & non datur leuis culpa.* 95

XXXIII. *In coniunctione formæ ac materiæ Sacramentorum datur, & non datur paruitas materiæ.* ibid.

XXXIV. *In librorum hæreticorum lectione datur, & non datur materiæ leuitas.* ibid.

XXXV. *Qui vno instanti habet actum retinendi librum hæreticum longo tempore, licet mutans intentum mox illum tradat, ex paruitate materiæ excusandus, & non excusandus est à censura.* 96

XXXVI. *In omissione alicuius verbi Canonis Missæ datur, & non datur materiæ leuitas.* ib.

XXXVII. *Lex prohibet, ne aliquid extrahatur à Regno: materiæ paruitas excusat, & non excusat à graui piaculo.* ibid.

XXXVIII. *Voueo Angelicam salutationem semel quotidie recitare: possum, & non possum ad votum paruæ huius materiæ me sub mortali peccato obligare.* 97

XXXIX. *Confessarius potest, & non potest pœnitentiam leuem sub mortali imponere.* ibid.

XL. *Beneficiarius in singulis horis Canonicis partem leuem omittit, quæ simul sumptæ grauem exprimunt quantitatem: tenetur hic, & non tenetur aliquid restituere.* 98

XLI. *Vouet quis, quoties Missam audierit, nihil leue ex illa se omissurum, & in pluribus Missis leue quid omisit; vouet simul singulis horis mentem ad Deum eleuare, quam die tota nec eleuauit semel: eodem die plura vota violare, est, & non est peccatum lethale.* ibid.

XLII. *Præceptum illud nil addendi, aut imminuendi ex canonico officio, quis transgreditur, addendo nimirum aliquid: is quidem ex paruitate materiæ excusatur, & non excusatur, à mortali crimine.* ibid.

XLIII. *In præcepto celebrandi cum vestimentis sacris, datur, & non datur materiæ leuitas.* 99

XLIV. *Ex causa turpi quis habitum Religionis propriæ dimittit: datur hic, & non datur materiæ paruitas, obnoxius est, & obnoxius non est excommunicationi.* ibid.

XLV. *In præcepto gestandi Clericalem tonsuram, datur, & non datur materiæ leuitas.* ibid.

CAPVT IX.
Circa Circunstantias.

Probl. XLVI. *Cum multa præcepta circa idem coincidunt, hæc circunstantia est, & non est explicanda.* 100

XLVII. *Consuetudo peccandi, seu circunstantia relapsus est, & non est in Confessione exprimenda.* ibid.

XLVI. *Circunstantiam complicis tenetur, & non tenetur pœnitens explicare, quum complex est Confessario notus.* ibid.

XLIX. *Circunstantiæ notabiliter aggrauantes sunt, & non sunt in confessione necessario aperiendæ.* 101

L. *Mulieri delinquenti cum sacerdote Religioso, satis, & non satis aperire in confessione sacerdotij circunstantiam.* ibid.

LI. *Religiosus, professus qui votum castitatis solemne violauit, debet, & non debet exponere in confessione, se violasse votum, abstrahens à solemni ac simplici.* 102

LII. *Quis per expressum pactum cum dæmone diuinans debet, & non debet in confessione referare.* ibid.

LIII. *Omisit quis sacrum propter studium: tenetur, & non tenetur exponere in confessione studij circunstantiam.* ibid.

LIV. *Furatur quis coram Iudice, seu cum manifesto vitæ discrimine: in confessione tenetur, & non tenetur hanc circunstantiam referare.* 103

LV. *Medicus alicui veniam dat carnes edendi die ieiunio consecrato sine causa legitima: debet, & non debet diei prohibiti circumstantiam in confessione aperire.* ibid.

LVI. *Ministrat quis lethali crimine irretitus excellentius sacramentum: tenetur, & non tenetur excellentiæ circunstantiam in confessione expendere.* ibid.

LVII. *Vno vel multis annis quis iniustè retinet rem furto ablatam: diuturnitas illius voluntariæ retentionis est, & non est circunstantia necessariò in confessione manifestanda.* ibid.

LIX. *Omittit Præsul necessariam subditi correctionem, in confessione tamen solum aperuit, se proximi correctionem omisisse nulla subditi facta mentione: satisfacit & non satisfacit confessionis integritati.* 104

LX. *Sacerdos cum fœmina, eius aliquando confessionis filia, copulam iniit: tenetur & non*

non tenetur huiusmodi filiationis circunstantiam in confessione exprimere. 104.

LXI. *Confessarius cum filio confessionis peccans tenetur, & non tenetur circunstantiam filiationis huiusce in confessione declarare.* ibid.

LXII. *Rogitat pœnitentem Confessarius, an perpetrandi id crimen, quod profitetur, consuetudine laboret? tenetur; & non tenetur huiusmodi recidiui circunstantinm aperire.* 105.

LXIII. *Apostasiæ quis crimine inficitur, & confessario generatim aperit se lapsum in hæresim, apostasiæ circunstantiam reticendo: sufficiens est, & sufficiens non est huiusmodi confessio.* ibid.

LXIV. *Semel quis contra Deum, semel contra Virginem Deiparam, semel contra D. Petrum blasphemiam protulit, & in confessione indistinctè exposuit se triplex blasphemiæ crimen perpetrasse, reticendo blasphemiarum circumstantias: satisfecit, & non satisfecit confessionis integritati.* ibid.

LXV. *Quis morosè delectatur ex obiecto solutæ, nuptæ, aut Monialis, & in confessione dixit: Toties morosè delectatus sum, sine expressione circunstantiæ imaginationi obiectæ: sufficit, & non sufficit huiusmodi confessio.* 106

LXVI. *Quis dixit in confessione peccatum necessariæ oblitus circumstantiæ: postmodum explicando in alia confessione circumstantiam oblitam, satisfacit, & non satisfacit.* 106.

LXVI. *Sacerdos excipit multorum confessiones in peccato lethali existens: tenetur, & non tenetur, in confessione aperire multitudinis absolutorum circumstantiam.* ibid.

LXVIII. *Sacerdos Eucharistiam ab alio consecratam multis ministrat simul lethali piaculo infectus: debet & non debet circumstantiam multorum, quos Eucharistia refecit explicare.* 107

LXIX *Circumstantia durationis temporis est, & non est in confessione exprimenda.* ibid.

LXX. *Abripit quis virginem consentientem: debet, & non debet raptus circumstantiam manifestare in confessione.* ibid.

LXXI. *Inducit quis ad peccandum mulierem libidini iam paratam ad facinus: circunstantia huiusmodi est, & non est necessario exponenda.* 108.

LXXII. *Die iouis aut veneris sancti quis libidinis piaculum perpetrauit: tenetur & non tenetur sanctitatis diei circumstantiam declarare.* ibid.

LXXIII. *Patrauit quis incestum cum matre, vel filia, vel sorore, vel nepte: debet, & non debet exprimere personæ sibi iunctæ sanguine aut affinitate naturali, vel legali, vel spirituali circumstantiam.* ibid.

LXXIV. *Quis proximum odio prosequutus est, semel circa personam, bis circa honorem, ter circa facultates: debet, & non debet has ce exprimere in confessione circunstantias.* 109.

LXXV. *Tactus impudici facti in Templo habent, & non habent specialem sacrilegij circunstantiam necessario in confessione exprimendam.* ibid.

LXXVI. *Occulta pollutio in Templo continet, & non continet sacrilegij malitiam necessario in confessione explicandam.* ibid.

LXXVII. *Apud Templum quis hominis conuenientis nummos furatur: furtum hoc continet, & non continet circunstantiam sacrilegij in confessione necessario exprimendam.* 110

LXXVIII. *Quis proximo vno impetu plures ore profert iniurias, seu contumelioſa verba: aperienda, & non aperienda est in confessione numerus, ac quantitas, seu qualitas iniuriarum.* ibid.

LXXIX. *Quis pluribus personis vno impetu profert iniuriam: debet, & non debet in confessione exprimere personarum numerum.* ibid.

LXXIX. *Copula inter coniugatos habita in loco sacro, est, & non est circumstantia necessariò in confessione aperienda.* 111

LXXX. *Præsul subdito aliquid sub præcepto obedientiæ iubet, subditus violat obedientiam: debet, & non debet virtutis obedientiæ circunstantiam declarare.* ibid.

LXXXI. *Virgo, quæ primò sponte amisit integritatem, debet & non debet virginitatis circunstantiam in confessione declarare.* ibid.

LXXXII. *Præsul morem gerens humanæ fragilitati deliquit grauiter: tenetur, & non tenetur Præsulatus exponere circunstantiam.* 112

LXXXIII. *Peccat quis cum alterius sponsa de futuro: vterque tenetur, & non tenetur hanc exponere in confessione circunstantiam.* ibid.

LIBER IV.

VITIA CAPITALIA.

SECTIO I.

De Vitiis Capitalibus receptiores absque lite sententiæ.

Cap. I. *VNdenam Vitia hæc, Capitalia, vocitentur.* 113

II. *De Superbia.* 114

III. *De Vana gloria.* 115

IV. *De nouem vanæ gloriæ filiabus, iactantia, nouitatum præsumptione, Hypocrisi, pertinacia, discordia, contentione, inobedientia, ambitione, arrogantia.* 116 *& seqq.*

V. *De Auaritia.* 120.

VI. *De Auaritiæ septem filiabus, duritia cordis, inquietudine, violentia, fallacia, fraude, periurio, proditione.* ibid.

VII. *De Luxuria* 122
VIII. *De filiabus Luxuriæ octo, cæcitate mentis, præcipitatione, inconsideratione, inconstantia, amore sui, odio Dei, affectu præsentis sæculi, horrore futuri: & aliis quatuor, quæ ei attribuuntur.* 123
IX. *De Ira.* 124
X. *De Iræ sex filiabus, indignatione, tumore, clamore, contumelia, blasphemia, rixa.* 125
XI. *De gula.* 126
XII. *De ebrietate.* 127
XIII. *De quinque gulæ filiabus, hebetudine mentis, lætitia inepta, multiloquio, scurrilitate, immunditia.* 128
XIV. *De Inuidia.* 128
XV. *De quinque inuidiæ filiabus, odio, susurratione, detractione, gaudio in aduersis proximi, & in prosperis afflictione.* 130.
XVI. *De acedia.* ibid.
XVII. *De sex accediæ filiabus, desperatione, pusillanimitate, torpore, malitia, rancore, euagatione mentis.* 131

SECTIO II.
De vitiis capitalibus Problemata.

CAPVT XVIII.
Circa superbiam, aut vanam gloriam.

Probl.I. *Iactantia de aliquo peccato habet, & non habet eandem malitiam, ac ipsum peccatum: ideo teneris, & non teneris explicare peccatum de quo iactantia fuit, in confessione.* 132
II. *Alius te de peccato perpetrato laudat, nec placet interius, non tamen exterius tuam exprimis displicentiam: peccas, & non peccas mortaliter.* ibid.
III. *Hypocrisi quis simulat paupertatem, eleemosynas recipit, quibus veri inopes erant subleuandi tenetur, & non tenetur ad restitutionem.* 133
IV. *Tactus facti ex curiositate (vanæ gloriæ filia) sunt, & non sunt peccata mortalia.* 133
V. *Subditus, qui dubitans, an quod à Præsule præcipitur, sit licitum: non curat executioni mãdare inobediens est, & non est inobediens.* 134
VI. *Milites exteri stipendio ad bellum conducti, si dubitent de iure belli, possunt & non possunt, tuta conscientia militare,* ibid.
VII. *Religiosus violans passim suæ Religionis statuta ad culpam non obligantia: est & non est lethaliter inobediens.* 135
VIII. *Religiosus habet propositum agendi contra omnes suæ Religionis regulas ad culpam non obligantes, vno statuto solummodo obseruato: hic est & non est lethaliter inobediens.* ibid.

CAPVT XIX.
Circa Auaritiam.

Probl. IX. *Ignoranter quis accipit monetam falsam, & bona fide expendit: tenetur autem, & non tenetur restituere,* ibid.
X. *Veram aliquam scripturam amisisti, aliam confinxisti similem: debes dici, & non debes dici, fallaciam perpetrasse.* 136
XI. *Cum tyrannus iniustè capit castrum alicuius Principis, licet, & non licet priuatæ personæ, quæ sub tyranni potestate est, & cui commissa cura castri fuit, inscio tyranno, illud vero Domino accepta ab eo pecunia, restituere.* 136
XII. *Deliberat quis per prodtionem tyrannum iniustè quidem occidere: licebit, & non licebit alteri, ei qui intendit tyrannum occidere, promittere pecunias, si perficiat intentum.* ibid.
XIII. *Aperiens, & legens literas sigillo munitas, peccat, & non peccat lethaliter.* 137
XIV. *Si quis literas ad se immissas in publicum laceratas abiicit, potest alter, & non potest sine peccato eas, collectis fragmentis, legere.* 137

CAPVT XX.
Circa Luxuriam.

Probl.XV. *Oscula & amplexus, qui fiunt ex delectatione sensibili ex illis consurgente, absque alia sinistra intentione sunt, & non sunt peccata lethalia.* ibid.
XVI. *Tactus coniugis in alterius coniugis absentia ob delectationem est, & non est lethale piaculum.* 138
XVII. *Licet, & non licet fricationibus vti, ad semen corruptum expellendum, ex quibus causanda sit vera aliqua seminis emissio.* 138
XVIII. *Desiderare in somnis pollutionem, aut de illa sic accidenti gaudere ob finem honestum, est, & non est mortale piaculum* 139
XIX. *Licet, & non licet desiderare, vt pollutio extra somnum eueniat ob finem quidem honestum siue causa sanitatis, siue vt tentamina deferuescant.* 139

CAPVT XXI.
Circa Iram.

Probl.XX. *Omnes blasphemiæ (Iræ quidem filiæ) sunt, & non sunt eiusdem speciei.* ibid.
XXI. *Blasphemus est, & non est blasphemus qui amasiam suam deam, aut idolum appellat.* 140
XXII. *Blasphemiæ contra Deum semper sunt, & non semper sunt peccata mortalia.* 140
XXIII. *Blasphemiæ in diuos semper sunt, & non semper sunt peccata lethalia.* 141

CAPVT XXII.
Circa Gulam.

Probl. XXIV. *Edens, aut bibens vsque ad vomitum peccat, & non peccat mortaliter.* ibid.
XXV. *Comedens, aut bibens absque necessitate ob voluptatem solummodò captandam, peccas,*

non peccas venialiter. ibid.
XXVI. *Est, & non est licitum, carne humana vesci in extrema necessitate.* 142
XXVII. *Licet, & non licet extra famem extremam appositis carnibus humanis vesci ob necis inferendæ periculum.* ibid.
XXVIII. *Opera in ebrietate contingentia etiam ante ebrietatem præuisa sunt & non sunt peccata, cum iam non manent in hominis potestate.*
XXIX. *Peccata in ebrietate perpetrata si prior voluntas est per pœnitentiam interrupta, inducunt, & non inducunt censuras.* 143
XXX. *Peccatum blasphemiæ, periurij, & infidelitatis in ebrietate perpetratum imputandum, & non imputandum ad culpam.* 143
XXXI. *Licet, & non ob sanitatem captandam inebriari.* ibid.
XXXII. *Si quis tibi necem minitetur, nisi des operam ebrietati, liciium est, & non est tibi, ebrietati indulgere.* 144
XXXIII. *Aliquod grande malum quis machinatur, quod non potes alia ratione impedire, nisi eum facias ebriari: licitum est, & non est tibi illum ad ebrietatem prouocare.* ibid.

CAPVT XXXIII.

Circà Inuidiam.

XXXIV. *Tristari de bono alterius, quia tibi bonum proprium diminuit, est, & non est peccatum mortale inuidiæ ex genere suo.* 145

LIBER V.

LEGES.

SECTIO I.

De legibus receptiores absque lite sententiæ.

Cap. I. *Quidnam lex, quotuplex.* 145
II. *Qui possint legem ferre.* 147
III. *De legis ferendæ condtionibus.* ibid
IV. *De legis materia.* 149
V. *De iis qui legibus humanis parere tenentur, seu de legis subiecto.* ibid.
VI. *De legis humanæ obligatione.* 151
VII. *De lege pœnali.* 152
VIII. *De lege iniusta.* ibid.
IX. *De causis, quibus legis obligatio cessat.* 153.
X. *De dispensatione legis.* 154
XI. *Epiicheia.* 155

SECTIO II.

De legibus Problemata.

CAPVT XII.

Circa leges Pontificias.

Brobl. I. *Bullæ Pontificiæ, seu Diplomata requirunt, & non requirunt ex iure communi in singulis Prouinciis publicationem.* 156.
II. *Leges pontificiæ obligant statim facta promulgatione, & non obligant statim sed post duos menses.* ibid.
III. *Eminentissimorum Cardinalium declarationes habent, & non habent vim legis.* 157
IV. *Omnia, quæ habentur in iure canonico habent, & non habent vim legis.* ibid,
V. *Ad obligationem legis Pontificiæ requiritur, & non requiritur, à maiori populi parte esse acceptam.* 158
VI. *Bulla cœnæ obligat & non obligat in conscientia, vbi non est vsu recepta.* 158

CAPVT XIII.

Circa leges Regias ac Imperatorias.

VII. *Reges seu Imperatores tenentur, ac non tenentur, suas leges seruare sub graui piaculo.* ibid.
VIII. *Princeps, seu superior circa materiam grauem potest & non potest sub veniali solum obligare subditos.* 159
IX. *Princeps, seu legislator potest & non potest in leui materia grauem imponere obligationem.* ibid.

CAPVT XIV.

Circa legis Acceptationem.

X. *Vt lex humana ciuilis obliget, requiritur, & non requiritur populi acceptatio.* ibid.
XIII. *Peccant, & non peccant subditi sine causa non recipientes legem à Principe legitimè promulgatam.* 160
XIV. *Subest dubium, an lex sit vsu recepta nec ne: præsumendum est, & non est præsumendum esse acceptam.* ibid.
XV. *Vt lex non obliget quia vsu non recipitur, adhuc est necessarius, & non est necessarius tacitus Principis tolerantis consensus.* ibid.
XVI. *Licet, & non licet subditis supplicationem super promulgata lege exponere, & interim eam non obseruare.* 161
XVII. *Vt lex per non vsum authoritate careat, requiritur, & non requiritur certum tempus, quo aliqua præscriptio exponatur.* ibid.

CAPVT XV.

Circa Regulares, Clericos, Peregrinos, ac Viatores.

XVIII. *Regulares tenentur, & non tenentur leges Synodales Episcoporum obseruare.* ibid.
XIX. *Clerici non solum vi directiua, sed & vi coactiua subiiciuntur, & non subiiciuntur Principum sæcularium legibus, quæ spectant ad*

ad Reipublicæ gubernationem, nec cum Clericorum pugnant statu. 162

XX. *Peregrinus tenetur, & non tenetur seruare festa, ac ieiunia proprij domicilij, quæ in loco in quo reperitur, non seruantur.* 162

XXI. *Peregrini tenentur, & non tenentur leges locorum ad quæ diuertunt, obseruare.* ibid.

XXII. *Vagi tenentur, & non tenentur seruare particulares leges, seu consuetudines locorum, in quibus reperiuntur.* 163

CAPVT XVI.

Circa legis obligationem.

XXIII *Dubitas, num lex obliget ad mortale, an ad veniale: debes, & non debes iudicare, sub mortali obligare piaculo.* ibid.

XXIV. *Lex fundata in præsumptione in aliquo casu particulari deficit: tunc obligat, & non obligat in conscientia.* ibid.

XXV. *Finis adæquatus legis in aliquo particulari casu cessat: tunc tollitur, & non tollitur legis obligatio.* 164

CAPVT VIII.

Circa legem pœnalem.

XXVI. *Lex pœnalis in materia graui obligat, & non obligat in conscientia.* ibid.

XXVIII. *Lex prohibet aliquid sub pœna mortis, mutilationis, perpetui carceris, damnationis ad triremes, confiscationis omnium, aut multorum bonorum: obligat, & non obligat sub mortali.* 165

XXIX. *Fraudantes vectigalia iusta, (quæ sunt veluti leges humanæ purè pœnales,) peccant & non peccant lethaliter: tenentur, & non tenentur ad restitutionem.* ibid.

XXX. *Lex non purè pœnalis, sed mixta obligat, & non obligat sub peccati lethalis reatu.* 166.

XXXI. *Lex pœnalis Ecclesiastica excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis obligant, & non obligant sub mortali semper.* ibid.

XXXII. *Lex pœnalis ipso facto pœnam infert obligans in conscientia: certè tunc delinqueus tenetur, & non tenetur antè iudicis sententiam eiusmodi pœnam persoluere.* ibid.

XXXIII. *Priuatur quis per pœnalem legem ipso facto voce actiua, in conscientia tenetur, & non tenetur, hanc pœnam ante iudicis sententiam subire.* 167

XXXIV. *Lex pœnalis ex rationis similitudine, seu identitate extendenda, & non extendenda, est ad alios casus.* ibid.

CAPVT XVIII.

Circa legis Dispensationem.

XXXV. *Dubitat Præsul, num causa dispensationis sit iusta: licite tunc potest, & non potest dispensare.* 168.

XXXVI. *Dispensatio Præsulis in propria lege sine causa facta, valida, & non valida est.* ibid.

XXXVII. *Præsul sine causa propria in lege dispensans peccat, & non peccat mortaliter.* ibid.

XXXVIII. *Præsul inferior in lege superioris dispensat causa prius non præcognita, sed quæ reuera iusta est, & legitima. tunc est, & non est valida dispensatio.* ibid.

XXXIX. *Præsul inferior bona fide dispensat in causa non iusta: tunc est, & non est valida dispensatio.* 169

XL. *In dispensatione in nomine diœcesis erratur, Antonius enim asseritur Vallisoletanæ Diœcesis, qui vere est Burgensis: tunc est, & non est valida dispensatio.* ibid.

XLI. *Accidit causa pauperis, de qua potest Episcopus per literas Pontificem facere certiorem, cum periculum in mora non adsit: tunc Episcopus potest, & non potest dispensare Pontifice non monito.* ibid,

XLII. *Sacerdos occiditur, nec exponitur ad irregularitas dispensationem obtinendam sacerdotij circunstantia: tunc est, & non est valida dispensatio.* ibid.

XLIII. *Petrus & Maria sunt simul consanguinei, & affines: possunt, & non possunt dispensationem impedimenti affinitatis petere, suppresso impedimento consanguinitatis pro quo postmodum petant dispensationem.* 170

XLIV. *Obtinuit Petrus dispensationem ad contrahendum cum Maria affine, seu consanguinea, sed ea non est vsus, postmodum autem curat aliam dispensationem cum alia consanguinea, seu affine petere: tenetur & non tenetur petens hanc secundam memoriam prioris dispensationis facere.* ibid.

XLV. *Cessante dispensationis causa, cessat, & non cessat dispensatio.* ibid.

XLVI. *In narratione facta Pontifici tacetur aliquid quod iuxta curiæ stylum erat aperiendum: huiusmodi taciturnitas reddit, & non reddit subreptitiam dispensationem.* 171

XLVII. *Superior, qui condidit legem, expressè non prohibuit dispensandi facultatem: tunc inferior potest, & non potest dispensare.* ibid.

XLVIII. *Practicè dubitas, num res egeat dispensatione: tunc Episcopus potest, & non potest dispensare.* ibid.

Capitum, & Problematum.

LIBER VI.

PRIVILEGIA.

SECTIO I.

De Priuilegiis receptiores absque lite sententiæ.

Cap. I. *QVid, & quotuplex priuilegium.* 172
II. *A quo, & cui priuilegium sit concedendum.* 173
III. *Multas priuilegij exprimo qualitates.* 174
IV. *De septem modis, queis priuilegium solet finiri, ac primum de reuocatione, & renunciatione.* 176
V. *De reliquis sex modis quibus finiri assolet priuilegium.* 177
VI. *De priuilegiis Regularium circa confirmationem & vsum.* 179
VII. *De priuilegiorum communicatione.* 181
VIII. *De priuilegiorum Regularibus concessorum interpretatione.* 183
IX. *De viua vocis Oraculis.* 184

SECTIO II.

De priuilegiis Problemata.

CAPVT X.

Circa Priuilegium Reale ac Personale, pro foro pœnitentiæ, supplicationem diminutam, ac brachij secularis inuocationem.

Probl. I. *PEnsatis verbis priuilegij, & illius materia, dubium est, an priuilegium Reale sit, an personale: tunc reputandum est Personale esse.* 185
II. *Si Priuilegium iuri communi tantum deroge, reputandum, & non reputandum est, Reale esse* ibid.
III. *Dubitas, an priuilegium reale sit, an personale: sed maior tibi probabilitas subest personale esse, & non reale. tunc debes, & non debes maiori hæresceré probabilitati.* 186
IV. *Priuilegium datum pro foro conscientiæ est, & non est idem ac priuilegium datum pro pœnitentiæ foro.* 186
V. *Priuilegium datum pro foro pœnitentiæ potest, & non potest extra pœnitentiam sacramentalem exerceri*
VI. *Supplicationem quis facit diminutam ad priuilegium obtinendum, & Princeps ex illa mouetur priuilegium concedere aliàs non concessurus cognita veritate: tunc est, & non est irrita concessio.* 187
VII. *In priuilegiis sæpè conceditur, vt Ecclesiasticus Iudex possit seculare brachium inuocare debet tunc & non debet sæcularis Iudex de iustificatione causæ certificari, vt auxilium Ecclesiastico præstare tenatur.* ibid.

CAPVT XII.

Circa priuilegij interpretationem.

VIII. *Priuilegium, seu potestas dispensandi seu absoluendi à reseruatis est, & non est latè interpretanda si personæ dispensandæ non exprimantur.* 188
IX. *Si personæ dispensandæ aut absoluendæ exprimantur, facultas dispensandi, & absoluendi data in gratiam eius, qui est dispensandus, aut absoluendus, est, & non est strictè interpretanda.* ibid.
X. *Potestas concessa per Iubilæum, & Bullam Cruciatæ, ad eligendum confessarium, qui absoluat à reseruatis, aut dispenset in votis, est, & non est strictè interpretanda,* 189
XI. *Potestas alicui concessa eligendi confessarium, qui eum à censuris, & casibus reseruatis absoluat, est, & non est strictè interpretanda.* ibid.

CAPVT XII.

Circa priuilegij extensionem.

XII. *In fauorabilibus Priuilegiis valet, & non valet paritas rationis, aut maior ratio, vnde ad alios casus vel personas similes priuilegium extenditur, & non extenditur.* 190
XIII. *Habet quis priuilegium legitimandi adulterinum quemlibet, & incestuosum quemlibet, & casus datur, in quo vitium vtrumque in eadem persona concurrit: tunc potest, & non potest legitimare eum.* ibid.

CAPVT XIII.

Circa Priuilegij confirmationem & vsum.

XIV. *Si priuilegia confirmentur in forma communi, censentur & non censentur confirmata priuilegia ad illius instar.* 191
XV. *Per clausulam*, Et decretis sacri Concilij Tridentini non aduersantur, *sunt & non sunt abrogata, & reuocata priuilegia omnia, quæ continent aliquid contra aliqua Concilij Tridentini decreta.* 191
XVI. *Regulares possunt, & non possunt in foro conscientiæ suis vti priuilegiis, quæ sunt expressè per Tridentinum reuocata.* 192

CAPVT

CAPVT XIV.

Circa Priuilegij Reuocationem.

XVII. *Ad reuocationem priuilegij remuneratorij præter causam publicam requisitam, requiritur, & non requiritur, compensatio.* 192

XVIII. *Inferior dispensans vel concedens priuilegium contra legem superioris cum illi concessa est facultas dispensandi, potest, & non potest illud sine causa legitima reuocare.* 193

XIX. *Priuilegium primum extra corpus iuris non derogatur subsequenti, nisi illius fiat mentio; derogatur, licet illius mentio non fiat.* ibid.

XX. *Priuilegium priuatim reuocatum non habet effectum, quousque priuilegiato innotescat: Porrò hæc reuocatio facienda est necessario, & non est necessario facienda per rescriptum & nuncium.* 194

CAPVT XV.

Circa Priuilegij amissionem, aut cessationem.

XXI. *Priuilegium absolutè concessum, ad aliquid agendum, vel omittendum vnico actu, finitur, & non finitur, quando verba sunt ambigua, & indifferentia.* 194

XXII. *Vt cognoscatur, quando ex defectu causæ finalis cessat priuilegium, necessario est, & non est causa priuilegij Rome concessi verificanda tempore concessionis* 195

XXIII. *Est, & non est necessariò verificanda causa finalis priuilegij tempore, quo ab ordinario, vel confessario expeditur.* ibid.

XXIV. *Cessat, & non cessat priuilegium, seu dispensatio quando ad effectum integrum perducta non est, cessante integrè causa dispensationis.* 196

XXV. *Rescriptum iustitiæ seu iurisdictio delegata subdelegato ad priuilegium concedendum, perit, & non perit morte delegati prioris superstite primo ordinario delegante, si res sit tam in delegato quam in subdelegato integra.* 197

XXVI. *Licentia mihi data à Pontifice, Episcopo, vel Parocho audiendi confessiones perit, & non perit morte concedentis vel finita eius iurisdictione.* ibid.

XXVII. *Datur tibi priuilegium, vt aliquas determinatas personas absoluas vel cum illis dispenses ob illarum fauorem: certè tunc, si res integra sit expirat, & non expirat priuilegium morte concedentis.* 198

XXVIII. *Conceditur tibi priuilegium eligendi confessarium siue determinatum, siue indeterminatum, qui te à reseruatis absoluat, vel tecũ dispenset: hæc facultas seu priuilegium perit & non perit concedentis morte, re integra.* ibid.

XXIX. *Tibi à Pontifice vel eius legato datur priuilegium, seu mandatum, vt in aliquo beneficio tunc vacante prouideatis: hoc priuilegium expirat, & non expirat morte concedentis, re integra.* 199

XXX. *Concedit mihi Princeps hac in forma priuilegium: Concedo tibi licentiam ad annum, ad meum beneplacitum: profectò priuilegium, vltra annum prorogabitur, & non prorogabitur, si Princeps vltra annum viuit.* ibid.

XXXI. *Priuilegium sub illis terminis datum:* Concedo tibi priuilegium ad annum ad meum beneplacitum, *perit, & non perit, si intra annum concedens moriatur.* 200

XXXII. *Quando princeps sine anni limitatione concedit priuilegium, addens* Ad beneplacitum meum, *vel* Quandiu voluero, *aut* fuerit nostra voluntas: *perit, & non perit morte concedentis.* ibid.

CAPVT XVI.

Circà viuæ vocis Oracula.

Probl. XXXIII. *Per constitutiones Vrbani VIII. & Gregorij XV. reuocantur, & non reuocantur viuæ vocis oracula, quæ postea per Bullam, seu Breue fuere confirmata.* ibid.

XXXIV. *Per Constitutionem Gregorij XV. & Vrbani VIII. reuocantur, & non reuocantur indulgentiæ viuæ vocis oraculo concessæ.* 201

XXXV. *Viuæ vocis oracula, quæ suum iam sunt effectum sortita ante præfatas Pontificum Constitutiones hoc tempore valent, & non valent.* ibid.

LIBER VII.

BVLLA CRVCIATÆ.

SECTIO I.

De Bulla Cruciatæ receptiores absque lite sententiæ.

Cap. I. *Quid Bulla, quis auctor, & interpres* 202.

II. *De his, quibus Bulla cruciata prodest, & quo modo vt prosit accipienda.* 203

III. *De tempore, à quo annus publicationis Bullæ debeat computari.* 206

IV. *De Bullæ, Bulla cœnæ, vel ex morte Pontificis, reuocatione.* 207

V. *De indulgentia prima à summo Præsule in Bulla concessa.* ibid.

VI. *De eleemosyna ab accipiente Bullam exhibenda.* 209

VII. *De priuilegio celebrandi, seu audiendi Sacrum, &c. tempore interdicti.* 210
VIII. *De Sacramentis, quæ interdicti tempore Bullæ priuilegio recipi possunt.* 212
IX. *De priuilegio Bullæ circa Ecclesiasticam sepulturam, interdicti tempore.* 213
X. *Quidnam circà esum carnium priuilegium Bullæ concedat.* 214
XI. *De vsu ouorum, ac lacticiniorum ex indulto Cruciatæ.* 215
XII. *De Indulgentia quindecim annorum, ac quindecim quadragenarum, & de bonorum participatione.* 218
XIII. *De Stationum indulgentiis.* 219
XIV. *De Confessario Bullæ indulto eligendo.* 221
XV. *De facultate absoluendi à reseruatis Pontifici, aliive prælato.* 223
XVI. *De facultate absoluendi à censuris.* 225
XVII. *De Indulgentia semel in vita, & rursum in mortis articulo concessa, & ea, quæ conceditur sine concessione repente obeunti.* 229
XVIII. *De facultate commutandi vota, & iuramenta.* 231
XIX. *De tempore commutationis votorum.* 233
XX. *De causa ad commutationem votorum requisita, aliisque circa commutationem difficultatibus.* 234
XXI. *De voto castitatis, Religionis, & vltra marino à commutatione facienda virtute Bullæ exceptis.* 236
XXII. *De praxi quã Confessarius, ad quem spectat huius priuilegij ministerium obseruare debet in votis Cruciatæ virtute commutandis.* 239
XXIII. *De secundæ Bullæ acceptione, de Indulgentiarum per Bullam suspensione, & reualidatione.* 241
XXIV. *De Commissarij cruciatæ facultate.* 243
XXV. *De Bulla compositionis.* 247
XXVI. *De Bulla defunctorum.* 253
XXVII. *De lacticiniorum Bulla.* 255

SECTIO II.
De Bulla Cruciatæ Problemata.

CAPVT XXVIII.
Circa principia generalia Bullæ Cruciatę.

Probl.I. *Episcopus potest, & non potest Bullam concedere, quæ contineat facultatẽ absoluendi à casibus, quos ipse sibi reseruat: dispensandi, ac commutandi in iis, quæ ipse iure suo Ordinario potest dispensare, vel commutare: & indulgentiam quadraginta dierum.* 256

II. *Duratio Bullæ computanda est à die publicationis factæ in Oppido, vbi quis Bullam accepit: & non est computanda ab isto die, sed à die publicationis factæ in Oppido, vbi inuenitur, quando sequens Bulla publicatur.* 257

III. *Annus durationis Bullæ est, & non est solaris seu naturalis: computandusque & non computandus modo physico, ac mathematico.* ibid.

IV. *Quando suscipis Bullam, debes, & non debes in gratia existere.* 258

V. *Scis, patrem, sororem, vel amicum tuum quolibet anno tibi Bullam sumere: potes, & non potes eius frui prinilegiis, antequam certior fias de Bulla tuo nomine accepta.* ibid.

VI. *Si ante annum primæ Bullæ elapsum, secunda Bulla promulgetur: potes, & non potes primæ Bullæ priuilegiis potiri, anno primo durante.* ibid.

CAPVT XXIX.
Circa eos, quibus Bulla prodest.

Probl.VII. *Si pro defuncto excommunicato Bullam accipias; tempore Interdicti: posset, & non posset defunctus ab excommunicatione reseruata absolui, & sacro in loco sepeliri.* 259

VIII. *Accipis in mortali Bullam, pro cuius acceptatione indulgentia plenaria conceditur: obice recedente, reuiuiscit, & non reuiuiscit, indulgentia.* ibid.

IX. *Indulgentiæ Bullæ prosunt, & non prosunt excommunicato.* ibid.

IX. *Incurrenti in casus reseruatos, ac Censuras: emittenti vota ex abusu, ac praua confidentia positiua Bullæ, ipsa proficit, & non proficit.* 260

CAPVT XXX.
Circa priuilegium audiendi Missam, &c. Interdicti tempore.

Probl.X. *Nomine consanguineorum quos secum potest adducere ad sacra, qui Bullæ fruitur priuilegio tempore Interdicti, intelliguntur, & non intelliguntur affines.* ibid.

XI. *Qui priuilegium habet ex Bulla ad audiendum sacrum Interdicti tempore, familiaribus, ac consanguineis comitatus: potest, & non potest pluribus Missis interesse.* 261

XII. *Qui possunt ratione Bullæ, aut alterius priuilegij Interdicti tempore Missam audire, tenentur, & non tenentur exaudire illam.* 261

XIII. *Qui Paschatis tempore præcepto Communionis satisfecit, potest, & non potest in Oratorio ex deuotione ipsa die Paschatis virtute Cruciatæ sacram synaxim accipere.* 262

XIV. *In Bulla conceditur, & non conceditur facultas, vt eam habentes possint à quocumque sacerdote Eucharistiam omni tempore accipere sine Parochi licentia, excepto Paschæ die.* ibid.

CAPVT XXXI.
Circa facultatem vescendi carnibus, ouis, ac lactiniis Quadragesimalibus diebus.

Probl.XV. *Ille, cui virtute Bullæ, vel alterius priuilegij, vel iustæ causæ, licet in Quadragesima, vel*

extra illam vesci carnibus, potest, & non potest canare, & pluries in die comedere. ibid.

XVI. *Laici in Dominicis Quadragesimæ possunt, & non possunt sine Bulla ouis, ac lacticiniis vesci.* ibid.

XVII. *In Quadragesimæ Dominicis Episcopi, Præ-Prælati, sacerdotes, Religiosi per indultum Bullæ possunt, & non possunt ouis, ac lacticiniis vesci,* 264.

XVIII. *Tenetur quis ieiunare vel ex voto, vel ex pœnitentia, satisfacit, & non satisfacit præfatis ieiuniis in Quadragesima, si ouis & lacticiniis sine Bulla vescatur.* ibid.

XIX. *Generales, Prouinciales, ac Præpositi Religionum possunt, & non possunt Bullæ indulto circa oua ac lacticinia in ieiunio quadragesimali potiri.* 265

XX. *In ieiuniis per Iubileum indictis, ex priuilegio Bullæ poteris, & non poteris ouis, ac lacticiniis vesci.* ibid.

CAPVT XXXII.

Circa Confessarij ex indulto Bullæ electionem.

Probl. XXI. *Parochus beneficio dimisso, vel Confessarius ad annum approbatus, anno elapso potest, & non potest per Bullam eligi.* ibid.

XXII. *Approbatus ad audiendos solos viros ætatis defectu solùm potest, & non potest virtute Bullæ à fœminis eligi.* 266

XXIII. *Regularis approbatus ab vno Episcopo potest, & non potest vbique eligi Bullæ indulto,* ibid.

XXIV. *Obtinēs beneficium Curatum, seu Parochiale, potest, & non potest Bullæ eligi indulto.* ibid.

XXV. *Sacerdos approbatus pro vno Oppido Diœcesis tantum, est eligibilis, & non est eligibilis indulto Bullæ ab iis, qui in Diœcesis eiusdem Oppido alio commorantur.* 267

XXVI. *Confessarius quidam sæcularis approbatus fuit olim ab Ordinario, postmodum autem sine causa reprobatus; potest hic eligi, & non potest eligi Bullæ virtute.* ibid.

XXVII. *Regularis ab Episcopo est approbatus, sed à Prælato Religionis cum causa aut sine causa prohibitus est: hic per Bullam potest, & non potest eligi.* 268

XXVIII. *Religiosus non præsentatus à suo Prælato potest, & non potest ab Ordinario approbari, de eius licentia confessiones sæcularium audire, & per Bullam eligi.* ibid.

XXIX. *Confessarius Regularis semel ab Episcopo approbatus, & reprobatus postmodum potest, & non potest virtute Bullæ eligi.* ibid.

XXX. *Sufficit, & non sufficit petere approbationem, vt Regularis, (si iniustè ei denegetur) censeatur vere approbatus, & valeat per Bullam eligi.* 269

XXXI. *Si Regularis Confessarium eligat virtute Bullæ, debet, & non debet eligere ab Ordinario approbatum.* 270

XXXII. *Regulares possunt, & non possunt virtute Bullæ à casibus suo Prælato reseruatis, absque eorum licentia absolui.* 271

XXXIII. *Religiosi virtute Bullæ possunt, & non possunt Confessarium eligere, qui eos à peccatis mortalibus non reseruatis absoluat.* 275

XXXIV. *Religiosi possunt, & non possunt virtute Cruciatæ absolui etiam à reseruatis: dummodo Confessarij, quos per Bullam eligunt, sint ex deputatis, & approbatis ab eorum Prælatis, ad eorum confessiones audiendas.* 276

CAPVT XXXIII.

Circà facultatem absoluendi à reseruatis.

Probl. XXXV. *Facultas data per Bullam absoluendi aliquem in articulo mortis, extenditur, & non extenditur ad mortis periculum.* 277

XXXVI. *Indulto Bullæ poteris, & non poteris toties quoties absolui à casibus Pontifici reseruatis, si sint occulti.* 278

XXXVII. *In generali licentia Bullæ latinæ absoluendi semel in vita, & semel in morte à casibus reseruatis Papæ, etiam in Bulla cœnæ expressis (nisi in Bulla Hispana aliud fuisset declaratum) tribueretur, & non tribueretur facultas absoluendi hæreticum internum, & externum occultum tamen & iam emendatum.* ibid.

XXXVIII. *Legentes, habentes, & imprimentes Hæreticorum libros, defensores, receptatores, ac fautores eorum, si reuera hæretici non sint: possunt, & non possunt virtute Bullæ semel in vita, & iterum in mortis articulo absolui.* 279

XXXIX. *Potest quis, & non potest absolui ab excommunicatione annexa alicui casui reseruat. posita in Motu proprio aliquo concesso post Bullæ concessionem, in quo expressè dicitur, nè virtute. Bullæ Cruciatæ possit absolui.* ibid.

XL. *Quando aliquo edicto sub excommunicationis pœna præcipitur, aliquod delictum denunciari: ille qui omisit denunciare hæreticum, aut illa quæ se sollicitantem Confessarium non denunciauit: poterit, & non poterit virtute Bullæ absolui, si denunciare proponat.* 280

XLI. *Absolutio ab excommunicatione, & aliis Censuris valet, & non valet pro foro exteriori, & iudiciali.* ibid.

XLII. *Nominatim excommunicatus denunciatus, cum manifestum est, eum illigari huiusmodi Censura, potest, & non potest ratione Bullæ, vel in foro conscientiæ absolui.* 281

XLIII. *Dato, quod absolutio nominatim excommunicati, suspensi, vel interdicti, sit valida etiam in foro externo: Iudex ex rigore iuris tenetur, & non tenetur, acceptare, & approbare.* ibid.

XLIV. *Si in Bulla non adiiceretur declaratio illa, scilicet*

ſcilicet poſſe fieri ſatisfactionem parti per hæredes aut alios : ſufficeret & non ſufficeret iuris cautio, vt poſſet quis talis indulti vi validè abſolui. 282

XLV. *Pœnitens poteſt commodè parti læſæ ſatisfacere, nihilominus ſacerdos delegatus eum virtute Bullæ illam clauſulam continentis,* (ſatisfacta parte) *contentus iuris cautione abſoluit : certè huiuſmodi abſolutio eſt, & non eſt non ſolum illicita, ſed inualida.* ibid.

XLVI. *Indulto Bullæ poteris & non poteris ab excommunicatione extra confeſſionem ſacramentalem abſolui.* 283

XLVII. *Bullæ virtute poteſt quis, & non poteſt ad reincidentiam abſolui.* 284

XLVIII. *Poteſt quis, & non poteſt Bullæ indulto abſolui à ſuſpenſione, quæ ob receptionem Ordinum ante ætatem legitimam incurritur.* ibid.

XLIX. *Virtute Bullæ poteſt quis, & non poteſt abſolui ab Interdicto locali.* 285

L. *Per Bullam tollitur, & non tollitur Irregularitas, quæ eſt pura pœna peccati.* 285

LI. *Quando per Bullam alicui conceditur facultas diſpenſandi in omnibus Irregularitatibus, excepta ob homicidium voluntarium, eſt, & non eſt diſpenſabilis ex iuſto homicidio Irregularitas.* 286

LII. *Habens facultatem abſoluendi à Cenſuris virtute Bullæ poteſt, & non poteſt abſentem abſoluere.* ibid.

LIII. *Virtute Bullæ eligis Confeſſarium, apud quem confeſſionem irritam geris, à reſeruatis abſolutionem obtinens : reſeruata ea crimina ſunt, & non ſunt iam reſeruata, ita vt poſſis, & non poſſis poſtmodum à quolibet Confeſſario abſolui.* 287

LIV. *Abſolutus fuiſti virtute Cruciatæ ſine vlla mentione, aut intentione reſeruatorum tam ex parte tui, quam Confeſſarij, & à reſeruatis oblitis remanes abſolutus : profecto manes, & non manes liber ab obligatione illa peccata reſeruata legitimo ſuperiori iterum confitendi.* ibid.

LV. *Qui Bullæ indulto ab excommunicatione ſine ſatisfactione partis abſolutus fuiſti, teneris, & non teneris iterum confiteri.* 288

LVI. *Percuſſit quis Monachum cui quidem ſolùm, non ſimul Monaſterio ſatisfecit : virtute Bullæ poteſt, & non poteſt abſolui.* ibid.

LVII. *Quis Cenſura grauatur ob perpetratum crimen nec poteſt parti læſæ ſatisfacere : certè hic debet, & non debet abſolui.* ibid.

LVIII. *Legiſti librum hæreticum qui ex profeſſo de religione non tractat, nec plures, ſed vnam tantum continet hæreſim : incidiſti, & non incidiſti in Bullæ Cœnæ excommunicationem : egeſque, & non eges ad abſolutionem obtinendam Bullæ indulto.* 289

LIX. *Non legis librum hæreticorum, ſeu de religione tractantem, ſed audis alium, qui te incitante, aut petente, illum legit : incidis, & non incidis in excommunicationem ; & conſequenter eges, & non eges Bullæ indulto, vt poſſis abſolui.* ibid.

LX. *Legis epiſtolam hæretici, in qua hæreſis aliqua exprimitur : incurriſti, & non incurriſti in excommunicationem : indiges & non indiges ad abſolutionem Bullæ beneficio.* ibid.

LXI. *Librum hæreticum perlegis Latina lingua, quam non tenes, ſcriptum hæreſes continentem : incidis, & non incidis in excommunicationem : vnde indiges, & non indiges Bullæ beneficio.* 290

LXII. *Comperiſti, aliquem librum eſſe hæreticum, quem quidem inquiſitoribus noluiſti tradere, ſed ipſe flammis dediſti : incidiſti planè, & non incidiſti iu canonis Cœnæ excommunicationem.* ibid.

LXIII. *Imponentes gabellas ſuper rebus, quæ ad proprium vſum, vel familiæ emuntur, incidunt, & non incidunt in Bullæ Cœnæ excommunicationem : & indigent, ac non indigent, Cruciatæ beneficio.* ibid.

LXIV. *Sub fine anni, quo Cruciata expirat incepiſti gerere confeſſionem, ſed ob cauſam iuſtam non perfeciſti, nec abſolutionem accepiſti : Confeſſarius, anno demum elapſo, virtute præcedentis Bullæ poterit, & non poterit te à reſeruatis delictis abſoluere.* 291

CAPVT XXXIV.

Circà poteſtatem commutandi vota.

Probl. LXV. *Vota virtute Bullæ poſſunt & non poſſunt diſpenſari.* 291

LXVI. *Ille, cui delegatur falcultas diſpenſandi vota, poteſt & non poteſt eadem commutare.* 292

LXVII. *Virtute Cruciatæ poſſunt, & non poſſunt commutari iuramenta ſimpliciter ſumpta, id eſt, quæ in ſolius Dei honorem emittuntur* ib.

LXVIII. *Virtute Bullæ poſſunt, & non poſſunt commutari vota iurata, id eſt, Votum & iuramentum ſimul concurrentia ſi non fiat iuramentum in Voti confirmationem, ſed independenter ab illo emittatur.* ibid.

LXIX. *Facultas commutandi vota per Bullam extenditur, & non extenditur ad emittenda poſt eius promulgationem.* 293

LXX. *Quandò votum conditionale eſt pœnale, & conditio eſt de futuro (v. g. ſi luſero promitto Religionem :) poteſt, & non poteſt Epiſcopus diſpenſare : poteſt, & non poteſt, confeſſarius virtute Bullæ commutare illud, ſiue ante ſiue poſt impletam conditionem.* 294

LXXI. *Quando votum Pontifici reſeruatum, eſt vere conditionale, non pœnale, & conditio eſt de futuro contingens, nec tacitè ineſt : poteſt, & non poteſt Epiſcopus diſpenſare, & Confeſſarius Bullæ commutare indulto.* ibid.

LXXII. *Per Bullam possunt, & non possunt commutari vota quo ad pœnam pecuniariam ex eorum fractione.* 295
LXXIII. *Voti commutatio bullæ indulto debet, necessario fieri in confessione.* ibid.
LXXIV. *Voti commutatio Bullæ virtute in diuitibus necessario gerenda est, & non gerenda in subsidium temporarium belli: sufficit enim & non sufficit, in spirituale fieri.* 295
LXXV. *Voti commutatio in pauperibus potest, & non potest fieri tota in subsidium spirituale.* ibid.
LXXVI. *Licet, & non licet fieri votorum commutationem propria, aut Confessarij auctoritate, quando res non est manifestè melior, est autem euidenter æqualis,* 297
LXXVII. *Cum commutatio voti fit in rem æqualem, requiritur, & non requiritur causa.* ibid.
LXXVIII. *Ad commutationem voti in rem æqualem, requiritur, & non requiritur causa ad dispensandum requisita.* ibid.
LXXIX. *Quando commutatio voti fit in minus sine causa respectiuè proportionata, irrita est, & non est irrita.* 298
LXXX. *Regularis Confessarius, qui petenti commutationem voti, priuilegij eiusdem Regularis virtute, non concesserit: delinquit, & non delinquit.* ibid.
LXXXI. *Vouet quis disiunctiuè Religionem, aut ieiunium multorum mensium, quorum votorum primum est Papæ reseruatum, secundum minime: si eligat reseruatum, potest, & non potest per Bullam commutari.* ibid.
LXXXII. *Pontifex tibi castitatis votum in confessionem menstruam commutauit, aut Confessarius virtute Bullæ votum ieiunandi singulis sextis feriis in Rosarij recitationem, tu verò commutationem non impleuisti, teneris planè, & non teneris, prius castitatis aut ieiunij votum obseruare.* 299
LXXXIII. *Votum vltramarinum & peregrinationis in D. Petrum, & D. Iacobum quocumque modo fiant, sunt, & non sunt summo Præsuli reseruata.* ibid.
LXXXIV. *Votum conuertendi debita incerta in Terræ Sanctæ subsidium potest, & non potest Bullæ virtute commutari.* ibid.
LXXXV. *In commutatione voti expensæ ratione peregrinationis gerendæ, iuxta statum vouentis computandæ sunt, & non computandæ.* 300
LXXXVI. *In commutatione voti peregrinationis, computandæ, & non computandæ sunt expensæ, quas in eundo, & redeundo vouens erat facturus.* ibid.
LXXXVII. *Cum quis voto castitatis adstrictus transit ad Nuptias, potest, & non potest Confessarius virtute Bullæ hoc votum commutare, vt valeat petere debitum.* ibid.
LXXVIII. *Confessarius per Bullam Cruciatæ potest, & non potest commutare materiam subrogatam, in quam fuit commutatum votum castitatis, aut Religionis, aut vltramarinæ peregrinationis.* 301.
LXXXIX. *Confessarius potest, & non potest commutare votum Religionis, seu castitatis propter leuem metum emissum.* ibid.
XC. *Votum disiunctiuum emittis, v. gr. castitatis, vel dandi centum aureos Ecclesiæ alicui: quando materia non reseruata effecta est impossibilis adeò, vt vouens nequeat eam adimplere, sed tantum materiam reseruatam: Confessarius potest, & non potest id votum commutare per Bullam.* ibid.
XCI. *Confessarius Bullæ indulto potest, & non potest commutare votum Militensis Religionis ineundi.* 302
XCII. *Confessarius per Cruciatam potest, & non potest commutare votum ineundi Religionem D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ.* ibid.
XCIII. *Confessarius Cruciatæ virtute potest, ac non potest commutare votum perseuerandi in Religione.* ibid.
XCIV. *Voues te ingressurum intra annum Religionem: Confessarius virtute Cruciatæ potest, & non potest iusta ex causa commutare votum hoc, vt non impleatur tempore præscripto.* 303
XCV. *Confessarius per Bullam potest, & non potest commutare votum castitatis seu Religionis emissum ab eo, qui alterius subditur potestati, v. gr. coniugata, filio, seruo.* ibid.

CAPVT XXXV.
Circa Bullæ Indulgentias.

Probl. XCVI. *Indulgentia per Bullam acquirenda amplè, & non amplè est interpretanda.* ibid.
XCVII. *Ad lucrandam plenariam Indulgentiam Bullæ sufficit, & non sufficit confessio facta in Quadragesima.* 304
XCVIII. *Qui lucratur hanc Bullæ Indulgentiam liber est, & non est liber à pœnitentia per Confessarium iniuncta.* ibid.
XCIX. *Ad lucrandum hanc Bullæ indulgentiam, qui non habet mortalia crimina debet, & non debet venialia confiteri, vt virtute indulgentiæ pœna pro eis debita remittatur.* 305
C. *Dum Pontifex ait, se verè pœnitentibus, & confessis: vel contritis & confessis concedere indulgentiam: requiritur, & non requiritur externa Sacramentalis confessio.* ibid.
CI. *Ad consecutionem indulgentiæ quindecim annorum, & totidem quadragenarum, sufficit, & non sufficit mentalis oratio.* 306
CII. *Indulgentia stationum à Bulla concessa, est plenaria, & non est plenaria.* ibid.
CIII. *Visitans quinque altaria singulis anni diebus potest, & non potest consequi plenariam stationum*

num indulgentiam. ibid.
CIV. *Ad inuisenda quinque altaria, necessarius est, & non est, necessarius situs mutatio.* 307
CV. *Ad lucrandam indulgentiam stationum necessario requiritur, & non requiritur oratio vocalis: sufficit, & non sufficit mentalis Oratio.* ibid.
CVI. *Indulgentiam stationum poteris, & non poteris in die multoties lucrari.* 308
CVII.. *Lucraturus pro defunctis stationum indulgentiam, debet, & non debet in gratia existere.* ibid.
CVIII. *Curans apud Ecclesiam quinque altaria inuisere, ad lucrandum stationum indulgentius, ingredi non vales præ confluentium hominum multitudine à foris huiusmodi Ecclesiam visitans lucraris, & non lucraris indulgentiam.* 309.

Caput XXXVI.

Circa suspensionem indulgentiarum.

Probl.CIX. *Bulla reuocatur, & non reuocatur anno Iubilæi plenissimi, seu centesimi anni.* ibid.
CX. *Per Bullam præsentis anni reualidantur & non reualidantur Bullæ annorum præcedentium.* 310
CXI. *Priuilegia, gratiæ, indulgentiæ concessæ superioribus mendicantium, suspenduntur, & non suspenduntur per Bullam, quantum ad sæculares.* 311
CXII. *Bulla suspendit, & non suspendit indulgentiam plenariam defunctis in altari (quod Priuilegiatum vocitant) concessam.* 311
CXIII. *Dato, quod altaris priuilegiati indulgentia suspenderetur: in Sacerdote celebrante, & non in eo, qui pro defuncto celebrare facit, requiritur, & non requiritur Cruciatæ indultum.* 312
CXIV. *Sub nomine Mendicantium in Bulla Cruciatæ includuntur, & non includuntur alij Religiosi, non Mendicantes qui tamen sedis Apostolicæ beneficio Mendicantium Priuilegiis potiuntiuntur.* ibid.
CXV. *Bulla Cruciatæ suspẽdit, & non suspendit priuilegia Regularium circà commutanda vota, ac in eis dispensandi, à reseruatisque absoluendi.* ib.

Caput XXXVII.

Circa Commissarij generalis Cruciatæ potestatem.

Probl.CXVI. *In bigamia ex iuris fictione, aut in similitudinaria Commissarius Cruciatæ potest, & non potest dispensare.* 313
CXVII. *Commissarius potest, & non potest dispensare, quando matrimonij impedimentum ex spirituali cognatione consurgit.* ibid.

Caput XXXVIII.

Circa Compositionis, & defunctorum Bullam.

Probl. CXVIII. *De bonis incertis illicitè acquisitis Rex poterit, & non poterit compositionem facere.* 314
CXIX. *Facta incertorum bonorum, ex Bullæ indulto, compositione, verus eorum dominus comparet qui super his se composuit tenetur, & non tenetur ea domino restituere.* ibid.
CXX. *Per indulgentiam plenariam Bullæ defunctorum liberatur à purgatorio anima pro qua accipis Bullam; per alias autem indulgentias plenarias defunctis concessas liberatur & non liberatur anima illa, quam intendit qui pro defunctis lucratur indulgentiam.* 315
CXXI. *Dum pro anima Antonij Bullam defunctorum assumis, si sufficienter non est disposita, eripitur, & non eripitur è purgatorio.* ibid.

Liber VIII.

SACRAMENTA IN GENERE.

Sectio I.

De Sacramentis, in genere receptiores absque lite sententiæ.

Cap.I. *De quidditate, & numero Sacramentorum, institutione, necessitate.* 316
II. *De materia, & forma Sacramentorum in genere.* 318
III. *De causa efficiente Sacramentorum nouæ legis.* 320
IV. *De intentione in Sacramentorum ministro requisita.* 321
V. *De Ministri probitate.* 322
VI. *De Sacramentorum effectu primo, Gratia.* 323.
VII. *De Sacramentorum effectu secundo Charactere.* 326
VIII. *De Sacramentorum subiecto.* 327

Sectio II.

De Sacramentis in genere Problemata.

Caput IX.

De Sacramontorum quidditate, & institutione.

Probl.I. *Omnia nouæ legis Sacramenta sunt & non sunt immediatè à Christo Domino instituta.* 328
II. *Est, & non est de fide septem Sacramenta immediatè fuisse à Christo Domino instituta.* 328
III. *Per breui illo tempore, quo innocentiæ illuxit status, fuere, & non fuere Sacramenta.* 329
IV. *Si status innocentiæ diuturnior extitisset, & Adamus non deliquisset, fuissent, & non fuissent instituta Sacramenta.* 329
V. *Ab Adami peccato vsque ad legem scriptam, hoc est, in statu legis Naturæ, fuit, & non fuit remedium aliquod, quo possent paruuli ab originis piaculo expiari.* 329
VI. *Vt assignato fidei parentum remedio paruuli vigente naturæ lege, à peccato originis mundarentur, erat, & non erat necessaria fides propria Ministri eos Numini offerentis.* ibid.

VII. *Fides illa Ministri offerentis paruulos debuit, & non debuit, esse formata charitate.* 330
VIII. *Præter fidem internam Ministri offerentis paruulum, requirebatur, & non requirebatur actio aliqua externa.* ibid.
IX. *Huiusmodi externa actio, qua Minister puerum offerebat, erat, & non erat determinata, ac definita à Deo.* ibid.
X. *Præfata illa actio externa fuit, & non fuit verè ac propriè sacramentum institutum ad originalis paruulorum piaculi medicamen.* 331
XI. *Hoc sacramentum poterat paruulis à quocumque indiscriminatim ministrari.* 331
XII. *Hoc Sacramentum poterat, & non poterat licitè à quocumque indiscriminatim administrari.* ibid.
XIII. *Præter assignatum hoc sacramentum infantium in lege naturæ fuerunt, & non fuerunt alia sacramenta.* ibid.

Caput X.

Circa Materiam, ac Formam Sacramentorum.

Probl. XIV. *Omnia sacramenta nouæ legis constãt, & non constãt eſsẽtialiter ex rebus & verbis.* 332
XV. *Christus Dominus non solùm in specie, verum in indiuiduo determinauit, & non determinauit materiã, & formam omnium sacramentorum.* ib.
XVI. *Christus Dominus assignauit, & non assignauit eandem materiam & formam sacramentorum pro toto orbe terrarum.* 333
XVII. *Ad valorem Sacramentorum requiritur; & non requiritur, materiam, & formam eorum simultate temporis coexistere.* ibid.
XVII. *Qui baptizat, confirmat, absoluit, vel inungit, &c. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & B. Mariæ, vel aliorum Sanctorum confert, & non confert validum Sacramentum.* 334
XVIII. *Qui baptizat, confirmat absoluit, vel inungit, &c. in nomine Patris, Matris, Filij, & Spiritus sancti, confert, & non confert validum Sacramentum.* ibid.
XIX. *Quando Minister addit aliquid formæ non necessarium tanquam necessarium volens nouum ritum erroneum in Ecclesiam introducere: Sacramentum redditur, & non redditur irritum.* ibid.
XX. *Licet, & non licet vti opinione probabili circa materiam & formam Sacramentorum, certa forma, ac materia relicta.* 335
XXI. *Iterare Sacramentum sub conditione ob scrupulum leue, est, & non est peccatũ mortale.* 336
XXII. *In Sacramentis, quæ non iterantur, scilicet Baptismo, Confirmatione, & ordine, maius dubium requiritur, & non requiritur, vt possint repeti, quam in aliis, quæ sunt iterabilia, & facilius repeti valent.* ibid.
XXIII. *Adultus baptizatus, vel confirmatus, vel ordinatus secundum opinionem probabilem, tenetur, & non tenetur, illud iterum Sacramentum recipere.* 337
XXIV. *In Sacramentis singulis eadem materia & forma pro vniuersa Ecclesia sufficit, & non sufficit.* ibid.
XXV. *Licet & non licet, metu mortis in Sacramentis materia, aut formæ dubia vti.* 338

Caput XI.

Circa Sacramentorum effectus.

Probl. XXVI. *Quinque Sacramenta viuorum possunt & non possunt aliquando primam gratiam sanctificantem conferre.* ibid.
XXVII. *Gratia Sacramentalis, (quam præter gratiam habitualem Sacramenta causant) consistit, & non consistit in actuali auxilio, quod Deus confert ad finem proprium cuiuslibet Sacramenti obtinendum.* 339
XXVIII. *Sacramenta nouæ legis causant, & non causant physicè gratiam,* ibid.
XXIX. *Ex Sacramentis veteris legis Circumcisio contulit, & non contulit propriè & per se gratiam.* 340
XXX. *Esto haberet circuncisio ex opere operato vim iustificandi: ad hunc effectum fuit, & non fuit necessaria ministri fides.* ibid.
XXXI. *Circumcisio fuit, & non fuit ex præcepto diuino necessaria ad paruulorum iustificationem pro Abrahami posteris.* 341
XXXII. *Antè octauum diem potuit, & non potuit ex causa remedium Circumcisionis Hebræorum pueris applicari licitè.* ibid.
XXXIII. *Circumcisio antè diem octauum potuit, & non potuit pueris Hebræorum applicari validè.* ibid.
XXXIV. *Omnia Sacramenta fictè suscepta, recedente fictione, conferunt, & non conferunt gratiam.* 342
XXXV. *Ad valorem Sacramenti requiritur, & non requiritur positiuus consensus illud suscipiendi.* ibid.
XXXVI. *Omnia Sacramenta conferunt, & non conferunt æqualem gratiam subiectis quamtumuis inæqualiter dispositis.* 343
XXXVIII. *Vt Sacramenta viuorum conferant primam gratiam, sufficit, & non sufficit ignorantia, seu obliuio quantumuis inculpabilis peccati, si re vera recipiens Sacramentum sit in peccato mortali, nec detestetur illud ex motiuo simpliciter honesto, nempe ex attritione.* 344
XXXVIII. *Quoties obex fuerit negatiuus, & post Sacramentum fictè susceptum commissum fuerit mortale peccatum, sufficit, & non sufficit attritio sola ad huiusmodi obicem auferendum.* ibid.
XXXIX. *Quandò fuit obex negatiuus, nec postea cõmissum fuit mortale peccatum: sufficit, & non sufficit attritio ad huiusmodi obicẽ tollendũ.* 345
XL. *Dum Sacramentum, sublato obice, reuiuiscit, confert, & non confert gratiam iuxta præsentis*

sentis dispositionis mensuram. ibid.

CAPVT XII.

Circa Characterem Sacramentorum effectum.

XLI. *Antiquæ legis Sacramontum aliquod, nempe Circumcisio imprimebat, & non imprimebat Characterem.* 346

XLII. *Nouæ legis Sacramentorum Character est, & non est aliquid reale.* ibid.

XLIII. *Character est, & non est realis prædicamentalis relatio.* 347

XLIV. *Character pertinet, & non pertinet ad secundam qualitatis speciem nempè potentiam ad agendum, vel recipiendum.* 347

XLV. *Character immediatè subiectatur, & non subiectatur in solo intellectu.* ibid.

XLVI. *Character ita est indelebilis vt post mortem maneat, & non maneat tam in beatis, quam in damnatis.* 348

XLVII. *Character ita permanet in vita altera, vt eo insigniti eadem potestate vigeant, & non vigeant, ad validè recipienda, vel ministranda Sacramenta.* ibid

CAPVT XIII.

Circa Ministros sacramentorum,

XLVIII. *Sacerdos, qui in mortali existens sacramenta ministrat in casu necessitatis, peccat, & non peccat mortaliter.* 349

XLIX. *Ministraturus Sacramenta, qui conscientiam habet peccati mortalis, debet, & non debet præmittere confessionem.* ibid.

L. *Minister necessitatis in peccato existens, non solum peccat, & non peccat: sed tenetur, & non tenetur sacramenta conferre.* ibid.

LI. *In peccato ministrans sinè interruptione multis sacramenta, v. gr. absoluens, confirmans, seu distribuens Eucharistiam perpetrat, & non perpetrat plura peccata.* 350

LII. *Minister conscientia peccati lethalis saucius tenetur & non tenetur elicere contritionem, antè quam incipiat administrationem sacramenti.* ibid.

LIII. *Laicus in necessitate ministrans Sacramenta peccati mortalis reus, peccat & non peccat mortaliter.* 351

LIV. *Parochi tenentur ex iustitia, & non tenentur ministrare subditis sacramenta solum quando hi tenentur recipere.* 352

LV. *Parochus, qui bis vel ter in anno subditos extra tempus præcepti non admittat ad sacramentorum receptionem, peccat, & non peccat mortaliter.* ibid.

LVI. *Tenetur, & non tenetur Parochus per se ipsum sacramenta ministrare.* 353

LVII. *Parochus tenetur, & non tenetur coadiutores adhibere, vt omnibus subditis sacramenta petentibus satisfaciat.* ibid.

LVIII. *Parochus tenetur, & non tenetur cum vitæ periculo sacramenta ministrare.* 354

LIX. *Si Minister in Baptismo, Pœnitentia, vel alio sacramento ex malitia non haberet intentionem faciendi, quod agit Ecclesia, & hæc malitia nota non esset: Deus supplet, & non supplet quoad gratiam (non quoad Characterem,) illum defectum,* ibid.

LX. *Sufficit in Ministro intentio merè habitualis sacramentis validè conficiendis.* 355

LXI. *Sacramentum conferens sub conditione, quam scit necessario futuram, conficit, ac non conficit Sacramentum.* 356

LXII. *Error Ministri circa recipientem irritat, & non irritat Sacramentum.* 357

LXIII. *Intentio conditionalis de præsenti, v.gr. Ego te baptizo, si non es hæreticus, sufficit, & non sufficit ad validum Sacramentum efficiendum.* 358

CAPVT XIV.

Circa Sacramentum subiectum.

LXIV. *Ad valorem Sacramenti in adulto compote rationis requiritur, & non requiritur voluntas aliqua ac intentio recipiendi illud.* 358

LXV. *Ad valorem sacramentorum in adulto compote rationis sufficit, & non sufficit intentio, seu voluntas habitualis.* 359

LXVI. *Ad effectum cuiuslibet sacramenti percipiendum in eo, qui sibi conscius est peccati mortalis, requiritur, & non requiritur contritio.* 359

LXVII. *Ad gratiam ex sacramento mortuorum percipiendam, sufficit, & non sufficit attritio virtualis cum Sacramento.* 360

LXVIII. *Veniale peccatum actualiter commissum in receptione Sacramenti impedit, & non impedit eius fructum.* 361

LXIX. *Licet, & non licet vnquam aliquod Sacramentum recipere à Ministro non tolerato.* ib.

LXX. *Etiam in extrema necessitate solummodo Sacramentum Baptismi potest, & non potest à non tolerato Ministro suscipi.* 362

LXXI. *Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ possunt in necessitate extrema à non tolerato excipit Eucharistia autem potest, & non potest suscipi.* ibid.

LXXII. *Extrema Vnctio, & aliud quodlibet Sacramentum viuorum potest, & non potest in periculo mortis à Ministro non tolerato recipi.* ibid.

LXXIII. *Licet, & non licet extra casum præfatæ necessiatis petere, & accipere à toleratis Ministris Sacramentum.* 363

LXXIV. *Sacramenta possunt, & non possunt extra casum necessitatis à tolerato non Parocho peti. & accipi,* ibid.

LXXV. *Sacramenta possunt, & non possunt extra casum necessitatis peti, ac recipi à non exposito.* 364

LXXVI. *Si non adsit necessitas vlla, peti po-*

teſt, & non poteſt à tolerato Miniſtro Sacramentum. 364
LXXVII. *Cum alij ſacerdotes adſunt haud ligati cenſura, poſſumus, & non poſſumus à tolerato petere ſacramenta.* 365
LXXVIII. *A miniſtro Parocho, aut parato, quem moraliter ſcio cum peccato miniſtraturum, dum nulla adeſt neceſſitas, vel rationabilis mea vtilitas: poſſum, & non poſſum petere, aut accipere ſacramentum* ibid.
LXXIX. *Vt poſſis ſine peccato petere aut accipere ſacramenta ab eo, quem moraliter ſcis in adminiſtratione peccaturum: requiritur, & non requiritur grauis neceſſitas, vel vtilitas* 366
LXXX. *Licet, & non licet accipere Euchariſtiam à Sacerdote, (quem ſcio in mortali miniſtrare) cum eam omnibus accedentibus diſpenſat.* 366
LXXXI. *Peccat, & non peccat mortaliter, qui ſine neceſſitate, aut vtilitate ſacerdotem, prauum non paratum, aut non Parochum ad miniſtrandum ſacramentum inducit.* ibid.
LXXXII *Licet, & non licet tibi à publico concubinario, vel fornicario ſacramenta recipere.* 367
LXXXIII. *Licet, & non licet, in neceſſitate dare pro recipiendo ſacramento pretium.* ib.
LXXXIV. *Si Sacerdos ita iniquus eſſet, vt nollet ſacramentum miniſtrare, niſi aſſeras iuramento, te pecuniam in ſacramenti pretium exhibere: licet, & non licet, iurare.* 368
LXXXV. *Pro labore adminiſtrationi ſacramentorum intrinſeco poteſt & non poteſt pretium accipi.* 369
LXXXVI. *Obligatio adminiſtrandi ſacramenta, aliaſque ſacras peragendi functiones, poteſt, ac non poteſt vendi.* 370
LXXXXII. *Licet, & non licet ſuſtentationis titulo aliquid accipere pro obligatione ſacramenta adminiſtrandi.* ibid.
Cap. XV. Circa Sacramenta indigno non miniſtranda 371
Probl. LXXXVIII. *Præceptum non miniſtrandi Sacramenta indignis eſt, & non eſt affirmatiuum.* ibid.
LXXXIV. *Sacerdos (vel Diaconus) in mortali miniſtrans ſibi ipſi Euchariſtiæ Sacramentum extra Miſſæ ſacrificium, perpetrat, & non perpetrat duo piacula neceſſariò in confeſſione aperienda.* ibid.
XC. *Aliquando licet, & non licet, peccatorem inducere ad ſuſceptionem Sacramenti, quod ſcis in peccato recepturum probabiliter.* 372
XCI. *Crimen Petri publici peccatoris notum eſt quidem Matriti, non Valliſoleti: peccator hic petens Sacramentum Valliſoleti, eſt, & non eſt repellendus.* ibid.
XCII. *Vt peccator publicus habitualiter poſſit admitti ad Sacramenta ſufficit, & non ſufficit, Sacramentalem illum confeſſionem gerere.* 373
XCIII. *Metu mortis, vel alterius grauis nocumenti poteſt & non poteſt vnquam ſacramentum peccatori publico miniſtrari.* 374
XCIV. *Peccatori occulto occultè petenti Sacramentum eſt, & non eſt denegandum.* ibid.
XCV. *Si peccator occultus petat Sacramentum, & quidam aſtantium peccatum eius norunt, alij tamen ignorant: eſt & non eſt ei negandum ſacramentum.* 375
XCVI. *Quando per ſolam confeſſionem notum eſt Sacerdoti peccatum, debet, & non debet Sacramentum occultè petenti denegari.* ibid.
XCVII. *Occulto peccatori publicè petenti eſt, & non eſt denegandum ſacramentum.* 376.
XCVIII. *Vt Miniſter poſſit indignum ab Euchariſtiæ receptione prohibere, debet, & non debeo alios dignos ſacro epulo priuare.* ibid.
XCIX. *Peccatori occulto poteſt & non poteſt hoſtia non conſecrata exhiberi publicè, ne conſecratam ſacrilegè recipiat.* 377
C. *Suſpicio criminis ſufficit, & non ſufficit vt petenti Sacramentum denegetur.* 378
CI. *Euchariſtia danda, & danda non eſt perſonis de crimine ſuſpectis ad delicti probationem, vel purgationem, ita vt communicans ſolemniter iuret, ſe nihil tale commiſiſſe.* ibid

LIBER IX.

CENSVRÆ IN COMMVNI.

SECTIO I.

De cenſuris in communi receptiores abſque lite ſententiæ.

Cap. I. *Quid quotuplexque Cenſura* 379
II. *De poteſtate ferendi Cenſuras.* 379
III. *Quibus modis poſſit Cenſura ferri* 382
IV. *Quænam requirantur in ferente Cenſuras, ad eas valide ferendas.* 383
V *De iis, qui poſſunt Cenſuris illigari, ſiue de Cenſuræ ſubiecto.* ibid.
VI. *De peccato, ob quod Cenſura fertur.* 386
VII. *De monitione Canonica ante cenſuræ latarum præmittenda.* 388
VIII. *De iis, quæ impediunt Cenſuræ incurſionem.* 390
IX. *De abſolutione à cenſuris.* 393

SECTIO II.

De cenſuris in communi Problemata.

CAPVT X.

Circa numerum cenſurarum, & eum, qui poſſit ferre cenſuras.

Probl. I. *SVnt, & non ſunt aliæ cenſuræ præter tres, illas, Excommunicationem*

nem, ſuſpenſionem, & interdictum. 398
II. *Ex Præſulis ſummi diſpenſatione quilibet Ordinarius poteſt, & non poteſt ſuam iuriſdictionem ferendi cenſuras delegare viro non baptizato.* ibid.
III *Ex ſummi Præſulis diſpenſatione poteſt & non poteſt ordinarius delegare iuriſdictionem ferendi cenſuras fœminæ.* 399

Caput XI.

Circa eos, qui poſſint cenſuris illigari.

IV. *Pueri, ac impuberes poſſunt, & non poſſunt valide illigari cenſuris ab homine latis.* 399
V. *Subditus Epiſcopi in aliena Diœceſi exiſtens poteſt, & non poteſt cenſuris annexis præcepto ſiue generali, ſiue ſpeciali Epiſcopi allegari.* 400
VI. *Alienigena exiſtens in alieno Epiſcopatu ligatur, & non ligatur cenſura generaliter lata, annexa dicto, ſeu præcepto generali Epiſcopi Diœceſis in qua eſt lata non in ſatisfactionem delicti antea commiſſi.* ibid.
VII. *Alienigena ligatur, & non ligatur cenſuris annexis ſtatuto perpetuo Diœceſis in qua adeſt.* 401

Caput XII.

Circa peccata, ob quæ poſſit ferri cenſura.

VIII. *Suſpenſio, & Interdictum poſſunt, & non poſſunt ob peccatum veniale ferri.* 401
IX. *Cenſura poteſt, & non poteſt ferri ob peccatum purè internum.* 402
X *Cenſura poteſt, ac non poteſt ferri ob peccatum exterius abſque inobedientia reſpectu Eccleſiæ.* ibid.
XI. *Cenſura lata contra facientes comprehenduntur etiam, & non comprehenduntur mandantes, ſeu commendantes ac committentes alteri opus, ob quod cenſura fertur.* 403
XII. *Quando mandatum, aut conſilium (circa Clerici percuſſionem v. gr.) reuocatur quidem, ſed tamen manet efficax, quia reuocatio non venit ad notitiam percuſſoris: tunc reuocatio huiuſmodi impedit, & non impedit cenſuræ incurſionem.* 404
XIII. *Cenſura poteſt, & non poteſt licitè ferri ab homine, ſeu iudice pro peccatis futuris.* 405
XIV. *Perpetrans crimen, cui annexa eſt cenſura, committit, & non committit duplex peccatum.* 405

Caput XIII.

Circa admonitionem in ferenda cenſura adhibendam.

XV. *Cenſura poteſt, & non poteſt licitè ferri, nulla monitione præmiſſa.* ibid
XVI. *Cenſuram latam in defenſionem propriam debet, & non debet præcedere admonitio.* 406
XVII. *Quando delictum tale eſt vt propter illud ſit in Iure impoſita cenſura, v. g. excommunicatio ipſo facto incurrenda: poteſt, non poteſt reus iterum ab homine excommunicari abſque vlla alia monitione præmiſſa.* 407
XVIII. *Cenſura eſt, & non eſt valida quando nulla admonitio præceſſit.* 408

Caput XIV.

Circa ea, quæ Cenſuræ incurſionem impediunt.

XIX. *Ignorantia inuincibilis facti impedit, & non impedit, incurſionem cenſuræ latæ contra eos, qui ſcienter aliquid fecerint, quando eſt affectata vel adeò craſſa, & ex tanta negligentia, vt moraliter cenſeatur affectata eſſe.* ibid.
XX. *Quando factum, cui annexa eſt cenſura, aliàs eſt prohibitum iure naturali aut diuino, vel humano ſæculari: ignorantia inuincibilis iuris Eccleſiaſtici prohibentis tale factum ſub cenſura ipſo facto incurrenda, impedit, & non impedit cenſuræ incurſionem.* 409
XXI. *Ignorantia inuincibilis ipſius cenſuræ annexæ iuri, impedit, & non impedit incurſionem illius, quamuis non ſit ignorantia ipſius iuris ſeu prohibitionis.* ibid.
XXII. *Petrus cenſura ligatus à iudice, quamuis prudenter timeat contra eum eſſe iam latam cenſuram à iudice pro tranſgreſſione præcepti ipſius ſub cenſura comminantis: tenetur, & non tenetur ſe gerere vt cenſura ligatum quoad effectus in prohibitione conſiſtentes, quoad vſque ei cenſura lata & incurſa intimetur.* ib.
XXIII. *Metus grauis, quo ſcilicet timemus graue aliquod detrimentum ſiue vitæ ſiue famæ, ſiuè diuitiarum: impedit, ac non impedit cenſuræ incurſionem.* 410
XXIV. *Nunquam metus excuſat à cenſura incurrenda, aliquando metus planè excuſat, ſtando iuri canonico.* ibid.
XXV. *Iniuſtitia cenſuræ, proueniens tantum ex defectu cauſæ, vt quando verè non eſt cauſa ſeu peccatum, eſt tamen iuridicè probata: impedit & non impedit cenſuræ incurſionem, ita vt innocens in quem lata eſt, teneatur, & non teneatur obedire.* 411
XXVI. *Priuatim nouit iudex, Antonium reum ex iuridica probatione, verè eſſe innocentem: poteſt, & non poteſt contra eum ferre cenſuram.* ibid.
XXVII. *Qui ſecreto nouit Antonij, iuxta allegata & probata cenſura affecti, innocentiam, ſemper poteſt, & non ſemper poteſt à ſuperiore iuſſus, eum denuntiare excommunicatum.* 412
XXVIII. *Cenſus partis prorogans terminum præfixum à iudice, ad tempus ſuſpendit, & non ſuſpendit cenſuræ incurſionem vltra terminum à iudice præfixum ſine nouo ipſius conſenſu.* ibid.

CAPVT XV.

Circa absolutionem à Censuris.

XXIX. *Facultas absoluendi ab omnibus casibus & censuris comprehendit ac non comprehendit dispensationem à voto & irregularitate ex delicto.* 413

XXX. *Datur absolutio quæ vocitatur*, ad reincidentiam *ad quam requiritur, & non requiritur nouum contumaciæ delictum, noua item iudicis sententia.* ibid.

XXXI. *Absolutio Censurarum potest, & non potest impendi ab habente absoluendi facultatem, extra Pœnitentiæ Sacramentum.* 414

XXXII. *Quando in priuilegio conceditur limitate potestas absoluendi à censuris* satisfacta parte, *vel de consensu* partis: *satisfactio, aut consensus hic requiritur, & non requiritur tanquam conditio necessaria limitans potestatem.* 415

XXXIII. *Iuxta Trident. possunt Episcopi ab omnibus censuris summo Præsuli reseruatis absoluere: certè vbi concilium receptum non est possunt, & non possunt Episcopi eius priuilegio vti.* 415

XXXIV. *Episcopus electus & confirmatus quamuis non consecratus potest, & non potest vti illo absoluendi à censuris omnibus priuilegio.* 416

XXXV. *Capitulo sede vacante, competit, & non competit hæc ex Tridentino facultas à censuris absoluendi.* ibid.

XXXVI. *Abbates, aliique Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem includuntur, & non includuntur sub nomine Episcopi in Decreto Concilij, vt possint, aut non possint à censuris reseruatis absoluere.* 417

XXXVII. *Prælati Regularium possunt, & non possunt vti Concilij Tridentini priuilegio, vt suos subditos à Censuris reseruatis absoluant.* 417

XXXVIII. *Episcopi possunt & non possunt absoluere à censuris reseruatis regulares exemptos ex vi decreti Tridentini ex superioris eorum licentia.* 418

XXXIX. *Episcopus extra suam Diœcesim existens potest, & non potest facultate Tridentini circà absolutionem à Censuris reseruatis vti.* 418

XL. *Episcopus potest, & non potest cum subditis existentibus extra Diœcesim Tridentini vti facultate circa Censurarum absolutionem.* 419

XLI. *Episcopus facultatem absoluendi ab hæresi potest, & non potest subdelegare.* 420

XLII. *Episcopus potest, & non potest facultatem sibi à Concilio datam absoluendi à reliquis Censuris Papalibus aliis delegare generaliter.* ibid.

XLIII. *Episcopus aliquo delicto maculatus, ob quod Censuram reseruatam incurrit, potest, & non potest ab alio absolui, ex potestate ab ipso delegata.* ibid.

XLIV. *Episcopus potest, & non potest absoluere ex vi Decreti Tridentini subditum, cum delictum est publicum in vno loco, & occultum in alio vbi geritur absolutio, si sit spes inibi nunquam publicandum.* 421

XLV. *Casus occulti, in quibus, & à quibus iuxta decretum Concilij potest Episcopus dispensare, & absoluere sunt, & non sunt ij, qui probari non valeant.* ibid.

XLVI. *Delictum deductum ad forum contentiosum, in quo, & à quo Episcopus dispensare, ac absoluere non potest: est & non est illud, de quo denunciatio, vel accusatio coram legitimo Iudice facta est, & reus ratione illius, fuit citatus.* 422

XLVII. *Delictum deducitur ad forum contentiosum, probatur, finitur iudicium & punitur reus: potest, & non potest Episcopus vti Concilij facultate ad huiusmodi Censuræ ex illo delicto contractæ absolutionem.* ibid.

XLVIII. *Reus à delicto ad forum contentiosum sum deducto liberatur: potest, & non potest à censuris absolui ab Episcopo ex Tridentini concessione.* 423

XLIX. *Post decretum Tridentini Pontifex nouis aliquibus constitutionibus aliqua crimina, censuraque ob ea contractas sibi reseruat: potest, & non potest Episcopus ab hisce censuris occultis absoluere, & in suspensionibus, aut irregularitatibus dispensare.* ibid.

L. *Episcopus decreti Tridentini vigore potest, & non potest absoluere à censura occulta contracta ex Bulla Pij V. & Gregorj XIII. ob ingressum in sanctimonialium Monasteria.* 424

LI. *Per Bullam cœnæ est, & non est Episcopis reuocata facultas data per Tridentinum absoluendi ab hæresi occulta & casibus aliis in ipsa contentis.* ibid.

LIBER X.

Iustitia, ius, contractus in genere.

SECTIO I.

De iustitia, iure, ac contractibus in genere recept. absque lite sententiæ.

Cap. I. *Quid iustitia.* 425

II. *De iustitia generali, quæ legalis dicitur, & de iustitia particulari distributiua ac commutatiua.* 427

III. *Quidnam ius.* 428

IV. *De iuris diuisionibus.* 429

V. *Quid, & quotuplex contractus.* 430

VI. *De contractus seruandi obligatione.* 431

VII. *De iis qui legum præscripto contrahere impediuntur.* 433

VIII. *De iis, quibus contractus assolent esse inualidi.* 435

IX. *De metu, dolo, reiqne impossibilitate irritante contractus.* 436

X. *De iuramento contractus aliàs inualidos confirmante.* 439

XI. *De contractuum sub conditione validitate* 441
XII. *Quid tempus contractibus appositum, aut demonstratio, aut causa, aut modus operentur* 443
XIII. *De triplici contractuum effectu, obligatione scilicet, actione, ac translatione dominij* 446
XIV. *De iis, quibus conceditur restitutio in integrum ratione contractuum.* 448

SECTIO II.

De iustitia, iure, ac contractibus in genere Problemata.

CAPVT XV.

Circa iustitiam,

Probl. I. *Illa particularis virtus bonum Reipublicæ commune intuens, & procurans, quæ appellatur iustitia, distinguitur, & non distinguitur à virtute pietatis.* 450
II. *Obiectum materiale iustitiæ sunt, & non sunt res illæ, quæ propter humanos vsus commutantur, vel distribuuntur.* 451
III. *Obiectum formale iustitiæ est, & non est illa æqualitas ac proportio, quam res, quæ commutantur habere debent.* ibid.
IV. *Inter patrem & filium potest, & non potest aliqua ratione reperiri iustum, & iustitia simpliciter.* 452
V. *Iustitia potest, & non potest inter Deum & hominem purum reperiri.* 453
VI. *Iustitia legalis secundum suam essentiam est, & non est virtus specialis.* 454
VII. *Iustitia legalis est & non est iustitia simpliciter & proprie dicta.* 455
VIII. *Iustitia legalis quæ est in Principe & quæ est in subditis differunt, & non differunt specie.* 455
IX. *Duæ species iustitiæ legalis, quarum vna iuxta literam legis, altera iuxta mentem potius legislatoris commune bonum procuret, constituendæ & non constituendæ sunt.* 456
X. *Iustitia Oeconomica est, & non est species Iustitiæ propria atque distincta.* 456

CAPVT XVI.

Circa contractuum essentiam, in eisque pœnitentiæ licentiam antè perfectam traditionem.

XI *Materia & forma contractus est, & non est sola ratione distincta.* 458
XII. *Contractus habent, & non habent materiam ex qua, sed tantum circa quam.* 458
XIII. *Contractus aliqui, qui traditione ipsa perficiuntur, & in posterum per se non pariunt obligationem diffiniuntur & non diffiniuntur communi appositæ contractus diffinitione.* ibid.
XIV. *Permutatio est, & non est absolutè contractus innominatus.* 459
XV. *In contractibus innominatis secundum ius Canonicum ante perfectam traditionem est, & non est licita pœnitentia.* 460
XVI. *In contractibus hisce secundum ius naturale est, & non est, contrahentibus licita pœnitentia.* ibid.
XVII. *Quando neque ex verbis neque ex materia certo colligi potest contrahentium intentio: potest, & non potest tunc alter recedere secundum ius naturale.* 461
XVIII. *Vt congnoscere possis, quisnam contractus sit, debes, & non debes attendere ad contrahentium intentionem.* ibid.
XIX. *Quando de peculiari intentione contrahentium non constat, & pro vna re datur simul res & pecunia æqualis valoris: est & non est reputandus contractus emptionis.* 462
XX. *In contractibus humanis sufficit, & non sufficit, signum externum absque consensu interno dandi ius in rem circa quam est contractus, aut dandi illius dominium.* ibid

CAPVT XVII.

Circa validitatem, ac inualiditatem contractuum.

XXI. *Contractus bonæ fidei, & stricti iuris, etiam ex dispositione iuris naturalis, quando dolus dedit causam contractui, nullus est, & nullus non est.* 463
XXII. *Quando contractus est iure naturæ nullus propter deceptionem circa substantiam illius: decipiens, solo iure naturæ manet, & non manet obligatus veram ad contractus celebrationem.* ibid.
XXIII. *Quando dolus dat causam contractui, sed non adhibetur à contrahente, sed ab aliquo tertio sine culpa contrahentis: contractus est, & non est iure naturæ nullus.* 464
XXIV. *Quando dolus dat causam contractui, sed non adhibetur à contrahente, sed ab aliquo tertio sine culpa contrahentis: ius positiuum voluit, & non voluit, contractum esse validum.* ibid.
XXV. *Quando dolus incidit in contractum, datur, & non datur, secundum ius positiuum, optio decipienti, vt rescindere possit contractum, si velit: vel reducere illum, si malit, ad æqualitatem.* 465
XXVI. *Omnis contractus per metum grauem*

aut

aut leuem ab intrinseco, & ab extrinseco incussum est, & non est validus iure naturæ. 465
XXVII. *Contractus, metu graui, aut leui intrinseco, vel extrinseco celebratus valet & non valet iure positiuo.* 466
XXVIII. *Quando qui potens alium iustè accusare, metu huius iustæ accusationis extorquet ab illo aliquid, ne accusetur: contractus est, & non est validus.* ibid.
XXIX. *Contractus sine solemnitate substantiali Iuris in vtroque foro est validus: & in vtroque foro est nullus,* 467
XXX. *Quoties contractus sine solemnitate prohibetur, eo ipso censetur, & non eo ipso censetur inualidus.* ibid.
XXXI. *Contractus Testamenti sine solemnitate substantiali requisita validi sunt, & inualidi in conscientiæ foro: inducuntque, & non inducunt obligationem.* 468
XXXII. *Testamenti contractus ad pias causas principaliter initus, valet etiam, & non valet, quoad legata profana, si desit solemnitas.* ibid.
XXXIII. *Contractus gratuiti ex metu iniusto quamuis leui celebrati, sunt, & non sunt re ipsa, & in foro conscientiæ nulli.* 469
XXXIV. *Pupillus pubertati nondum proximus, tamen doli capax: potest, & non potest validum gerere contractum: & ex tali contractu manet, & non manet naturaliter obligatus.* 470

Caput. XVIII.

Circa iuramentum contractus de se inualidos confirmans.

Probl. XXXV. *Iuramentum superadditum contractui alias inualido non solum ex Religione eum confirmat: sed efficit, & non efficit eumdem validum dantem quidem consequenter & non dantem ius Iustitiæ ad rem, vel in re.* 470
XXXVI. *Vt iuramentum promissorium contractum confirmet, sufficit, & non sufficit, iurare te facturum pollicita: sed est, & non est necessarium addere, te non repetiturum rem promissam, nec de iuramento petiturum absolutionem.* 471
XXXVII. *Si vis, aut metus grauis dederit causam contractui, cui iuramentum apponitur, validum & inualidum est: eget, & non eget relaxatione.* 472
XXXVIII. *Promissio pœnæ sponsalibus adiectæ soluendæ ab eo, qui resilierit, confirmatur, & non confirmatur iuramento.* ibid.
XXXIX. *Pupillus contrahit, & non contrahit obligationem naturalem circa contractum initum: vnde consequenter potest, & non potest cum iuramento confirmare* 473

Circa contractus sub conditione initos.

Probl. XL. *Contractus sub conditione de futuro necessaria, ita vt qui sic contrahit, videatur pure contraxisse: statim ac fit, est & non est validus.* 473
XLI. *Contractus celebratus inter fideles sub conditione aliqua pendente quidem libere à causis liberis, reuelata tamen per fidem, cuius euentus certissimus est, quantumuis liber: computandus est, & non est computandus inter contractus sub necessaria conditione.* 474
XLII. *Obligatio orta ex contractu conditionali transmittitur, & non transmittitur ad hæredes.* ibid.
XLIII. *Ciuilis contractus celebratus per verba de præsenti sub conditione tamen de futuro purificatur, & non purificatur solo euentu conditionis, sine nouo consensu expresso* 475

Caput XX.

Circa rescissionem contractus, & ex qua culpa teneantur contrahentes resarcire damnum in contractibus vel in materia illorum.

Probl. XLIV. *Contractus celebratus per metum iniustè illatum, est & non est iure naturæ rescindendus, si velit is, qui coactè contraxit ante rei traditionem.* 476
XLV. *Contractus celebratus per metum iniustè illatum est, & non est iure naturæ rescindendus, postfactam traditionem.* ibid.
XLVI. *Qui accipit pignus in securitatem tenetur, & non tenetur de lata ac leui culpa, non de leuissima.* 477
XLVII. *Confessarius tenetur & non tenetur de culpa leui.* 478
XLVIII. *Iudex, aduocatus, medicus & alij similes tenentur, & non tenentur de culpa leui.* ibid.
XLIX. *Qui obligantur de leui aut leuissima culpa: tenentur, & non tenentur in conscientia ante sententiam iudicis.* ibid.
L. *Quando res alienæ tibi traditæ ad custodiam sunt impartibiles, ac pretiosiores quam propriæ: potes & non potes petere compensationem rerum propriarum, quæ periere, vt alienas conseruares.* 479

R. P. ANTONII

DE ESCOBAR ET MENDOZA, VALLISOLETANI,

Societatis IESV,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS

Generalia Principia.

PRÆLOQVIVM.

CERTAS *Theologiæ Moralis Assertiones à Problematicis intendens semouere, operæpretium duxi exponere quid in præsenti mihi sit certum, & quid de Problematicis dissertionibus sit æstimandum, vt tituli totius operis vis exprimatur. Hic sex meorum de vniuersa Theologia Morali voluminum Titulus.* Vniuersæ Theologiæ Moralis veriores sine pugna Sententiæ, ac Problematicæ Disceptationes. *Volumen primum* Moralia Principia *vbertim ad reliquorum voluminum faciliorem intelligentiam explicat. Secundum* Sacramenta in particulari *euoluit. Tertium* Præcepta Decalogi & Ecclesiæ *discutit. Quartum* Virtutum Theologicarum Religionis, Censurarumque *vim indicat. Quintum* Iustitiam, Ius, & contractus *disquirit. Sextum triplicis status* Ecclesiastici, Regularis, *ac* sæcularis obligationes manifestat.

CAPVT I.

Quidnam Receptioris Sententiæ nomine intelligam?

1. *Quid certa Assertio.*

ASsertionem certam illam Doctores vocitant, quæ ex iudicio certo oritur saltem moraliter, de quo prudenter dubitari non potest. Quod si huiusmodi certitudo nitatur Dei authoritate, omnem habet certitudinem, & Fides diuina appellatur. Si autem nitatur authoritate humana varios habet certitudinis gradus iuxta testimonium asserentium, & fides humana appellatur. Castro Pal. *tom.* 1. *tr.* . *disp.* 1.

2. *Fidei dogmati omnes Doctorum contrariæ Assertiones subscribunt.*

Porrò quotiescumque sententia, aut definitio Fidei diuinæ verbis apertis manifesta est, tunc quidquid Doctores, grauissimi licet, tradiderint, opinio, quæ huiusmodi

iusmodi sententia,& definitione Fidei videtur inniti,ac fulciri, aut quæ ei maximè accedit,est omnino tanquam certa & vera tenenda, quorumcumque Doctorum sententia posthabita. Exemplis confirmarim. Ex Concilio Trident. *sess.7. c.1.* planè colligitur, omnia sacramenta esse à Domino instituta. Quare reiicienda est sententia Alexandri,& Bonauenturæ docentium, Confirmationis Sacramentum non esse à Christo,sed à Spiritu sancto per Apostolos, vel per Ecclesiam in concilio Mediolan. institutum. Eiusdem concilij Trident. *sess.* 14. *can.* 1. habetur, Extremam Vnctionẽ esse à Christo institutam, ac proinde refellenda sententia Hugonis Victor. Magistri. ac Bonauenturæ asserentium auctoritate Christi, vel Spiritus sancti instinctu, & afflatu Apostolos Extremam Vnctionem instituisse. Item *sess.* 24. *c.* 1. statuitur, matrimonium esse vere ac propriè sacramentum, & gratiam conferre : quare nihil auctoritatis habet, quod Hostiensis, Alexander, Durandus,& Glossa tradiderunt, per matrimonium gratiã non dari : plura exempla apud Azor. *l.* 1. *c.* 9. recognosce.

3. *Quæ Theologi asseruere antè Ecclesiæ definitionem improbandum, non ipsi damnandi.*

Ex quibus colliges, Theologos interdum aliqua docuisse antè compertam Ecclesiæ definitionem, siue antè Fidei editum decretum : & tunc damnandos non esse ; eorum tamen sententias penitus improbandas. An non Angelicus Doctor docuit 1. 2. *q.* 64. *a.* 7. *ad* 3. Irregularitatem contrahere eum, qui alterum in se irruentem occidit, etiamsi vulnus inflixerit ad propriæ vitæ defensionem ? At post D. Thomam in Clement. *Si furiosus, de homicidio*, definitum est, eum irregularitate minime affici. An non quidam ex D. Thoma 2. 2. *q.* 188. *a.* 7. asseueranter docent, votum solemne, quod in professione regulares emittunt, consistere in quadam consecratione seu formula spirituali ad Deum pertinenti, quæ ex Apostolorum institutione, ac iure diuino, non tamen statuto Ecclesiæ adhibetur. At tamen post S. Thomam Bonifacius VIII. *c.* 1. *de voto, & voti redemp. in* 6. apertè decernit, huiusmodi voti solemnitatem esse Ecclesiæ instituto introductam.

4. *Veriores vocito Assertiones quæ communiter à Doctoribus proferuntur.*

Profectò cùm Receptiores Assertiones à Problematicis siue in vtrumuis probabilibus seiungo, *Receptiores* illas appello, quæ communiter à Doctoribus Classicis exponuntur, & in quibus frequentius concordare videntur. Quod quidem mihi quandam moralem ingerit velut certitudinem. Licet non semel postquam aliquam Assertionem vti Receptiorem expresserim, quia communis est, eamdem Problematicam expono, sciens communem contra communem, particularemque contra ipsam communem posse sententiam exhiberi.

CAPVT II.

Quidnam sit, sententiam aliquam esse communem?

5. *In re Theologica, iuridica, ac canonica sententia communis.*

QVoniam materiæ, quas discutiendas assumpsi, ad Legalem, aut Canonicam aut Theologicam possunt scholam pertinere; communem Assertionem in materia iuridica vocito quam communis iuris ciuilis interpretum consensus approbarit. Si autem materia sit Canonica, communem Assertionem appello, quæ communi Iuris Canonici Doctorum sensu confirmatur. Si verò materia sit Theologica, communem Assertionem putarim, quæ cõmuni Theologorum consensu fuerit recepta. In re Theologica exempla profero. Communis Theologorum assertio est, Baptismum in hanc formam susceptum : *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab vtroque*, non valere. Attamen contra communem huiusmodi Assertionem Caietanus & alij Theologi affirmant, Baptismum sic collatum ratum & firmum esse. Theologorum præsertim veterum est cõmunis sententia, quatuor Ordines minores esse verè sacramenta, & Characterem imprimere, gratiamque suscipientibus dare. Atqui contra hanc communem Assertionem aliqui nostri temporis docuere, nec esse Sacramenta, nec Characterem imprimere. Theologorum, Canonici Iuris Interpretum, ac Summistarum est communis Assertio Ordines sacros nullo modo dari vel suscipi absque sacrorum instrumentorum porrectione. At contra hanc communem Assertionem quidam Theologi opinantur, per solam impositionem manuum, & verba Episcopi sine vlla instrumentorum sacrorum traditione conferri, ac suscipi ; quia eos sic Apostoli conferebant, quando nullus erat Euangeliorum liber, qui Diacono traderetur, & Græci ita eos conferre perhibentur.

6. *Contra communem adhuc Problema exponitur.*

Quia igitur sæpe video contra communes Assertiones graues Theologos adhuc opinari : non semel postquam Assertionem vti veriorem statui in prima cuiuslibet materiæ sectione cum Problemata, Sectione 2. euoluo, rursum

Problema

Problematicam expono Assertionem, quam veriorem (quia communem fere omnium Doctorum repereram) statuerim.

7. *Quonam modo communem sententiam possimus discernere.*

Quæsieris, quo pacto communem Assertionem discernere, & internoscere potuerim? Difficilè plane id potest agnosci. Nam sæpe vsuuenit, (vti innui) vt res sit penitus dubia, quoniam Auctores aliquandò docent, hanc vel illam Assertionem esse communem, cum tamen alij scribant, communem esse contrariam. v. gr. simplex Presbyter rem cum concubina habuit. Dubitatur, cum agitur de iuris pœnis, quibus delicta plectuntur, num ea copula censeri debeat tanquam simplex congressus viri omni vinculo soluti cum fœmina ab omni etiam vinculo liberata: an verò tanquam sacrilegium, an vt incestum. Quod cum voluerim dignoscere quæ nam esset in hac quæstione communis Assertio, prorsus difficile reperi, eo quod Auctores inter se dissentire viderem. Nam Iulius Clar. tradidit, communem esse opinionem, huiusmodi congressum incestum fuisse. Alij, eodem teste, docuerunt tanquam communem sententiam esse sacrilegium. Rursum alij tanquam communem esse fornicationem simplicem scripserunt: ac vti talem esse puniendam. Legi apud eundem Auctorem, esse communem sententiam, posito statuto, vt quilibet publicè relegatum & proscriptum, quem Bannitum appellant, possit impunè occidere: immò suum proscriptum necare parentem. Et tamen multi alij tanquam communem sententiam asseruere, nemini licere id gerere, etiam posito huiusmodi statuto. Quando igitur scriptores ita dissentiunt, vt alij affirment, hanc, vel illam opinionem esse communem alij vero oppositam; tunc si ex lege, vel ex more, & consuetudine recepta nihil certi possum elicere, tutiorem partem eligo, eamque vti mihi communem, seu veriorem existimo.

8. *Aliquando non discernimus sententiam communem ob temporum varietatem.*

Deinde nonnunquam communem opinionem non valeo discernere, quia sæpe contingit, vt sententia, quæ olim erat sensu communi recepta, modo non sit. Et tunc tempora curo distinguere, & Auctores studiosè ac diligenter perlego. In Theologia enim Bonauentura, Richardus, Henricus, Ægidius, Durandus: in Iure pontificio, & Canonico Glossa, Ioan. Andreas, Abbas, Felinus: in iure ciuili Decius, Salicetus, Iason, docent, hanc vel illam Assertionem esse communem: & tamen comperio, & intelligo, Auctores illos iuxta tempora, in quibus scribebant, id affirmasse. Quare inquiro an qui postea scripsere Auctores, eam Assertionem, an aliam expresserint; quoniam frequenter accidit, vt quæ opinio paucis ab hinc annis in vsu non erat, modo communi consensu recipiatur, & è contra.

9. *Habenda Prouinciarum, ac Gentium ratio.*

Præterea rationem habeo Prouinciarum, Nationum, ac Gentium; nam assolet accidere, vt quæ Assertio vna in Prouincia, ratione, vel Gente communis est, in alia recepta non sit. In Gallia aliquæ Assertiones communi consensu docentur, quæ in Hispania, & Italia fere ab omnibus refutantur. Ex. gr. Crucem non esse colendam honore, ac veneratione latriæ, sed alio inferiori cultu, nonnulli scriptores in Germania, & Gallia tradiderunt. At in Hispania communi consensu docemus cultum & honorem latriæ Cruci deferendum.

10. *Num communis opinio existimanda sit ex Auctorum numero?*

Quod si roges, an communis opinio existimari, ac intelligi debeat ex numero an potius ex opinantium auctoritate? Respondeo, vt plurimum ex numero & auctoritate Auctorum esse iudicandum, non autem ex solo numero. Nam opinionem aliquam plurimi (passim video) vnum alium Auctorem sectati docuerunt more ouium, vel volucrum, quæ præeuntis vnius vel alteriùs viam arripiunt, vt ait Nauarrus, Decius, Alexander. Azor, & Castro Pal. Aliquando tamen communem opinionem ex numero Auctorum æstimo, quando (vt Nauarrus, & Azor monent, pauci sunt, qui vnam opinionem sectantur, si cum iis, qui contrariam sequuntur, conferuntur.

11. *Quinam, & quot Auctores sententiam communem constituant.*

Rogas, quinam, & quot Auctores Assertionem aliquam communem constituant? Responderim cum Azorio *l.* 2. *c.* 13. & Nauarro *c.* 27. *Man. n.* 189. oportere eos Auctores esse Classicos, hoc est quorum auctoritas in scholis sit approbata. Item oportere eos esse plures; non enim vnus tantum aut alter ad communem opinionem sufficit. ver. gr. si septem, aut sex ex instituto quæstionem aliquam pertractent, & quinque eorum idem opinentur, vno aut altero contrarium docente, communem censuerim Assertionem esse, quam quinque vnanimi consensu, tradidere. Monuerim tamen, posse nonnunquam vnius Auctoris sententiam multorum, & maiorum opinioni præferri iuxta id quod annotatur leg. *Deo auctore c. de vetere iur. enuclean. Sed neque ex multitudine Auctorum, quod melius & æquius est, iudicatur:*

cum possit vnius forsan & deterioris sententia multos, & maiores aliqua in parte superare. Si scilicet sententia vnius meliori, subtiliori, ac firmiori ratione comprobatur. Cap. *Capellanus, de feriis*, cum duæ essent oppositæ opiniones, posterior electa est. Cuius rei ratio subiungitur. *Quia meliori* (inquit Pontifex) *& subtiliori ratione nitebatur.*

11. *Communis sententia particulari est præferenda.*

Communem itaque opinionem regulariter particulari præfero, & velut certam mihi vendico, nisi forte opinio particularis ita efficacem, ac firmam rationem habeat, vt merito multorum (vt dixi) sententiis debeat præferri. Præcipue id gesserim cum huiusmodi singularis opinio valorem matrimonij defendat, vel si faueat piæ causæ, testamento, libertati, doti, & similibus: vel si defendat valorem actus etiamsi sit contra reum in fauorem actoris. Et ratio est, quia stat pro omnibus præsumptio iuris, & veritatis. Sic Nauar. *c.27. num.* 287. Villalob. *to.* 1. *tr.* 1. *diffic.* 7. *n.* 3.

12. *Quinam meo in opere Auctores Classici.*

Vt autem amplius innotescat, num Assertiones nostræ, quas certas, seu communes statuimus, sufficienti auctoritate nitantur: eos Auctores subiiciam, quos Classicos in re Theologica, ac morali censeo ex externis, & ex Societate nostra, quorum frequentius vtor testimonio. Illi sunt Caietanus, Adrianus, Domin. Soto, Ioannes Medina Complut. Ioannes Maior, Iacobus Almainus, Antoninus Cordubensis, Martinus Ledesma, Hostiensis, Angelus, Rosella, Antoninus, Syluester, Tabiensis, Armilla, Nauarrus, Nauarra, Sayrus, Antonin. Diana. & alij passim. Hi autem sunt Suarius, Vazquez, Valentia, Thomas Sanchez, Henriquez, Mæratius, Petrus Hurtado, de Mendoza, Cardinalis Toletus, Cardinalis Lugo, Gaspar Hurtado, Filliucius, Reginaldus, Laymanus, Azorius, Ferdin. de Castro Palao, Baldellus, Rainaudus, Præpositus, Gordonus, Emanuel Sa. Franciscus de Lugo. Granados, Molina, Lessius, Amicus, Turrianus, & alij.

CAPVT III.

De Problematibus, seu de quæstionibus in vtrumuis probabilibus.

13. *Immerito conquereris, quòd in re Morali tot diuersæ sententiæ existant.*

QVam immeritò aliqui mœrore afficiuntur, quod in re Morali tot diuersæ sententiæ à Doctoribus exponantur: cum potius solatij materies accrescat. Nam ex opinionum varietate iugum Christi suauius deportatur. Annō passim acciderit, plerosque homines rebelles se obiicere, si ad aliquid determinatè gerendum vel omittendum constringantur quemadmodum renituntur ex mandatis Decalogi implere, id quod in illis decretum iam sit determinatè, & absque varietate opinionum, quid sub morali oporteat agere? Ergo benignissima Dei prouidentia cautum est, vnicam tantum viam Moraliū operationū non dari, sed plures patescere, iuxta Psalmistā. *Vias tuas, Domine, demonstra mihi.* Vt quamcumque duarum primò diuersarum inierint, recta tendant ad superos. Certè non solum molestia constringerentur homines vnicam tantum opinionem in suis actionibus, siue omissionibus amplexari, sed & periculo manifesto. Plures enim contra vnicam sententiam, aut placidam sibi actionem non dimitterent, aut prohibitam sectarentur. Post certas igitur, seu communes Assertiones, Problematicas Quæstiones expono, ex duplici autem contradictoria sententia meā explico mentem, aut vnam ex duabus eligens, aut mediam procedendi viam indicans. Vt verò directo tramite incedas, hæc obseruanda primum accipias.

14. *Quænam sit opinio probabilis.*

Probabilis planè opinio est, quæ firma ratione fulcitur, neque contra se habet rationem conuincentem; si enim illam habet, iam non opinio sed error proculdubio erit, vt Ioann. Sanch. *disputat.* 14. *n.* 8. docuit. Accidere autem assolet, vt tibi probabiliter opinanti ratio aliqua in contrarium conuincens videatur; sed non inde opinio probabilitatem amittit; quia licet tu illam non valeas rationem soluere, alius soluere quibit, idque tibi debes persuadere: cum sæpe multæ tibi rationes insolubiles exponantur, quæ ab aliis facili negotio soluuntur. Quare imprudenter te geres si ob hanc causam aliorum opiniones, quæ vt probabiles circumferuntur, improbabiles adiudicares. Sic Tho. Sanch. *in decal. l.* 1. *c.* 9. *n.* 6. Sayr. *in claui l.* 1. *c.* 6. *n.* 7.

15. *Opinio speculatiua probabilis, etiam practicè probabilis est.*

Plures Iurisperitorum non audent in praxi opiniones Duareni, Cuiacij, Donelli, Ant. Fabri, & aliorum opiniones sectari, easque Theoricas solum, & non practicas vocitant, tantumque ad scholarum ludum, proficuas; decipiuntur planè. Minime enim percipio, aliquam opinionem esse speculatiuè probabilem, & in praxi amplexari non posse: cum probabilitas practica ab

specu

ſpeculatiua oriatur probabilitate, ab eaque ſolum differat tanquam effectus à ſua cauſa; id enim, quod quis opere iuſtè exequitur, vel iniuſtè, ab eo exoritur, Quod ſpeculatiuè iudicabit, licitè poſſe geri, vel illicitè: cum cognitio ſpeculatiua ad opus dirigat voluntatem. Vnde in praxi tuto hæreſcere poteris huiuſmodi Doctorum ſententiæ, imò fortè ſecurius, quam aliorum non tam theoricè ſapientum ſenſui; nam qui theorice rem planius examinant, & fundamenta diſcutiunt, melius quoque regulam ad operandum demonſtrabunt; aliàs nihil prodeſſet alicui, rem ſanius percipere, niſi in ordine ad operandum certiorem regulam conſtitueret. Ioan. Sanch. *diſput.44. n.63.* Thom. Sanch. *lib.2.de matrim.diſput.41. num. 5.*

16. *Quidnam ſit, vnam opinionem eſſe tutiorem altera.*

Aſſolent Doctores communiter aſſerere, inter probabiles opiniones vnam tutiorem altera exhiberi. An id ſic intelligendum, quod maius periculum delinquendi ſubeas, vnam opinionem ſectando, quam alteram? Minimè quidem. Nam cum quælibet opinio probabilis tutam reddat in operando conſcientiam, non minus tutus eris operans iuxta vnam, quam iuxta alteram opinionem. Cum ergo Doctores affirmant, vnam opinionem altera tutiorem, indicant, eum quem ſectari contigerit vnam non ſolum formaliter culpam non incurrere, verum nec materiale peccati attingere. ſic Sanch. *l.1. Decal.cap.9.num.14.* Ex.gr. Vna docet opinio, hoc eſſe reſtituendum: alia aſſerit reſtituendum non eſſe. Qui iuxta opinionem primam reſtitutionem gerit, non ſolum non peccat formaliter, verum nec materialiter, cum nec diſſonantia vel materialis queat in reſtituendo inueniri. Fortè tamen in non reſtituendo poſſet materialis ſubeſſe diſſonantia, ſi in illo caſu non reſtituere diſſonum diuinæ menti exiſteret, iuxta quam omnes actiones morales quoad bonitatem, malitiamque eſſentialem regulantur. Itaque qui dicit hanc ſententiam eſſe illa tutiorem, aſſerit hanc quidem tutam eſſe, quia iuxta illius prætextum operans, nec materiale peccati attinget. Obiicies, tutiorem partem eſſe eligendam. Fateor, in dubiis, abnego in opinionibus. Ita Vaſquez 1.2. *tom.1. diſputat. 62. num.2.* & Azor. 1.2. *cap.16. q.2.* Sanch. *l.1. Decal. c.9. num.14.*

17. *Non attendendum ad Auctorum pluralitatē, vt probabilis iudicetur Aſſertio.*

Certè non illam opinionem probabiliorem iudico, quam pluribus Auctoribus ſuffultam conſpicio, haud id ſufficiens reputans medicamentum. Quia ſi demus, aliquam materiam ſolummodo tres pert. actaſſe Doctores, aliam vero triginta: & ex illis tribus duo vni fauere ſententiæ, vnum vero alteri: magis probabilem reputarim illam opinionem, quæ duorum mente munitur, quam illa, quæ ſexdecim protectores habeat in materia, de qua triginta egerunt. Vnde non pluralitatem abſolutam dimetior pro vberiori opinionis probabilitate, ſed reſpectiuam iuxta numerum Auctorum de eiuſmodi materia ſcribentium.

18. *Vt probabilior mihi ſit ſententia hæc, quam illa ex pluralitate huiuſmodi.*

Ideo non reputo ſufficiens iudicium, vt in Problematicis meis iudicem hanc ſententiam probabiliorem eſſe quam oppoſitam, quod eam plures Auctores ſectentur. Vidi enim ſæpe turbam Doctorum vni ſententiæ abſque rationis delectu hæreſcere, vel ſaltem haud exacte ponderata ratione: contra quam deinde legi alium magnæ authoritatis Doctorem opinionem contrariam maturè excogitatam ſcripſiſſe. Huic lubens adhæreſco.

19. *Non attendendum ad id, quod Auctores in indice exprimunt, niſi rationem adhibeant.*

Vt autem iudicem, an Suarius, Sanctius Molina ſeu quilibet alius Doctor huius aut alterius ſit opinionis non adeo ſolummodo voluminum indices. Quia hi non tam accuratè ſunt ab Auctoribus inſpecti, & frequenter ambiguè inibi loquuntur lectorem excitantes vt ad opus ipſum perquirendum accedant. Quid ſi ratio Aſſertionis in indice reperiatur? Adhuc ego ad ipſam recurro tractationem, ſed non improbo poſſe alios iudicare Auctorem illius eſſe opinionis ſectatorem.

20. *Ex duabus eam eligę opinionem quæ iuris ſenſu magis innititur.*

Profecto inter duas opiniones, eam mihi eligere plerumque lubet, quæ legis ac iuris ſenſu, & intelligentia magis innititur: aut quæ conſuetudine, & vſu recepto magis comprobatur. Sciēs tamen, contra legem diuinam vel naturalem, vim non habere humanam conſuetudinem: conſuetudinem autem humanam receptam & approbatam habere vim, & auctoritatem legis, ac proinde vim conſcientias obſtringendi, & ex toto, vel ex parte leges humanas ciuiles, vel canonicas abrogandi: tuncque conſuetudinem tanquam receptam haberi, ac approbatam, quandò tacito quodam totius Reipublicæ, vel maioris partis conſenſu eſt confirmata; de quo alibi vberius.

21. *Mitiorem elige opinionem.*

Quotieſcumque vero ſeſe mihi res offert, quæ apud ciuilis aut canonici iuris Interpretes pœnalis dicitur, vel quæ ad odia, non fauores ſpectat: tunc ex

duabus Problematis contrariis sententiis eam amplector, quæ est benignior ac mitior iuxta regulam Iuris. *Odia sunt restringenda.* Exemplum exhibeo. Opinantur Sylvester, Rosella, Nauarrus, & alij, fas non esse excommunicato ad nos accedenti assurgere, caput aperire, submittere, aut alio corporis motu beneuolentiam ostentare; quia signa vicem verborum exerunt: cum ergo prohibeamur eos alloqui, aut verbis salutare, est quoque interdictum, ne nutu, vel alio corporis motu cum eis vnà versemur, aut aliqua rerum communione vtamur. At Sotus, Maior, Tabiena, Antoninus, & alij putant id licere; quia licet in aliis rebus nutus & signa verborum vicem gerant; in hac tamen de pœna excommunicatorum agitur, vnde restringenda videntur verba legis pœnam irrogantis, ac in partem mitiorem interpretanda.

22. *Tutiorem amplectere.* Quando in cæteris duæ opiniones sunt pares, scilicet in Auctorum numero, quamuis non in pondere rationum: sed altera earum est tutior; hanc plerumque amplector. Ex. gr. Multi arbitrantur circunstantias peccatorum speciem non mutantes quamuis alioquin deformitatem eorum grauiter augentes, non esse in Sacramento Confessionis necessario explicandas. Contra alij affirmant esse exprimendas. At licet in cæteris pares sint opiniones, quia tamen tutius est eas confiteri, & exprimere, hæc pars videtur præferenda.

23. *Et eam, quæ magis Religioni, iuri, ac pietati fauet.* Quando autem Problema occurrit, cuius in cæteris pares sunt opiniones in numero, testimonio, vel auctoritate Doctorum: eam mihi eligo, magisque approbo, quæ plus Religioni, pietati, ac iuri fauet. In causis ad Matrimonium pertinentibus eam, quæ matrimonio præsertim antea contracto suffragatur. In materia de voto, iureiurando, vltima voluntate testatoris, eam quæ his magis conuenire videatur: sic etiam illam, quæ magis patrocinatur pupillis, viduis, peregrinis, & aliis huiusmodi, quæ miserabiles personæ in iure vocitantur.

24. *Potes eligere probabilem opinionem, relicta probabiliori.* Non semel iustas ob causas opinionem vnam, probabilem quidem, eligo, probabiliori relicta. Quia esto opinio detur, quod sit operandum iuxta opinionem magis probabilem, adhuc huius opinionis Doctores profitentur, vel fateri coguntur, magis probabilem esse opinionem censentem licitum esse sequi opinionem probabilem relicta probabiliori, eo quod plures Doctores illam tutentur, & vrgentiori ratione fulciatur. Verùm cum ex opinionibus probabilibus nihil adeò certum habeatur vt pro vtraque opinione formido non concipiatur, num licitum sit operari, necne iuxta quamcumque illarum: dum assero opus geri posse iuxta probabilem meam opinionem, probabiliori relicta, non eligitur via incerta aut mala ad operandum. Quod autem oppositæ opinionis via aliquantulum certior appareat, id esse verum probabilibus tantum rationibus, non certis ostenditur: excessus verò ille maioris certitudinis haud considerabilis est ad præceptum inducendum, vt doctè probat. Ioan. Sanch. *disp.* 44. *n.* 1.

CAPVT IV.

Vnius Doctoris auctoritas mihi sæpe sæpius sufficit constituere probabilem opinionem.

25. *Sufficit vnus Auctor, vt probabilem constituat sententiam.* FRequenter in Problematibus vnius Doctoris mens sufficit mihi, vt opinionem probabilem esse constituam, cuius causam expendo. Si res pro qua est opinio ab Auctoribus agitata non sit, nemini potest esse dubium, dictum vnius grauis Auctoris, pij planè, quem ratione firma video moueri, sufficere ad opinionem probabilem tam sibi, quam aliis constituendam. Si autem res controuersa sit à paucis; potest vir doctus aduersus illos sentire, si ratione firma in contrarium fulciatur. At si à multis sit ex professo res agitata, & omnes perpensis rationibus vnum sentiant, adhuc existimo, posse virum doctum contrarium probabiliter opinari, si videat aliquam rationem pro sua parte viriliter pugnare ab aliis quidem insufficienter solutam; hoc enim modo probabiles opiniones fuere in scholis introductæ. An non aliquandò quod multis reconditum, & abstrusum erat alicui manifestatur? Quot veritates tempore D. Thomæ, ac Bonauenturæ aduersus communem & receptam sententiam fuerunt elucidatæ? Vnde si in libro alicuius Doctoris neoterici aliquas propositiones absolutè affirmatas inuenio, quas aduersus multorum Doctorum assertionem pugnare video, non illas improbabiles reputo, si mihi constat à sede Apostolica non esse vti improbabiles iudicatas. Nam si ex consilio illius Doctoris verbis prolato poteram ad agendum,

dum, aut ſcribendum adduci, vt aſſerit Panormit. in cap. *Cappellanus, de feriis.* Villalob. *to.* 1. *tr.* 1. *diffic.* 6. *n.* 1. Nauarr. Conſ. 1 de pœnit. à fortiori potero ex conſilio typis expreſſo, cum tunc maiori circumſpectione proferatur, & à doctis prius ſit approbatum. Lege Azorium *l.* 2 *c.* 17. *q.* 4. *&* 5. De Doctore autem antiquo magis addubito, num eius opinio, etſi ſuo tempore probabilis fuerit, antiquata iam ſit, & à ſede Apoſtolica cenſeatur communiter reprobata ac proinde vir indoctus eius dictis haud nimium fidere debet. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 9. *n.* 10.

16. *Poteſt doctus nullo auctore opinionem ſuſcitare.*

Quid ſi nonnunquam, qui nullum inueni alicuius Aſſertionis Auctorem, audeo velut propriam exponere, putans me probabili ratione fulciri? ſcio Ioannem Sanctium *diſp.* 44. *n.* 61. aſſeruiſſe, probabilem eſſe opinionem, quam ſectatur vel vnus boni nominis Auctor, immo etſi nullus, dum tamen qui ſuſcitat huiuſmodi opinionem ſit doctus, & probabilibus rationibus incedat, quem ſi conſulat laicus indoctus ſequi poteſt, quamuis vir ille doctus explicet, omnium aliorum Doctorum opinionem eſſe diuerſam, didicit ille ex Vaſq. 1. 2. *to.* 1. *diſp.* 62. *c.* 4. *n.* 12. Azor. *to.* 1. *l.* 2. *c.* 6. *q.* 6. Villalob. *to.* 1. *diffic.* 4. *numer.* 16. Sà *Ver. dubium, n.* 3. Certè quælibet opinio dum ſuſcitatur, ab vno ortum habet Auctore, poſtea alius illi conſentiens ideo aſſenſum præſtitit, quia recens adinuenta opinio ſibi viſa eſt probabilis.

27. *Poteſt vt probabilis admitti ſententia, quam doctus incidenter adſtruit.*

Demum non ſolum tunc iudico opinionem habere probabilitatem, quando ille, qui eam ſuſcitauit, probabilem eſſe affirmat, & probabili ratione ſuffulcit: verum etſi doctrina adducta à Doctore nec à ſe nec ab alio vera eſſe affirmetur, ſed gratia ſolummodò argumenti fuit inducta, vel incidenter ad alterius explicationem, aut exemplum: velut opinionem probabilem aliquando recipio, ſi rationabili ratione inniti video. Et ſane doctrina, quæ nulli Doctori placuit negatiuè hoc eſt, quam nullus vſque modo probauit, aut reprobauit, alteri legenti docto placere poterit.

28. *Et ea quam Auctores approbant nec improbant ſi adhuc viget argumentum pro illa adductum.*

Addiderim, ſi cæteri Doctores illam reprobauerint poſitiue, ſi tamen eam non eſſe ſufficienter reprobatam alteri Doctori videatur, nec argumentum pro illa doctrina adductum ſatis eſſe ſolutum, probabilem poſſe reputari. Nam in hoc caſu, qui legit doctrinam, & illam probabilem eſſe iudicat, ſe gerit vt primus qui aliquam ſuſcitat opinionem, & illam typis curat exponendam. Certè plures opiniones ſunt adinuentæ, & in ſcholis introductæ ſumpta occaſione ex dictis ab aliquibus in argumento, aut verbis perfunctoriè expreſſis. Et multo melius poſſe doctrinam pro argumento adductam iudicari probabilem arbitror, quando Auctor obiectionem contra ſe adductam magnam vim ſibi inferre fateretur. Satis enim innuit, non facile poſſe ſolui argumentum, & conſequenter oppoſitam doctrinam, quæ huiuſmodi argumento impugnatur non vndequaque certam exponi. Hæc meis certis, ſeu communibus Aſſertionibus, Problematibuſque prælibaſſe ſufficiat. Feruear opus.

29. *Contradictio, quæ apparet in titulo Problematum, non eſt contradictio ſed varietas opinionum.*

Ad hæc monuerim Problematum titulos primo aſpectu quandam velut contradictionem obiicere: v. g. *Eſt, & Non eſt: ſufficit, & non ſufficit. Poteſt, & Non poteſt: Excuſat, & non excuſat: Infert, & Non infert.* Huiuſmodi contradictionum ſpeciem non facit mea ſentiendi inconſtantia, ſed Auctorum probabiliter opinantium diuerſitas. Vnde ſic ſemper propoſitio illa, quæ contradictionem importare videtur ſic ſeparanda tibi. *Eſt, Sufficit, Poteſt, Excuſat, Infert* ex aliquorum ſententia. *Non eſt, Non ſufficit, Non poteſt, Non excuſat, Non infert* ex aliorum opinione.

30. *Cur aliquod problema aliquando ſubiicio quod iam in vtrumuis probabile non eſt.*

Denique nonnunquam aliquod Problema expono, quod probabilitate aliquando nitebatur vel ſaltem aliquibus ita viſum fuit, iam vero defenſabile in vtrumuis non eſt, quod quidem ſemper ſubmoneo: inter Problemata autem annumero, non quia probabile in vtrumuis cenſeam, ſed vt apertius à probabilibus opinionibus expungendum oſtendam.

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS RECEPTIORES ABSQVE lite Sententiæ, ac Problematicæ disceptationes:

Siuè quod frequentius, Doctoribus consentientibus asserendum eligitur: & quod, dissentientibus plerumque in vtrumuis probabile exponitur.

LIBER PRIMVS.

ACTVS HVMANI.

ARGVMENTVM.

ACTVVM humanorum essentiam expendo, voluntarij aperio efficaciam: vnde actionum nostrarum bonitas emergit, aut malitia prolabitur. Violentiæ, metus, cupiditatis, ignorantiæque vim ad voluntarium infirmandum indico.

SECTIO PRIMA.

De Actibus humanis receptiores absque lite Sententiæ.

CAPVT I.

Actus humanus, & voluntarium quidnam?

1. *Quid Actus humanus?*

ACtus humanus dicitur, qui *proprius hominis à voluntate deliberata procedit*, cuius homo est dominus per liberum voluntatis arbitrium, vt ad finem propositum possit peruenire. Sic D.Thom. 1. 2. *quæst.* 1. 6. & 7. Azor *tom.* 1. *c.* 3. Filliuc. *tract.* 21. *n.* 48.

2. *Quid voluntarium?*

Voluntarium est, quod *à principio intrinseco cum aliqua boni cognitione procedit.* Ab intrinseco quidem principio, quia quæ extrinsecus mouentur, potius coactionis necessitate, quam voluntate aguntur. Cum aliqua autem boni cognitione, quia voluntarium ab appetitu vitali procedit qui formam sequitur apprehensam. Laym. *l.* 1. *tr.* 2. *c.* 1. *num.* 1. Præpos. 1. 2. *q.* 6. *a.* 1. *n.* 1.

3. *Duplex voluntarium.*

Voluntarium duplex, perfectum & imperfectum. Ad perfectum attinent omnes actus propriè humani, & ij perfecti, qui laudi aut vitio dantur. Cum imperfecto annumero omnes appeti-

tus

tus sensitiui passiones ac motus aduertentiam rationis præuenientes, & multos motus voluntatis siue in bonum, siue in malum, scilicet tentationes ad peccatum blasphemiæ aut vindictæ, quæ voluntatis consensum anteuertunt. Filliuc. *tr.*21.*n.*55.*&*56. Silui.1.2.*q.*1.*a.*1.

4. *Voluntarium liberum & necessarium.*

Voluntarium perfectum aut est liberum aut necessarium. Quia quædam volumus ita ex perfecto rationis iudicio vt possimus non velle etiam contrarium: quædam autem ita volumus, vt non possimus non velle contrarium. Hanc necessitatem vocitarim quandam voluntatis determinationem ad vnum; siuè quo ad speciem, quemadmodum viatores necessitantur ad amandam beatitudinem in communi: siue quo ad exercitium, sicuti comprehensores Deum clarè visum necessariò diligunt. Tanner. *to.*2.*disp.*2.*q.*1 *dub.*2.*n.*31.*&*37.

5. *Actus liber quid?*

Actum ergo liberum eum esse affirmo. *qui à principio libero voluntario procedit.* D. Thom. 1.*p.q.*83.*a.*4. Liberum arbitrium nihil est aliud,quam vis electiua,id est, ipsamet voluntas quatenus ex præuia deliberatione, & iudicio practico intellectus sic potest eligere vnum, vt etiam valeat eligere contrarium. Et licet liberum Dei arbitrium agat à nullo alio motum, arbitrium creatum Angeli & hominis non potest agere nisi à Deo adiuuetur concursu simultaneo, & indifferenti ad vtramque partem electionis: non verò prædeterminante, quem omninò repugnantem censeo.

6. *Duplex libertas contradictionis, & contrarietatis.*

Voluntatis libertas est duplex, vna secundum exercitium, quæ dici assolet libertas *Contradictionis*, siuè indifferentia ad agendum, & non agendum, qua in præsenti homo ad omnia viget obiecta. Altera est libertas *Contrarietatis*, siuè indifferentia exercendi tum hanc,tum contrariam actionem circa idem obiectum. v. gr. circa amorem & odium. Hanc contrarietatis libertatem homo habet in præsenti circa omnia particularia bona. Quia nullum est particulare obiectum, quod intellectui in hac vita adeò bonum appareat, vt in eo aliquam rationem mali,aut inconuenientiæ reperire non valeat.Porrò non habet homo in præsenti huiusmodi libertatem contrarietatis circa bonum & malum in communi. Quia adæquatum, seu totale voluntatis volentis obiectum, est bonum: adæquatum vero voluntatis nolentis,est malum: At in bono vniuersim considerato non reperitur aliqua ratio mali: nec in malo, seu miseria abstractè considerata aliqua ratio mali reperitur: Ergò voluntas odisse non potest fœlicitatem,neque amare miseriam in communi. Laym. *l.*1.*tr.*2.*c.*2.*n.*4.

7. *Requiritur voluntarium liberum ad merendum, aut peccandum.*

Ad merendum, aut peccandum, voluntarium liberum requiritur. Quia opera necessaria, quamuis maximè voluntaria sint, nec laudem, nec vituperium,nec præmium,nec pœnam merentur.Bellarm. *de amiss.grat. l.*2.*c.*18.

8. *Libertas à necessitate legis, & à necessitate naturæ.*

Sicut duplex est necessitas, vna legis præcipientis, siue prohibentis, si culpæ reatum, ac pœnam declinare velis: altera naturæ propriè dicta. v. gr. sumpto cibo non potes non nutriri: Ita duplicem assero libertatem, vnam ab obligatione legis: qua ratione libera dicuntur opera quæ sub præceptum non cadunt; alteram libertatem à necessitate naturæ, qua ratione ea omnia opera, quæ non naturæ impetu, sed ex deliberatione rationis, & electione voluntatis geruntur libera vocitantur. Tanner. *tom.*2. *disp.*2.*q.*1.*dub.*2. Beccan. *de liber.arbitr.c.*2.*q.*2.*n.*3.

9. *In actibus naturalibus, ac ciuilibus liber est homo.*

In actibus naturalibus & ciuilibus liber est homo. Quia multa adsunt media contingentia, vtilia plane ad finem, sed non necessaria, quæ voluntas arripere potest, ac respuere. Tanner. 1.*p. disp.* 2.*q.*1 *dub.* 10.

10. *Et in moralibus actionibus.*

In actionibus moralibus voluntatis libertate etiam homo potitur. (Actionem moralem vocito, quæ vel turpis est, vel honesta:) Quia aliàs homo capax præcepti non esset, nec posset peccare, aut rectè operari: præmium mereri, aut supplicium. Bellar. *de grat.l.*5.*c.*14.

11. *Et in supernaturalibus.*

Fruitur etiam in actionibus supernaturalibus libertate. Quia decet creaturam intelligentem ad suum finem modo nobilissimo perduci: modus autem nobilissimus est, vt quis beatitudinem obtineat ex se: per liberum autem voluntatis arbitrium gratia Dei excitatum,eleuatum,adiutum aliquo modo ex se illam sibi in Christo promeretur. Tanner. 1.*p.disp.*2.*q.*8.*dub.*1.*n.*17.

12. *Actus liber alius elicitus, alius imperatus.*

Actus proprie humanos, seu liberos in *elicitos* diuido ac *imperatos*. Elicitos eos vocito, qui à libera voluntate immediatè eliciuntur tanquam à principio immediato,cuiusmodi sunt volitiones ac nolitiones: imperatos appello actus aliarum potentiarum videlicet intellectus, appetitus sensitiui, & externorum membrorum, qui motionem voluntatis debent suscipere; tales sunt intelligere, ambulare, loqui,scribere, &c. In actibus à voluntate elicitis

elicitis homo cogi non potest, secus in imperatis. Non potest quidem, quia homo vellet simul, & non vellet, Potest autem, quia imperati actus ab aliis potentiis pendent, vt ab intellectu, phantasia, sensibus externis, quæ potentiæ à causa extrinseca voluntate renitente, possunt ad opus applicari. Sic Deus intellectum damnati cogit suas cogitare semper ærumnas & inferiores potentias compellit suos, ipsa repugnante voluntate sentire dolores. Laym. *l.1.tr.2.c.2.n.* 8.Becan. *de act.hum.c.3.n.*1.Azor *to.* 1. *l.*1. *c.* 9. *q.* 5. *&* 6.

13. *In actibus elicitis potest homo obiectiuè, & efficienter necessitari.*

In actibus à voluntate elicitis tum obiectiuè, tum efficienter potest homo necessitari. Quia & potest homini offerri tota bonitatis plenitudo suo in fonte primario, quod fit per claram Dei visionem, & tunc non poterit non amare, aut non persistere in amore: Et si Deus voluntati adeò efficacem motionem immittat, vt ipsa ad consensum determinetur, tunc non poterit resilire à consensu, & efficienter necessitabitur. Beccan. *de lib. arb.c.2.q.*10.*n.* 35.Præp.1.2. *q.*10. *a.* 2.

14. *Solus Deus potest efficienter necessitare voluntatem.*

Porrò solus Deus potest efficienter voluntatem necessitare. Quia Angeli nihil possunt circa creaturam corporalem, nisi mouendo totaliter, aut applicando passiuis actiua: ergo minus poterunt in voluntatem, quæ planè spiritualis est. Cælum autem & astra tantum possunt aliquas coporales efficere alterationes, quibus positis phantasia variè de rebus iudicat,& appetitus sensitiuus variè commouetur; semper tamen in voluntatis est potestate per gratiam diuinam motus illos reprimere. Tanner. 1.*p.disp.* 2.*dub.*5. *n.* 52. Præpos. 1. 2. *q.*9. *a.*6.

15. *Voluntarium potest esse sine omni actu moraliter, sed physicè non potest.*

Voluntarium moraliter potest esse sine omni actu. Quia potest quis non agere, cum possit & debeat. v. gr. Petrus ludit, aut ambulat, cum potest, ac debet audire sacrum; quamuis voluntas se habeat mere suspensiue circa sacrum, nec volendo illud positiue, nec positiuè nolendo audire: tamen illud non audire est ipsi voluntarium, cum dominium illius actus habuerit, & illius exercēdi obligationem. Profectò sine omni actu physice voluntarium esse non potest. Quia voluntarium physicè est quod vere & realiter est volitum; implicat autem aliquid esse volitum sine volitione, ac proinde sine actu. Tanner. 1.2. *disp.*2.*q.*1.*dub.*2. *n.*31.

16. *Voluntarium directum.*

Aliud voluntarium est directum, aliud indirectum, Voluntarium directum est triplex, volitum scilicet vel actualiter, vel virtualiter, vel habitualiter: Actualiter quidem, quis signat suum actum, quem exerciturus est, v. gr. sacerdos consecraturus ita secum loquitur: volo consecrare, & hoc vocitamus velle in actu signato. In actu autem exercito vult consecrare, qui sine reflexione super suum actum, facit quod Christus instituit proferens cum plena cognitione sui facti verba consecrationis. Virtualiter voluntarium est, quod virtute præcedentis volitionis exercetur, quæ actu desiit esse. v. gr. cum sacerdos pixidem hostiarum primò cum intentione consecrandi collocat in altari, consecratæ illæ remanent, etiam si actu de pixide non cogitet. Habitualiter vero voluntarium est, circà quod nullus actus exercetur, sed anteà exercitus est, & habitualiter manet.

17. *Voluntarium indirectum.*

Porrò voluntarium indirectum est multiplex; vnde & vocatur volitum interpretatiuè, quod locum habet sæpissimè in peccatis, rarò in aliis, nunquam in meritis. Quia ad meritum requiritur actus positiuus cum explicita, vel implicita honestatis supernaturalis intentione. Volumus autem interpretatiuè peccatum primo in sua causa, v. gr. qui vult iacere sagittam sine cautione debita, secutum homicidium velle censetur. Secundo in suo materiali, v.gr. qui ex ignorantia committit vsuram. Tertio in connexis vel natutaliter, vel voluntate Legislatoris, v. gr. mortaliter delinquens, Deum odit, vult tartari pœnas. Quarto imputatiuè, cum nec intellectus aduertit, nec vult voluntas, sed potuit, ac debuit aduertere, & velle, v. gr. dum quis præ ardore ludendi in die festo sacrum omittit. Azor. *to.*1. *l.*1.*c.*3.*q.*2.Laym.*l.*1.*tr.*2.*c.*3.*n.*5. Diana *p.*2 *tr.*3.*miscel.ref.*32.

18. *Vt voluntarium sit sine omni actu, tria requiruntur.*

Vt voluntarium sine omni actu existat tria requiruntur scilicet posse, debere, & non facere; quare necessarium est præceptum, si absit omnis actus. Quod si ponamus aduertentiam intellectus, tunc poterit esse voluntarium sine volitione, vt (v. gr.) si quis die festo aduertat, se posse audire sacrum, & negatiue se habeat, & omittat. D. Thom. 1.2. *q.*6 *a.* 3. Clauis Regia *l.*2.*c.*6.*n.*8.

19. *Non censetur semper voluntarium, quod ex causa volita sequitur.*

Haud censetur semper voluntarium id quod sequi ex causa volita assolet: Primo cum quis ius habet ad causam, siue sit actio, siue omissio, modo effectum euitare non teneatur, v.gr. Dux exercitus pulsat mœnia, ac expugnat vrbem innocentum strage: mors innocentum voluntaria non est ei voluntaria, cum effectum illum

non

non teneretur euitare. Secundo, cum certi sumus, effectum non secuturum quemadmodum Deipara cùm contraxit cum D. Iosepho matrimonium consensit in coniugium, non tamen in copulam coniugalem. Lessi. 1.4.*c.*3.*dub.* 14. *num.* 97.

CAPVT XI.

De actibus voluntatis.

20. *Duo actus voluntatis, elicitus, & imperatus.*

IAm vero duo sunt (vt innuimus) actus voluntatis, vnus elicitus, alter imperatus. Elicitum appellarim eum, qui fit à voluntate proxime ac per se ipsam, & qui excipitur tanquam in sede sua ipsa in voluntate, à qua proxime producitur, vt sunt, *velle*, *amare*, *sperare*, *concupiscere*, *nolle*, *odisse*. Imperatum autem vocitarim eum actum, qui fit à voluntate opera alterius facultatis, quæ eum proxime gignit, & interdum externam aliquam transit in materiam: tales actus sunt, *credere*, *intelligere*, *videre*, *loqui*, *ambulare*, *occidere*, *&c.* Quoties voluntatis geruntur imperio. Laym. *l.* 1.*tr.*2.*c.*2.*n.*8. Azor *to.*1.*l.*1.*c.*19. Beccan. *de act.hum.c.*3.*n.*1.

21. *Sex actus voluntatis eliciti.*

Sex annumero elicitos voluntatis actus, *velle*, *intendere*, *frui*, *eligere*, *consentire*, *vti*, ad quos reliquos voluntatis actus adduco, nempè amorem, delectationem, spem, desiderium, gaudium. Hæ autem voluntatis operationes quædam circa finem, quædam vero circa ea, quæ sunt ad finem, exponuntur. Quia obiectum voluntatis est bonum, bonum autem est duplex, absolutum & respectiuum: illud propter se expetitur, & Finis vocitatur: hoc expetitur propter aliud, & dicitur medium ad finem. v. g. sanitas est bonum absolutum quod propter se expetitur: medicamentum verò amarum bonum est in ordine ad sanitatem, & propter illam expetitur Azor. *to.* 1. *l.* 1. *c.* 19. Beccan. *de act.hum.c.*3.*n.*1.

22. *Tres actus voluntatis circa finem, amare, intendere, frui.*

Actus voluntatis, qui sunt circa finem, tres recenseo, *amare*, *intendere*, *frui*: Quia bonum absolutum potest tripliciter considerari, absolutè, vt absens, vt præsens; si *absolutè*, nascitur amor: si *vt absens*, nascitur intentio: si *vt præsens*, fruitio exoritur. Beccanus *de act. hum. cap.* 3. *num.*6.

23. *Quid, amare.*

Equidem amor est prima voluntatis inclinatio in bonum propositum tanquam ex se expetibile abstrahens à præsentia & absentia, v. gr. considerans quis sanitatem, illi afficitur propter intrinsecam conuenientiam, quam habet cum natura animalis, ibi sistendo. Vocatur hic actus etiam *voluntas*; quia est primus motus voluntatis in finem, qui nullum alium præsupponit: sicut cognitio primorum principiorum vocatur *intellectus*, qui est simplex motus intellectus, non præsupponens aliam intellectionem, ex cuius vi exoriatur. Dixi, *ibi sistendo*, quia si amor ad expetenda media, quibus queat comparari finis, progrediatur: alius iam erit motus voluntatis. Valen. *to.* 2. *disp.*3.*q.*2.*punct.*1. Tanner.*to.*2.*disp.*2. *q.*3. *n.*20.

24. *Quid, intendere.*

Intentio autem est volitio finis, quatenus per media comparabilis. Duæ enim sunt in fine rationes, prima quòd sit bonum quoddam per se amabile, & sic in illud tendit voluntas tanquam in suum obiectum; secunda quòd sit bonum quoddam per media comparabile: & sic est obiectum intentionis, vt ex nomine intelligitur; quia intendere, nihil aliud est, quam in aliquid tendere. Vndè hic actus tantùm versatur circà bonum absens sub séque desiderium, ac spem comprehendit. Valent.*to.*2. *disp.* 2. *q.*7. *punct.*1. Azor *tom.*1. *l.*1. *c.*13.

25. *Quid, frui.*

Fruitio denique est actus voluntatis in bono adepto quiescentis. Quia frui est fructum capere, fructus autem est id, quod vltimum ex planta cum delectatione percipitur: ergo fructus operis seu possessio boni desiderati est fruitio, seu delectatio voluntatis. Vnde fruitio propriè circa finem vltimum versatur; quia eo non adepto, voluntas manet inquieta, donec eius vacuitas penitus expleatur. Nihilominus secundum scripturæ phrasim, & communem loquendi vsum, aptè dicimur fine intermedio frui, voluptate scilicet, vitæ huius vsura, &c. Tanner. *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 3. *n.*26.

26. *Tres actus voluntatis ad finem, eligere, consentire, vti.*

Enim verò tres sunt actus voluntatis circa id, quod est ad finem, *eligere*, *consentire*, *vti*. Quia bonum vtile, seu respectiuum potest à voluntate approbari, & præ aliis eligi, mandarique executioni. Si approbetur, & acceptetur tanquam conueniens ad finem obtinendum, erit *consensus*: Si ab aliis mediis separetur, erit *electio*: Si tradatur executioni, erit *vsus*. Becan. *de act. hum.c.*3.*q.*1.*n.*6.

27. *Quid, consentire?*

Planè *consensus* est actus voluntatis liberè acceptantis bonum à ratione propositum, siue propter se expetatur, siue propter aliud. Propriè autem consensus vsurpatur

patur à S. Thoma 1. 2. *q.* 15 *a.* 1. pro actu voluntatis acceptantis certa media, quæ post perfectam deliberationem iudicata sunt conuenire ac ad aliquem finem obtinendum. Valent. *tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 10. *punct.* 1 Becan. *de act. hum. c.* 3. *q.* 1.

28. *Quid, eligere?* *Electio* autem est efficax volitio medij particularis inter multa ad aliquem finem obtinendum. Dicitur *volitio*, quia est actus voluntatis deliberationem insequens intellectus. Dicitur autem *medij*, quia electio non versatur circa finem, sed circa id quod est ad finem. Dicitur *particularis*, quia ad media in communi se etiam extendit intentio: sed electio propius accedit ad executionem, quæ in singularibus consistit. Dicitur *inter multa*, quia eligere nihil aliud est, quam vnum ex multis separare, illud reliquis præferendo. Dicitur demum *ad obtinendum finem*, quia electio, & deliberatio versatur circa ea, quæ in nostra adsunt potestate. Azor. *tom.* 1. *l.* 1. *cap.* 25. Tanner. *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 3. *dub.* 3. *n.* 32. 33.

29. *Quid, vti?* *Vsus* denique est voluntatis actus applicantis potentias executrices ad operationem. Vnde *vti* nihil aliud est, quam rem aliquam ad suam operationem, vel finem applicare: v. gr. vtimur oculis, dum videmus: pecunia vtimur, dum expendimus. Huiusmodi vsum duplicem exposuerim, *actiuum*, qui est actus ille elicitus voluntatis, & absolutè nomine vsus intelligitur: *passiuum*, qui est ipsa met executio potentiarum voluntati ministrantium. Valen. *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 11. *punct.* 1. Tanner. *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 3. *n.* 37.

30. *Discrimen inter vti, ac frui.* Planè inter *vti*, ac *frui* id discrimen cum D. August. *l.* 10. *de Trin. c.* 11. inuenio, quod frui sit, in bono desiderato & obtento cùm delectatione suauiter, ac iucundè acquiescere, ita vt bonum illud sit finis simpliciter vltimus: ac proinde solo Deo nobis est perfruendum. *Vti* vero est actus quo voluntas aliquid boni adhibet ad aliud consequendum, ac propterea rebus creatis est nobis vtendum. Vnde patet vsum non esse de fine, vt finis est, sed tantum de medio. Quia vti est applicare rem ad operationem atque adeò. rem alio referre. Azor. *tom.* 1. *l.* 1. *c.* 27. *q.* 2.

31. *Omnis actus, è quo vi impulsiua sequitur alius, vocitatur imperium.* Profecto omnis actus liber rationis, aut voluntatis, ex quo vi impulsiua sequitur alius, potest vocitari *Imperium*. Vnde actus imperatus, est actus potentiæ humanæ, quæ subditur vsui, ac motioni voluntatis: & propriè imperium versatur circa eas potentias & actus, qui in nostra sunt potestate. Quia de essentia legis est, vt agenti libero imponatur; sed hoc imperium est quædam lex particularis, quam homo sibi ponit: ergo tantum habet locum in iis, quæ ipse pro arbitrio velfacere potest, vel omittere. Tanner. *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 3. *dub.* 5. *n.* 65. 66. *&c.*

32. *Omnis actus intellectus quoad exercitium potest imperari.* Omnis actus intellectus potest imperari quoad exercitium, id est, vt hic & nunc exerceatur. Quia omnes actus, qui libere à nobis exerceri possunt, cadunt sub imperium, exceptis tamen actibus intellectus, qui homini antè omnem volitionem vel à Deo, vel ab Angelo immittuntur, vel aliunde illi obueniunt, & actu necessario. v. gr. visione beatifica. Quia hæc non imperatur, sed fælici necessitate elicitur. Tanner. *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 2. *dub.* 7.

33. *Apprehensio imperio voluntatis subiacet quoad speciem actus.* Apprehensio intellectus imperio subiacet voluntatis quo ad speciem, vt actus sit talis, vel talis speciei, hoc, vel illo modo fiat. Quia voluntas potest imperare intellectui, vt de Deo, de morte, de pœnitentia cogitet. Tanner. *to.* 2. *disp.* 2. *q.* 3. *dub.* 5.

34. *Iudicium idem, quando veritas est obscura, non autem, quando est euidens.* Iudicium intellectus voluntatis etiam subest imperio quo ad actus speciem quando veritas est obscura, non autem quando est euidens. Prior pars patet, in rebus fidei, quas certissimè tenemus, sed liberæ voluntatis auxilio. Posteriorem ostendo, quia intellectus est potentia necessariò operàs circa obiectum clarè propositum: quando ergò veritas proponitur euidenter vt sit in primis principiis, haud potest dissentire: quando euidenter exponitur falsitas, assentire non potest. Monet tamen, voluntatem non posse mouere intellectum, vt assentiatur, nisi apprehendat obiectum sub ratione veri: neque vt dissentiat, nisi sub ratione falsi apprehendat. Quia extra suum obiectum ferri non potest. Quare in rebus, quæ non sunt per se notæ oportet aliquam rationem exponi, quæ veritatem saltem probabiliter ostendat: alioquin intellectus non mouebitur.. Tannerus *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 2. *dub.* 7. *n.* 74.

35. *Actus appetitus sensitiui ex parte non ex toto possunt imperari.* Actus vero appetitus sensitiui ex parte non ex toto imperari possunt. Possunt quidem ex parte, quia appetitus sequitur imaginationem tanquam regulam sibi commensuratam: imaginatio autem potest imperari: nam qui vult imaginari tartareum ignem, &c. potest huiusmodi species elicere. Non autem totaliter, quia imaginatio & appetitus sensitiuus ex instrumento corporali dependet, cum sint vires organicæ: qualitas autem, & dis-

positio

positio corporis non subiacet rationis imperio. Tanner. *to.2. disp.2. q.2. dub.7.n.74.* Becan. *1.2.tract.2.c.5.q.3. n.14.*

36. *Membra corporis quadam imperantur, quadam minimè.*

Denique membra corporis, quæ sunt virium vegetantium, & naturalium instrumenta, non admittunt rationis imperium. Quia nec hæ vires admittunt; vnde non possumus imperare stomacho, vt hoc vel illo modo decoquat cibos. Membra vero, quæ sunt organa sensuum, ad nutum moueri possunt. Quia & ipsæ vires sensitiuæ subiacent rationis imperio. Tanner. *to.2.disp.2.dub.7.n.79.*

CAPVT III.

De violentia, metu, cupiditate, ignorantia.

37. *Voluntas potest affici in suis operationibus à principio intrinseco, vel extrinseco.*

VOluntas potest in suis operationibus affici vel à principio extrinseco, vel ab intrinseco: ab hoc quidem, vt per cupiditatem, vel ignorantiam: ab illo autem, vt per vim, vel necessitatem ab vtroque simul, vt per metum. Moneo per vim in præsenti nos nõ intelligere graue aliquod malũ, quod nobis occurrit, vel intentatur, vt accipiunt Iuristæ *tit.de his quæ vi.* Sed necessitatem à principio extrinseco illatam nihil conferentibus nobis, quomodo Eleazarus aperto ore hians compellebatur carnem porcinam edere. D. Tho. *1.2.q.6.*

38. *Quando nam actio vel passio violenta est inuoluntaria?*

Igitur actio vel passio violenta est inuoluntaria, quum voluntas repugnat, quantum potest, ac debet. Quia, vt definit Philos. *3. eth.* 1. violentum est, id quod est à principio extrinseco, nihil conferente passo: ergo est contra voluntatem, ergo inuoluntarium, ergo extra culpam. Hinc omnes motus primò primos scimus esse inculpabiles. Quia à causa ingeruntur extrinseca, voluntate quantum debet, repugnante, vt sunt impuræ cogitationes, motus infidelitatis, blasphemiæ, &c. Bonac. *to.2.disp.2.q.8.punct.2.n.1. & 2.*

39. *Quando nam actio vel passio violenta censeatur voluntaria?*

Actio vel passio violenta censetur voluntaria, quando voluntas non resistit, quantum potest, aut quãtum debet. Quia voluntarium est id, quod est aliquo modo à voluntate: ergo violentum, quod à voluntate approbatur, aut non reiicitur, vt oportet, voluntati tribuitur, vel imputatur ad meritum, aut ad culpam. Ad meritum quidem, vt tormenta Martyrum cum non resistunt quantum possunt: ad culpã, vt stuprum virginis, cum non resistit illa quantum debet. Reginal. *lib.11.cap.6.*

40. *Quando nam non voluntaria, cum voluntas habet se negatiuè, Quia non est voluntaria, cum voluntas nihil agat, nec teneatur agere; non etiam est inuoluntaria, quia voluntas non repugnat: ergo est media inter vtramque, & potest permissa vocitari; vt si quis me neque volentem, neque repugnantem, aliquò violenter trahat. Azor. to.1.l.1.c.9.n.65.*

41. *Metus non tollit voluntarium simpliciter.*

Metus non tollit voluntarium simpliciter, facit autem inuoluntarium secundum quid: ideoque efficit vt actio veluti mixta ex voluntario, ac inuoluntario exponatur. Non tollit simpliciter, quia metus facit, voluntatem multa velle efficaciter, quæ aliàs non voluisset; v. gr. qui latroni dat pecunias, consideratis omnibus, ac singulis, consultò eligit hic & nunc, exhibere pecunias. Ergò datio pecuniæ illi est voluntaria. Facit autem inuoluntarium secundum quid, quia voluntas abhorret ab illo, si nudè ac depositis circunstantiis, consideretur, ac propterea est inuoluntarium; sed secundum quid, & inefficaciter. Medina apud Bassæ. *verbo Actus hum.11.n.5.* Filli. *tr.21.n.73.&c.*

42. *Metus magni mali non excusat à transgressione legis, posita legis obligatione.*

Metus magni mali non excusat à transgressione legis, posita legis obligatione: sed sæpe contingit, vt graui occurrẽte periculo, lex desinat obligare. Quia intentio legislatoris nõ est subditos ita adstringere, vt quouis euentu gerere, aut vitare teneantur quod lex præcipit, aut prohibet: sed quando moraliter, & humano modo possunt, quod ex circunstantiarũ conditione iudicandum. Id quod etiam in diuinis legibus locũ habet, modo non prohibeant id, quod intrinsece est malum, vt mentiri, fornicari, & metus in Religionis odium non incutiatur. Suar. *de cens. disput. 6. sect. 3.n.7.* Clau. Reg. *l. 3. cap. 7.* Sanch. *l. 1. mor. c. 18. n.4.*

43. *Volũtas affici potest à variis principiis intrinsecis, nempe à cupiditate, quæ non imminuit, sed auget voluntarium.*

Principia intrinseca, quibus potest voluntas affici iam expendo. Cupiditas nihil aliud est, quam passio appetitus sensitiui prosequentis bonũ delectabile, cuiusmodi sunt *amor, desiderium, spes, gaudium, ira.* Huiusmodi autem passio diuiditur in *antecedentem ac consequentem.* Passio igitur concupiscentiæ consequens, hoc est, quæ excitatur à volũtate vt expeditiori operationi inseruiat, non imminuit, sed potius auget voluntariũ, consequenter & moralẽ bonitatẽ, aut malitiam actionis. At passio cõcupiscentiæ seu cupiditatis antecedens, id est, quæ naturaliter exsurgens, omnem voluntatis deliberationem præuenit, minuit liberum. Auget quidem illa, quia voluntas cupiditate incitata toto impe-

tu sibi oblatum fertur in bonum. Minuit autem hæc, quia libertas consistit in quadam indifferentia voluntatis vt sit in potentia contradictionis, vel etiam contrarietatis; hæc autem indifferentia multum minuitur per inclinationem in alteram partem, quo trahit antecedens illa cupiditas. Becan. *de lib. arb. c.* 2. *q.* 10. *n.* 25. Tanner *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 1. *dub.* 7. *n.* 79.

44. *Quando nam ignorantia voluntarium tollat?*

Quid de ignorantia? Certè hæc voluntatem antecedens, quæ dici assolet ignorantia iusta, probabilis, inuincibilis tollit voluntarium. Quia opus ex tali ignorantia factum neque est volitum in se, cum non sit cognitum, nec in sua causa, cum ipsa sit inuoluntaria. At ignorantia consequens voluntatem directam vel indirectam, quæ alias assolet appellari ignorantia iniusta, improbabilis, vincibilis, relinquit actum suo modo voluntarium. Quia qui sic operatur tametsi non velit ipsum actum in se, nempè secundum circunstantiam ignoratam, vult tamen eum in sua causa, quia vult, aut conuincitur velle ipsam ignorantiam; Vti fere illis contingit, qui ignorant tactus impudicos, pollutiones, morosas delectationes, esse peccata mortalia. Ignorantia vero concomitans vt sic, relinquit actum non voluntarium. Quia non causat inuoluntarium, cum nihil inducat, quod repugnet voluntati; neque voluntarium, quia non potest esse volitum, quod est ignotum: ergo causat non voluntarium. Dixi, *Concomitans vt sic*, quia omnis ignorantia relinquit actum voluntarium, aut inuoluntarium; Sed hoc vt antecedens, illud vt consequens. Laym. *l.* 1. *tract.* 2. *c.* 4. Bonac. *de Cons. disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 5. Tanne. *to.* 2. *d.* 2. *q.* 1. *dub.* 8. *n.* 88.

Caput IV.

De bonitate, & malitia humanorum actuum.

45. *Quid bonitas moralis?*

Bonitas moralis est conformitas in actu vel obiecto cum recta ratione. Ratio autem per synderesim aut per prudentiam proponit actum voluntati eliciendum cum omnibus suis circunstantiis necessariis, & resultat bonitas obiectiua, v. gr. comedere quando, & vbi oportet, quo modo, & quo fine oportet. Cum verò voluntas exequitur actum à prudentia ita præscriptum, resultat bonitas formalis, quæ est bonitas virtuosa, à qua homo denominatur bonus, & potest virtutis præmium mereri. Azor. *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 1. *q.* 1. Filliuc. *tract.* 21. *c.* 3. *n.* 87.

46. *Quid malitia moralis?*

Malitia autem moralis est deformitas cũ recta ratione quæ reperitur vel in actu, vel in obiecto. Quia malitia est priuatio bonitatis debitæ in esse, ac propterea tollit eam conformitatem, quam debebat actus cũ recta ratione habere, siuè fiat per omissionẽ actus præcepti, siue per actus prohibiti cõmissionẽ. Becan. *de act. hum. c.* 5. *q.* 1. *n.* 11. Tanner. *to.* 2. *disp.* 2. *q.* 2. *dub.* 2.

47. *Non omnes actiones hominis aut bonæ, aut malæ.*

Nõ omnes hominis actiones aut bonas, aut malas reputes, quædam enim secundũ suam speciem sunt indifferentes. Quia nec conformitatem habent cum recta ratione, neque repugnãtiam, si per se & nudè considerentur; vt ambulare, comedere. Hæ quidem actiones additis bonis circunstantiis bonæ, additis malis malæ fiunt. Valent. 1. 2. *q.* 3. *punct.* 6. Sanch. *l.* 1. *mor. c.* 11. *n.* 17. Becan. 1. 2. *tr.* 1. *c.* 5. *q.* 6.

48. *Tria, à quibus moralitas humanorum actuum pendet.*

Vt autem ostendam, vndenam actus hominis bonitatem aut malitiam trahat præmitto tria esse, ex quibus potissimùm moralitas humanorũ actuum pendet, scilicet. *Obiectum, circunstãtiam, finem.* Obiectũ nihil aliud est quàm finis intrinsecus, nẽpe ratio proxime mouens voluntatem. Finis verò est obiectum extrinsecum, id scilicet, quo refertur illud, quod proximè volumus. Circunstantia autem est quædam obiecti conditio, quæ salua ipsius substantia, adesse, & abesse potest, facit tamen aliquid ad bonitatem, aut malitiam. D. Tho. 1. 2. *q.* 18. *a.* 2. 3. 4.

49. *Humani actus bonitatem, aut malitiam ex obiecto accipiunt.*

Hoc præmisso, commune est, humanos actus primã ac præcipuam bonitatem suã aut malitiã ex obiecto accipere Quia sicut se habet res naturalis ad suam formam, ita actus humanus ad suũ obiectum: sed res naturalis primam ac præcipuam bonitatẽ aut malitiam accipit à forma: ergò actus humanus ex obiecto. Filli. *tr.* 21. *c.* 3. *q.* 2. Tanner. *to.* 2. *disp.* 2. *q.* 5. *dub.* 4.

50. *Quonam modo actus erit bonus ex obiecto?*

Certè vt actus sit bonus & honestus ex obiecto debet in illud ferri, quia bonũ & honestum est. Quia bonitas actus sumi debet ex obiecto non vt res quædam est, sed vt est res quoddam bonum moraliter, & rectæ rationi conforme. Tamen necessarium non est, vt explicite, & in actu signato quis propter honestatem operetur: sed satis est, si id fiat in exercito, & implicitè, ex vsuque & inclinatione virtutis. Azor. *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 21. *q.* 1.

51. *Quonam modo autem erit ex obiecto malus?*

Vt verò actus sit malus, & turpis ex obiecto, non est necesse, voluntatem in illud ferri, qua turpe est. Nam turpe vt turpe non est obiectum volitionis, sed nolitionis

tionis, ac propterea nec appetibile est; sed id quod appetitur, est aliquod bonum nobis conueniens, cui sæpe adiuncta est turpitudo, quam censemur simul velle, vt patet, in fornicatione. Vnde licet ad bonitatem actus necesse sit, honestatem eius vel formaliter vel virtualiter appetere: ad malitiam sufficit voluntas interpretatiua. Nam plus requiritur ad actum honestum, quam ad turpem, cum bonum constet ex integra causa, malum autem ex singulis resultet defectibus. D. Thom. 1.2.*q*.8. *a*.1.

52. *Tot sunt actuum malorum species, quot in obiecto diuersæ turpitudines.* Tot sunt actuum malorum species, quot adsūt diuersæ in obiecto turpitudines. Nā aliter repugnat rectæ rationi, hominem occidere, infamare, aliter spoliare. Quare in vno actu simplici quatuor aut sex peccatorum species possunt reperiri; v.g. cum sacerdos Religiosus maritum quendam occidit in Templo, vt vxore eius abutatur, quæ votum castitatis coniugalis habebat. Ex Syluio Bassæus. *Actus hum. iv. n.* 12.

53. *Actus humanus accipit bonitatis, aut malitiæ incrementum ex circunstantiis.* Actus humanus accipit etiam incrementum bonitatis, ac malitiæ ex circunstantiis, vt circunstantiæ sunt. Quia multæ sunt circunstantiæ, quæ faciunt bonitatem, & malitiam illustriorem in eadē specie, vt maior conatus, libertas scientia, quantitas, &c. Item circunstantia actui speciem tribuit accidentariam, non essentialem. Quia circunstantia manens circunstantia est extra essentiam obiecti, & actus; vnde non potest speciem essentialem tribuere, potest tamen accidentariam. Quia sæpe superaddit nouam bonitatem, aut malitiā specie à priori diuersam; v.gr. cum quis rem depositam sacro in loco furatur. Tanner. *tom.* 2. *disp.* 2. *q*.5. *n*.81. Becan. *de act. hum. c*.4. *q*.4.

54. *Alia circunstantia interioris, alia exterioris actus.* Circunstantia alia est actus interioris, alia exterioris. Quia non tantum in actu externo, sed etiam in ipsa volitione possunt considerari aliquæ conditiones, quæ non sunt necessariæ ad actus substantiam, & tamen multum conferunt ad bonitatem, aut malitiam moralem. Nam quo actus est intensior, eo est melior, si est in genere virtutis: & peior si in genere vitij, eadem semper specie manente. Azor. *tom*. 1. *l*. 2. *c*. 5. *q*. 3.

55. *Circunstantia est accidens actus humani.* Porrò circunstantia est accidens actus humani, quod eadem substantia actus secundum genus & speciem manente, potest variari, & adesse, ac abesse. Nam id circunstat aliquam rem, quod est extra ipsius substantiam, aliquo tamen modo eam attingit. Hinc circunstantia alia actū humanum in genere naturę consideratum circunstat: alia in genere moris. Quia quædam sunt conditiones in actu natutali, v. gr. in comestione, quæ non sunt necessariæ ad actus substantiam, vt sunt debita quantitas, & qualitas ciborum, locus, tempus, &c. Clauis Reg. *l*. 2. *c*. 3. *n*. 2. ex D. Thom. 1. 2. *q*. 7. *a*. 1.

56. *Circunstantia transiens in rationem obiecti actui tribuit speciem essentialem.* Quando circunstantia specialiter bona vel mala transit in rationem obiecti, tribuit actui speciem essentialē. Quia actus specificatur in obiecto: ergo quando plures species bonitatis aut malitiæ sunt in obiecto, totidem erunt in actu. Vnde tales circunstantiæ dicuntur actum in aliam speciem trāsferre, non quod priorem speciem extinguant, sed quia nouam superaddunt. D. Tho. 1.2.*q*.19. *a*.5. De circunstātiis alibi, vbi etiam de fine, ex quo moralitas humanorum actuū pēdere asserui.

57. *Triplex bonitas, aut malitia.* Denique bonitatem & malitiam triplicem expendo, *Cæusalem*, *Formalem*, *denominatiuam*. Causalem vocito eam, quæ ex extremorum oritur habitudine: ac propterea primordialis dicitur, quæ per modū causæ formalis specificat actus qualitatem; vt in his actibus est inuenire, amare Deum, fornicari quatenus sunt obiectū voluntatis. Formalem, quæ ipsum actum informat, se ipsam totam intrinsecè communicando; qualis est in actuali amore Dei, in voluntate fornicandi. Denominatiuam autem eam malitiam habeo, quæ extrinsecus actui communicatur. Certè actus humanus externus ille est omnis, qui elicitur ab alia potentia quàm à voluntate, & sic vsurpatur pro executione actus imperati à voluntate; v. gr. contemplatio, imaginatio, & exteriorum motio membrorum. Filliuc. *tr*.21. *n*. 11.

58. *Actus externus bonitatem aut malitiam habet.* Haud dubitabile, quin actus externus aliquam bonitatem, aut malitiam habeat. Quia actus imperans, & imperatus in genere moris cēsentur vnus & idem, quamuis in genere naturæ sint diuersi, ac propterea habent eandem libertatem, & consequēter eandem bonitatem & malitiam: actus autem externus est imperatus: ergo, &c. Azor. *tom*. 1. *l*. 2. *c*. 6. *q*. 1. *&* 2.

59. *Non habet bonitatem formalem, nec obiectiuam sed denominatiuam.* Actus externus non habet bonitatem formalem. Quia bonitas formalis est bonitas virtutis, quæ requirit intrinsecam libertatem, actus autem externi non sunt intrinsecè liberi. Non habent bonitatem obiectiuam, nisi quatenus à ratione voluntati proponuntur. Quia actus externus prout est in executione, habet rationem effectus tantum: ergo vt sic non potest vllam causare bonitatem. Habet igitur actus extetnus solum bonitatem denominatiuam. Quia bonitas, & malitia

litia sunt veluti passiones entis formaliter liberi, qualis est sola voluntas: vnde sicut actus exteriores participant extrinsecus libertatem, ita etiam bonitatem, & malitiam. At actus internus ex actu externo in se fit sæpe melior, aut peior. Quia communiter multiplicatur occasione actus externi, Deinde extenditur per longius tempus, & diutius continuatur: imò ardentius fertur in obiectum, quando venit ad executionem; v.gr. cum quis vult inimicum interimere. Azor. *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 6. *quæs.* 1. *&* 2.

60. *Actus externus est exprimendus in Confessione.* Quamuis externus actus nullam addat malitiam formalem (de quo infer.) est tamen exprimendus in Confessione. Quia totum peccatum debet confessario exponi: ergo & actus externus, qui est velut materia, & pars essentialis peccati interni: in eo enim peccatum cordis consummatur, & ab eo vt à fonte malitiam accipit. Filliuc. *tract.* 21. *num.* 112. Suar. 3. *p. tom.* 4. *disp.* 22. *sect.* 3. *n.* 2. Vasq. 1 2. *disp.* 76. *n.* 18.

61. *Euentus sequens quid addat bonitatis, aut malitiæ actui?* Eũentus sequens addit aliquid bonitatis aut malitiæ actui exteriori, quando fuit præuisus, ac præuolitus, aliàs non. Quia quod nec præuisum, nec præuolitum, est extrà genus moris, velut per accidens se habens ad voluntatem; quando autem aliquo modo tribuitur, aut imputatur voluntati, eatenus laudari potest, vel vituperari. Tanner. 1. 2. *disp.* 4. *quæst.* 3. *dub.* 3. *num.* 39. *& seq.* Pesan. 1. 2. *q.* 20. *art.* 5.

SECTIO SECVNDA.

De Actibus humanis Problemata, siue probabiles in vtrumuis Quæstiones.

CAPVT V.

Circa voluntarium.

PROBL. PRIMVM.

Imperfecta libertas ex aliquorum sententia reddit, & ex aliorum mente, non reddit veniale peccatum, quod aliàs mortale esset.

62. *Non reddit.* IMperfecta libertas, (cum scilicet homo non est integrè à somno excitatus, vel est semiebrius, & alio distractus, & tunc dicitur imperfectè liber) non reddit veniale, quod aliàs esset mortale peccatum. Quia Deus non ligat suis præceptis semihominem, sed hominem integrum, & suarum facultatum Dominum: ergo dum non est integrè Dominus suarum actionum, nec venialiter contra præcepta delinquit. Perpetrans enim (v.gr.) ex semiplena deliberatione furtum, vel potuit plenè deliberare, vel non; si non potuit, non videtur peccare: si potuit iam est culpa mortalis. Sic Ochamus *in Quodl.* & alij, quos refert Ioan. Sanch. *d.* 18. *n.* 1. *&* 5.

63. *Reddit.* Ex semiplena deliberatione intellectus, vel ex imperfecto consensu voluntatis redditur veniale, quod aliàs esset mortale peccatum. Quia non solum in semidormientibus, sed etiam in omninò vigilantibus adeo tenuis & confusa consideratio mentis potest accidere, eo quod intellectus aliò distrahatur, vt non sufficiat ad lethalem culpam. Imperfectus tamen ille consensus voluntatis, & negligentia, aut tepiditas in prauis motibus coërcendis, etsi non sufficit ad mortale, quod perfectum, & integrum voluntatis consensum requirit, sufficit ad veniale peccatum. Sic Vasq. 1. 2. *disp.* 107. *c.* 4. Valent *to.* 2 *d.* 6. *q.* 4. *punct.* 3. Castro Pal. *tr.* 2. *d.* 2. *pũct.* 6.

64. *Secundam sententiam præfero.* Secundæ hæreo sententiæ communi, & veræ. Quia qui libertatem non habet plenam quonam modò reus culpæ adstruendus, qua amicitia diuina dissoluitur, qua pœna æterna inducitur. At verè aliqua fruens libertate, aliqua culpa, veniali scilicet inficietur. Imo asseruerim vix priorem sententiam probabilem esse, quam Salas tutam non esse adiudicauit.

PROBL. II.

Delectatio morosa de obiecto materialiter prauo est, & non est, mortale peccatum in re venerea.

65. *Mortalis non est.* DElectamur de obiecto materialiter prauo quando illicitum ferimur in obiectum, sed sub motiuo licito, vel indifferenti; v. gr. si quis lætetur de morte fratris ob commodum hæreditatis adeptæ. Huiusmodi igitur delectatio, etiam si sit in re venerea, mortalis non est, sed ad summum venialis, si motiuum habeat otiosum. Quia ferè nullum est obiectum, à quo separari malitia per apprehensionem non possit: ergo de illo

illo sic apprehenso poteris sine crimine saltem mortali delectari. Nam licet virtus castitatis omnes motus & delectationes circà rem veneream reprimat; at non videtur sub mortali delectationes inefficaces reprimere, sed efficaces dumtaxat ad opus tendentes. Sic Martin. de Magist. *tr. de temp. q. 3. de luxu. ad 17. & q. de pollut. post 4. conc.* Cordu. *l. 1. q. 23. dub. 11.* Medi. *1. 2. q. 74. a. 6.*

66. *Est mortalis,* Nulla est delectatio deliberatè quæsita in solutis hominibus circà materiam venereamgrauem, quæ non sit mortalis. Quia delectatio de re venerea non solum respicit inefficienter suum obiectum, sed est causa suaptè natura pelliciens ad coitum & pollutionem; excitat enim appetitum sensitiuum ad turpes affectus, corpus libidinis facibus accendit, vitales deseruientes generationi spiritus cõmouet, propellit ad actum. Sic Lessi. *l. 4. cap. 3. num. 109.* Cast. Pal. *tr. 2. disp. 2. punct. 20. §. 2.* Thom. Sanch. *l. 1. decal. cap. 2. n. 8.* Salas cum multis *l. 2. tra. 13. disp. 6. sect. 4. num. 45.*

67. *Reprobo primam sententiam.* Porrò primam sententiam in materia luxuriæ falsam prorsus, improbabilem, ac temerariam reputo.

PROBL. III.

Omnis delectatio de obiecto mortali siue contra ius naturale, siue contra positiuum in quacumque materia est & non est peccatum mortale.

68. *Est peccatum mortale,* ESt delectatio huiusmodi peccatum mortale. Quia mortale peccatum est per affectum mortali peccato conformari. Sic Valen. *to. 2. disp. 6. q. 4. punct. 4.* Azor *tom. 1. lib. 4. cap. 6. quæs. 1.* Medi. *de restit. quæst. 21.*

69. *Non est peccatum mortale.* Non est peccatum mortale delectatio circà obiectum iure positiuo prohibitum. Quia obiectum vt sic repræsentatum non inuoluit malitiam. Potest enim tale obiectum per intellectum à conditione vitiante denudari, cum habeat ab extrinseco malitiam: sicut & prohibitionem. Sic sine mortali possumus diebus vetitis de comestione carnium absolutè delectari. Quia talis esus in se malus non est, nec in se prohibitionem inuoluit, sed ob gustum vel vtilitatem indifferentem ex se delectat.

70. *Secunda hæreo sententia.* Proximam amplector sententiam ratus, delectationem simplicem, quæ non intendit exequutionem operis, ferri posse in opus à conditione vitiante separatum.

PROBL. IV.

Desiderium obiecti mali sub conditione tollente malitiam ipsius, est, & non est peccatum mortale etiam in prohibitis iure naturæ.

71. *Est peccatum mortale.* IN prohibitis iure naturæ vtendum distinctione. Quædam enim sunt, à quibus separari malitia potest, nimirum coitus, si cum vxore fiat: homicidium, si fiat publica auctoritate, vel ob defensionem; furtum, si vrgeat necessitas. Quædam verò sunt à quibus malitia separari non potest, quia nullus casus est, in quo liceant; v. gr. mendacium, periurium, odium Dei, Sodomia, cultus idolorum, &c. Si voluntas feratur in prioris generis obiecta sub conditione tollente malitiam ipsorum, non erit mortale peccatum. Quia fertur in obiectum denudatum à malitia. Sic non peccat mortaliter sacerdos, qui vellet vxorem ducere, si liber esset à voto. Igitur de voluntate, quæ fertur in obiecta secundi generis, quæ nullo casu licere possunt quæstio procedit. Peccas ergò mortaliter quomodolibet illa appetas obiecta etiam sub conditione si tibi licerent, vel si non essent mala, aut prohibita. Quia cum dicis, te velle periurium, si liceret conuinceris desiderare licitum esse periurium: ergo desideras, vt naturæ rerum mutentur. An non est hic actus planè impius: si liceret, destruerem Deum cum tamen conditio rationem mali tollere videatur? Sic Basil. Legi. *de matri. l. 1. c. 16. n. 20.* Sanch. *l. 1. decal. c. 2. n. 23.* Azor. *tom. 1. l. 4. c. 6. q. 10.*

72. *Non est peccatum mortale.* Non est mortale peccatum hæc obiecta intrinsece mala desiderare, vel de illis delectari sub conditione, si licerent. Quia sic desiderans hæc obiecta, non absolutè & efficaciter illa desiderat, cum videat esse impossibilia; solum enim ostendit suæ voluntatis propensionem in illud obiectum, à quo tamen ob eius malitiam deterretur: ergo non habet absolute voluntatem perpetrandi (v. g.) mendacium. Cum hac enim voluntate committendi mendacium, si liceret, stat optime voluntas, nunquam mentiendi, quia non est licitum. Quapropter illa voluntas conditionalis inefficax est, & quædam potius significatio propensionis in obiectum, quæ nullam subinde malitiam includit. Sic Sa. *ver. Peccatum. numer. 2.* Bonac. *de matri. q. 3. punct. 8.* Cast. Pal. *tra. 2. disp. 2. §. 3. n. 3.*

73. *Probabiliorem reputo secundam sententiam speculatiuè, non practicè.* Primam sententiam probabilem, ac securiorem reor, secundam autem speculatiuè probabiliorem: in praxi tamen tales actus conditionatos periculosos, & vitandos puto, Quia illa propensio voluntatis in obiectum de se prauum, dum per illos actus conditionatos fouetur, facilior eiusdem obiecti absolutum redditur ad consensum.

PROBL. V.

Delectatio morosa præcisè tendens in delectationem operis præcisam ab aliis circunstantiis personæ, contrahit, & non contrahit omnem malitiam obiecti praui.

74. *Non contrahit.* DEsiderium copulæ cum nupta, vel consanguinea præter malitiam fornicationis certum est addere adulterij, aut incestus malitiam, quamuis velles non esse coniugatam, vel consanguineam. Quia desiderium efficax tendit ad executionem, à qua illæ circunstantiæ non possunt separari, suppono tamen delectationis obiectum ab his præscindere circunstantiis, & requiro, num nihilominus ipsarum participet malitiam. Non participat quidem. Quia ideo consensus efficax contrahit circunstantiarum malitiam, quod tendit in executionem, à qua talis circunstantia non separatur; sed hæc ratio non tenet in delectatione morosa, quæ præcisè tendit in delectationem operis præcisam ab aliis personæ circunstantiis, possunt enim præscindi per intellectum; ergo malitia delectationis morosæ non ab opere secundum se, sed à suo motiuo, & ab eius oppositione cum virtute desumitur. Sic Reginal. *l.* 12. *n.* 13. Dian. *p.* 1. *tr.*7. *resol.* 48. Bonaci. *de matr. quæst.* 4. *punct.* 8. *num.* 29. Filliu. *tra.* 21. *num.* 101.

75. *Contrahit.* Delectatio morosa contrahit ab obiecto malitiam & speciem. Quia huiusmodi delectatio quamuis sit simplex, & inefficax, est tamen actus humanus plenè liber, & circa malum versatur obiectum; ergo participat totam obiecti malitiam, siue formaliter motiua, siue materialiter sit operi coniuncta. Sic Salas *tract.* 13. *disput.* 6. *sect.* 6. Sanchez *lib.* 1. *decal. c.* 2. *num.* 11. Lessi. *l.* 4 *cap.* 3. *num.* 119. & 123.

76. *Probabiliorem secundam sententiam reor.* Porrò quamuis prima sententia sit probabilis, probabiliorem puto secundam, multoque securius, in venereis delectationibus circunstantias obiecti fateri; v. gr. si delectatio morosa fuit de copula cum soluta, coniugata, &c. Quia delectatio venerea non solum desumit suam malitiam ex obiecto motiuo sicut cæteræ morosæ delectationes: sed etiam ex praua causalitate, qua connaturaliter externum compellit ad opus.

PROBL. VI.

Est voluntarium, & non est voluntarium etiam indirectè quod non aduertitur, nec vlla subit illius cogitatio vel dubitatio, quando causa ponitur.

77. *Est voluntarium.* DVm causa fuerit libera, quilibet effectus inde manans censetur voluntarium indirectè scilicèt in causa. Quia qui vult antecedens, vult consequens ex illo deductum, & qui vult causam, vult effectum; ergò volens liberè causam, consequenter, & indirecte quidquid ex illa prouenit velle censetur. Sic Caietan. *Ver. Ebrietas.* Sylvest. *ibi q.*4.

78. *Non est voluntarium.* Non est voluntarium etiam indirectè quod non aduertitur, quando causa ponitur. Quia id imputari voluntati non potest, cuius nulla præcessit cognitio, vel actualis aduertentia, cum voluntas cœca sit, & non feratur in incognitum. Sic Suar. 3. *par. tom.* 5. *disp.* 4. *sect.* 8. *num.* 18. Reginal. *l.* 15. *n.* 75. Laym. *l.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *num.* 5. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 16. *n.* 21.

79. *Huic hæreo sententiæ.* Hos sequor putans generaliter, ignorantiam, inaduertentiam, obliuionem siue facti siue iuris inuincibilem reputari, quoties nulla subest cogitatio, vel actualis consideratio malitiæ moralis, vel periculi, vel effectus inde sequendi: vel saltem expressa dubitatio, vel scrupulus ad strictiorem obligans indagationem.

PROBL. VII.

Effectus, aut omissio ex actione voluntaria procedens, quando iam vitari non potest, imputatur, & non imputatur ad culpam.

80. *Imputatur ad culpam.* VEnenum inimico propinasti: moritur inimicus, cum iam mortem impedire non potes; mors ne inimici vere peccatum erit, an effectus peccati? Certum est, euentum contingentem eo tempore, quo vitari nō potest nullam addere malitiam vel grauitatem causæ prius appositæ. Quia nullam addit denuò libertatē, quæ bonita

bonitatis aut malitiæ moralis est fundamentum. Solùm vertitur in quæstionem, an euentus ortus ex causa voluntaria, quando non potest impediri censendus sit peccatum eo modo quo actus exterior censetur idem peccatum cum interiori constituere ? Censendus quidem est eo modo peccatum. Quia omnis actus exterior contra legem causatus à praua voluntate peccatum est externum, & in externo foro per Iudices vindicandum. Si clericum percutias, excommunicationem incurres : occidis hominem, incurres irregularitatem ; ad has enim pœnas incurrendas satis est, liberam eis causam dedisse, ac effectum esse secutum. Supponit sic Sanch. *l.*1. *Decal. c.*16. *n.* 47. Castro Pal. *tr.* 2.*disp.*1.*punct.*3. *n.* 2. Ideò Sotus *in* 4.*dist.*12.*q.*1.*a.* 7. inquit : si quis percussit hominem, & percussionem confitetur, & sequitur mors percussi, tenetur homicidium denuò confiteri.

81. *Non imputantur ad culpam.* Non sunt effectus eiusmodi peccata in se, sed in causa : nec subinde propriè peccata vocitantur, sed effectus peccati: Quia nemo peccare potest actu, quin actu possit impedire peccatum ; aliàs ex necessitate peccaret, quod repugnat naturæ peccati. Sed qui dedit causam euentui, non potest illum impedire, quando contingit ; ergo tunc peccare non potest etiam per extrinsecam denominationem à volitione præterita. Sic Vasquez. 1. 2. *disp.*94. *c.*3. Laym. *l.*1.*tr.*2. *c.*3. *n.*5. Dian. *p.*3.*tr.*6.*resol.*52.Sayr.*l.*2.*c.*6.*n.*15.

82. *Mentem meã expono* Ego quidem sic mentem expono : si mala voluntas per pœnitentiam retractetur, antequam effectus sequatur, hic postea non est proprie peccatum externum,sed effectus peccati. Quia tunc causa præterita iam non est voluntaria. Si autem sequatur effectus ex voluntate praua non retractata est verè peccatum externum,vel saltem complementum externi peccati participans malitiam per extrinsecam denominationem à causa præterita. Quia talis effectus volitus est in causa virtualiter saltem, & implicite. Infero hinc huiusmodi effectus ex voluntate non retractata exortos aperiendos necessario esse in Confessione sicut externa peccata.

***

CAPVT VIII.

Circa ea, quæ voluntarium imminuunt.

PROBL. VIII.

Concupiscentia minuit, & non minuit voluntarium.

MInuit quidem. Quia voluntarium est, quod fit à principio intrinseco singula cognoscente ; sed quod fit impellente passione, minus est ab intrinseco, trahit enim sua quemque voluptas : & appetitus sensitiuus residens in corde, videtur extrinsecus voluntati, quæ residet in anima. Sic Vasq. 1.2. *disp.*28. *c.*1. Lorca 1.2. *q.*6. *disp.*5. 83. *Minuit voluntarium.*

Non minuit, sed auget concupiscentia voluntarium. Quia passiones faciunt, vt voluntas intensius & efficacius feratur in obiectum concupitum, illam per naturalem sympathiam, quam habent cum illa, trahendo. Sic milites spe victoriæ, vel ardore vindictæ, sic amatores turpes libidinis æstu vehementer afficiuntur, & trahuntur ad obiectum concupitum. Sic Valent *to.*2. *disp.* 6. *q.* 1. *punct.* 4. *dub.* 3. Castr.Pal.*tr.*2.*disp.*1.*punct.*5. *n.*2. Nauarr. *præl.*6 *n.*7. 84 *Non minuit voluntarium.*

Sic euoluo quæstionem:si voluntarium sumatur pro libero, proculdubio minuitur ex antecedenti concupiscentia. Quia voluntarium liberum oritur ex intellectu proponente suum obiectum cum indifferentia ; sed concupiscentia facit, vt intellectus magis æstimet, & perpendat motiua, seu rationes eius partis, ad quam appetitus sensitiuus inclinat, idque propter naturalem sympathiam facultatum inferiorum, & rationalium ; vnde dici assolet : Quilibet iudicat de rebus, sicut est affectus. At si voluntarium præscindatur à libero, potius augetur per concupiscentiam, quam minuitur. Ideo *cap.* 1. vti certum expressi voluntarium ex concupiscentia non tolli, non minui: sed acui. 85. *Distinguo voluntarium. & hæreo secundæ sententiæ.*

PROBL IX.

Blanditiæ, & amatoria verba inferunt, & non inferunt inuoluntarium.

INferunt planè. Quia blanditiæ, & amatoria verba saltem inferunt metum leuem 86. *Inferunt inuoluntarium.*

uem, ſicut importunæ preces, nec minus amor excœcat,quam ebrietas. Vnde ſicut metus leuis voluntarium imminuit, ſic blanditiæ,& amatoria verba ; quare contractum ex huiuſmodi blanditiis initum obnoxium eſſe reſtitutioni docet Sanchez *de matr. l.4.diſp.9.n.4.* ſententia hæc auctores habet Caietanum 2. 2. *q.* 32. *a.7.* Armil. *verb. Reſtitutio n.*58. Medi. *Cod.de reſt.q.*20.

87. *Non inferunt inuoluntarium.* Non inferunt inuoluntarium, ſi dolus ac fraus non adſit. Quia concupiſcentia mentem quidem aſſolet excœcare, vt non iuxta rationem & prudentiam actus fiat, non tamen vt fiat inuoluntariè. Sic Sotus *l.4.de Iuſt. q.7.a.1.* Molin. *tract.2. diſp.*94. Caſtr. Pal. *tract.2. diſp.1. punct.5. num.*4. aſſerentes conſequenter meretrices , ſi præter mercedem ſibi debitam blandis & amatoriis verbis aliquid extorqueant, reſtituere non debere, quia non inferunt inuoluntarium.

88. *Veriorem exiſtimo hanc ſententiam.* Veriorem planè hanc ſententiam exiſtimo legens Sanchez cum aliis *de matr. l.4. diſp.* 11. *n.* 2. aſſerentem , non vitiari teſtamentum quod vir ductus vxoris blanditiis in ipſius fauorem confecit. Quia non efficiunt illæ blanditiæ inuoluntarium , quamuis libertatem imminuant.

PROBL. X

Ignorantia concomitans inuincibilis excuſat , & non excuſat à peccato, faciens , & non faciens inuoluntarium.

89. *Non excuſat à culpa, nec facit inuoluntarium.* NOn excuſat à culpa, quia nec facit inuoluntarium. Ignorantia enim concomitans non cauſat aliquid voluntati repugnans : ſed ſolum facit inuoluntarium negatiuè, quod ad illam actionem per accidens ſe habet. Ita Durand. *in 2.diſt.22. q.4.n.* 5. Gabr.*ibi q.2. a* 1. *notab.* 3.Couarr. *cap.almap.* 1.§.10.*n.* 15.

Excuſat à culpa , quia inuoluntarium facit. Si quis ſagittam immittat in hoſtem , quem inuincibiliter exiſtimat eſſe feram, quamuis ita diſpoſitus eſſet , vt agnoſcens hoſtem , libentius occideret. Probatur, quia illud opus eſt inuoluntarium negatiuè, ſeu non voluntarium;nec enim actu volitum eſſe poteſt,quod ignoratum eſt; ſed ignoratum eſt quoad illam rationem malitiæ ; non ergo fuit voluntarium , aut volitum quoad illam ; ergo nec culpabile. Sic Azor. *tom.*1. *l.*1. *c.*14. *q.*4. Salas 1. 2. *tract.*3. *diſp.*4. *ſect.*2.*n.*76. Valent. *tom.*2. *diſp.*6. *q.* 6. *punct.* 2. Laym. *l.*1.*tr.*2.*c.*4.*n.*9. Filliuc.*tr.*21.*n.*368.

Meis quidem auctoribus ſubſcribo ratus,peccatum ita volũtarium eſſe debere, vt eius naturæ non ſolum inuoluntarium contrariè, ſed & inuoluntarium negatiuè repugnet. Vnde licet ignorantia concomitans non cauſet ſubſtantiam operis externi, quia ſublata ignorantia pariter fieret : at reddit illud negatiue inuoluntarium tollendo cognitionem , ac ſubinde voluntatis imperium in illud quatenus prauum eſt ; non poteſt enim imperare voluntas homicidium internum quod non nouit ; nec opus externum poteſt eſſe culpabile , niſi voluntatis exponatur imperio. 90. *Excuſat à culpa, & facit inuoluntarium.*

PROBL. XI

Ignorantia inuincibilis pœnæ excuſat, & non excuſat à pœna delinquentem.

NOn excuſat à pœna. Quia rem illicitam perpetrans iam contra prohibitionem ſibi notam delinquit;ergo dignus eſt pœna , licet ignoret ius illam imponens. Sic Comitol. *l.* 5.*q.*3. Auil. 2. *p. c.*5. *diſp.* 5. *dub.* 10. *conc.* 2. de pœna excommunicationis locuti. De aliis autem pœnis ita ſentit Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 1. *c.* 2. Cord. *l.*1. *q.*12. *a.*1. De pœna autem irregularitatis ſic Suar. 3. *p. to.* 5. *diſp.* 40. *ſect.* 5.*n.* 10. Azor. *to.* 1. *l.* 1. *c.* 15. *q.* 7. 91. *Subſcribo ſecundæ ſententiæ.*

Ea ignorantia excuſat à pœnis impoſitis per ius inuincibiliter ignoratum ſiue ſit ius commune , ſiue particulare. Quia quantitas pœnæ commenſuranda eſt cum quantitate delicti *cap.felicis de pœnis in 6.* Sed hic ſolùm violat ius antiquum,quod nouerat : non autem ius poſitiuum nouum inuincibiliter ignorat ; ergo ſolius prioris pœnam incurret.Sic Laym.*l.*1.*tr.*4. *cap.* 20. *n.* 1 Caſtr. Pal. *to.* 1. *tr.* 2. *diſp.*1. *punct.* 17. *n.* 2.Manu. *to.* 1. *ſum cap.* 195. *num.* 3. 92. *Non excuſat.*

Ego quidem non ita generaliter in omnibus pœnis adſeruerim , ſed diſtinguerem inter pœnas iure communi , ſiue per ſummum Pontificem impoſitas , quas cenſeo ab ignorantibus incurri : & pœnas per Ordinariorum ſtatuta iniunctas , queis puto ignorantes non ligari legens *cap. de conſtit. in* 6. dicens : Vt animarum periculis obuietur ſententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes. Ita Roſel. *ver.ignorantia n.*13. 93. *Excuſat.*

Ledeſ.

Ledes. *in sum. tr. de excom. c.* 3. Salas 1.2. *tra.* 13. *disp.* 8. *sect.* 10. *num.* 77. Ex duabus autem Problematis opinionibus secundam probabiliotem duco.

PROBL. XII.

Dari potest, & non potest ignorantia inuincibilis iuris.

95. *Ignorantia iuris inuincibilis non potest dari.*

SVppono requiri cognitionem aliquam actualem malitiæ moralis vel periculi, vel saltem expressam illius dubitationem, aut scrupulum, vt quis vincibiliter ignorare dicatur. Quare dicitur inuincibiliter ignorare, quis, quoties nulla notitia vel specialis, vel saltem confusa, vel aliqua ratio dubitandi peculiariter aut vniuersaliter occurrit: vel licet occurrerit, tamen adhibita debita inquisitione, nec ignorantia pelli, nec veritas potest agnosci; quamuis aliàs cognoscere debuerit. Quia omnis vsus libertatis circa rem aliquam nititur aliqua malitiæ cognitione, vel bonitatis obiecti, quæ consultationis, & electionis liberæ possit esse principium. Prima ergo sententia vniuersaliter affirmat ignorantiam iuris semper esse vincibilem, nec excusare, præsertim quotiens ignorantur leges ad statum vel officium ignorantium pertinentes, quasi talis ignorantia sit indirectè voluntaria, quoniam ille poterat, ac debuerat eas leges scire. Probatur, quia ius finitum est, quod comprehendi potest. Sic Angel. *excom. 7. cas. vlt. n.* 3 Nauar. *in man. præl.* 1. *num.* 17. *& c.* 23. *n.* 47. Valen. *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 1. *punct.* 6. Azor. *tom.* 1. *l.* 1. *c.* 16. *q.* 5.

96. *Dari potest,*

Dari potest ignorantia inuincibilis legum humanarum siue communium, siue particularium. Quia fieri potest, vt quis nihil vnquam de aliqua lege cogitauerit: & si cogitauit, debitam adhibuerit diligentiam, & tamen nondum veritatem cognouerit. Sed hæc est inuincibilis ignorantia; ergò potest dari circà leges humanas. Ita Suar. 3. *p. tom.* 5. *disp.* 4. *sect.* 8. *n.* 15. Vazq. 1. 2. *disp.* 123. *c.* 2. *num.* 6. Bonac. *de peccat. disput.* 2. *q.* 8. *punct.* 3. *n.* 8. Sanch. *l.* 1. *decal. c.* 16. *n.* 27.

97. *Secundam approbo sententiam, & confirmo.*

Adeo probabilem hanc duco sententiam, vt vel addere non verear dari posse ignorantiam inuincibilem iuris diuini positiui fidei mysteriorum. Quia sunt infideles non pauci, quibus nunquam sufficienter proposita fuit catholica veritas, qui quidem non damnabuntur ob infidelitatem, quæ culpa vacat: sed ob alia mortalia crimina. Ita Azor. *tom.* 1. *l.* 1. *cap.* 13. *q.* 2. Imo audeo affirmare, dari posse inuincibilem ignorantiam aliquorum præceptorum naturalium, quorum nulla subeat cogitatio sufficiens ad veram ipsorum notitiam assequendam.

PROBL. XIII.

Pro longo tempore potest & non potest dari ignorantia inuincibilis circa Decalogi præcepta.

98. *Non potest dari pro longo tempore.*

CErtum est aliqua ex præceptis Decalogi adeò esse perspicua, ac rationi conformia, vt nemo ratione pollens reperiatur, qui vel ipsa natura rationeque duce non agnoscat, vel saltem ad ipsa dignoscenda possit excitari. Talia sunt Deum esse colendum, parentes honorandos, vt notat Valent. *to.* 2. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 1. De reliquis autem Decalogi præceptis Problematica hæc quæstio procedit. Prima sententia docet pro breuissimo tempore posse dari inuincibilem ignorantiam, pro longo minimè. Quia huiusmodi præcepta ita sunt naturæ consentanea, vt non possit non cito animum pulsare peccati turpitudo. Sic Azor. *tom* 1. *l.* 1. *cap.* 13. *q.* 1. Sayr. *in Clau i l.* 2. *c.* 9. *num.* 18.

99. *Potest dari pro longo tempore.*

Secunda sententia affirmat pro longo tempore etiam dari posse horum præceptorum inuincibilem ignorantiam. Quia multi, v. gr. pueri inuincibiliter ignorant pollutionis malitiam annis aliquot, quam postea crescente rationis discursu dignoscunt. Sic Cordu. *l.* 2. *q.* 4. Vasq. 1. 2. *disp.* 122. *c.* 2. Sanch. *l.* 1. *Decal cap.* 16. *num.* 33.

100. *Huic hæreo, eamque confirmo.*

Proximæ subscribens opinioni addiderim Decalogi hæc præcepta aliquibus vestita circunstantiis apparenter excusantibus posse non iam longo tempore solùm, sed & per totius vitæ decursum inuincibiliter ignorari. Nimirum licere furtum, ad eleemosynam erogandam: vel periurium ad propriæ vel alienæ vitæ tuitionem. Videatur Vasq. citat qui contrariam sententiam refert, & refellit, narrans se vidisse rusticum existimantem pium esse morti proximos in alteram versare partem vt citius obirent ne diu agone laborarent: ac se iudicasse rusticum illum inuincibili ignorantia affectum.

***

PROBL.

PROBL. XIV.

Agnoſcens malitiam actus externi ſed ignorans malitiam interni actus excuſatur, & non excuſatur à peccato prorſus interno.

101. *Non excuſatur à peccato.*

QVis per inuicibilem errorem putat furtum externum prohiberi, non vero deſideria furandi, dum opere non expletur: excuſatur ne hic à peccato interno? Non excuſatur. Quia hic libere vult obiectum externum, quod eſſe peccatum nouit, ac adeò vult tranſgredi præceptum, prohibens illud opus. An non actus externus propriam malitiam recipit ab interno; per quem libere deſideratur, & eligitur quod eſt prohibitum? Ergò dum cognoſcitur opus externum eſſe prohibitum, & malum moraliter, non poteſt eius volitio carere malitia, quam externo communicat actui. Sic Sanchez *l.* 1. Decal *c.* 16. *n.* 17. ex doctis recentioribus.

102. *Excuſatur à peccato.*

Ille actus internus, dum in externum non prodit propter inuincibilem ignorantiam excuſatur, Quia cum conſcientia ſit proxima regula humanorum actuum quoad bonitatem & malitiam ipſorum, nemo peccare poteſt, quandiu prudenter conſcientia dictat, id quod agit, non eſſe peccatum. Sed inuincibiliter ignorans ex conſcientiæ dictamine prudenter ſibi perſuadet, actum illum internum non eſſe peccatum, quia ſic à Parocho audiuit, vel à viro, quem doctum reputabat; ergo per ſolum furandi deſiderium non delinquit. Ita Sanchez citat. Bonac. *de pec. diſp.* 2. *q.* 8. *punct.* 3. *n.* 16. citans alios.

103. *Vtor diſtinctione.*

Ego autẽ diſtinctione vtor huiuſcemodi: Quoties externa malitia poteſt aliquo modo ſeparari ab interna, quam inuincibiliter ignoramus, excuſabit talis ignorantia. Ex. gr. Ignorans inuincibiliter eſſe malum imperare rapinam, licet cognoſcat eſſe malum illam exequi: per huiuſmodi ignorantiam excuſabitur imperans rapinam, quia externa malitia furti poteſt ab eius imperio diſtinctæ perſonæ ſeparari. At cum externa malitia nullatenus valet ſeparari ab interna, quia non poteſt dari vna ſine altera, probabiliorem reputo primam ſententiam. Nam omnis malitia moralis operis externi formaliter ſumitur ab interna malitia liberæ volitionis efficaciter imperantis talem actionem externam.

PROBL. XV.

Ignorantia vincibilis variat, & non variat ſpeciem peccati.

104. *Eſt diuerſa peccati ſpecies.*

ESt diuerſa peccati ſpecies, ſcienter delinquere, aut per ignorantiam vincibilem crimen perpetrare. Quia diuerſa videtur eſſe ratio malitiæ, magiſque diſſonans à ratione, legem ſcienter, quam per ignorantiam etiam culpabilem violare. Sic Medi. *Cod. de conſ. 9. de circumſt.* Adri. *q.* 4. *de conſ.*

105. *Non eſt diuerſa ſpecies peccati.*

Eſt eadem peccati ſpecies ſcienter delinquere, aut per vincibilem ignorantiam. Quia ſcienter peccare aut ex vincibili, ſeu culpabili ignorantia opponuntur eidem præcepto: & virtuti: nec eſſe volitum obiectum prauum directè, vel indirectè: in ſe, vel in cauſa variat peccati ſpeciem. Quare ſi quis culpabiliter ignorat, malitiam odij, vel ſcandali, vel inobedientiæ in intentione praua conſiſtere, videlicet odium in diſplicentia perſonæ, ſcandalum in intentione ruinæ proximorum ſpiritualis, inobedientia in ſpeciali non obediendi voluntate: & ideo talia peccata tali perpetrata intentione: habebunt vtique malitiam moralem eiuſdem ſpeciei cum eiſdem ſcienter ex illa intentione commiſſis. Ità Suar. 3. *p. tom.* 4. *diſp.* 22. *ſect.* 4. *num.* 14. Azor. *tom.* 1. *l.* 1. *c.* 14. *q.* 6. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 17. *n.* 15.

106. *Diſtinguendum cenſeo.*

Dixerim tamen cum Vaſq. 1. 2. *diſp.* 101. *c.* 5. & 6. & aliis, peccata, quorum malitia conſummatur exterius, aut in actibus alterius potentiæ, quam voluntatis, ſiue ſcienter, ſiue per ignorantiam perpetrentur, eiuſdem prorſus ſpeciei exiſtere. Quia committuntur contra idem præceptum, & eandem virtutem, ſolùm differunt penes magis & minus voluntarium. Peccata verò, quorum malitia conſummatur in voluntate, vt ſunt odium Dei, vel proximi, ſcandalum, inobedientia commiſſa per ignorantiam à ſcienter commiſſis ſpecie differre. Quia eorum malitia conſiſtit in ſpeciali peccantis intentione, odium ſcilicet (vti dixi ſuperius) in diſplicentia perſonæ, ſcandalum in intentione ruinæ proximorum ſpiritualis, inobedientia in ſpeciali voluntate non obſequendi: quæ malitia in his peccatis ignoranter admiſſis non reperitur.

***

PROBL.

PROBL. XVI.

Ignorantia, quæ aliàs esset mortaliter culpabilis, quæ non sit affectata aut crassa, excusat, & non excusat à præceptorum humanorum transgressione.

107. *Excusat planè.* EXcusat planè ignorantia inuincibilis quæ in alijs materiis esset mortalis, à præceptorum humanorum transgressione, dummodo non sit crassa, ac supina. Quia ius humanum non obligat cum rigore tanto, vt ius diuinum. Ita Bonac. *in Decal. disp. 2. q. 8. punct. 3. n. 21.* Valent. *to. 2. disp. 6. q. 6. punct. 3.*

108. *Non excusat.* Non quidem excusat. Quia tota materia transgressionis consistit in negligentia culpabili sciendi præceptum: imo potius non est alia malitia omissionis v. gr. ieiunij, quam est in illa negligentia culpabili: si ergo illa negligentia est culpabilis mortaliter, omissio culpabilis mortaliter erit; nequit ergo negligentia culpabilis mortaliter reddere venialiter culpabilem violationem. Sic Castr. Pal. *to. 1. tr. 2. disp. 1. punct. 16. num. 3.* Suar. *3. p. tom. 3. disp. 82. sect. 3.*

109. *Auctoris mens.* Crediderim, non peccare saltem mortaliter transgredientem præcepta Ecclesiæ, v. g. ieiunij, bona fide ex causa, quam sufficientem existimat, licet re vera sufficiens non sit. Quia cum præcepta sint humana (fateor) non obligant cum tanto rigore ad causas excusantes inquirendum, & tollendum ignorantiam, vt obligant iuris naturalis præcepta.

PROBL. XVII.

Vt ignorantia dicatur vincibilis, sufficit, & non sufficit, me esse obligatum aduertere.

110. *Sufficit ad mortale.* SVfficit ad peccatum mortale contrahendum cognitio malitiæ, quam vocant interpretatiuam, vt contingit, dum ratio actu non considerat malitiam, potuit tamen, & debuit considerare. Quia si reprehensio conscientiæ (quæ in periculo, aut mali cognitione statui assolet) esset necessaria ad peccandum, quomodo Paulus diceret, se non habere reprehensionem conscientiæ, & tamen posse habere peccatum. Cum ergo Apostolus asserat posse peccatum consistere & sine vlla mali notitia contrahi: sequitur non rectè ab aliquo requiri conscientiæ reprehensio. Ita Gordon. *tom. 1. l. 1. q. 8. c. 10. n. 37.* Valen. *tom. 2. disput. 6. 9. 6. punct. 1.*

111. *Non sufficit.* Vt ignorantia dicatur vincibilis, non sufficit, aliquem ex statu, & officio esse obligatum aduertere, nisi aliqua cognitio, dubitatio, vel scrupulus de malitia, aut obligatione adsit. Itaque vt quis peccet mortaliter debet considerare vel illud opus esse malum, vel ibi adesse malitiæ periculum, vel dubium, vel scrupulum saltem habere, nec sufficit cognitio illa virtualis, seu interpretatiua. Quia si nunquam in mentem venit cogitare, aut suspicari de operis malitia, tunc homo malum deliberatè non operatur, cum fieri non possit, vt voluntas in malum peccati consentiat, nisi intellectus illud cognoscat. Ita Cast. Pal. *tom. 1. tract. 2. disput. 1. punct. 15. num. 5.* Laym. *l. 2. tract. 2. c. 4. num. 6.* Tanne. *1. 2. disput. 4. quæst. 9. dub. 1. n. 17.*

112. *Hæreo secundæ sententiæ.* Huic sententiæ probabiliori planè libenter adhæreo; probabiliorem consulto appellaui nè sentire videar cum Salas, *1. 2. tract. 13. disp. 8. sect. vlt. n. 87.* Qui primam sententiam improbabilem vocauit.

PROBL. XVIII.

Ignorantia vincibilis plurium præceptorum fidei est, & non est constitutiua plurium peccatorum distincto-rum numero.

113. *Sunt plura peccata.* CErtè si quis vincibiliter ignorat plura fidei mysteria, plura peccata specie diuersa non perpetrat, vt vidimus. An sint plura peccata numero distincta hominē plures fidei articulos ignorare? sunt plura peccata. Quia vnumquodque fidei mysterium contempsit ille agnoscere. Sic Merolla *disp. 1. c. 2. diffic. 3. n. 697.* Approbat Diana *p. 3. tract. 4. resol. 165.*

114. *Non sunt plura peccata.* Vnum solummodo peccatum est. Quia peccatum omissionis canonicarum horarum non multiplicatur numero iuxta horarum multiplicationem: sed vnum tantum numero est; ergo idem dicendum in casu nostro. Sic Suar. *tr. de fide disp. 15. sect. 1. n. 7.* Cuius sententiam etiam esse probabilem Diana citatus affirmat.

115. *Subscribo secundæ opinioni.* Subscribo, inferens ignorantem vincibiliter plures fidei articulos, non teneri numerum articulorum, quos ignorat culpabiliter, explicare in confessione.

PROBL.

PROBL. XIX.

Quando pœna ſimpliter imponitur, & datur ignorantia mortaliter vincibilis, talis ignorantia excuſat, & non excuſat à pœna.

116. *Non excuſat ſimpliciter.* MInimè excuſat. Ratio eſt, quia ſicut ignorantia vincibilis non excuſat à culpa, ſic etiam non excuſat à pœna: præſertim cum omnis ignorantia mortaliter vincibilis ſit craſſa & ſupina Ita Suar. *3.p. to.5.diſp.4.ſect.10.n.10.* Villalob. *to.1.ſum. tract.16.dub.12.n.6.* Hi quidem ſimpliciter negant.

117. *Excuſat ab aliquibus pœnis.* At non ſimpliciter abnegandum, ſed diſtinguendum inter cenſuras, aut pœnas iure communi latas, & ab Epiſcopis impoſitas. Ab his vincibilis excuſat ignorantia modo non ſit craſſa, ſupina, ſeu affectata: ab illis autem nulla vincibilis ignorantia lethalis excuſat. Quia *l.2. de Conſtit. in 6.* deciditur, à ſententiis quorumlibet ordinariorum ignorantiam excuſare, modo non ſit craſſa, vel ſupina.

118. *Auctoris iudicium.* Crediderim non abſolutè liberandam à pœna vincibilem ignorantiam, ſed aptandam ei iuxta culpæ rationem. Nam quæ probant requiri ſcientiam pœnæ, probabiliter etiam ſuadent, vincibilem ignorantiam pœnæ, ſicut aliquo modo minuit culpam, ita dum non eſt craſſa, vel ſupina, minuere demeritum, & per conſequens à pœna graui excuſare.

CAPVT VII.

Circa metum.

PROBL. XX.

Metus grauis excuſat, & non excuſat à legis naturalis obſeruantia.

119. *Excuſat metus graui.* EXcuſat metus grauis à legis naturalis obſeruantia. Quia legis tranſgreſſio, graui metu inſtance, non eſt abſolutè malum admittere, ſed deterius, ac grauius malum euitare. Sic Euſtrat. *ſuper 3. Ethic. c.1.* Gloſ. *in l. penul. D. ſi familia furtum feciſſe dicatur* dicens ſeruum patrantem aliquod delictum ne pereat niſi domino pareat, non peccare. Concinunt Iaſon *§. ſi minus n.17. Inſtit. de actio.* Cynus. *in l.1. Cod. vnde vi. q. penult.* Salicet. *in eadem lege* Bartho. *in l. ſi ſeruus D. de noxalib. action.* qui planè cenſent, excuſari eum quem dominus aut tyrannus metu mortis adigit ad alium occidendum iniuſtè.

120. *Non excuſat.* Non excuſat metus grauis à legis naturalis obſeruatione. Nam quæ legi naturali repugnant, adeò ſunt intrinſecè mala, vt nullo metu mortis valeant honeſtari, Quia ſi ſecluſo metu mortalem, aut venialem ſaltem malitiam continebant, eandem inſtante metu retinebunt; quia cum voluntarium ſimpliciter non impediat, conſequenter non tollit, quin debeamus potius pati mortem, quam culpam etiam venialem admittere. Sic Azor. *to.1.l.1.c.10.q.12.* Sanch. *de matr.l.4. diſp. 1.n.6. & l.1. Decal.c.18.n.1.* Caſtr. Pal. *to.1. tr.2.diſp.1.punct.13.n.3.*

121. *Diſtinguo naturalia præcepta, & plura, quæ licent, exempla adduco.* Exiſtimo quæſtionem æquiuocatione laborare, ideo operæ pretium, monere quædam iuris naturalis præcepta eſſe affirmatiua, quædam negatiua: affirmatiua obligant ſemper, ſed non pro ſemper, ſed vbi, quando, & ſicut oportet, id eſt, poſitis omnibus circumſtantiis, quas recta ratio præſcribit. Sic præceptum eleemoſynæ, votum & iuramentum promiſſorium ſub queiſdam obligant circumſtantiis, ſub aliis non obligant. Negatiua vero præcepta ſemper obligant, & pro ſemper. Attamen diſtinguendum eſſe reor; nam quædam prohibent actiones adeo intrinſece prauas, vt nullis queant circunſtantiis honeſtari; v. gr. odium Dei, periurium, idololatria, periurium, pollutio voluntaria beſtialitas, mendacium. Quædam autem prohibent actiones de ſe prauas, quæ tamen aliquibus circunſtantiis honeſtantur. v. gr. nemo poteſt per ſe capere rem alienam inuito Domino: at in extrema neceſſitate licitè capit. Nemo poteſt priuatus alium occidere, cæterum ob defenſionem propriam quis licitè interimet. Sic doctiſſimus Magiſter meus Franciſcus de Lugo *dec. præuij parte altera c.6. q.1.* Hinc aſſeruerim aliqua præcepta naturalia affirmatiua cum vitæ diſcrimine non ſemper obligare. Quia vel ipſa lex naturalis dictat in tali circunſtantia talem non obligare legem. Ita Sanch. *l.1. decal. c.18. n.5.* Salas *1.2. tr.3. diſput.3. ſect.1. n.35.* Azor. *tom.1. l.1. c.11. q.3.* Sic eleemoſyna non eſt impendenda cum diſpendij grauis periculo. Sic iuramentum promiſſorium cum magno non obligat detrimento. Porro præcepta naturalia negatiua, quæ prohibent actiones non ſic intrinſecè prauas, vt ſub aliquibus circunſtantiis honeſtari non poſſint, non

non semper obligant cum mortis dispendio. Quia ipsa ratio naturalis dictat, in eo casu talem cessare obligationem. Cuius doctrinæ plura lubet ex eruditissimo Antonino Diana 3. *p. tr.* 6. *res.* 48. exempla exhibere. Licitum, propter periculum mortis comminatæ furari volenti admouere scalam, vendere & accommodare ensem cupienti alterum occidere, aut offendere vbi occidendus est. Sic Sanch. *in decal. tom.* 1. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 18. licitum celebrare missam sine altari, aut calice consecrato, aut vestibus sacris, vel lumine metu mortis, dummodo in Religionis odium metus non incutiatur, vel in sacrificij contemptum. Sic Azor. *tom.* 1. *l.* 1. *c.* 11. *q.* 11. Licitum, metu mortis contrahere matrimonium cum impedimento dirimente animo quidem contrahendi tantum exterius, non vero consummandi. Sic Becanus *punct.* 2. *tr.* 3. *c.* 6. *q.* 4. *n.* 9. Non tenetur adultus cum vitæ discrimine sacramentum Baptismi suscipere, quia potest elicere actum contritionis. Sic Suar. *in* 3. *p. tom.* 3. *disput.* 31. *sect.* 3. Licitum metu mortis, captiuis Christicolis nocumentum inferre Christianis in bonis externis. Sic Reginal. *tom.* 2. *l.* 21. *n.* 119. Licitum sacerdoti Eucharistiam porrigere peccatori occulto in metu occulto mortis, nisi metus in Religionis contemptum incutiatur. Sic Bonac. *de sacram. disp.* 1. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 14. Demum potest sacerdos metu mortis non incusso in Religionis odium, & sacramenti contemptum sacramentum in materia dubia perficere. Sic Henriq. *l.* 1. *cap.* 9. *num.* 7. *in Glos. lit. B.* Horum exemplorum nonnulla Problemate proprio discutienda redibunt.

PROBL. XXI.

Metu mortis licet, & non licet humanis carnibus vesci.

122. *Non licet humanis vesci carnibus.*

NOn licet: quia ipsa natura sic execratur, hoc cibo nutriri, vt eo vtentes barbaros & brutis ferociores appellemus; ergo signum est, talem comestionem sic esse prauam ab intrinseco, naturæque contrariam, vt nullo metu, vel indigentia queat honestari. Ita Valent. *tom.* 3. *disputatio.* 9. *quæstio.* 3. *punct.* 1. Azor. *tom.* 1. *l.* 7. *cap.* 33. *quæst.* 4. Moure *punct.* 4. *cap.* 2. §. 6. *num.* 5.

123. *Licet vesci.*

Licet plane. Quia horror naturaliter insitus carnium humanarum comestioni satis videtur aut mortis metu aut necessitate extrema honestari, quippe mortis horror alium vincit horrorem. Sic Tolet. *l.* 7. *de pec. mort. c.* 60. *n.* 4. Lessi. *l.* 4. *c.* 3. *dub.* 2. *n.* 10. Sanch. *l.* 1. *decal. c.* 18. *n.* 12. Cast. Pal. *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 1. *punct.* 13. *n.* 5.

124. *Secundam sententiam probabiliorem puto.*

Probabiliorem, ac communiorem reputo secundam sententiam monens tamen nunquam licere, hominem directe occidere eius carnibus vt vescamur: & quamuis vrgente metu mortis liceat humanis carnibus vesci, non tamen teneri hominem tali cibo mortem propulsare. De quo alibi.

PROBL. XXII.

Potest, & non potest Cartusianus ob reuerentiam statuti præcipientis abstinentiam à carnibus mortis metum, imo & mortem subire.

125. *Potest à carnibus abstinere.*

SCio sanctissime Cartusianorum ordinis Monachum, quando non suppetunt alij cibi, quibus vitam tueatur, posse carnibus vesci. Quia humanum statutum tanto non obligat cum discrimine. Quæstio est an Cartusianus eo in casu possit à carnibus abstinere, & metu mortis inflicto, pati mortem ob reuerentiam statuti, quod strictissime præcipit abstinentiam? potest quidem à carnibus mortis metu incusso abstinere. Quia decet admodum ad Dei gloriam perfectissimum custodire statutum, quod in extremis etiam morbis ab Ordine tam laudabiliter asseruatur. Sic quidam apud Salas *de leg. disp.* 11. *n.* 28. Lessi. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 12.

126. *Non potest abstinere à carnibus.*

Non potest. Quia nec ex voto, neque ex lege, obligari potest, aut vlla ratione honestari huiusmodi abstinentia; & aliunde nullo alio cibo suppetente, aut graui metu sine contemptu Religionis incusso, lex naturalis dictat vitam seruandam. Sic Vasq. 1. 2. *disp.* 162. *c.* 4. Salas *citat. n.* 23. & 24. Bonacina, Laym. & alij, quorum meminit Franc. de Lugo *p.* 2. *decurs. prælij c.* 6. *q.* 10.

127. *Vtramque approbo sententiam.*

Nec possum non secundam sententiam approbare, nec primam (affectu quo in Carthusianos flagro) non admodum commendare audebo. Alibi plura.

PROBL. XXIII.

Metus grauis excusat & non excusat à iuris diuini positiui obseruatione.

128. *Metus non excusat.*

NOn excusat. Quia Deus cum sit vitæ Dominus potest cum periculo vitæ

obligare; ergo sic obligare censendus ad suarum legum obseruantiam. Sic Gabr. *in 4. dist. 18. quæst. 3. a. 3. dub. 4.* Maior *dist. 14. quæst. 4.* Fauet Sotus asserens, nullum metum quantumuis in virum constantissimum incidere solitum à culpa diuinæ legis & naturalis transgressionis excusare. Legendus ille *tom. de iust. l. 7. q. 2. a. 1.*

128. *Metus excusat.* Metus grauis excusat: Quia Deus non vult nos semper cum tanto obligare discrimine, ipse enim cognouit figmentum nostrum, & benignissimè imbecillitati mortalium condescendit. Sic Less. *l. 4. c. 3. dub. 2. num. 10.* Sanch. *l. 1. Decal. c. 18. n. 4.* Cast. Pal. *tom. 1. tr. 2. Disp. 1. pun. 13. n. 7.* Salas *1. 2. tr. 3. disp. 3. sect. 1. n. 35. & 36.*

129. *Duplicem regulam exhibeo, vt innuatur, quãdo excusat, quando non excusat.* Porro vt discerni possit, quando præceptum diuinum obliget cum vitæ periculo, quando non, vnam & alteram regulam expono. Quotiens præceptum diuinum positiuum commune bonum respicit, obligat etiam cum vitæ periculo. Quia bonum commune debet particulari detrimento præferri. Quotiens autem præceptum diuinum positiuum respicit vtilitatem particularem operantis non obligat cum tanto discrimine. Vtriusque exemplum exhibeo. Eleazarus & septem Fratres Machabæi fortiter oppetierunt pro custodia legis diuinæ, ad cuius contemptum ab Antiocho cogebantur, acerbissima morte comminui. 2. Mach. *6. & 7.* Dauid autem panes propositionis, quos non licebat laicis manducare, necessitate pressus sine piaculi nota absumpsit. 1. *Reg. 21.*

PROBL. XXIV.

Ex metu graui licet, & non licet contrahere matrimonium.

130. *Non licet.* NOn licet. Nam si ficte contrahit, mortaliter delinquit, quia quantum est ex parte sua reddit irritum sacramentum matrimonij. Si autem vere consentit, etiam peccat mortaliter sciens matrimonium non valere; quia quantum est ex parte sua ministrat, ac suscipit sacramentum irritum: quemadmodum si non subditum, aut indispositum absolueret. Sic Scot. 4. *dist. 49. q. 1. §. Hic dicitur*, & nonnulli apud Petr. Ledes. *de mat. q. 47. a. 3. circà solut. 4. dub. 2.*

131. *Licet.* Licet plane. Quia qui contrahit metu, non efficit contractum, non quidem sua culpa, sed culpa illius qui metum incussit; illa vero culpa posita contractus irritatur ab Ecclesia; quare sic contrahens non delinquit, quia non applicat materiam aut formam indebite sacramento, cum ibi non sit contractus legitimus, in quo materia & forma sacramenti matrimonij consistit. Haud sic in reliquis sacramentis; nam cum habeant materiam ac formam determinatam si de facto absoluas indispositum aut consecres aquam: iam formam, quæ secundum se talis est super indebitam materiam constituis, ideoque grauis reus aderis sacrilegij. Sic Coninch. *de sacr. disput. 28. dub. 3.* Valen. *tom. 4. disp. 10. q. 3. punct. 2.* Castro Pal. *tom. 1. tr. 2. disp. 1. punct. 13. n. 7.*

132. *Approbo secundam sententiam, & eam explico.* Moneo huic hærens sententiæ probabiliori quidem, verba proferenda ab eo qui ad matrimonium contrahendum cogitur, materialiter, sicut aliquando sine intentione consecrandi verba consecrationis proferimus ad recolendas Missæ ceremonias sine consecrandi intentione: aut vti eum debere æquiuocatione (quamuis addito iuramento) vel restrictione mentali, videlicet: *Accipio te in vxorem*, interius intelligendo, *si teneor.* non enim mentitur, cum nihil asserat contra mentem. Accepi ex Sanch. *de matr. l. 4. disp. 16. n. 1.*

PROBL. XXV.

Ex metu graui licet, & non licet non solum matrimonium contrahere, sed consummare.

133. *Valet matrimonium, & copula est licita consequenter.* VAlet matrimonium illud, & consequenter copula est licita. Probatur, quia metus irritans matrimonium debet esse cadens in constantem virum; sed non ageret constanter, qui copulam fornicariam eligeret ad vitandam mortem: ergo non irritatur illud matrimonium. Certè nullus actus censendus est peccaminosus, quando fieri potest sine peccato; sed hic accedens animo maritali validum faciet matrimonium, & consequenter non peccabit. Quod autem tunc matrimonium ratificet patet; nam Ecclesia matrimonium coactum irritat in fauorem eius, qui patitur metum; sed illi noceret, nisi matrimonium ratificetur consummatione coacta; constringitur enim

enim aut pati mortem non consummando, aut consummando mortaliter delinquere. Sic Sotus *in* 4. *q.*1. *a.*1. Palud. *ibi distinct.*29. *quæst.*1. *art.*4. *concl.*3. *num.*25. Probabilem dicit Henriq. *l.*11. *c.*9. *num.*7. Sanch. *de matr. l.*4. *disp.*18. *num.*13. *& lib.*1. *Decal. c.*18. *n.*7.

134. *Illud matrimonium est nullum, & copula fornicaria.*

Illud matrimonium est nullum, & consequenter illa copula est fornicaria, quæ nullatenus licet. Quia ad irritandum matrimonium ius non considerat metum cadentem in virum constantem quatenus excusat operantem à culpa, cogitque minus malum eligere; sed ex parte obiecti quod sit metus mali grauis ex se sufficientis ad minuendum notabiliter viri constantis libertatem; ergo quoties metus est talis respectu contractus, & consummationis matrimonij siue peccetur, siue non peccetur consummando, matrimonium irritabit. Sic Sanchez *de matrim. disput.* 18. *num.*15. *& l.*1. *Decal. cap.*18. *num.*7. Suar. *l.*3. *de legib. c.*30. Laym. *l.*1. *tract.*4. *c.*14. *n.*10.

135. *Huic hæreo sententiæ.*

Proximam teneo sententiam asserens debere te potius mortem subire, quam tale matrimonium consummare: posse tamen excusari eum, qui secutus priorem sententiam probabilem animo maritali accedat, quando matrimonium contractum fuit (post Tridentinum) coram Parocho & testibus, quibus impedimentum metus erat occultum: vel astiterunt Parochus & testes matrimonio ac copulæ coactis. Ita Sanch. *de matrim. disp.*18. *n.*12. 13. *&* 17.

PROBL. XXVI.

Licet, & non licet ob grauem metum in administratione Sacramentorum simulatione vti.

136. *Licet vti simulatione.*

LIcere probatur, Quia quotiens adest iusta causa quilibet vti potest æquiuocatione, restrictione mentali, vel simulatione, qua fictio à mendacio liberatur, sed vrgente graui metu, causa iusta subest sacramentorum administrationem simulandi: ergo licebit tunc vti simulatione. Ex. gr. Minatur quis mortem sacerdoti, nisi consecret omnem panem fori (non in Religionis contemptum) poterit sacerdos verba consecrationis sine intentione consecrandi proferre; quia subest iusta causa simulandi consecrationem: ne, si consecret, multæ particulæ consecratæ pereant, & irreuerēter absumantur panes consecrati: vel si non proferat verba, necetur. Ita Ioan. Sanch. *in select.q.*9. *disp.*35. *n.*6. cuius sententiam videtur approbare Diana *p.*3. *tr.*6. *resol.*83. Et Ludou. de San Ioan *p.*1. *sum. tr. de Euch. q.*7. *a.*8. *diffic.*4. asserit si pœnitens indispositus minetur mortem Confessario, nisi absoluerit illum, posse confessarium absolutionis verba sine intentione proferre; quia adest iusta simulationis causa.

137. *Non licet, simulatione vti.*

Non licere, ostenditur, Quia illa simulatio non obstat, quin actum iurisdictionis exerceas, quando exercendus non est, circà rem diuinam, & supernaturalem; & in externo foro sacramentorum vsus fictus videtur esse quasi quædam exterior idololatria, vel sacrilegium. Vnde in his, quæ ad communem, ac generalem sacramentorum pertinent ritum, ob nullum metum posse omitti quippiam, immutari, vel simulari. Ita Castro Pal. *tom.* 1. *tr.*2. *disp.* 1. *punct.* 13. *n.* 8. citans Suarium, & Vasquium. Attamen hi (vt aduertit apte Franciscus de Lugo *decur. præu. p.* 2. *c.* 6. *num.* 47.) Solum abnegant dari posse hostiam non consecratam pro consecrata ob vitandam infamiam.

138. *Defendo sententiam primam.*

Mihi certe mei amicissimi P. Ferdinandi de Castro Pal. vocitantis primam sententiã audacem, ac temerariam, nimium rigida censura videtur, dum lego graues Doctores affirmantes, in quibusdam euentibus licere hostiam non consecratam pro consecrata porrigere, quæ procul dubio maior est simulatio.

PROBL. XXVII.

Grauis metus excusat, & non excusat à præcepto diuino recipiendi Baptismum, aut pœnitentiam.

139. *Excusat grauis metus à recipiendo Baptismo, &c.*

EXcusat equidem. Quia præceptum illud diuinum per se non obligat cum graui discrimine; cura vero salutis æternæ non obligat cum eo periculo media tutiora quærere; nec est tam intrinsecè malum illa non recipere sacramenta, vt in nullo casu possit licere, nec inest morale damnationis æternæ periculum quotiens moraliter tibi de contritione constat. Non ergo teneris omne damnationis vitare periculum. Sed morale solum. Ita Castro Palao. *tom.* 1. *tract.*2. *disp.* 1. *punct.*13. *num.*7. Dian. *p.*3. *tract.*6. *resol.*83. Suarez. 3. *p. tom.* 3. *disput.* 31. *sect.* 3.

140. *Non excusat.*

Non excusat. Quia hæc sacramẽta sunt necessaria simpliciter ad salutẽ æternã, &

quamuis sufficiat horum Sacramentorum votum, quando re ipsa suscipi nequeunt: certè vera contritio valdè est difficilis, nec possumus certi existere de tali voto, cum aliàs certam reddere quo ad possumus, nostram salutem teneamur. Ita Azor, *to.1. l. 1. c. 11. q. 2.* & alij.

141. *Approbo primam sententiam.*

Ego quidem aliquando putabam, instante diuino præcepto recipiendi Baptismum, aut pœnitentiam, & tyranno prohibente receptionem sub mortis comminatione, adhuc esse recipienda, vt certa quoad possit, salus redderetur. At iam primæ hæreo sententiæ, dum video, suscepto sacramento, omne damnationis periculum non cessare, cum omnino certum non sit, fuisse ritè susceptum seu ministratum. Haud teneor omne damnationis vitare periculum, sed morale solummodo (aliàs esset impossibilis obligatio) nec media tutiora cùm mortis periculo adhibere.

PROBL. XXVIII.

Metus grauis excusat, & non excusat à legum humanarum obseruatione.

142. *Semper excusat.*

SEmper excusat, quia lex humana non potest cum vitæ discrimine obligare. Probo, nam vitam tueri, est de iure naturæ, sed lex humana prę iudicare nõ potest iuri naturali, ergo lex humana ad hoc obligare nõ potest. Sic Almain. *Moral. c. 3.* Maior *in 4. dist. 18. q. 4.* Fauet D. Tho. 2. 2. *q. 104. a. 5.* asserens, in iis quæ quæ ad sustentationem corporis spectant, hominem non teneri homini obedire. 37.

143. *Non semper excusat.*

Regulariter non excusat, nisi forsan in casu, quẽ benignitas legislatoris exceperit. Quia lex humana obligat in conscientia, facitque de non peccato peccatum, & de veniali mortale, sed pro nullo metu licitum est, peccare mortaliter, aut venialiter; ergo nullus metus excusat ab humanarum legum obseruatione. Sic Caietanus oppositum appellans errorem *1. 2. q. 56. a. 4. & 2. 2. q. 125. a. 3. & opuscul. tom. 3. tr. 8.* Duran. *in 4. dist. 18. q. 5. n. 8. & 12.* Henric. *l. de Synodis Epis. p. 1. a. 1. n. 131.*

144. *Assero interdum excusare interdum non excusare.*

Ego autem interdum excusare, interdum non excusare probabilius affirmo. Quia humana potestas mensuram habet, nec potest obligare communiter cum tanto detrimento, vita quippe non subest humanæ potestati nisi per ordinem ad bonum commune: nec prudens voluntas obligare vult quantum potest in rigore sed cum benigna moderatione, ita vt nimium dura non præcipiat, nisi magna boni publici necessitas cogat. Didici à Suario *3. p. tom. 5. disp. 5 sect. 3. n. 7. & 8.* Valent. *tom. 2. disp. 7. q. 5. punct. 6. quæst. 4.* Coninck. *3. p. disp. 13. dub. 12. n. 97.* Quomodo igitur dignoscam, quando lex humana cum vitæ periculo obliget, vel non obliget? Respondet Valentia, Obligat per se, quando seruari nequit sine vitæ periculo: contingit tamen per accidens vt obliget cum eo periculo propter aliud præceptum iuris naturalis concurrens, aut diuini. At facilius respondeo cum Castro Pal. *tom. 1. tr. 2. disp. 1. p. 13. n. 9.* Si lex humana prohibeat, vel imperet actum respicientem de se bonum commune, obligat cum periculo mortis; quia commune bonum debet cuilibet priuatæ vtilitati præferri. Si vero prohibeat, vel imperet actum singulorum respicientem vtilitatem, nunquam obligat cum tanto discrimine; quia periculum singulorum debet vitæ postponi.

PROBL. XXIX.

Grauis metus excusat, & non excusat à transgressione legis humanæ, quæ pœnam capitis transgressori minitatur.

NOn quidem excusat. Quia pœnæ grauitas grauiorem obligationem inducit, quam metus eleuare non possit. Sic Sotus *de iust l. 1. q. 6. a. 4.* 145. *Non excusat.*

Excusat plane. Quia rectè imponi potest huiuscemodi pœna transgressori culpabili, vt arceantur homines à legis transgressione; & nihilominus vrgente tali metu, sine culpa violari; non enim obligat cum tanto discrimine. Sic Sanch. *l. 1. decal. c. 18. n. 9.* Bonac *de peccat. disp. 2. q. 8. punct. 2. n. 8.* Salas *de leg. disp. 11. sect. 1. n. 5.* 146. *Excusat.*

Huic hæreo opinioni; quia vrgente graui metu sine piaculo violatur, quod non intendit bonum vitæ singulorum prę ponderans. De ignorantia, aut metu circa contractus *lib. de Iust. & Iure* nobis agendum copiosè. 147. *Secundo hæreo placito.*

***

CAPVT

CAPVT VIII.

Circa bonitatem, & malitiam moralem.

PROBL. XXX.

Bonitas & malitia moralis sumitur, & non sumitur ab obiecto, & non à fine.

148. *Ab obiecto, non à fine sumitur.*

CErtè sumitur ab obiecto, non à fine. Quia actus exterior, & interior in genere moris, sunt vnus actus bonus vel malus: meritorius vel demeritorius; sed actus exterior sumit suam bonitatem, aut malitiam suo ab obiecto, non à fine operantis: v. gr. si quis occidit hominem ad furandum, exterior occisio solam habet homicidij malitiam, non furti; ergo pariter interior voluntas occidendi hominem, ab obiecto non à fine suam trahet malitiam. Si quis autem largitur eleemosynam propter Dei amorem, largitio exterior habet bonitatem misericordiæ, non charitatis; quoniam eius obiectum est subleuatio pauperis: ergo interior voluntas largiendi eleemosynam ab obiecto, non à fine suam adsumet bonitatem. Si quidem eleemosynam largiri, & velle largiri eiusdem sunt speciei moralis, & habent eandem bonitatem: occidere ac velle occidere habent eandem specie malitiam. Sic Medina 1. 2. *q.* 18. *a.* 2. & 6. Tribuitur à Thomistis D. Thomæ 1. 2. *q.* 18. *à.* 2. & 6. vbi videtur ita docere.

149. *A fine sumitur non ab obiecto.*

Omnis actus interior tam intentionis quam electionis suam sumit speciem moralem à fine tanquam ab obiecto, secus tamen actus externus. Quia intentio voluntatis in finem fertur tanquam in suum obiectum: electio verò fertur in medium, quatenus est vtile ad finem; vnde medium dumtaxat amatur in ordine ad finem, qui præcipuum obiectum est ipsius electionis; ergo bonitas moralis tam intentionis, quam electionis voluntatis à fine, tanquam ab obiecto præcipuo sumitur. Sic, Vasq. 1. 2. *disp.* 51. *c.* 2. & 3. Azor *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 2. *q.* 1. Conrad. 1. 2. *q.* 18. *a.* 6.

150. *Vtramque ex parte sententiam amplector.*

Ego autem ex vtraque sententia priam mentem expressérim. Actus humanus (vt *cap.* 1. vti certum exposui) sumit moralem speciem, & essentiam ab obiecto suo: quod si bonum sit ac decens certa quadam habitudine conformitatis ad substantiam rationalem liberam, etiam actio circa tale obiectum bona aderit certa virtutis specie. Contra si sit obiectum indecens, certa quadam ratione difformitatis ad naturam rationalem, etiam actus circà tale obiectum malus erit in specie determinata vitij. Attamen quia actus externus ex se non respicit finem extrinsecum operantis, sed tantum obiectum suum: ab hoc sumit speciem moralem potissimè, quamuis accidentariè seu secundariò etiam bonitatem & malitiam ab extrinseco fine operantis assumat. Sic exterior eleemosyna propriè continet misericordiæ bonitatem, cui nonnunquam accidet ad Dei gloriam ex charitate ordinari. Sic exterior hominis occisio secundum se dicit intrinsecè malitiam homicidij, quamuis ordinetur extrinsecè ad furtum. Didici hæc ex Vasq. 1. 2. *disp.* 51. *cap.* 2. *n.* 11. & *cap.* 3. *n.* 25.

PROBL. XXXI.

Potest, & non potest dari in indiuiduo actus humanus omnibus circunstantiis vestitus, & adhuc indifferens.

151. *Non potest dari actus indifferens in indiuiduo.*

SCio, Theologos fateri communiter cum D. Thom. 1. 2. *q.* 18. *a.* 8. dari actus nonnullos indifferentes. Quoad speciem ex obiecto desumptam, (vt *c.* 1. exposui) videlicet, leuare festucam, petere campum, manus fricare; quia secundum se non dicunt specialem conformitatem, aut deformitatem ad rationem. Requiro tamen, an etiam in indiuiduo possit dari actus humanus omnibus vestitus circunstantiis, & adhuc indifferens? Non potest dari talis actus. Quia omnis actus humanus aut est conformis naturæ rationali, aut non est conformis; aut ad bonum dirigitur finem, aut non dirigitur, sed eo ipso quod non sit conformis naturæ rationali nec habet bonum finem, est malus: eo ipso quod conformis sit rationali naturæ, & ad rectum finem dirigatur, est bonus. Sic D. Thom. 1. 2. *q.* 18. *a.* 9. quem sequuntur Ægid. Richard. Durand. Capreol. & alij Thomistæ: consonat Azor *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 4. *q.* 3.

152. *Datur talis actus.*

Datur talis actus in indiuiduo indifferens. Quia potest quis sæuiente frigore confricare manus ob solum naturæ commodum, scilicet vt frigus naturæ contrarium depellat. At tam hic quam similes actus non sunt boni, cum non respiciant formaliter virtutis honestatem; nec

sunt mali, cum non importent intrinsecam dissonantiam cum natura rationali pertinentem ad aliquod vitium; ergo datur actus indifferens in indiuiduo. Sic Vasquez. 1. 2. *disput.* 52. *c.* 2. Herre. *de peccat. disp.* 28. *q.* 3. *concl.* 2. Ioan. Sanch. *disput.* 4. *num.* 1. *& disp.* 7. *num.* 10.

153. *Auctoris sententia.* Tota difficultas in eo versatur an actus ex rationis deliberatione factus solum propter vitæ commoda (v. gr. manuum confricatio ad expellendum frigus) sit bonus, an malus, an indifferens. Quidam dicunt esse malum cum sit actus otiosus; alij dicunt esse bonum, quia consonum est naturæ commodum vitæ quærere. Existimo, commodum vitæ quærere vel explicitè, vel etiam implicitè, quotiens bibo, quia sitio: ad ignem accedo, quia frigeo: bonum esse moraliter tam infimæ, fateor, bonitatis, vt vix alicuius virtutis simpliciter dictæ honestatem attingat. At si careant actus omni fine honesto, seu bono saltem latè dicto, erunt otiosi, adeóque peccaminosi. Vnde certum mihi, nullum actum prorsus indifferens in indiuiduo reperiri.

LIBER SECVNDVS.

CONSCIENTIA.

ARGVMENTVM.

Conscientiæ certæ, erroneæ, probabilis, dubiæ, & scrupulosæ obiicio essentiam, explico proprietates.

SECTIO PRIMA.

De Conscientia Receptiores absque lite sententiæ.

CAPVT I.

Quidnam conscientia? Vbi de conscientia Recta.

1. *Conscientia cuncta tempora complectentis definitio.* CONscientia siue cum alio scientia, seu scientia sui dicitur, qua ea quæ à nobis vniuersè sciuntur, applicamus ad res aut actiones singulas: aut qua quis est sibi conscius eorum, quæ fecit, siue facturus est. Vnde proxima & immediata voluntatis nostræ regula est conscientia, quam quidem cunctam temporum rationem complectentem sic definio. *Conscientia est iudiciū intellectus, siue rationis practicæ, quo actu dictat, aliquid esse licitum vel illicitum.* En de futuro conscientiam vel. *Est actus intellectus speculatiui, quo* per quandam reflexionem præsentem vel præteritam *homo iudicat, quod fit, vel factum est, bene vel male fieri, aut factum fuisse.* Ecce conscientiam de præsenti, ac de præterito. D. Thom. 1. *p. q.* 79. *a.* 3. *&* 1. 2. *q.* 19. *a.* 5. Becan. *de act. hum. cap.* 4. *q.* 6. Laym. *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 2.

2. *Syndereſis differt à conſcientia.* Syndereſim nonnunquam pro ipsa conscientia accipimus, sed hoc inter illas discrimen adnotarim, synderesis enim ita se habet ad conscientiam, sicut se habet intellectus principiorum ad conclusionis scientiam. Ideò *synderesis est habitualis cognitio generalissimorum principiorum practicorum seu moralium:* v. gr. bonum est amandum, malum fugiendum; ex quibus principiis deducta particularia iudicia, quid hic & nunc hoc in opere sit honestum, vel turpe, sunt ipsa conscientia. Vnde synderesis versatur circa prima magisque vniuersalia & nota principia, circa reliqua lex naturalis, circa conclusiones ex vtrisque deductas conscientia.

scientia. Reginal. *l.* 13. *num.* 48. Filliuc. *tr.* 12. *n.* 114. Laym. *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 1. Malder. 1. 2. *tr. de consc. disp.* 82.

3. *Triplex consciẽtiæ officium.*

Officia conscientiæ expono triplici in differentia. Alia per modum testis ei tribuo; testificatur pro nobis, & contra nos, dictando scilicet nos feciſſe, vel non feciſſe aliquid. Alia per modum iudicis; accusat enim, & defendit, redarguit, excusat, remordet. Alia per modum legislatoris, vel consiliarij; obligat enim, retrahit, absoluit, mitigat, & instigat. Et quidem testificatur conscientia, dum applicamus scientiam nostram ad ea quæ fecimus, aut non fecimus: accusat, vel excusat cum principia practica applicamus ad ea quæ facta sunt à nobis: incitat, aut retrahit, dum eadem principia applicamus ad ea quæ facere, aut non facere debemus: si quæ facta sunt à nobis cum hisce principiis conueniant, excusat, ac laudat: si repugnent, accusat, remordet reprehendit. Becan. *de act. hum. c.* 4. *q.* 6. Nauar. *in manu. c.* 27. *num.* 280. Gers. *in comp. Theol.*

4. *Conscientia practica, & speculatiua.*

Conscientiam seu rationis iudicium diuido in speculatiuum & practicũ. Speculatiuum est, quo proximè iudicamus de bonitate vel de malitia seu valore rei in se: practicum, quo in ordine immediato ad praxim hic & nunc positis omnibus circunstantiis occurrentibus, iudicamus de veritate, ac probitate alicuius rei prudenter, aut imprudenter; v. gr. si speculatiue iudicem, circunstantias notabiliter intra eãdem speciem aggrauantes esse necessario confitendas: & tamen iudicem simul, posse me illas hic & nunc in confessione omittere, quia scio alios id probabiliter edocere; hoc secundum iudicium vocitatur practicè practicum, prius verò practicum speculatiuè. Sanchez. *de matr. l.* 2. *disp.* 41. *num.* 8.

§. 2. *Quotuplex conscientia?*

5. *Multiplex conscientia. Certa.*

MVltiplicem planè conscientiam obiicio, certam, dubiam, probabilem, erroneam, scrupulosam. Conscientia *certa* est quæ verè ac rectè practicè iudicat aliquid faciendum: vel fertur in aliquod naturale principium, verb. grat. honorandos esse parentes: vel supernaturale. v. gr. quando nititur fidei principiis; vel rationibus diuinis, v. gr. si iudicem esse septem Sacramenta. Vnde vera hæc ac recta conscientia oritur ex primorum principiorum practicorum notitia tam in his quæ agenda sunt quam in illis quæ omittenda: cuius generis sunt, quæ aut lex rationis dictat, aut quæ Deus in scripturis sacris præcipit, aut quæ per Ecclesiam curat denunciari. Iudicat itaque recta conscientia omnia quæ ab istis præcipiuntur esse facienda, & quæ nullatenus gerenda prohibentur. Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 6. *num.* 2. Filliuc. *tract.* 21. *c.* 4. *num.* 115. Tanner. 1. 2. *disp.* 2. *q.* 6. *n.* 20.

6. *Probabilis*

Conscientia *probabilis* erit, si vel propter Patrum auctoritatem, seu Doctorum placita, vel propter solidam aliquam rationem opinetur quis, propositionem quamdam esse veram; v.gr. Datur Confessio informis. Potest absolui pœnitens in mortis articulo à simplici Sacerdote etiam in Confessarij approbati præsentia. Bonac. Filliu. & Tanner. citati.

7. *Dubia.*

Conscientia *dubia* est, quæ in neutram partem inclinatur, sed veluti in æquilibrio manet nescius, an faciendum sit quod occurrit, an omittendum; v.gr. si quis dubitans, an peccauerit mortaliter, hæreat, num possit communicare sine præuia Confessione. Bonacin. Filliuc. Tanner. *vbi sup.*

8. *Erronea.*

Conscientia *erronea* est, quæ aliquid dictat aliter quam sit; v. gr. bonum esse quod malum est, aut è contra malum esse, quod est bonum. Iidem *ibidem.*

Conscientia *scrupulosa* est, quæ ex leuibus coniecturis inclinatur paululum in alteram partẽ, ita tamen vt ab altera parte violentius retrahatur: scrupulosi omnia habent suspecta, & vmbram suam metuentes suspicantur, vel se deliquisse, vel peccatum non satis expressisse in Confessione, vel saltem non exactè. Vnde huiusmodi conscientiam dixerim *suspiciosam.* Legantur præfati Doctores. *vbi supr.*

9. *Quid scientia, opinio, dubium, error, scrupulus?*

Hinc collegerim quid sit scientia, opinio probabilis, dubium, error, scrupulus. Scientiam dixerim cognitionem certam saltem moraliter rei alicuius, ita vt non sit prudentis tunc formidare. Opinionem assensum vnius partis cum alterius timore ac formidine. Dubium, quando quis neque assentitur, neque dissentit, in neutram partem inclinans. Errorem cum quis falsè iudicat aliquid esse faciendum: vel non faciendum: id est, qui approbat falsa pro veris, & vera pro falsis. Lege Doctores *n.* 6. citatos.

10. *Conscientia recta semper obligat operari.*

Certè conscientia recta semper exigit opus nostrum iuxta id quod dictare assolet adeò, vt contra huiusmodi rectæ con-

scientiæ operari dictamina, piaculum esset. Quia ipsa est velut lex naturalis iuxta illud Apostoli: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt.* Rom. 2. Vasq. 1. 2. *disp.* 59. *cap.* 2. & 3. Salas, Sanch. Azor, apud Baldel. *lib.* 4. *disp.* 3. *num.* 1. Hic quidem addit ex Adriano & Vasquez de fide hanc esse propositionem: Contra certæ conscientiæ dictamen operari peccatum est graue quidem aut leue iuxta materiæ qualitatem. Illa Apostoli sententia nititur: *Omne quod non ex fide est, peccatum est.* Rom. 5. Id exponit Innocentius III. *c. fin. de præscr.* Quod non est ex credulitate, & dictamine conscientiæ.

CAPVT II.

De Conscientia Probabili.

11. *Conscientia probabilis ex duplici radice.*

CONscientiam probabilem ex duplici assero radice procedere, nam probabilis est opinio ex principiis intrinsecis, hoc est, ex ratione, qua ei adhærens nititur: vel ex principiis extrinsecis, id est, ex Doctoris, qui eam adstruit auctoritate. Azor. *tom.* 1. *l.* 2. *cap.* 16. apud quem plures legi Doctores.

12. *Quonam modo censeatur probabilis opinio.*

Vt opinio censeatur probabilis attendendum primo, qua ratione nitatur; secundo, an contineat errorem; tertio an sit abolita, & antiquata; quarto, num in fauorem sui habeat auctores, & quanta sit illorum scientia ac prudentia (communi quidem æstimatione.) Vnde opinionem non efficit probabilem turba Doctorum si illam confirment futilibus argumentis. Mihi quidem auctoritas vnius Doctoris periti, & timoratæ conscientiæ sufficit, vt probandam reputem opinionem. Hinc amplectentes opinionem Magistri sui viri docti dixerim sequi opinionem probabilem, modò non constet, talem opinionem errorem continere, aut abolitam fuisse. Vasquez. 1. 2. *tom.* 1. *disp.* 62. *cap.* 4 Filliuc. *tract.* 21. *n.* 134. 135. 136. Azor. 1. *p. l.* 2. *c.* 27. *q.* 4.

13. *Non erit tuta conscientia opinioni improbabili innixa.*

Haud tuta erit conscientia, seu iudicium practicum opinioni improbabili innixum, qualem censeo illam, quæ aut futili ratione confirmatur, aut contra sacras literas, vel Ecclesiæ definitionem esse deprehenditur, aut scandali alteriusque peccati mortalis periculum in praxi ostenditur habere. Quia nemo dici potest prudenter agere, imò temerè agere planè putabitur ex tali iudicio, nisi inuincibilis excusset ignorantia, aut offerat se perplexitas, aut necessitas vrgeat: hæc enim efficit, vt quod aliàs non iudicaretur probabile, tale esse censeatur ob periculum quod ex oppositio sequeretur. Ex. gr. Conferendum iudicarem Baptismum in digiti extremitate, quando partus periclitans illam extrahit. Quæ opinio ratione magni periculi debet sustineri, cum aliàs parum probabilis à multis reputetur. Sanch. *de matri. l.* 2. *disp.* 36. *num.* 8. Nauarr. *cap. inter verba, corol.* 53. *n.* 135.

14. *Possumus sequi opinionem probabilem, probabiliori relicta.*

Absque peccato possumus opinionem probabilem sequi, probabiliori, aut tutiori relicta. Quia licet opinio tutior sit perfectior & securior: nemo sequi tenetur quod perfectius est, & quod securius: dummodo sequatur perfectum & tutum. Tum etiam quia cum de rebus omnimoda haberi non valeat certitudo, ad eam minimè nos Deus obligauit: sed ad operandum cùm morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur. Esset enim intolerabile onus ac multis expositum scrupulis, si opiniones probabiliores vestigare teneremur. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 9. *n.* 14. Sancti. *in select. disp.* 42. *n.* 12. Diana *p.* 2. *tr.* 13. *resol.* 1.

15. *Quando non licet vti opinione probabili?*

Moneo, haud licere vti probabili opinione, quando ex ea magnum periculum sequeretur, vel proximi damnum, honoris diuini læsio, si posset euitari sequendo opinionem probabiliorem. Ita Doct. præfati.

16. *In opinionibus circa validitatem Sacramentorum eligenda tutior.*

In Sacramentorum administratione quoties diuersæ sunt opiniones circa Sacramenti ipsius validitatem, eligi pars probabilis non potest, tutiore ac probabiliore relicta, quotiens est in potestate ministri administrantis Sacramentum opinionem magis tutam, & probabiliorem amplecti. Probatur, quia in iis quæ pendent ex institutione diuina quoad suum valorem opinio probabilis medium necessarium non supplet: minister autem contra communem Ecclesiæ vsum ageret; quod non licet extra extremam necessitatem vti forma ac materia incerta, consueta ac certa relicta. Quo modo excusandus à piaculo se sacrilegij exponens periculo, sacramentum irritum conficiendo. Exempla exhibeo: Quædam veritates à Christo institutæ sunt, vt sic fiant, & non aliter valeant: Hordeum vel amylum non sit consecrationis materia: sed triticeus panis: Forma Baptismi sit tantum ea, quæ nomine Patris, Filij, &

Spiritus

Spiritus sancti significatur, non quæ nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab vtroque: Pars minima corporis diluta sufficiens non sit ad Baptismi valorem: sacramentum pœnitentiæ subsistere non possit cum attritione cognita: In quinque & non in tribus vnctionibus vis sacramenti vnctionis existat. Si igitur sic Dominus instituit, cum ad valorem suum ab eius institutione pendeant: sic, & non aliter illum sortientur, quamuis ex opinione probabili aliter fiant. Sanch. *de matri. l.* 3. *disp.* 20. *n.* 4. Henr. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 15. Bonac. *tom.* 1. *disput.* 1. *q.* 2. *punct.* 1. *num.* 32.

17. *Aliter sentiendum in rebus Pontificiis.*

Aliter sentiendum in rebus, quarum veritates à summo Pontifice determinatæ existunt. Ex. gr. quod talis Confessarius habeat iurisdictionem, vel non: quod talis sit Parochus, nec ne: quod talis contractus sit vel non sit matrimonium. Harum quidem veritas in indiuisibili non consistit, sed iuxta opinionum varietatem multiplicatur. Cum enim à summo Pontifice pendeat, hunc confessarium habere iurisdictionem, vel non, & conscius Pontifex opinionem probabilem existere, iurisdictionem confert tacens, & non contradicens. Ratihabitio enim de præsenti licentiæ expressæ æquiualet ex omnium fere Doctorum mente. Imo summo Pontifice ignaro talis opinionis (quod fere incredibile) illum Confessarium habere iurisdictionem, est arbitrandum ex præsumpta de præsenti Pontificis voluntate nolentis vtique, omnes illas confessiones fieri nullas; & ex alio principio subintellecto, scilicet, quòd semper ac opinio aliqua probabilis interceserit circà valorem, vel nullitatem rerum à se dependentium, approbentur, & valorem acquirant. Addo, communem errorem ex probabili opinione ortum sat esse ad gestorum per eum sacerdotem validitatem. De quo suo in loco. Attamen quamuis sit verosimile summum Pontificem conferre iurisdictionem vtenti opinione probabili: id tamen non est certum, cum à viris sapientibus admodum censeatur oppositum. Et esto communi errore conferatur iurisdictio ita certò ac si expressis verbis esset collata, id euenit, quia expresè lege *Barbarius, ff. de offic. Prætor.* ita sancitum est; at quod ex probabili opinione conferatur, nullo est sancitum decreto. Proinde confessarius vtens opinione probabili, inscio pœnitente, contra charitatem delinquet. Quia si fidelis sciret Confessarium certam omninò non habere iurisdictionem, & exinde periculum non suscipiendi sacramentum subesse, alium quæreret Confessarium, qui citrà controuersiam iurisdictione potiretur. Tamen si certior effectus de opinione pœnitens confessioni se vellet adhuc subiicere, nequaquam delinquet Confessarius contra charitatem, tunc pœnitēte cedente iuri suo. Quia scienti & volenti nulla irrogatur iniuria. Certè vt tutius res geratur, & minister contra charitatem delinquat absoluens, debet pœnitens aliquod veniale cum mortalibus piaculum profiteri. Quia cum simplex sacerdos ad venialium absolutionem indubiè habeat iurisdictionem, absoluens gratiam causabit, & sic pœnitenti nulla irrogabitur iniuria. Suar. *de Pœn. disp.* 26. *sect.* 6. *n.* 7. Reginal. *l.* 1. *n.* 102. *&* 103. Lessi. *l.* 2. *c.* 29. *dub.* 8. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 9. *n.* 35.

18. *Interrogatus, aut consulens potest vti aliorum opinione. propria probabiliori relicta.*

Potest quis interrogatus iuxta probabilem aliorum opinionem respondere, prætermissa propria probabiliori vel tutiori. Quia si prudenter operatur, dum illam sequitur, non est dicendum illum imprudenter agere secundum, illam opinionem respondendo, aut consulendo. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 9. *n.* 19. Vasquez 1. 2, *tom.* 1. *disp* 62. *n.* 47. Sancti. *in select. disp.* 43. *n.* 42.

19. *Quænam dicenda communior opinio.*

Non dicitur communior opinio, quæ simpliciter plures habet auctores, qui quod à prioribus traditum est, sequuntur, nulla discussione præmissa, instar auium, quæ alias sequi consueuerunt, vt contingit in iis, qui eiusdem esse factionis exponuntur. Illa communior dici debet opinio, quæ plures habet classicos auctores, qui rem ex professo tractantes, eam adhibita discussione, & perpensis vtrinque rationibus sequuntur. Certe si sex aut septem auctores classici illam sequantur, præferenda est illi, quæ à quinquaginta aliis, qui sola ferè auctoritate priorum ducuntur, probata est. Vndè si vtraque habeat octo vel decem assertores graues, & cum iudicio eam sequentes, vtramque communem appellabo. Catalogum auctorum classicorum habet Azorius *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 14. *&* *c.* 16. *q.* 5. Contestantur Vasq. 1. 2 *disp.* 62. *c.* 4. *n.* 13. Sancti. *in select disp.* 29. *n.* 7. *&* *disp* 44. *n.* 67. *&* 68.

20. *Quænam obseruanda in delectu opinionum.*

In opinionum delectu hæc annotanda expono: Ea sequenda opinio, quæ habet pro se legem aut consuetudinem approbatam. Si vtraque pro se legem habet, tunc iura iuribus concordanda sunt

sunt, & pro diuerso tempore intelligenda, ne contraria dicant. Si concordare commodè non possunt, tunc communior sequenda. Si non apparet, quæ sit communior, tunc aut sequenda est ea, quæ rationibus firmioribus nititur, aut quæ benignior & humanior est. Dico illam esse benigniorem, quæ fauet iuramento, libertati, voto, matrimonio, religioni, pupillo peregrino, viduæ, reo. Porrò opinio, quæ fauorem animabus inducit, sequenda est potius, quam quæ strictior est. Quia odia sunt restringenda. Ita communiter Doctores. Lege citatos.

21. *Haud simus iudicij tenaces circa opinionem propriam.* Quando quis iudicat vnam opinionem adeò esse probabilem, vt veram esse reputet, & falsam contrariam arbitretur: debet tale iudicium suspendere nec arbitrari, se illis Doctoribus oculatiorem, qui contrariam tuentur: imo aliquando id tenebitur præstare; v. gr. si iudicat, ex opinione sua graue seu animi, seu corporis proximo imminere periculum, quod per alteram sententiam euitatur. At si non possit conscientiam deponere, ex hypothesi peccabit necessariò; quia vel contra conscientiam faciet, vel proximum grauioris periculi exponet incommodo. *Qui suprà.*

22. *Non datur vna probabilis opinio tutior altera circa periculum incidendi in culpam.* Quæsierim, an inter opiniones probabiles detur vna securior, ac tutior altera: hoc est, an maius periculum incidendi in culpam possit inueniri, vnam opinionem sectando, quam aliam. Negatiuè respondeo. Quia cum quælibet probabilis opinio tutam reddat conscientiam in operando, non minus tutus erit operans iuxtà vnam, quam iuxtà aliam opinionem. Decipiuntur proculdubio multi, putantes securius se gerere, dum id, quod sub opinione versatur, an sit peccatum, tale esse decernunt. Nam cum dubitent de veritate, non est maior ratio, quare pro peccato, quam contra ipsum respondere constringantur. Henr. *in proœm. sum.* Sanct. *in select. disp.* 44.

23. *Diuersitatis opinionum in moralibus vtilitas.* Profectò dum video tot diuersas sententias in rebus moralibus circumferri, diuinam reor prouidentiam fulgurare. Quia ex opinionum varietate iugum Christi suauiter sustinetur. An nõ melius viatori plures vias à Vallisoleto in Matritum exponi, quam si vnica tantum reperiretur? Certe vel eam nimis latam esse oporteret, aut per eam transeuntes impediri, ac cum molestia peragrare opus esset. Ergo superna prouidentia cautum, plures operationum moralium vias exponi, rectamque inueniri posse actionem, siuè iuxta vnam, siuè iuxta alteram opinionem homines operentur. Sancti *in select. disp.* 44. *n.* 70. Caramu. *tr. sup. regul. D. Bened.* 60.

CAPVT III.

De conscientia dubia.

24. *Dubium speculatiuum, ac practicum.* DVbium de rebus agendis diuiditur in speculatiuum & practicum. Speculatiuum est, quando quis in generali dubitat, an aliquid ita sit, vel non sit: vel an liceat, vel non liceat absolutè. Practicum verò, cum quis dubitat, an aliquid sibi illicitum sit, id est, an liceat sibi hic & nunc aliquid agere, vel omittere, & huiusmodi dubium conscientiam dubiam dicitur constituere. v. gr. ille speculatiue dubitat, qui certus non est, an habeat titulum beneficij legitimum? an res, quam emit, fuerit à legitimo Domino vendita? At dubium hoc nunquam eo vsque peruenit, quod dubitet operans, an delinquat retinendo beneficium, aut rem illam emendo. Certè practicè dubitat ille, qui dubius, an sit licitum non seruare festum aliquod, vel ieiunium, diceret: siuè liceat, siue non liceat seruare hoc festum, vel ieiunium, adhuc volo nec ieiunium, nec festum seruare. Sanch. *de matr. l.* 2. *disp.* 41. *num.* 4. Reginal. *l.* 19. *num.* 79. Filliuc. *tr.* 21. *num.* 154. Bonac. *de peccat. disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 7. *num.* 1.

25. *Licet, cum dubio speculatiuo aliquando operari.* Licet cum dubio speculatiuo aliquando operari, quando scilicet adest opposita cognitio practica propter aliquam specialem circunstantiam. Quia actus humani circa singularia versantur, & quod in communi illicitum est, potest ex aliqua circunstantia respectu huius licitum fieri. Ex. gr. miles potest habere dubium speculatiuum, an bellum, quod geritur à suo Principe sit iustum: & tamen practicè potest formare iudicium, licere sibi obedire Principi ad bellum aduocanti. Certè dum ei non constat de belli iniustitia, ad eum non pertinet statuere, an bellum iustum, vel iniustum sit; sed ad Principem. Bannes 2. 2. *q.* 62. *art* 6. *dub.* 5. Dian. 4. *p. resol.* 1. Salon. 2. 2. *q.* 5. *de domin. a.* 7.

26. *Operans cum practico dubio peccat.* Operans cum practico dubio peccat ea specie peccati, de qua dubitatur. Quia exponens se periculo peccandi mortaliter, peccat mortaliter: & qui se peccandi venialiter periculo exponit, venialiter delinquit: habet enim talis affectum ad peccandum eiusdem rationis, cuius se periculo

riculo exponit. Certum hoc planè, quamuis speculatiuè certus esset, hoc sibi esse licitum modo dubius sit practicè. Quia voluntas ad actionem applicatur non per speculatiuum, sed per practicum iudicium, eaq; applicatio deformem reddit actionem. Sanch. *l.* 1. *decal. c.* 10. *numer.* 6. Clauis Reg. *l.* 1. *c.* 13. *n.* 3. ex D. Thom. *Quodlib.* 8. *a.* 13.

27. *Dubitans practice in vtramque partem peccat, nisi eligat minus malum.*

Dubitans practicè in vtranque partem, quia timet sibi peccatum siue in agendo aliquid, siue in omittendo: peccat, nisi adhibita diligentia debita, eligat minus malum, si alterum necessario eligendum iudicauerit. Quia facit, vel omittit aliquid practicè dubitans esse peccatum. Quod autem dixi, minus malum esse eligendum, locum habet, quando discerni potest, quodnam malum maius sit, & probabilius immineat; nam aliàs poterit quodcumque libuerit sine peccato eligere, si alterutrum eligendum sit. Ratio est, quia reipsa nunquam simpliciter datur perplexitas, vt homo necessario peccare debeat. Sanch. *l.* 1. *Decal. cap.* 10. *num.* 19. Reginal. *l.* 13. *num.* 86. Becan. *de acti. hum. c.* 4. *q.* 8. *n.* 7.

28. *Duo requiruntur, vt conscientia speculatiuè dubia practice deponatur.*

Duo requiruntur, vt conscientia dubia speculatiuè, practicè deponatur, & vincatur, nempè debita diligentia ad rei inquirendam veritatem, quam ratio postulat pro rei, temporis, & loci qualitate, & conditione. Et iusta causa deponendi practicè dubium speculatiuum, vt est consilium doctorum virorum, sufficiens studium, possessio, quæ (probabili ex sententia) titulus communis est non solum in materia iustitiæ, verum etiam cæterarum virtutum, ita vt in dubio iudicandum sit in fauorem possidentis. Reginal. *l.* 13. *n.* 83. Filliuc. *tract.* 21. *num.* 174.

CAPVT IV.

De conscientia erronea.

29. *Conscientia erronea ex ignorantia vincibili, & inuincibili,*

IAm vero conscientia *erronea* vel procedit ex ignorantia vincibili culpabili, inexcusabili, quæ ita imprudenter iudicat, vt possit falsum & imprudens iudicium deponere si debitam adhibeat diligentiam: vel ex ignorantia inuincibili, inculpabili, inexcusabili, quæ ita errat, vt positis talibus circumstantiis videatur prudenter iudicare, nec suum iudicium deponere teneatur. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 11. *num.* 1. & 5. Bonac. *tract. de peccat. disput.* 2 *quæst.* 4. *punct.* 6. *num.* 10.

30. *Obligat ad operandum conscientia erronea inuincibiliter.*

Quemadmodum conscientia recta voluntatem obligat ad non contrauenien-dum ei, sic erronea. Quia non tantum qui facit, sed etiam qui credit se facere id, in quo displicet Deo, legem Dei contemnit, & ideo reus est culpæ in Deum. Vnde qui contra conscientiam inuincibiliter errantem agit eodem peccato fœdatur, quale esse conscientia dictat. Quia tali in actione quantum in te est, vis quale conscientia dictat, piaculum perpetrare. Valent. 1. 2. *disp.* 2. *q.* 14. *punct.* 4. *dub.* 3. Nauar. *in manu. præl.* 9. *n.* 9. Vasquez 1. 2. *disp.* 59. *c.* 3.

31. *Qui gerit aliquid malum ex conscientia erronea vincibili, peccat.*

Qui autem ex conscientia erronea vincibili seu culpabili aliquod gerit malum, à crimine non excusatur, etiam si conscientia dictet illud esse faciendum. Quia in hominis potestate est vincibilem deponere errorem, vnde malum quod ex conscientia erronea fit, censetur homini indirectè esse voluntarium. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 11. *n.* 12. Azor. *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 8. *q.* 8. Filliuc. *tract.* 21. *n.* 121

32. *Conscientia erronea inuincibiliter obligat ad positiuam sui obseruationem.*

At conscientia erronea ex inculpabili inuincibili ignorantia non solum obligat, nequis faciat contrarium, sed etiam simpliciter obligat ad positiuam sui obseruationem. Quia malum, quod ex huiusmodi ignorantia commissum est, non censetur voluntarium, cum ignorantia inuincibilis omnem rationem voluntarij circà malum tollat. Azor. *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 8. *q.* 8. Bonac. *tract. de peccat. disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 6. *numero* 14. Filliuc. *tract.* 21. *num.* 120. 123.

33. *Nemo ex conscientia errore eas potest subire angustias, vt peccare cogatur.*

Ex errore conscientiæ nemo potest eas subire angustias, vt delinquere compellatur. v. gr. putas te posse mentiri, ad vitam proximi tuendam, quia si mentiaris, peccabis contra legem Dei, si non peccabis contra conscientiam. In tali casu ad euitandum ex vtraque parte peccatum, si error sit culpabilis, facere debes quod in te est ad depellendum errorem, vt sic valeas contrarium efformare iudicium & deponere errorem conscientiæ. At si error sit inculpabilis, volitio illi conformis non erit peccatum nisi materialiter: vnde nunquam in eum redigeris statum, vt quidquid agas peccare necessario debeas. Quia daretur peccatum non liberum, quod absurdissimum esse quis ignoret? Proximè citatos lege Doctores.

34. *Ad quodnam peccati genus reuocetur peccatum ex conscientia erronea commissum.*

Ad quodnam, quæso, peccati genus reuocan

reuocandum peccatum contra conſcientiam rectam ex erronea commiſſum? Agere contrà conſcientiam rectam non eſt ſpeciale peccatum: ſed retinet ſpeciem eius peccati; quod quiſpiam committit ea repugnante, ſeu homicidij, ſeu furti. Quia non eſt præceptum ſpeciale, ſed generale, vt ſecundum conſcientiam agamus. At quæ fiunt contra conſcientiam erroneam, non ſunt hoc ipſo in aliqua ſpecie peccati certa, ſed ad eam pertinent ſpeciem, quam conſcientia dictat, vel contra quam quis ſe delinquere exiſtimat v. gr. qui carnaliter cognoſcit aliquam fœminam quam falſo putat eſſe nuptam non ſolum ſe peccato fornicationis commaculat, verum & adulterij. Quod ſi putares aliquod opus indifferens eſſe peccaminoſum, & malum in genere, non deſcendendo ad ſpeciem aliquam particularem: ſolum peccares contra ſyndereſim, cuius nimirum præceptum generale eſt dictans, ſequendum bonum, & malum fugiendum. Valent. 1. 2. *diſp.* 2. *q.* 14. *punct.* 4. *dub.* 2.

CAPVT V.

De conſcientia ſcrupuloſa.

35. *Vnde nam conſcientia ſcrupuloſa.*

DEnique conſcientia illa *ſcrupuloſa* ſiue leuis ſuſpicio, qua quis inducitur ad credendum vel dubitandum, eſſe peccatum, quod vere non eſt, aſſolet interdum ex infirmitate ſeu puſillanimitate naturæ prouenire; nonnumquam ex melancholia; aliquando ex tentatione dæmonis; interdum ex peccatis commiſſis cum quis nimius eſt in iis ſæpe confitendis, & examinandis anxius & ambiguus, an ritè integréque confeſſus ſit; num peccato conſenſerit, an vouerit, an iurauerit, aliquid ſe facturum. Interdum ex ignorantia, per quam homo nequit diſcernere verum à falſo; nonnumquam ex nimia corporis maceratione, ieiuniis & vigiliis ſic cerebrum exſiccantibus, vt mentem conturbent, & ſcrupulis præbeant occaſionem. Interdum denique ex ſuperbia, quæ ſicut omnis peccati fons meritò nuncupatur, ſic etiam ſcrupulorum & afflictionis animæ aſſolet eſſe cauſa. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 67. *c.* 2. Salas 1. 2. *tract.* 8. *diſp.* 1. *n.* 291 Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 10. *n.* 79. Caſt. Pal. *tr.* 1. *diſp.* 4. *punct.* 1.

36. *Voluntas diſcordans à ſcrupulo ſcrupuloſa conſcientia vt ſic, eſt bona.*

Certè voluntas conformis ſcrupuloſæ rationi recta non eſt. Quia diſſentit à prudentiæ dictamine ſuſpicioni adhærendo contra opinionem probabilem aut etiam contra, ſcientiam. Voluntas autem diſcordans à ſcrupulo vt ſic eſt bona. Quia vt reiiciat ſcrupulum vt ſcrupulus eſt, debet eſſe conformis ſcientiæ, vel opinioni probabili, quæ ſit contraria ſcrupulo & ſic rectè operabitur. Nam ſi ſcrupuloſus ſuum non poſſit vincere ſcrupulum, ita vt contrarium iudicet ſibi licere, non operabitur prudenter, & exponet ſe delinquendi periculo, non quia facit contra ſcrupulum, ſed quia non habet iudicium determinatum de operis honeſtate. Malder. 1. 2. *diſput.* 88. Sanch. *libro* 1. *Decal. c.* 10. *num.* 80. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 67. *cap.* 2.

37. *Dupliciter poteſt ſcrupuloſus ſuum iudicium deponere.*

Poteſt ſcrupuloſus dupliciter ſuum iudicium deponere, vno modo per principia intrinſeca, rationes ſcilicet de nouo aduenientes, quibus iudicium in contrarium immutetur, iudicans iam licitum eſſe, quod antea reputabat illicitum. Altero per principia extrinſeca, authoritatem videlicet Confeſſarij, aut aliorum Doctorum virorum dicentium, nullo modo peccaturum ſcrupuloſum licet operetur non depoſito iudicio fundamentis ſcrupuloſis innixo: imo rectius acturum, ſi adhuc eo non depoſito operetur. Non ſolum enim licitè operari poteſt non depoſita intrinſecè conſcientia ſcrupuloſa, & ſalubre ei conſilium ſic operari: imò & aliquando præceptum. Tenetur enim ſcrupuloſus conſilio confeſſarij, aut alterius viri docti ſubiacere, quotieſcumque ex ſcrupulorum anxietate notabile ſaluti damnum obueniret; & in operibus ſub præcepto. v. gr. debet Euchariſtiam ſumere in mortis articulo, vel in Paſchate, & Miſſæ intereſſe in die feſto, licet aduerſus ea ſcrupulis infidelitatis diuexetur. Porro in operibus ſub conſilio, etſi non tenacatur iudicium Confeſſarij ſectari cum nec agere ſit res conſilij adſtrictus: poterit licite illi ſubiacere contra proprium dictamen eo quod ſcrupuloſus ratione probabili non nitatur, ſed potius ipſius defectu, & ignorantia. Lege citatos n. præcedenti Doctores.

38. *Remedia ſcrupuloſis adhibenda.*

Remedia ſcrupuloſis adhibenda multa apud Doctores illud mihi omnibus præponendum (præter orationem, ſacramenti vſum ac Deiparæ ſpecialem affectum) virum doctum ſeu confeſſarium, ſeu conſiliarium eligere, cui proprium iudicium ſubmittat, firmiter ſibi perſuadens, Deum non aliud ab ipſo poſtulaturum

rum, etiã si forte director erraret. Prudẽter enim tũc operatur scrupulosus atque adeò non delinquit, sequẽdo huiusmodi electi à se viri iudicium. Quia hæret prudentiæ regulæ, quæ habet licere se submittere viris probis & doctis, quando aliquid iubent vel consulunt circa eã rem, quam optime calluere. Fill. *tr.* 21. *c.* 4. *q.* 15. Sanch. *l.* 1. *dec. c.* 10. *n.* 82. Azor. *t.* 1. *l.* 2. *c.* 20. *q.* 6. *&* 7. Becan. *p.* 2. *tr.* 2. *c.* 4. *q.* 10. Laym. *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 6. 2. 2.

SECTIO SECVNDA.

De Conscientia Problemata.

CAPVT VI.

Circà Conscientiæ probabilitatem.

PROBL. I.

Possumus, & non possumus probabilem opinionem circa idem obiectum pro libito variare, prout nobis commodius obuenerit.

39. *Non possumus pro libito variare.*

CAsum assigno, quo quæstionis difficultas aperiatur. Confessarius pœnitenti imposuit loco satisfactionis, vt in honorem Virginis singulis sabbatis per annum aut mensem certam eleemosynã pauperibus exhiberet. Aduentante sabbati vespera pœnitens cum audisset vnius horologij sextam horam, alterius vero sextam cum dimidia, decreuit domo egredi, & post vndecimam horam noctis auditam posterioris horologij ad exhibendã redire eleemosynam, prius quam sabbatum præteriret. At paulo post quam audiuit vndecimam horã horologij posterioris, duodecimã prioris audiuit, & probabiliter iudicãs iam sabbatũ præteriisse, reputat se liberum à subsidio pauperi elargiendo, quod Confessarius in honorem diei alligauerat sabbato. Possum nè tali in casu vtriusque horologij opinionem pro libito variare? Non potes. Quia dum potes alterius horologij præscriptum sequi, instat simul Confessarij præceptum quod ritè potest expediri. Sic Rodr. *in noua edit. sum. t.* 1. *c.* 105. *n.* 6. Salas 1. 2. *tr.* 8. *disp. vnica. sect.* 25. *n.* 264.

40. *Possumus variare, pro libito.*

Potes quidem. Quia duo horologia sibi habẽt ac si essent duæ probabiles opiniones, quarũ vtramque licet sequi, & amplecti. Ita in casu non dissimili Sanch. *de matr. l.* 2. *disp.* 41. *n.* 40. Villalob. *t.* 1. *tr.* 1. *diffic.* 21. *n.* 7. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 46. Fagund. *de præc. Eccl. præc. c.* 4. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 3.

41. *Approbo magis secundam sententiam.*

Primam sequor, at huic hærentem opinioni monuerim eum, qui habet animum, in præfato casu aut similibus, ab initio variandi sententiam tali tempore, vel sub tali circumstantia, vt eximatur ab obligatione præcepti, proculdubio contra illud delinquere? quia fraudulenter onus nititur declinare, quod legitime erat subeundum, & defraudat legem opere, rite præscripto, quod absolutè erat præstandum.

PROBL. II.

Iudicium probabile de bonitate actus gerendi sufficit, & non sufficit ad rectam operationem.

42. *Sufficit dictamen probabile.*

PRoximum conscientiæ dictamen probabile sufficit ad operandum prudenter & benè moraliter. Quia cum prudẽtia sit humanarum operationum regula, iudicium sufficiens ad prudenter agendũ, sufficit ad honestè operandum; sed prudens operatio non requirit omnimodã certitudinem, cum hæc vix sit intellectui nostro possibilis, quapropter probabilis sufficiens est ad prudẽter operandũ; ergo conscientia probabilis etiã cum alterius partis formidine potest esse prudẽs dictamẽ, & proxima honestæ operationis regula. Nam aliàs vix esset, cui liceret operari, cũ res practicę difficillimę cognitu sint, & variis opinionibus addictæ. Sic Sanc. *l.* 1. *dec. c.* 9. *n.* 18. Sal. 1. 2. *tr.* 8. *d.* 1. *sect.* 4. Vasq. *c.* 1. 2. *d* 62 *n.* 5. *&* 9.

43. *Non sufficit dictamen probabile.*

Requiritur ad dirigendã operationẽ rectã iudicium practicũ moraliter certũ de bonitate talis actus oppositæ partis omnẽ formidinem excludens. Quia vt dicitur Eccli. 13. *Qui amat periculũ, peribit in illo;* Vndè qui deliberatè se periculo delinquẽdi cõmittit, peccat; sed quilibet operãs dũ non est practicè certus de talis operationis bonitate se remillicitam patrãdi cõmittit periculo; ergò peccat nisi de bonitate præcedat certitudo. Sic Suar. 3. *p. to.* 5. *disp.* 40. *sect.* 5. *n.* 14. *& sect.* 6. *n.* 6. Lessi. *l.* 1. *c.* 1. *dub.* 1. Caiet. *to.* 1. *Opusculor. tr. vlt. resp.* 13. *dub. vlt.*

44. *Distinguo duplicem certitudinem, & primæ sententiæ subscribo.*

Profectò in præsenti duplicem distinguo certitudinẽ. Primam directam de bonitate obiectiua talis operationis secundum se, quæ dicitur à nonnullis (parum propriè) speculatiua certitudo. Secundam reflexam de bonitate talis operationis prout hic & nunc exercitæ, vel exercendæ, indicando scilicet, suppositã tãli vel tali

cognitione directa, siue speculatiua licere talem operationem in praxi sub his exequi circunstantiis. Primam certitudinem vtraque sententia fatetur non esse necessariam : secundam requirit secunda sententia, prima vero censet non requiri: & hæc mihi magis arridet: quia durissimum apparet omnes tam doctos, quam indoctos obligare, vt iudicium omnino certum de operationis honestate eliciant prius quàm licitè queant operari.

PROBL. III.

Licet mihi, & non licet, sequi quamlibet opinionem probabilem, etsi minus tuta sit, & minus probabilis, quam opposita.

45. *Opinio probabilior semper est præferenda.*

OPinio probabilior semper est præferenda minus probabili, & magis tuta minus tutæ. Quia qui certus est opinionem aliquam esse minus probabilem, censet esse falsam, & assentitur oppositæ tanquam veræ, prudenterque iuxta probabiliorem opinionem dictamen efformat; ergo si sequatur in praxi minus probabilem, agit contra prudentiam, & conscientiam, & delinquit. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *a.* 5. Maior *ibi q.* 1. *prolog.* Cordub. *t.* 4. *q.* 3. *& l.* 3. *q.* 5. Almain. 3. *moral. q.* 3.

46. *Probabilior ac tutior opinio nõ est præferenda.*

Probabilior & tutior opinio præferenda non est, sed licet cuilibet sequi quamlibet opinionem probabilem etsi minus tuta sit, & minus probabilis, quam opposita. Quia in moralibus operationibus non adstringimur sequi, quod optimum, ac tutissimum sit; sed sufficit sequi, quod bonum est, ac tutum : sed quod probabilis opinio tradit, id bonum ac tutum est; ergo licitum est illam sequi, quamuis opposita sit tutior, id est magis ab omni specie materialis transgressionis remota. Certè onus esset intolerabile & multis obnoxium scrupulis, si tutiores semper opiniones vestigare, & amplecti teneremur. Sic Suar. 3. *p. to.* 5. *disp.* 40. *sect* 5. *n.* 6. Vasq. 1. 2. *disp.* 62. *c.* 4. Lessi. *l.* 2. *c.* 29. *n.* 68. Laym. *l.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. §. 2. *n.* 7. Cast. Pal. *tr.* 1. *disp.* 2. *punct.* 2.

47. *Hæreo secundæ opinioni.*

Scio planè opiniones posse inter se comparari æquè probabiles, sed non æque tutas, vel in omnibus æquales, vel in vtroque inæquales, ita vt minus probabilis sit tutior, & minus tuta sit probabilior : vel eadem sit probabilior & tutior; vel sint æque tutæ sed non æque probabiles. Igitur vel vtraque pars contradictionis sit æque probabilis ac tuta, vel sint opiniones inæquales quoad probabilitatem, & securitatem, proximam sequendam sententiam existimo, Quia si tutior aut probabilior opinio semper esset sectanda, cum opiniones, quæ damnant aliquos contractus, vel actus humanos sint tutiores, quam oppositæ, semper illæ forent sequendæ. Vndè vix possent humana commercia constare, magnaque ex parte ciuiles cessarent contractus, & pluribus laqueis implicaremur.

PROBL. IV.

Illiteratus debet, & non debet semper sequi opinionem, quam existimat, apud peritos magis esse communem, nisi contraria tutior inueniatur.

48. *Debet illiteratus sequi opinionem magis communem.*

DEbet quidem. Quia temerarius videtur imperitus homo, qui nescius ex se momenta sententiarum librare, deserit opinionem magis communem, quam videt, à pluribus probabiliorem reputari, & sequitur in praxi minus communem, & minus tutam. Ita Maior *in* 4. *q.* 2. *Prol. concl.* 5. Cordu. *l.* 2. *q.* 3. *Concl.* 4.

49. *Non debet.*

Non debet, sed licitè potest illiteratus sectari opinionem, quam probabilem reputat, quippè quæ docetur à probis, & peritis : quamuis simul agnoscat, illam nec magis communem, probabilem ac tutam amplius esse. Quia quisque doctus, & probus suam sequi potest opinionem, quamuis videat oppositam magis esse communem, ac magis tutam; ergò licitè potest illiteratus huic Doctori conformari. Sic Vasq. 1. 2. *disp.* 62. *c.* 8. Salas 1. 2. *tr.* 8. *nu.* 74. Conrad. *de contract. q. finali, concl.* 2.

50. *Subscribo huic placito.*

Subscribo huic placito haud temerarium reputans eum, qui opinionem probabilem sequitur, quamuis sciat, oppositam esse probabiliorem, ac tutiorem. Imò, auctore me, minùs temerarius Docto adhæresceret, quem præsumet agnoscere maiorem alterius opinionis probabilitatem, & securitatem. Cum illiterato quid huiusmodi cognitioni ?

PROBL. V.

Opinio speculatiuè probabilis semper in praxi est tuta, & non semper est tuta.

51. *Semper tuta est.*

SEmper in praxi est tuta. Quia ab speculatiua probabilitate connaturaliter, & prudenter practica oritur probabilitas tanquam à causa effectus. Cum enim hæc

hæc speculatiua cognitio praxim respiciat tanquam obiectum suum, & ad opus dirigat voluntatem: id operamur licitè, quod morali speculatione probabiliter licere iudicamus. Sic Dian *punct. 2. tr. 13. resol. 5.* quamuis *resol. 5.* se aliorum iudicio remittit. Ioan. Sanct. *in select. disp. 44. num. 63.*

52. *Non est semper tuta.* Non est semper in praxi tuta speculatiuè probabilis opinio. Quia licet ratio per se se probabilitatem ostendat, praxis interdum inconuenientia grauiora parit. Ita plures Iurisprudentes apud Ioan. Sanctium citatum, qui non audent in praxi sequi opinionem Duareni, Cuiacij, Donelli, Antonij Fabri, ac similium: illasque vocitant solum Theoricas, & non practicas, vt quæ soli deseruiunt scholæ, non praxi forensi. Consonat Sanch. *de matr. l. 7. disp. 32. n. 17.* vbi postquam nonnullis rationibus probabiliter ostendit, fœminas quinquagenarias eximi ab obligatione ieiunij propter sexus imbecillitatem, ideo censet, non esse damnandum eimentem fœminas quinquagenarias à ieiunio. Subdit autem, quamuis hæc opinio sit speculatiue probabilis, in praxi verò non esse tutam.

53. *Primam tueor sententiam.* Primam tueor sententiam. Quia si præuisis omnibus incommodis, quæ nasci possunt ex praxi, probabiliter adhuc iudicamus, talem praxim licere, licitè illam exercere poterimus. Fateor tamen, non omnia, quæ licent, expedire semper ob extrinsecas circunstantias. Item si Princeps supremus vel eius suprema curia talem stylum asseruari, contrarium omnino prohibens: tunc opinio tali decreto contraria iam per illud desineret esse probabilis. v. gr. post Tridentinum opiniones aliquot Angeli, Armillæ, Syluestri, ac similium ad praxim reduci non possunt, cum anteà probabiles censerentur. Quare eo ipso quod opiniones hæ, aut illæ dicuntur non esse practicæ probabiles, consequenter nec esse speculatiue probabiles asseruerim; quia inconuenientia practica earum falsitatem ostendunt.

PROBL. VI.

Mortis instante articulo, mihi licet, & non licet opinioni minus probabili, minusque tutæ hæresecere.

54. *Non licet.* NOn licet profecto. Quia quando agitur animæ salus, mortis instante articulo, tenetur homo partem amplecti ad expiandam conscientiam, quam reputat probabiliorem, ac tutiorem exponi. Sic Thom. Sanch. *l. 2. Decal. c. 1. n. 6.* inde colligens, infidelem cui, proponitur nostra fides, vt magis credibilis, dum adhuc eius secta probabiliter credibilis appareat, non teneri ad recipiendam nostram fidem extra mortis articulum, secus in illo, in quo sectari debemus quod magis probabile, ac tutum exponitur.

55. *Licitum est.* Licet plane. Quia conscientia pariter ligat extra mortis articulum, ac in illo; ergo sicut probabilis opinio licitam reddit operationem, vel omissionem extra mortis articulum, sic etiam in illo. Sic Ioan. Sancti. *in select. Disp. 19. n. 8.* Dian. *p. 2. tr. 13 resol. 9.*

56. *Secundam approbo sententiam.* Cum his sentio, putans mortis articulum haud nouam regulam operationum inducere moralium, etsi nonnumquam (fateor) inducat particularis præcepti tunc vrgentis non antea, obligationem. Sanchez & Diana consequenter asserunt, infidelem illum nec in articulo mortis obligari ad credendum. Ego autem cum Bann. 2. 2. *q. 10. art. 1. dub. 3.* ac Petro Ledesma *tom. 2. sum. tr. 1. c. 5. concl. 5. & 6.* eum etiam extrà mortis articulum obligarem.

PROBL. VII.

Licet, & non licet fouere propositum, varios adeundi Doctores donec inueniam mihi, qui ad libitum respondeat.

57. *Non licet.* NOn licet. Quia non tam videbor debitum honestatis, quam voluntatis intendere libitum in legis quidem obseruandæ contemptum. Sic Adrian. *in 4. tr. de restit. q. de præscr.* Nauar. *in manu. c. 17. n. 83.*

58. *Licet.* Si rectam habeo intentionem, opinionem probabilem requirendi, quæ mihi faueat, animoque afficior firmo, nihil gerendi probabili conscientiæ contrarium: licitè quidem possum varios adire consiliarios, donec inueniam qui respondeat ad libitum. Sic Sanch. *l. 1. Decal. c. 9. num. 4.* Castro Palao. *tom. 1. tract. 1. disput. 2. punct. 3. num. 6.* Zumel 1. 2. *q. 76. a. 2. disp. 4.*

59. *Huic hæreo placito.* Idem habeo compertum, imò crediderim Adrianum, & Nauarrum haud hoc in casu locutos, sed quando quis Doctorem quæreret suo libito responsurum, nil de responsionis veritate, seu probabilitate curans.

PROBL. VIII.

Potest Confessarius aut Doctor consultus, & non potest respondere iuxta aliorum sententiam, quam minus probabilem reputat.

60. *Non potest.* NOn quidem potest. Quia cum adeatur Confessarius animi medicus, vel Doctor veritatis assertor consulatur, si responderet iuxta sententiam, quam minus probabilem, reputat, auctor falsitatis obiiceretur. Sic Sotus *in* 4 *dist.* 18. *q.* 2. *a.* 5.

61. *Potest.* Potest planè. Quia sicut potest quilibet in praxi tuta conscientia sequi opinionem minus probabilem; sic poterit aliis præbere consilium, vt iuxtà talem opinionem operentur. Ita Vasq. 1.2. *disp.* 62. *n.* 47. & *disp.* 63. *n.* 14. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 9. *n.* 19. Salas 1.2. *tract.* 8. *n.* 69. Laym. *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. *num.* 9.

62. *Auctoris placitum.* Ego quidem arbitror Confessarium aut Doctorem consultum interrogatum de sua sententia, scilicet, quid ipse sentiat, non posse iuxtà sententiam aliorum respondere. Quia deciperet consulentem. At si solum interrogetur de practica talis operationis, aut omissionis obligatione, tale debere exhibere responsum, vt non mentiatur: sed dicat, eo sibi probabilius videri vel speculatiuè verum; sed tamen posse contrarium fieri iuxta probabilem opinionem.

PROBL. IX.

Expedit, & non expedit Confessarium, aut Doctorem consultum respondere iuxtà probabilem aliorum sententiam suppressa sua probabiliori.

63. *Expedit tacere.* EXpedit Confessarium aut Doctorem consultum tacere aut suam sententiam simpliciter explicare, vel ad Doctores contrarium opinantes interrogantem remittere. Ne mentiendi periculo exponatur, aut laxioris varij dogmatis videatur assertor. Sic Salas 1.2. *tract.* 8. *n.* 69. & 85. Vasquez. 1.2. *disp.* 62. *num.* 47. & *disp.* 63. *n.* 14.

64. *Expedit loqui.* Expedit Confessarium, aut Doctorem consultum loqui, & verbo aut scripto iuxta aliorum minus probabilem sententiam respondere. Quia falsitatis aut varietatis nota facilè vitatur si respondens verbo vel scripto dicat, quamuis contraria sententia sibi sit probabilior, istam quoque tanquam probabilem posse tuto teneri. Ita Sanchez *libro.* 1. *Decal. cap.* 9. *num.* 19. Villal. *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 12. *n.* 2. addens debere Confessarium sequi sententiam fauentem pœnitenti quamuis ipse reputet minus probabilem.

65. *Id Auctor asserit à circumstantiis pendere.* Ego quidem rem à circumstantiis pendere reor. Casus feret, quo charitas obliget ad respondendum iuxtà minus probabilem opinionem, ne proximus morali damnationis periculo exponatur, si iuxtà probabiliorem sententiam obligetur ad id quod moraliter non est facturus. Sæpe quoque licet non detur obligatio, non solum rectè, sed etiam melius faciet Doctor respondendo iuxta minus sibi probabilem opinionem: vt vel interrogantis vtilitati prospiciat, vel id iniungat: quod facilius, & cum minori periculo possit ab alio præstari.

PROBL. X.

Doctor consultus credens aliorum opinionem esse falsam, potest, & non potest iuxta illam exhibere consilium.

66. *Non potest.* NOn potest. Quia Doctor veritatis falsitatis videretur assertor: & nemo potest dare consilium, quod credit esse falsum. Sic Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 9. *n.* 19. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *a.* 5.

67. *Potest.* Potest planè, & conforme rationi erit, si Doctor consultus consulenti sententiam exprimat à quibusdam viris doctis tanquam probabilem defendi, quam subinde ipsi liceat amplecti; quamuis idem Doctor eiusmodi sententiam speculatiuè falsam esse certo sibi persuadeat, nec ipse queat iuxta illam operari. Ratio est, quia consulens in re dubia ius habet operandi iuxta sententiam aliquibus saltem doctis viris probabilem, quamuis alij contradicant, & speculatiuè sentiant eandem esse improbabilem; ergo Doctor hoc ius consulenti poterit indicare. Ita Laym. *l.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. *n.* 9.

68. *Distinctione apposita respondendum.* Distinxerim tamen. Si Doctor consultus ita reputat suam sententiam probabiliorem, & oppositam falsam, vt adhuc credat istam esse probabilem saltem per extrinseca principia poterit iuxta illam respondere. Quia illa probabilitas sufficit, ad honestandam actionem, quam affirmat licere. At si contrariam sententiam credat, nec per extrinseca principia probabilem esse, haud iuxta illam respondere poterit

rit. Quia tunc verè deciperet asserens id licere quod ipse nullo modo licere putat. Tamen si solum affirmet, quamuis id sibi videatur illicitum, ab aliis licitum reputari, sentit Fran.de Lugo *p.1. præuij decur.c.2.n.51.* forsan immunem futurum à deceptione.

PROBL. XI.

Potest, & non potest Doctor consultus iuxta sententiam aliorum respondere, quando hæc non liberat quidem, sed illigat consulentem.

69. *Non potest.* TVnc potest Doctor consultus relicta sua sententia, quam probabiliorem reputat iuxtà probabilem aliorum sententiam respondere, quando consulentem excusat à peccato, vel eximit à restitutionis obligatione , vel alia simili ; secus si consulentem obligaret ex aliorum sententia contrà propriam. Quia iniquum est auctoritate ficta quempiam conuincere; sed consulens in hoc casu respondentis auctoritate duceretur ; ergò ficta ligaretur auctoritate. Ita Vasq. 1. 2. *disp.* 62. *n.* 47. Dian. *p.* 2. *tract.* 13. *resol.* 14. Salas *tract.* 8. *n.* 85.

70. *Potest.* Licet aliorum sententia illiget consulentem, potest consultus iuxta illius prætextum respondere. Quia sicut Doctor consultus potest iuxtà probabilem aliorum opinionem consulentem excusare, pariter eundem obligare quibit:si quidem in vtroque iuxtà sententiam, quam probabilem reputat, tenetur respondere : in vtroque similiter consulens præsumitur consulti sensum exquirere , vereque potest eius dici sententia , dum illi tanquam probabili assentiatur.Sic Sanch.*l.*1. *Decal. c.9.n.21.*

71. *Si consulens expresse petat sententiam quam consultus probabiliorem putat,tenetur eam aperire.* Crediderim, sæpè dictare prudentiam, ne Doctor aperiat suam sententiam à restitutione excusantem cum non excuset à peccato , cuius facilius perpetrandi dabitur ansa sublato restitutionis onere. Addo sæpè sententiam Doctoris consulti consulentem excusantem esse singularem , nec vulgaribus fundamentis innixam , quæ doctis etiam fundamentorum ignaris improbabilis videbitur, ac forsan generabit scandalum. Attamen absolutè existimo , si consulens expresè petat sententiam , quam consultus probabiliorem putat , teneri consultum aperire.

PROBL. XII.

In materia iustitiæ licet, & non licet consilium dare iuxtà minus probabilem opinionem.

72. *Non est licitum.* NOn licet.Quia Confessarius aut Doctor consultus in materia iustitiæ v. gr. restitutionis , compensationis , aut similis, sunt iudices in interno foro. Sicut ergo iudex foro in externo tenetur (ex multorum sententia) iuxta probabiliorem sententiam ius dare , sic hi tenentur respondere. Ita Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *q.*7. *punct.* 4.

73. *Licitum est.* In omni materia (etiam iustitiæ) potest consultus iuxta minus sibi probabilem opinionem respondere. Quia quilibet potest opinionem firmis innixam fundamentis auctoritatis vel rationis sequi. Non enim est temerarius , aut imprudens qui sufficiente auctoritate , verisimilique ratione ducitur. Vasq. 1. 2. *disput.* 63. *num.* 1. Sanch. *l.* 1. *Decal. cap.* 9. *nnm.* 22.

74. *Approbo secundam sententiam.* Existimo , huic hærens sententiæ , Iudicem externi fori à iudice fori externi dissidere , quod hic sic inter partes à Republica constituitur , vt secundum id, quod magis æquum reputat sententiam ferat: at ille iudicium medicinale exercet non inter partes , sed inter Deum & hominem. Quare suo muneri satisfacit , si consulentem recte in ordine ad Deum componat,quod sufficienter præstat,dum opinionem probabilem in respondendo sectatur.

PROBL. XIII.

Potest, & non potest iudex eligere quam maluerit probabilem æque opinionem & secundum illam iudicare.

75. *Non potest Iudex eligere pro libito opinionem.* IN triplici statu Iudex potest considerari. Primo , dum examinat testes , reum interrogat , detrudit in carcerem,extrahit è loco sacro , vel similia quædam agit antequam sententiam pronunciet. Secundò dum diiudicat factum ipsum probationibus partium contestatum. Tertiò , dum factum constat & ius vtrique parti probabiliter fauet. Circa tertium statum quæstio voluitur. Et quidem si circa ius partium vtraque opinio sit æque probabilis tenetur iudex, vel litigantes compo-

nere, vel diuidere rem inter ipsos, vel si fuerit indiuisibilis vt maioratus, aut beneficium, diuidere partem fructuum, vel sorti committere. Quia cum opiniones sunt æquè probabiles, æquale ius partium est, atque ideo declinare in vnam potius quam in aliam, cum sine causa fit, personarum videtur acceptio. Sic Bannes 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 4. *dub.* 1. Laym. *l.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 16. Qui id confirmat ex reg. 12. *de Regul. iuris in* 6. In iudiciis non est acceptio personarum habenda.

76. *Potest eligere.* In hoc casu potest Iudex eligere quam maluerit opinionem, & secundum illam iudicare; imo, cessante scandalo, nunc secundum vnam, nunc secundum aliam. Quia iudex hac in causa solùm tenetur pro vno ferre sententiam, & cum non sit maior ratio de vno quam de altero, poterit, pro quo maluerit, iudicare. Nec enim ex vi sui muneris, & iustitiæ distributiuæ debet vni magis quam alteri iudicium fauorabile, sed vterque tali iudicio dignus est. Ergo sicut inter duos beneficio æque dignos datur optio, sic in sententiis ferendis. Ita Valent. *tom.* 3. *disput.* 5. *q.* 7. *punct.* 4. *dub.* 3. Sanch. *l.* 1. *decal. cap.* 9. *numer.* 45. Dian. *p.* 2. *tract.* 13. *resol.* 3.

77. *Probabilior secunda sententia.* Licet primam sententiam probabilem duco, secundam non possum non probabiliorem iudicare, postquam legi Glossam *Cap. Per venerabilem*, verbo *fauere de elect.* dicentem: Cum causa fuerit ambigua iudicem cui parti fauere voluerit, iustè posse iuxta *leg. si quis seruum* §. *si inter duos D. de legatis.* 2. Vnde Iason in *lege Post dotem num.* 105. *D. soluto matrim.* & aliis locis, dubias causas, seu quæstiones pro amico dicere consueuit.

PROBL. XIV.

Iudex reputans vnam opinionem probabiliorem esse altera, debet, & non debet iuxta illam iudicare.

78. *Debet iuxta probabiliorem sententiam iudicare.* DEbet quidem. Quia officium Iudicis est ius suum cuique litigantium secundum merita causæ reddere; sed is habet potiora causæ merita, qui ius suum in iudicio secundum leges, & rationes probabilius defendit; ergo iudex debet huic rem adiudicare, ne personarum exponatur acceptor, si iuxta causæ merita non diiudicat. Sic Sanch. *l.* 1. *decal. c.* 9. *num.* 47. Azor. *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 17. *qu. vlt.* Filliuc. 21. *num.* 144. Laym. *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 16.

Iudex tam supremus quam non supremus (dixi *Tam supremus, &c.* quia scio aliquos distinguere de iudice supremo ac inferiore, docentes, supremum debere iudicare secundum sententiam, quam ipse probabiliorem esse putat.) opinionem aliorum minus probabilem sequi potest. Quia nec imprudenter, nec temerè, nec iniustè agit, qui ratione probabili ducitur. Sic Castr. Pal. *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 10. *num.* 7. Salas 1. 2. *tr.* 8. *n.* 118. Ioan. Sanct. *in select. disp.* 44. *n.* 50. Dian. *p.* 2. *tr.* 3. *resol.* 3. 79. *Non debet.*

80. *Secundam approbo sententiam.* Hanc magis probo sententiam, dummodo Iudex non sit arbiter à collitigantibus electus sub conditione, quod iuxtà suum iudicium, & non alienum debeat iudicare. Et modo illa minus probabilis opinio talis non sit, quæ non solùm ab ipso iudice, sed etiam ab aliis communiter minus probabilis censeatur: tunc enim cum Salas *num.* 120. existimo iudicem iuxta illam haud posse iudicare.

PROBL. XV.

Iuxtà æque probabiles opiniones Aduocatus potest, & non potest patrocinari.

81. *Non potest patrocinari.* SCio quidem, si varietas opinionum sit, num hanc, vel illam causam tueri liceat Aduocato, nec ne? posse Aduocatum, quam maluerit opinionem etiam minus probabilem amplecti. Sicut de iudice diximus proximo Problem. de Aduocato docent Vasq. 1. 2. *disp.* 62. *num.* 1. & Sanch *l.* 1. *Decal. c.* 9. *num.* 49. de quo alibi. Difficultas ergo discutienda est, Num stante opinione vtrimque probabili circa ius clientis possit aduocatus patrocinari? Igitur quotiens æqua est vtrimque probabilitas non licet Aduocato, vtramlibet partem tueri; nec enim potest fauere actori; sed debet, vel desistere, vel reo patrocinari: nisi causa sit fauorabilis, v. gr. libertatis, vel matrimonij; tunc enim potius actori fauendum est. Ita Sylvest. *verbo Aduocatus q.* 13. Valent. *tom.* 3. *disp.* 15. *punct.* 4. *q.* 5.

82. *Patrocinari potest.* Quotiens æqua est vtrimque probabilitas licet aduocato vtramlibet partem tueri. Quia vtriusque ius est æquale, nec prævalet possessio, nisi quando ius est negatiuum. Sic Salas 1. 2. *tract.* 8. *n.* 101. Cast. Pal. *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 11. Tolet. *l.* 5. *c.* 60. *n.* 2. Lessi. *l.* 2. *c.* 3. *dub.* 9. Sanch. *l.* 1. *decal. c.* 9. *n.* 51.

83. *Hanc præfero sententiam.* Hanc præfero sententiam, dummodo aduocatus cliẽti aperiat, quale ius habeat, nec

nec certius illi promittat sententiam, quam debeat. Alioqui tenebitur aduocatus asseuerans scienter causam omnino iustam esse, damnum subsecutum restituere: si cliens cognito causæ dubio non esset litigaturus. Accepi à Vasq. 1. 2. *disp.* 64. *n.* 3.

PROBL. XVI.

Cum vna pars sit probabilior altera, licet, & non licet, Aduocato minus probabilem causam suscipere.

84. *Minus probabilem causam tueri non potest.* IN causis ciuilibus minoris momenti licet Aduocato causam minus probabilem tueri, dummodo clientem moneat de minori causæ probabilitate, nec falsò leges alleget, aut interpretetur. In causis verò maioris momenti, v. gr. sanguinis, vel honoris, vel omnium bonorum peccat Aduocatus, si faueat actori minus probabilem causam habenti. Quia in dubio melior est possidentis conditio, nec in dubio quisquam damnandus. Sic Sotus *de iust. l.* 5. *q.* 8. *a.* 3. Tolet. *l.* 5. *c.* 60. *n.* 2. Arag. 2. 2. *q.* 63. *a.* 3. Manu. *tom.* 1. *sum. cap.* 2. *num.* 1.

85. *Potest tueri.* Licet Aduocato causam minus probabilem suscipere, siue causa sit maximi, siue minimi momenti. Quia in his omnibus cliens habens minus probabilem causam licite iusteque litigare potest, atque propositis iuribus, ac rationibus suis, iudicis postulare sententiam: nec imprudenter agit, dum probabili ratione nititur; ergo licitum erit etiam Aduocato, eam causam minus probabilem tueri. Ita Ioan. Sanct. *disp.* 44. *num.* 54. Laym. *l.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. *num.* 17. Dian. *p.* 2. *tract.* 13. *resol.* 4. Villalob. *tom.* 1. *tr.* 1. *diffic.* 14.

86. *Cum his sentio.* Cum his sentio, sed assero, simul, Aduocatum, quotiens causam minus probabilem suscipit, affirmare non posse, sibi videri probabiliorem aut æquè probabilem quia mentiretur, & interdum perniciosè cum damno clientis. Imò crediderim, debere esse paratum, vbi primum causæ iniquitatem manifestè deprehenderit, à patrocinio, litisque progressu desistere, clientem syncerè monendo, ne vltra progrediatur. Id didici à Salas 1. 2. *tract.* 8. *numero* 101. sed prius à D. Thom. 2. 2. *q.* 71. *artic.* 3.

* * *

PROBL. XVII.

Princeps ad tributa subditis imponenda potest, & non potest opinionem probabilem sectari.

87. *Non potest.* NOn potest. Quia ad noua tributa imponenda requiritur causa manifesta, ac euidens, nec sufficit dubia, vt colligitur *ex cap. peruenit de cens.* In dubio enim melior est conditio subditi possidentis. Sic D. Antonin. 3. *p. tit.* 12. §. 1. *cap.* 4. Sylvest. *Gabella* 3. *quæst.* 3. Moure *punct.* 1. *cap.* 15. §. 6. *num.* 8.

88. *Potest.* Potest planè. Quia Princeps non debet esse peioris conditionis, quam reliqui, qui possunt, iuxta probabilem opinionem operari. Ita Suar. *de legib. lib.* 5. *c.* 18. *n.* 2. Ioan. Sanct. *in select. disput.* 33. *num.* 35. Vasq. *opusc. de restit. c.* 6. §. 3. *dub.* 5.

89. *Huic placito hæresco.* Huic placito hæresco. Quia tributum, cuius iustitia certa est, omnino soluendum est; at si iustitia tributi sit probabilis, probabilis erit saltem obligatio soluendi.

PROBL. XVIII.

Subditi excusantur, & non excusantur soluere tributum, per opinionem probabilem oppositam.

90. *Non excusantur.* VIdimus Principem posse opinionem probabilem sequi ad imponenda noua tributa subditis. Quæsierim; An subditi tunc per oppositam probabilem sententiam soluere excusentur? Non excusantur. Quia tributum iustum omnino soluendum est iuxta illud Apostoli: *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal vectigal.* Rom. 13. At tributum, quod Princeps opinione probabili ductus imponit, iustum est; ergò solui debet omninò, quin vllus per opinionem probabilem oppositam queat excusari. Ita Suar. *de legi. l.* 5. *cap.* 18. *n.* 2. Vasq. *opusc. de restit. c.* 6. §. 3. *dub.* 5. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *punct.* 1. *c.* 3. *n.* 5.

91. *Excusantur.* Excusantur certè. Quia sicut Princeps, iustè tributum imponit iuxta sententiam probabiliter affirmãtem illud esse iustum, sic etiam subditus iustè denegare poterit tributum iuxta sententiam probabiliter affirmantem, illud iniustum esse Ita Sanch. *l.* 6. *decal. cap.* 3. *num.* 7. Lessi. *l.* 2. *c.* 33. *num.* 67. Ludou. Lopez *punct.* 1. *cap.* 187. Nauar. *de Resti. l.* 3. *cap.* 1. *dubio* 13. *numer.* 237. Molin. *tom.* 3. *de trib. disp.* 674. *n.* 6. & 7. Filliuc. *tr.* 28. *num.* 117.

92. *Hanc sententiam approbo.* Hanc mentem approbo. Quia licet subditus cognoscat, illud tributum esse iustum ex parte probabilis opinionis, quam Princeps sectatur: simul etiam cognoscit esse iniustum iuxta probabilem opinionem oppositam. Haud inconueniens iudico ex parte vtraque bellum iustum exponi, dum opinio probabilis interuenit.

PROBL. XIX.

Princeps supremus potest, & non potest ex opinione probabili circa ius Regni alij supremo Principi bellum inferre.

93. *Potest quidem.* ESt probabilitas opinionum circa factum, & circa ius. Si qua sit opinio probabiliter asserens (v. gr.) Principem supremum talia crimina perpetrantem esse tyrannum, potest per quemlibet alium supremum Principem, bello inflicto, spoliari ditione, licet opinio probabilis alia neget spoliari posse, dum factum est manifestum. Quia opinio probabilis circa ius format conscientiam rectam, & operationem prudentem ac honestam efformat; sed Princeps supremus non debet esse deterioris conditionis quo ad vsum opinionum, quam cæteri; ergò licebit ei iuxtà opinionem probabilem bellum inferre, vt possessorem etiam opinione probabili nitentem spoliet; probabilitas enim vtriusque partis ius belli iusti confert vtrique. Sic Nauarr. *l.2. de restit. c.3. num.265. & l.3.c.1.n.237.* Ioan. Sanct. *in select.disp.44. n.57.* Diana *p.2.tr.13.resol.8.*

94. *Non potest.* Non quidem potest. Quia impossibile videtur dari bellum iustum ex vtraque parte, nisi detur inuincibilis ignorantia, qua vnus bellantium excusetur, quamuis re vera bellum gerat iniustum; alias circa idem omnino duplex ius contrarium daretur, & idem Princeps esset simul iustus & iniustus Regni possessor, quod videtur implicatorium. Sic Salas 1.2. *tract.* 8. *disput.* 1. *sect.* 3. Torres 2. 2. *tom.* 1. *disput.* 90. *numero* 2. Vasquez 1. 2. *disput.* 64. *cap.* 3.

95. *Approbo primam sententiam.* Primam amplector sententiam, explo-
ratum omnino habens, Principem possi-
dentem iuxta probabilem opinionem iu-
stum quidem esse possessorem, non abso-
lutè sed solum probabiliter, aduer-
sus quem subinde possit dari
iustus probabiliter spo-
liator.

PROBL. XX.

Princeps supremus in propria causa circa ius Regni potest, & non potest Iudex esse.

96. *Iudex esse potest sua in causa.* QVemadmodum persona particularis habens probabile ius ad maioratum per probabilia testimonia potest litem contra possessorem intentare, vt perpensis vtriusque partis probationibus iudex applicet proprietatem maius ius habenti: ita supremus Princeps habens probabilia fundamenta potest aduersus Regni, vel ciuitatis possessorem excitare litem, & lata sententia in sui fauorem, spoliare possidentem, & resistentem expugnare. Docet Cast. Pal. *tom.* 1. *tract.* 1. *disputatio.* 2. *punct.* 7. *num.* 2. Attamen difficultas vertitur, apud quem sit mouenda lis, & controuersia definienda circa opinionum probabiliora fundamenta? Quilibet Princeps supremus sua in causa iudex esse potest, Regnumque adiudicare sibi, quod subinde potest armis occupare. Quia apud quem erga subditos est norma iustitiæ, circa causam propriam iustum etiam iudicium exponet Sic Victoria apud Ioan. Sanct. *disp.44. num.56.* Laym. *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. *num.* 25.

97. *Non potest esse sua in causa iudex.* Non potest esse sua in causa iudex. Quia Princeps supremus non est superior alio Principe de Regno, seu ciuitate contendente; non ergò poterit illius iudex esse, nec eum sua sententia ligare. Præsertim quia cum alius non teneatur, apud hunc suas allegare probationes, contra inauditam partem sententia proferetur. Sic Vasq. 1. 2. *disputatio.* 64. *cap.* 3. Salas 1. 2. *tr.* 8. *sectio.* 13. Castro Pal. *tom.* 1. *tract.* 1. *disput.* 2. *punct.* 7. *num.* 2.

98. *Mentem expendo.* Cum his sentio, sed lubet addere ex Suario 2. 2. *tract. de bello disp.* 13. *sect.* 6. *& de legib. l.* 5. *cap.* 18. *n.* 20. Supremum Principem de Regno cum alio contendentem posse Regni sui peritos consulere, & his respondentibus, melius ipsum habere ius, vi huius maioris probationis posse etiã armis Regnum occupare. Attamen tanti Doctoris venia litem indecisam adhuc esse asseruerim. Quia alter Princeps consulere pariter poterit iurisperitos, & his censentibus suum Principem melius ius habere, adhuc lis sub iudice versabitur. Existimo igitur litem iudicio Regni, de quo litigatur, decidendam. Siquis verò litigantium eos iudices suspectos habeat, & recuset, debent conuenire partes in aliis iudicibus assignandis. Si vero quispiam id detrectet,

poterit

poterit armis oppugnari. Ex citato Cast. Pal. *n.* 7. didici.

PROBL. XXI.

Miles non subditus potest & non potest haud præmisso iustitiæ probabilis belli examine aduersus alium Principem dimicare.

99. *Non potest pugnare.* MIles subditus, cui non constat de iniustitia belli, debet pugnare, quia præsumere debet bellum esse iustum. Nec tenetur inquirere belli iustitiam, dum est dubia negatiuè, quia nulla specialis ratio illius suadet iniustitiam. Certè miles non subditus obedire non tenetur. Quæsierim tamen, Vtrum possit, non examinata probabili iustitia belli, pugnare? Non potest. Quia grauissima damna proueniunt ex bello, quæ non possunt inferri, nisi moralis adsit certitudo probabilitatis iustitiæ. Sic Sylvest. *bellum* 1. *q.* 9. Caiet. *ibid* Sanch. *l.* 6. *decal. cap.* 3. *numero* 15. Moli. *tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 114.

100. *Potest pugnare.* Eodem modo miles non subditus potest pugnare, sicut subditus cum dubio negatiuo. Quia præsumere possunt, Principem Christianum, Catholicum scilicet, bellum gerere iustum: & cuilibet licet alterum iuuare in re, quæ iusta præsumitur. Sic Vasq. 1. 2. *disp.* 64. *c.* 3. Castro Pal. *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 8. *numer.* 4. Suar. *de charit. disput.* 13. *sect.* 6 *numero* 8.

101. *Hanc sententiam teneo.* Huic sententiæ hærescens addiderim, si rationes ita suadeant militi non subdito belli iniustitiam, vt non appareat contraria pars probabilis, teneri tunc, amplius disquirere veritatem, nè iniustè pugnandi subeat periculum.

PROBL. XXII.

Subditus opinans, sibi præcipi rem illicitam, potest, & non potest obedire.

102. *Non potest obedire.* POrro diuersitas opinionum probabilium potest versari circà subditi ius: nimirū, an hic & nunc teneatur subditus obedire, nec ne? Tunc autem si probabilis opinio neget, & alia probabilis, quamuis minus probabiliter, affirmet, potest subditus obedire. At si diuersitas opinionum versatur circa rem præceptam, scilicet, An sit licita, vel illicita? vertitur quæstio: Num subditus opinans sibi præcipi rem illicitam, possit obedire? Non potest. Quia ageret contra propriam conscientiam dictantem illam rem illicitam existere. Sic Adrian. *Quodlib.* 2. *punct.* 3. & alij.

103. *Obedire potest.* Potest subditus dum iniustitia præcepti manifeste non constat, præsumere, superiorē opinione probabili duci, eiusque dictamini se cōformare. Quia si potest cōtra propriam opinionem sequi probabilem aliorum sententiam, multo melius poterit contra propriam probabilem superioris opinionem amplecti. Sic Sanch. *l.* 6. *Decal. c.* 3. *num.* 6. Salas *tract.* 8. *disp.* 1. *num.* 76. Castr. Pal. *tom.* 1. *tract.* 1. *disput.* 2. *punct.* 6. *num.* 2. & 3.

104. *Hanc sequor opinionem.* Cum his sentio dum video subditum, dum probabiliter censet non esse licitum quod præcipitur, oppositæ partis habere formidinem: ac proinde reputare posse esse quoque probabilem; præsertim si nouerit superiorem prudentem, ac doctum existere.

PROBL. XXIII.

Subditus opinans, sibi præcipi rem illicitam, tenetur, & non tenetur obedire.

105. *Tenetur obedire.* CVm subdito superior rem imperat, quam probabiliter, seu probabilius existimat esse illicitam, vel imperantis excedere potestatem, non solum potest, sed & debet obedire. Quia in hoc casu potest, sequendo probabilem superioris opinionem; ergo tenetur. Nam subditus parere tenetur, quoties absque peccato potest rem imperatam præstare. Sic Sayr. *in Claui l.* 1. *cap.* 12. *num.* 2. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 11. *num.* 3. Laym. *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 11. Azor. *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 19. *q.* 9.

106. *Non tenetur obedire.* Potest quidem, sed non tenetur obedire, si manifestè probabilius sit non esse licitum mandatum, vel extra præcipientis iurisdictionem. Quia in illicitis nemo tenetur obedire; sed in hoc casu subditus opinatur probabiliter, illicitum esse quod præcipitur; ergo probabiliter etiam opinatur, se non teneri præstare obsequium. Sic Ioan. Sanct. *in select. disp.* 33. *num.* 32. Castro Pal. *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 6. *numer.* 5. & 6. & ferè Dian. *punct.* 2. *tr.* 13. *resol.* 10.

107. *Huic placito hæresco.* Subscribo libenter. Quia non potest superior suo præcepto strictius obligare, quam Christus & Ecclesia suis præscriptis obligant. At quoties aliquis opinatur probabiliter, sub materia præcepta rem

rem aliquam non contineri, ad illam minimè obligatur. v. gr. probabiliter opinor aliquod peccatum non esse mortale, & tunc non teneor confiteri. Ergò qui probabiliter opinatur, illicitum esse quod præcipitur, vel præcipientis excedens potestatem, obedire non obligatur.

PROBL. XXIV.

Cum est opinionum diuersitas circa præcipientis iurisdictionem, subditus debet, & non debet obedire.

108. *Tenetur obedire.* ET si opineris probabiliter, superiorem non esse legitimum quia non fuit electus canonicè vel legitimè, adhuc obedire teneris. Quia dum ille superior reputatur, habet certā possessionē potestatis, qua non potest ob opinionem contrariam probabilem spoliari. Sic Sanch. *l.6. Decal.c 3. n.29.*

109. *Obedire non tenetur.* Non teneris obedire. Tum quia probabilitas opinionis dat subdito probabile ius non parendi. Tum etiam, quia hoc in casu non est certa superioris possessio, sed solum probabilis, sicut & valor electionis, & potestatis; ergo habet superior ius probabile præcipiendi, simulque subditus ius non obediendi probabile, quin hoc impediat, vel tollat illud. Sic. Lessi. *l.2. c. 41. n. 76.* Ioan. Sanch. *disp.33.n.31.* Salas *1.2.tr.8. disp.1.n.78.*

110. *Hæc probabilior sententia.* Hanc probabiliorem, ac communiorem sententiam existimo, Præsulesque moneo haud iustè subditum punire, qui non obediuit opinione probabili ductus. Quia subditus repugnando non deliquit, nec pœna potest non delinquenti imponi.

PROBL. XXV.

Confessarius potest, & non potest absoluere pœnitentem, qui contra sententiam Confessarij opinionem sequatur probabilem etiam deobligantem à restitutione.

111. *Non potest absoluere.* NOn potest Confessarius pœnitentem absoluere iuxta eius probabilem opinionem contra propriam suam, si opinio probabilis pœnitentis sit in damnum tertij, videlicet si sit opinio negans obligationem restituendi. Quia Confessarius qui consentit vt pœnitens non restituat cum possit, & aliàs restitueret vt tenetur iuxta sententiam Confessarij, videtur causa damni, nec suo fideliter munere fungitur. Sic Adrian. *in 4.q. 5. de Confess. dub. 7.* & Augustinus *in cap.1. 14.q.6.* fatur: *Qui ad se confugientem, quantum honeste potest, ad reddendum non compellit, socius est fraudis.*

112. *Potest absoluere.* Confessarius potest tali in casu absoluere pœnitentem. Quia verè talis pœnitens opinionem probabilem secutus sufficienter est dispositus ad absolutionem recipiendam. Sic Vasq. *1.2. disp. 62. c. 7.* Azor. *to. 1. l. 2. c. 17. q. 10.* Valent. *to. 3. disp.5. q.7. pun.4.* Salas *1.2.tr.8.disp.1. sect. 9.* Coninch. *de sacra. disp. 8. n. 135.* Reginal. *l.13. n. 97.* Castr.Pal. *to.1.tr.1. disp.2. punct.4.n.2.* & alij multi.

113. *Hanc probabiliorem existimo mentem.* Quam quidem sententiam adeo probabilem existimo, vt Adriani mentem vix probabilē esse rear. Placet quod Victorellus *verbo Absolutio* addit: Imo Confessor iubere potest, vt pœnitens contrariam suæ probabilem tamen sententiam sequatur.

PROBL. XXVI.

Quilibet Confessarius Ordinarius aut delegatus potest & non potest pœnitentem absoluere contra sententiam propriam ex probabili pœnitentis opinione.

114. *Non potest delegatus.* PRoprius confessarius absolutè potest opinioni pœnitentis conformari. Quoniam ex officij necessitate confessiones audit: secus delegatus, qui voluntarie confessiones excipit. Ita Conrad. *de Contract.tr.7.q.100. concl.3.* Anton. *p.3.tr.17. c.20.§.2.* Sylvest. *Confessor 3.quæst.7.* Angel. *Confessio 4.n.13.*

115. *Potest delegatus.* Etiam Confessarius delegatus potest pœnitentem iuxta eius sententiam absoluere. Quia etiamsi voluntariè confessiones audiat, eo ipso quod ad audiendas confessiones accedat, iam proprij Pastoris officio fungitur, ad quem ouis illius pertinet reductio. Sic Polancus *direct. c.1.§. de prud.Conf.* Manuel *to.1.sum.c.62.n.11.* Saa *verb.Absolutio.* Tolet. *l. 3.c.20.n.4.* Sanch. *l.1.Decal.c.9.n.28.* Laym. *l.1.tr.1. c.5. n.10.*

116. *Hanc approbo.* Hæc placet mihi magis opinio, quam communem esse Auctorum multitudo persuadet. Vide plures apud citatos.

PROBL. XXVII.

Confessarius ordinarius & delegatus debet, & non debet pœnitentem absoluere iuxta eius opinionem.

117. *Delegatus non tenetur absoluere.* COnfessarius proprius non solum potest, sed etiam debet opinioni probabili pœnitentis cōformari. Quia cū teneatur ipsi sacramentum ministrare, sitque pœnitens sufficienter dispositus, ius habet exigendi

exigendi sententiam absolutionis, Delegatus autem sicut non tenetur audire pœnitentis confessionem, sic non tenetur absoluere eum, quem nouit habere contrariam opinionem. Sic Polancus *in Direct. cap.* 1. §. *de Prud. confes.* Cast. Pal. *tom.*1. *tr.* 1. *disp.* 2. *punct.* 4. *n.* 2. & suprà citati ferè omnes.

118. *Delegatus tenetur.* Confessarius delegatus debet sicut ordinarius pœnitentem iuxta illius opinionem absoluere contra propriam sententiam. Quia licet non tenebatur illum audire, posita tamen iam causa iudicij ferre debet sententiam: & cum pœnitens sit rite dispositus, non potest Confessarius illam denegare, vel suspendere. Sic Valent. *tom.*3. *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 4. Salas 1. 2. *tract.* 8. *disp.* 1. *sect.* 9. *n.* 82. Suar. 3. *p. tom.* 4. *disp.* 32. *sect.* 5. Henriq. *l.* 6. *c.* 29. *num.* 5. *lit. Z.* Ioan. Sanch *disp.* 33. *num.* 54. *& disp.* 44. *n.* 35.

119. *Auctoris distinctio.* Distinctione vtendum existimo. Quotiens enim pœnitentis opinio cõtraria opinioni Confessarij versatur circa iurisdictionem, vel approbationem Confessarij non tenetur hic pœnitentis opinioni conformari, nec ipsi facit iniuriam, siquidem non repellit illum tanquam absolutione indignum; sed quia existimat se carere iurisdictione. v. gr. si ad me accederet Regularis opinans sibi pro casibus reseruatis Bullam Cruciatæ prodesse contrà veram meam sententiam, minimè absoluerem; quia puto me omnino tunc carere iurisdictione. At varietas opinionum sit circa rem à pœnitente præstandam post auditam illius confessionem tenetur delegatus absoluere.

PROBL. XXVIII.

Confessarius ordinarius & delegatus tenentur, & non tenentur sub mortali absoluere pœnitentem iuxta ipsius opinionem.

120. *Non est obligatio sub mortali.* QVanta precor, est hæc confessarij Ordinarij, aut delegati obligatio circa absolutionem pœnitentis iuxta illius probabilem opinionem? Non est obligatio sub mortali. Quia confessarius à graui piaculo plerumque excusatur suæ opinionis zelo. Sic Vasquez 1. 2. *disp.* 62. *cap.* 7. Salas 1. 2. *tract.* 8. *disput.* 1. *sectione* 9. *num.* 82. Montes. 1. 2. *disp.* 29. *quæst.* 1. *num.* 199.

121. *Est obligatio sub mortali.* Est obligatio sub mortali. Quia fit grauis iniuria pœnitenti, dum sine necessitate aut differtur gratiæ receptio, aut ipse cogitur alij confessario rursum eadem aperire piacula. Sic Sanchez *l.* 1. *Decal. cap.* 9. *n.* 28. Ioan. Sancti. *disput.* 33. *numer.* 54.

122. *Auctoris sententia.* Probabilem æquè reputans vtramque opinionem Suario tamen hæresco asserenti esse grauem obligationem, non tamen semper sub mortali. Legatur ille 3. *p. tom.* 4. *disp.* 32. *sect.* 5.

PROBL. XXIX.

Si confessio sit de venialibus, Confessarius sub mortali tenetur, & non tenetur pœnitentem iuxta eius opinionem absoluere.

123. *Sub mortali est obligatio mortalium in confessione, venialium minimè.* SVb mortali erit Confessarij obligatio absoluendi pœnitentem iuxta eius probabilem opinionem, quando confessio facta fuit de mortalibus. Quia graue onus esset, cogere pœnitentem ad illius repetitionem, & ad nouum dolorem colligendum sine necessitate. Cum autem confessio fit de Venialibus, leue onus confessionem iterare. Sic Dian. *punct.* 2. *tract.* 13. *resol.* 11. & Sanch. *l.* 1. *Decal. cap.* 9. *num.* 28. asserens, si confessio sit de venialibus, vel ita breuis, vt eius repetitio onus graue non censeatur, non esse grauem iniuriam nec mortale peccatum pœnitentem cogere ad repetendam confessionem.

124. *Sub mortali est obligatio etiam in venialium confessione.* Quamuis Confessio sit de venialibus, Confessarius dẽlinquit mortaliter, dum negat pœnitenti absolutionem haud hærendo eius probabili opinioni, quem credit ritè esse dispositum, nisi pœnitens tali abnegationi lubens consentiat. Quia Confessarius priuat pœnitentem magno beneficio Sacramenti, ad quod habet ius. Sicut ergo qui vouit venialium confessionem, & illam omittit, mortaliter peccat; quia illa confessio grauis materia reputatur: sic iniustè cogere pœnitentem vt careat Sacramenti fructu, vel iterum confiteatur venialia, grauis iniuria videtur ad mortale sufficiens.

125. *Hæreo prima sententia.* Profecto in confessione venialium ego non video cur neganda sit absolutio propter opinionum diuersitatem. At in confessione mortalium semper grauem reputarem iniuriam, & mortale peccatum, pœnitenti ritè dispositio secundum opinionem probabilem abnegare absolutionem.

***

PROBL.

PROBL. XXX.

Licèt, & non licet Medico, ægroto de cuius ſalute deſperatur, applicare medicamentum, de quo æquè dubitat, an profuturum ſit, an obfuturum, dubio ſcilicet negatiuo.

125. *Non licet, applicare medicinam, de qua æque dubitatur.*

QVando diuerſæ ſunt opiniones: An Medico liceat, hoc vel illud in curationibus agere, ſcio poſſe Medicum etiam minus probabilem opinionem amplecti. Quæſtio eſt, quando circa medicamenta opiniones contrariæ verſantur, ſcilicet, an ſalutifera vel noxia ſint. In cuius explicationem præmitto, medicinas alias certo reputari ſalutem allaturas, alias ſub dubio, negatiuo ſcilicet. Certum autē eſt, quando ſuppetit medicamentum certum debere illo Medicum vti, relicto probabili, vel dubio. Quia ratione ſui muneris & charitatis, ſaluti ægroti proſpicere debet, & illi non exponere periculo, quod euitare poteſt; probabilitas enim opinionis non tollit medicamenti periculum, ſi noxium eſt. Quæſierim itaquè, an liceat Medico, illi ægroto, de cuius ſalute deſperatur, applicare medicinam, de qua æque dubitat, an profutura ſit, nec ne? Non quidem licet. Quia applicans medicamentum, de quo dubitat, num ſit nociturum, quantum ex ſe eſt, cauſam efficacem mortis adhibet. Ergo talis applicatio non licet. Sic Sylueſt. *verbo Medicus q.* 4. Angel. *ibi. n.* 2. Azor. *to.* 1. *l.* 2. *c.* 17. *q.* 11. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 64. *c.* 4. *n.* 22. Villalob. *to.* 1. *tr.* 1. *diffic.* 16. *n.* 1. & 4.

126. *Licet applicare huiuſmodi medicinam.*

Licet planè. Quia ex applicatione dubij illius medicamenti ſolum ſequitur accelerandæ ægroto mortis periculum, qui revera erat moriturus. At hoc periculum ſufficienter videtur compenſari ſpe quamuis dubia obtinendæ valetudinis. Plus enim præponderat longum vitæ tempus, quod adepta ſanitate forſan ſupererit, quam acceleratio mortis die vno vel altero. Ita Laym. *lib.* 1. *tr.* 1. *cap.* 5. *num.* 15. Thom. Sanch. *lib.* 1. *Decal.* 1. *cap.* 9. *n.* 39. Valent. *tom.* 3. *diſp.* 3. *quæſt.* 10. *punct.* 2. Qui quidem ſic illud Galeni intelligit: *Interfice audacter.*

127. *Secundam magis probo ſententiam.*

Profecto hanc Medici commendo audaciam. Quia applicare dubium id medicamentum, eſt tutius; ſiquidem eo non applicato, mors eſt certa; ſi tamen applicetur, ſuppetit ſalutis ſpes. Tutius autem eſt, ſalutis ſpem quamuis dubiam adipiſci, quam ægrum morti certæ ſine medicamine tradere.

PROBL. XXXI.

Medico licet, & non licet medicamentum adhibere, quod probabiliter credit profuturum, relicto eo, quod probabilius reputat forè ſalutare, dum non ſuppetit medicamentum certum.

NOn eſt licitum. Quia Medici munus, ac charitatis lex poſtulant, vt ægrotantis ſanitas meliori quo poſſit, modo procuretur, & ſubinde illa adhibeantur medicamina, quæ ſanitatis propoſito fini magis idonea iudicentur. At qui probabiliori medicamine omiſſo, probabile tantum applicat, non curat infirmum meliori qua poteſt ratione; ergo ſuo muneri, nec charitatis legi ſatisfacit. Sic Suar. 3. *part. tom.* 3. *diſput.* 21. *ſect.* 4. Laym. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 15. Becan. *tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 4. *quæſt.* 9. *num.* 13. 128. *Licitum non eſt.*

Licitum quidem eſt ſimpliciter Medico applicare medicamentum, quod putat probabile ſaltem per extrinſeca principia: quamuis omittat quod ſibi probabilius, ac ſecurius videtur. Quia quod probabili ex ſententia fit, haud imprudentiæ ſeu temeritati ſubeſt; ergo etiam caret culpa. Cum lex charitatis, & officium Medici ſolum obligent illum, vt iuxta regulas artis prudenter operetur. Ita Salas 1. 2. *tract.* 8. *diſp.* 1. *ſect.* 14. *num.* 136. Dian. *par.* 2. *tract.* 13. *reſol.* 7. Caſt. Pal. *tom.* 1. *diſp.* 2. *punct.* 9. *num.* 8. Ioann. Sanct. *diſp.* 44. *num.* 36. 129. *Licitum eſt.*

Idem opinor. Quia onus eſſet graue ſi Medicus ſemper deberet amplecti, quod ſibi probabilius apparet: deberetque momenta expendere probitatis; & cum ſæpè varietur de maiori probabilitate iudicium, curationis etiam ſæpe methodum variare. An non interdum quod ſibi Medicus minus probabile videtur, aliis forſan probabilius obiicitur, & in re ſecurius obueniet? ſæpe ergo ægrotantis ſanitati fauebit, Medicum alieno iudicio conformari. 130. *Idem opinor.*

PROBL.

PROBL. XXXII.

Est, & non est contra Religionem, vti probabili opinione, relicta probabiliore in materia Sacramentorum

131. *Contra Religionem non peccat.*

DIximus Cap. 1. quando sine controuersia sit licitum, vti opinione probabili relicta probabiliori, & quando non sit licitum. In præsenti supposita illa limitatione requiro, an sacerdos si relicta opinione probabiliori probabili audeat vti in materia sacramentorum delinquat contra Religionem, seu reuerentiam debitã Sacramentis? Non delinquit contra Religionem aut reuerentiam debitam Sacramentis: sed solum contra charitatem in ordine ad pœnitentem: quia quando opiniones diuersæ sunt circa materiam & formam vel aliquid, quod ad valorem Sacramenti requiratur: debet sacerdos ob periculum grauissimum detrimenti sequuturi in proximi nocumentum, relinquere opinionem probabilem & probabiliorem amplecti. Sic Dian. *p. 2. tr. 2. resol. 2.*

132. *Contra Religionem peccat.*

Illicitum est non solum contra charitatem, sed contra Religionem, seu contra reuerentiam debitam Sacramento, vti ministrum opinione probabili, probabiliori aut certa relicta. Quia Sacramentum afficit iniuria, qui periculo exponitur irritum faciendi Sacramentum. Sic Suar. *in 3. p. tom. 3. disp. 16. sect. 2.* Henriq. *tom. 1. l. 1. de sacram. c. 9. n. 15.* Salas 1. 2. *tr. 8. disp. vnic. sect. 5. n. 86.* Castr. Pal. *tom. 1. tract. 4. disp. 2. punct. 5. num. 3.*

133. *Auctoris sententia.*

Miror quidem Antoninum Diana virum eruditissimum primam sententiam Doctorum communem esse affirmare. Non est communis Doctorum sententia illa cuius contrariam multi Auctores defendunt. Fateor, in Sacramentis per se cõsideratis, & non in ordine ad suscipiẽtem probabile admodum esse posse sacerdotem probabili opinione vti probabiliore relicta sine irreuerentiæ reatu; sed cum sit iniuria suscipienti etiam fit iniuria Sacramento ob periculum nullitatis. Plura cum de Sacramentis materiæ euoluantur.

PROBL. XXXIII.

Quando fas est, aliquam probabilem opinionem sectari in vita, licet, & non licet illi hæresceré in mortis articulo.

134. *Non licet in mortis articulo.*

NOn licet. Quia in mortis articulo, è quo æternitas, oportet id amplecti, *Escob. & Mend. Theol. Mor.* T. I. quod ad salutem animi conferre magis videatur. Sic Sanch. *l. 1. Decal. c. 1. n. 6.*

135. *Licet in mortis articulo.*

Licet plane. Si opinio in valetudine securam reddit conscientiam ad operandum vel non: tutam quoque reddet in mortis articulo: cum in vtroque tempore æqualiter homo constringatur, Deum non offendere. Sic alter Sanch. *in select. disp. 19. num. 8.*

136. *Approbo secundam, consulo primam.*

Certè inter opiniones in conscientia securas reuera vna non est securior altera quoad imputabilitatem; nam supposito, quod operans iuxta quamlibet nullum piaculum perpetrat, haud magis securus excedet è viuis operans ex vnius, quam ex alterius prætextu opinionis, cum nulla maior possit obeunti dari securitas quam non peccare. Monuerim nihilominus mei Thomæ Sanctij subiacere sententiæ salubre esse consilium.

CAPVT VII.

De Conscientiæ dubietate.

PROBL. XXXIV.

Necessaria est, & non est necessaria dubitatio expressa per iudicium reflexum, vt dicatur quis operari cum iudicio practicè practico.

137. *Necessaria est dubitatio expressa.*

SVpponò, aliquid agere, vel omittere cum dubio practicè practico semper esse peccatum. Quia exponens se peccandi periculo, peccat eodem genere peccati, cuius periculum subit. Sed operans cum dubio practice practico manifestum subit periculum delinquendi, cum dubius hæreat an id agendo vel omittendo delinquat. Ergo peccat eodem genere peccati, cuius subit periculum. Ex gr. dubito, an id sit furtum, vel sacrilegium vel homicidium, me planè operans dubio existente, furti, sacrilegij, vel homicidij piaculo inficio. Dubito, an mortale sit, mortaliter pecco: dubitans autem, num veniale sit, venialiter delinquo. Sic Castro Palao. *tract. 1. disp. 3. punct. 1.* & Doctores communiter. Igitur necessaria est dubitatio expressa per iuditium reflexum, vt quis cum dubio practicè practico dicatur operari. Quia cum malitia talis operationis ex periculo peccandi sumatur, quod subest illi dubio: Nisi dubium reflexè cognoscatur vt causa tam

periculi, quam malitiæ: non videtur malitia in operationem deriuari: & saltem vt dubius in fide committat hæresis flagitium requiritur illa reflexio. Ita nonnulli Iuniores apud Vasq. 1.2. *disp.* 65. *c.* 1 *num.* 5.

138. *Non est necessaria.* Non requiritur talis reflexio, vt dubitantis operatio practicè praua sit, & peccatum: sed sufficit dubitatio directa. Quia directa dubitatio pariter repræsentat dubiam honestatem, quæ non sufficit honestare opus; dubiamque malitiam, quæ sufficit illud inficere. Pariter etiam periculum peccandi contrà legem non solum materialiter, sed etiam formaliter, inducit.

139. *Hanc amplector.* Hanc approbo mentem, ex qua colligo, in confessione manifestandas esse circumstantias variantes species illius peccati, de quo operans dubito. Ex gr. dubito, num ille, quem volo percutere sit Sacerdos, contra iustitiam ac Religionem, delinquo, teneorque vtramque circumstantiam in confessione exprimere. Dubito, an hic & nunc mihi liceat in festo scribere, vel interficere, ac nihilominus hæc exero, pecco contrà festorum obseruantiam.

PROBL. XXXV.

Circa materiam iustitiæ prævalet, & non prævalet possessio in casu dubio.

140. *Non prævalet in dubio possessio.* QVando possidens bona fide rem aliquam, dubitare incipis, num tua sit, vel aliena: requiro, an ratione possessionis, possis licitè retinere? Non prævalet in dubio possessio. Quia cum dubio practicè practico operari, vt vidimus, peccatum est: sed qui dubitat an res sit aliena, retinet illam cum dubio practicè practico: ergo peccat. Minorem probo, nam speculatiuè certum est, rem alienam, inuito Domino, retineri non posse; sed speculatiue dubitat, an sit aliena: ergò practicè etiam debet dubitare, an licitè retineat: dubitat enim, num furti sit reus in talis rei contrectatione; ergò practicè dubitat, an delinquat. Sic Adrian. *in* 4. *de Restit. q. de præscrip. & Quodlib.* 2. *concl.* 2.

141. *Prævalet in dubio possessio.* Possidens bona fide, qui dubitat, an res sit aliena, & facta sufficienti diligentia, non potest vincere dubium, potest rem retinere. Quia possessio censetur sufficiens titulus conscientiam dubiam deponendi, & retentionem honestandi. Licet enim in dubio sit æquale ius vtriusque partis quoad proprietatem, non tamen est æquale ius quoad possessionem, siquidem possidens habet certum ius possidendi. Nulli ergo facit iniuriam rem possessam retinendo: potius esset iniuria possessorem in dubio re possessa priuare. Ita Molin. *tr.* 2. *disp.* 35. & 36. Sanch. *de matr. l.* 2. *disp.* 41. *n.* 12. & *l.* 1. *decal. c.* 10. *n.* 9. Bonac. *de Restit. disp.* 1. *q.* 2. *pun.* 2. *n.* 4 & 6. Azor *to.* 1. *l.* 2. *c.* 19. *q.* 5. & 8. Coninch *de sacr. disp.* 34. *n.* 93.

142. *Amplector hanc mentē, & expendo.* Hæc probabilior mihi mens. Attamen monuerim, incipientem bona fide possidere, si dubium superueniat, an res sit aliena, debere diligenter veritatem inquirere, alioquin exponitur periculo rem alienam cum piaculo retinendi, & viam præcludit suum reddendi vnicuique. At dum veritas inquiritur potest possessor rem seruare, non tamen alienare, nec vtēdo consumere; aliàs enim frustra dominus quæreretur. Si vero non sit res vsu consumptibilis, poterit ea vti possessor ita vt nec consumatur, nec notabiliter deterior fiat. v.gr. si sit equus, aut mancipium, illo poterit vti, dum inquiritur veritas, animo tamen soluendi vero domino, si compareat, pretium illius vsus, deductis alimentorum expensis; quia hoc in casu dominus rationabiliter non censetur inuitus. Accepi ex Sanch. *de Matr. l.* 2. *disp.* 41. *n.* 12. & 21. Cast. Pal *to.* 1. *tract.* 1. *disp.* 3. *punct.* 2. & 7.

PROBL. XXXVI.

Si possessor in dubio debitam inquisitionem omittat, vt Dominus rei inueniatur, & omissio sit causa, ne postea veritas possit deprehendi: tenetur, & non tenetur restituere prudentis arbitrio.

143. *Tenetur restituere.* ASserui, possessorem dubium debere diligenter inquirere, vt verus rei dominus inueniatur: pono possessorem debitam inquisitionem omittere, omissionemque illam esse causam, ne veritas postmodum possit deprehendi, vel non tam aptè: quæsierim, an teneatur restituere? Tenetur quidē prudētis arbitrio vel illi, de quo dubitat: vel illo non cognito, pauperibus, quanti alterius intererat veritatem detegi, plus minusvè, provt maior vel minor spes erat veritatem assequendi. Quia ex omissione culpabili contra iustitiam sequitur, dominum non innotuisse, nec iam posse dignosci. Sic Moli. *to.* 1. *tr.* 2. *d.* 36.

Salas

Salas 1. 2. *tr.* 8. *disp.* 1. *n.* 238. Villalob. *tom.* 1. *tr.* 1. *difficul.* 20. Sanch. *de matr. l.* 2. *disp.* 41. *n.* 13.

144. *Non tenetur.* Si postea Dominus rei non compareat, possessor non est ad aliquam restitutionem gerendam obligatus. Quia & si peccauerit contra iustitiam vestigationem veritatis omittens, quando comparere probabiliter poterat; at non ideò possessor malæ fidei est constitutus; nunquam enim fuit certus, se rem alienam possidere: nec subinde certus est, per illam indagandæ veritatis omissionem alteri fuisse damnum illatum, quod videbatur necessarium ad possessionem prius acquisitam amittendam. Sic Bonac. *de Restit. disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 2. *n.* 4. & 5. Rebello 1. *p. l.* 2. *q.* 5. *num.* 12. & Castro. Pal. *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 3. *punct.* 2. *n* 7. putantibus Bonacinæ opinionem esse probabilem.

145. *Primam sententiam hæreo, & limito secundam.* Primam sententiam probabiliorem, ac tutiorem existimo. Hoc autem mihi certum, si post omissionem culpabilem verum Dominum inquirendi, appareat, rem esse alienam: veritatemque fuisse detegendam diligentia prius adhibita: teneri possessorem ex tunc fructus restituere. Quia ex tunc ob omissionem inquisitionis fuit malæ fidei possessor. Talis enim omissio fuit iniusta, & est verisimile damnum intulisse, cum probabile sit, inquisitione præmissa, Dominum rei compariturum.

PROBL. XXXVII.

Quoties aliquis abstulit iniustè rem à possessore bonæ fidei, dubitans an sit sua: debet, & non debet integrè tali possessori restituere.

146. *Debet restituere in integrum.* DEbet planè. Quia cum in dubio melior sit possidentis conditio, nullum est ius Dominum re sua nec in toto, nec in parte spoliandi. Sic Moli. *to.* 1. *tr.* 2. *disp.* 35. & *tom.* 3. *disp.* 725. *n.* 4. Nauar. *de Rest. l.* 3. *c.* 1. *dub.* 8. *n.* 350. Sanch. *de Mat. l.* 2. *disp.* 41. *n.* 26. Lessi. *l.* 2. *c.* 14. *num.* 25.

147. *Non debet.* Non debet restituere. Quia non tenetur indemnitatem primi possessoris suæ præferre. Sic Medi. *cod. de Restit. q.* 20. *col.* 5.

148. *Primam sententiam teneo.* Primæ sententiæ propter eius fundamẽtum subscribo. Quia in dubio proprietatis qui possidebat bona fide, ius habebat retinendi: ideo contra iustitiam peccauit, qui rem ab illo abstulit contra voluntatem iustè possidentis. Tenetur ergò restituere totum quod abstulit.

PROBL. XXXVIII.

Certò noscis te mutuum accepisse dubitasque, an solueris etiam dubitante simul qui mutuum dedit: teneris, & non teneris in integrum restituere.

149. *Non teneris soluere.* CErtum est, quando certo noueris te accepisse mutuum, dubitasque simul, num illud solueris, teneri te soluere. Quia possidet alius ius certum contra te, quo non potes illum in dubio priuare: nec actio certi debiti potest iusta exceptione elidi iuxtà *leg. Titiæ textores. D. de legat.* 1. Sic Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 10. *n.* 12. & alij. Quæstio voluitur, An tenearis restituere, cum certus de accepto mutuo non solum tum tu dubitas de solutione data, sed simul qui mutuum dedit dubitat de solutione accepta? Non teneris soluere. Quia tali in dubio melior est conditio debitoris possidentis. Sic Tanner. 1. 2. *disputatione.* 2. *quæstione* 6. *dubio.* 4. *numero* 48.

150. *Soluere teneris.* Teneris quidem ad integram solutionem. Quia si propter dubium tuum certus de mutuo accepto debes reddere solutionem, dubium illius à quo accepisti mutuum, te à tuo dubio minimè liberat, quo quidem stante, ad integram communi ex sententia teneris solutionem. Sic meus doctissimus Magister Franciscus de Lugo *in decur. præu. p.* 1. *c.* 1. *num.* 27.

151. *Auctoris sententia media.* Ego autem nec creditorem condemnarem, si reciperet integram solutionem; nec debitorem, si solutionem integram omitteret, idque propter probabiles vtriusque partis rationes. Attamen si sententiam exponere requirerer, iudico in hoc casu, debitorem non teneri ad solutionem integram, sed solum ad partem debiti iuxta dubij proportionem. Quia æquitas non patitur, vt debitor sine sua culpa subeat periculum soluendi integrum debitum, creditor autem, qui pariter dubitat an sibi satisfactum sit, nulli periculo sit obnoxius. Mecum Laym. *l.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. *mer.* 41.

PROBL. XXXIX.

Dubitat Commodatarius vel Depositarius an commodatum, aut depositum sua culpa perierit: tunc tenetur, & non tenetur id restituere.

152. *Tenetur restituere.* TEnetur quidem. Quia verus Dominus eo in dubio nõ est re sua priuadus vel

valore æquiualenti. Sic Gallet. *in margar. casuum verbo commodatum, & verbo dubium.*

153. *Non tenetur.* Nec Commodatarius, nec Depositarius eo in dubio restituere tenetur. Quia cum delictum non præsumatur, nisi sufficienter probetur: qui dubitat de sua culpa, permanet adhuc in suæ innocentiæ possessione *leg. Meritò D. pro socio.* Sic Henriq. *l.14.cap.15.* Lessi. *l.2.c.27. dub.3.* Salas 1.2. *tract.8.disp.1.num.243.* Villalob. *tom.1.tract.1.diffic.20.num.10.*

154. *Secundam sententiam approbo.* Hanc teneo sententiam, monens tamen, in foro externo, si res Depositarij, aut Commodatarij maneant incolumes, dolum præsumi ex Cap. 2. *de Depósito* & Abbate *n.2.* Qua propter Depositario aut commodatario incumbit onus probandi, rem alienam casu periisse, vel non potuisse simul seruari res suas, & depositas ob imminens incendium, maluisseque res suas indemnes seruare, quam alienas. Tunc enim cessat præfata doli præsumptio, & restituere non tenetur, quamuis res suæ viliores essent. Accepi ex Castr.Pal. *tom.1. tract.1.disp.3.punct.4.num.4.*

PROBL. XL.

Bonæ fidei possessor præmissa debita inquisitione, adhuc dubitat rem esse alienam ad idque magis propendere videtur: hoc in casu debet & non debet restituere.

155. *Debet partem restituere.* DEbet partem restituere pro maiori illius propensionis ratione. Quia tunc non est par causa possidentis, & alterius, vt ipsi possessio suffragetur. Imo maior illa propensio videtur æquiualere possessioni, ac proinde res erit diuidenda. Ita Sanch. *de Matr. l.2. disp.41. n.19.* Valent. *to.3.disp.3.q.16.punct.2.* Coninch. *disp.34.dub.10.n.93.*

156. *Nihil debet restituere.* Possessor bonæ fidei quamuis magis propendeat in eam dubij partem, vt res aliena sit, nil debet restituere. Quia dum nullus est alterius partis assensus, possessio omnibus præponderat coniecturis. Cum enim certa sit, & proprietas alterius adhuc dubia maneat, possidens ab omni obligatione restituendi liberatur. Sic Vasq. 1.2. *disp. 66. c.7.n.* 42. Dian. *p.2. tract.1. Miscel. resol.* 10. Sanch. mutans sententiam *l.1.Decal.cap.10. num.9.* Salas 1.2. *tract.8.disp.1.sect.23.n.221.*

157. *Hanc teneo, & confirmo.* Hanc teneo sententiam consequenter asserens, dubitantem, an vouerit, etsi magis inclinat in partem affirmatiuam, ad nullam voti partem teneri. Quia possessio certa prævalet rationibus in oppositam partem inducentibus, dum assensum non generant. Sic in casu nostro. Accepi ex Diana citato, *resol.9.*

PROBL. XLI.

Cum possessor bonæ fidei dubitat de rei proprietate, potest, & non potest, eam alienare, vel consumere.

158. *Non potest alienare.* NOn potest quidem. Quia qui præscribere non potest, nec poterit alienare. *leg. Alienationis D. de verb. signif.* Dubitans autem præscribere non potest: ergo nec alienare. Sic Cordub. *l.3.quæst.8. corol.3.*

159. *Potest alienare.* Potest dubitans alienare, & consumere. Quia adhuc est bonæ fidei possessor iuxta Cap. *Si virgo* 34. *q.* 2. Vnde comparenti postea domino solum id debebit restituere in quo factus fuerit locupletior. Ità Sylvest. *Restitutio.3.q.7.concl.3.* & consentire tenentur Doctores, qui dubitantem opinantur posse præscribere.

160. *Secundam sententiam approbo.* Subscribo Sylvestro, addens, antè sufficientem diligentiam præmissam, ad verum dominum inquirendum, non posse possessorem rem distrahere: post adhibitam autem diligentiam moraliter possibilem, posse quidem, vel permanente dubio, rem alienare, ac consumere. Quia inutilis esset possessio, si re possessa vti non liceret: imò potius esset onerosa, si deberet intacta seruari. Sic Cast. Pal. *tom. 1.tr.1.disp.3.punct.2.n.12.* Molin. *tom. 3.p.2. disp.721.n.4.* Dian. *p.2.tr.1.Miscel.resol.11.*

PROBL. XLII.

Possessor dubitans, an sit aliena res, eam alienat, vel consumit: debet tunc, & non debet esse paratus, pretium rei domino, cum comparuerit, restituere.

161. *Debet esse paratus restituere pretium.* DEbet quidem. Quia si rem illam haberet, & apud se seruare vellet, deberet esse paratus ad restituendum eam vero domino, quoties comparuerit; ergo similiter si alienet illam, aut consumat, paratus esse debet ad restituendum domino comparenti pretium rei venditæ, cum pretium rei loco succedat. Ità Medin. *Cod. de Restit.q.10.col.8.* Sayr. *in Claui l.10.tr.2. c.3. n.29.* qui citat alios.

Possessor bonæ fidei, qui adhibita sufficienti diligentia adhuc dubius hæresit, & vt possessionis iure frueretur, rem vēdidit,

aut

aut consumpsit: non tenetur, vero Domino postea comparenti pretium restituere, nisi quando factus est locupletior. Quia postquam, adhibita diligentia debita, non potuit certo dignoscere, rem esse alienam: mansit bonæ fidei possessor, qui quidem non tenetur restituere nisi vel rem stantem, vel consumptam quatenus factus fuerit locupletior. Sic Sanct. *l.2. Decal. c.23.num.* 186. & 187. Dian. *p.2. tr.* 1. *Miscel. resol.* 11. Lessi. *l.* 2. *c.* 14. *dub.* 4. *n.* 23.

163. *Huic hæreo.* Huic hæreo opinioni, sciens non semper pretium loco rei succedere, vt ostendit Sanch. citatus *n.* 25. & 28.

PROBL. XLIII.

Qui rem dubiæ proprietatis emit, aut accepit, dubitans scilicet esse furtiuam, vel alienam: post adhibitam debitam diligentiam, potest, & non potest eam retinere.

164. *Non tenetur restituere.* CErtum est quidem, contra iustitiam peccare, qui rem emit, aut accipit dubitans, an sit furtiua, vel aliena. Quia subest iniustitiæ periculum contra verum Dominum, si verè res sit aliena. Postquam igitur sic dubitans rem accepit, adhibere tenetur debitam diligentiam ad assequendam veritatem, nè Domino rei iniuria inferatur. Porrò si inquisitione facta possibili moraliter, non possit veritas inueniri, quæsierim, num restituere teneatur? Non tenetur. Quia iam qui iniustè ob dubium acceperat; inquisitione facta, possidet, & proprietas est dubia; ergò possidens retinere potest, dum certo non constiterit rem esse alienam. Ita Medin. *l.* 1. *sum. cap.* 14. §. 23. Villalob. *to.* 1. *tr.* 1. *difficul.* 20. *n.* 6.

165. *Tenetur restituere.* Tenetur profecto. Quia tunc non censetur bonæ fidei possessor, cui possessio faueat in dubio: cum cœperit dubia fide possidere. An non est *possessio rei corporalis detentio iuris adminiculo?* Certè sine iure vero, vel præsumpto non est possessio, sed iniusta retentio: nec dicitur simpliciter possidere, qui bona fide possidere non cœpit. Quare qui dubiæ fidei possessionem inchoauit, restituere tenebitur. Ita Molin. *tom.* 1. *tr.* 2. *disp.* 35. & 36. Sanch. *de matr.* 1. 2. *disp.* 41. *numer.* 24. & 25. & *l.* 2. *Decal. c.*23. *n.* 177. Lessi. *l.* 2. *c.* 14. *dub.* 4. *n.* 25. Castro Pal. *to.* 1. *tr.* 1. *disp.* 3. *punct.* 3. *n.* 2.

166. *Auctoris sententia non tenetur restituere rem totam.* Crediderim huic subscribens placito, restituere teneri non rem totam, sed plus minusvè pro dubij qualitate. Quia cum non constet omninò rem illam esse alienam, post adhibitam etiam diligentiam moralem: non est maior ratio, cur vni potius, quam alteri tota res tribuatur. Ergo pro ratione dubij diuidenda est & pauperibus restituenda.

PROBL. XLIV.

Si rem furtiuam, vel quam dubitabat esse furtiuam quis accipit, vel emit: vt verum dominum inquirat, & eam illi reddat: comparens dominus debet, & non debet ei totum pretium reddere, quod exhibuit.

167. *Debet totum pretium reddere.* PRofectò emens, vel accipiens alio titulo rem furtiuam, vel quam dubitabat furtiuam esse, vt verum Dominum inquireret, & eam illi redderet: minimè peccat. Quia gessit vtiliter negotium Domini illius rei, qui ferè nunquam alia via rem suam recuperaret. Cum igitur res Domino reddatur, debet ille reddenti totum pretium, quod pro re tradiderat, exhibere. Quia cum vtiliter negotium Domini rei illius gessit, æquum non est, vt pretium traditum amittat. Sic Sanch. *l.2. de Matr. disp.* 41. *n.*29. & *l.* 2. *Decal. c.* 23. *n.* 176. Salas. 1.2. *tr.*8. *disp.*1. *sect.*23. *n.* 237. Cast. Pal. *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 3. *punct.* 3. *n.* 4.

168. *Non debet reddere totum pretium.* Non debet dominus rei totum pretium reddere absolutè, sed sub hac distinctione: si quis rem furtiuam magni valoris emit modico pretio poterit hoc recuperare, teneturque rei dominus rependere. Quia vtiliter ille eius gessit negotium. Si tamen emit ille maiori vel æquali prætio, dominus rei non tenetur integrum pretium soluere. Quoniam non vtiliter qui emit eius negotium gessit. Sic Franc. de Lugo *Decurs. præu. p.*1. *c.* 1. *numer.*42. Bonac. *de Restit. disp.*1. *q.*2. *punct.*2. *num.*14.

169. *Ex parte primam, ex parte secundam sententiam amplector.* Placet Magistri mei distinctio, quam tamen limitandam esse reor. Si emit ille pretio maiori, non reddatur ei totum pretium, sed tollatur excessus: si emit æquali totum ei pretium reddatur: aut si dominus rei hac noluerit pensione recuperare, sibi iustè qui emerat à fure, addicet. Porrò si rei dominus non comparuerit, dum constat, rem esse alienam restituenda est pauperibus pretio deducto, quo empta fuit.

PROBL. XLV.

Cooperatus quis ad furtum dubitat, num ex eius cooperatione secutum sit damnum: tenetur is, & non tenetur damnum resarcire.

170. *Non tenetur resarcire damnum.*

NOn tenetur. Quia in dubiis (præsertim in materia iustitiæ) potior est possidentis conditio; possidet hic suam pecuniam, possidet etiam suam indemnitatem. Ergo non tenetur compensare, damnum, dum omnino non constat ex suo consilio, aut cooperatione fuisse secutum. Addo, in dubio præsumendum, inde damnum non proueniſſe, sed ex determinata voluntate nocentis. Sic Henri. *l.* 14. *c.* 3. *n.* 4. & in Glos. *lit. c.* Rebel. 1. *p. l.* 2. *q.* 14. *sect.* 2. *n.* 5. & 7. Tanner. 2. 2. *disp.* 4. *q.* 6. *dub.* 14. *num.* 395. Dian. *p.* 3. *tr.* 5. *resol.* 84.

171. *Tenetur damnum resarcire.*

Tenetur planè. Quia in dubio possessio non est pro te, sed contra te. Constat enim te tuo prauo consilio, vel cooperatione iniusta apta quidem damnum causare: Constat item de damno causato. Igitur dum non probas oppositum, iudicandus es causauisse, vt docet Bald. *in leg. data opera. n.* 52. *Cod. Qui accusare non possunt,* & alij Iuristæ. Sic Sanch. *l.* 2. *de Matr. disp.* 42. *num* 17. & *l.* 1. *Decal. c.* 10. *num.* 44. Molin. *tom.* 3. *disp.* 736. *num.* 6. Filliuc. *tract.* 21. *num.* 167. Castro Pal. *tom.* 1. *tr.* 1. *disp.* 3. *punct.* 4. *n.* 3.

172. *Mentem expendo.*

Sic mentem meam expoſuerim. Constat consilium à te datum reuera, & illatum damnum: sunt tamen speciales rationes suadentes, alterum sine tuo consilio pariter nociturum; v. gr. si inimicus capitalis fuerat homicida, vel necem antea minitatus: ad restitutionem non teneris. Quia tum verè dubium est, an ex consilio secutum fuerit homicidium, & in hoc dubio possessio stat pro indemnitate consulentis. Nec enim æquum est, illum ad certam restitutionem obligare, quem non est certum damnum intuliſſe. Sic Sanch. noster vtrobique cum Decio, Felino admittit. Quid si coniecturæ suadeant validæ quidem, homicidam quoad substantiam delicti non fuisse tuo consilio permotum, dubium tamen sit, an saltem consilio confirmaueris eius animum, ad citiúsve exequendum crimen incitaueris? A restitutionis te immunem obligatione censeo. quia licet id manifestè constaret, probabile est non teneri; non enim fuisti causa efficax, vt damnum absolutè, ac secundum substantiam inferretur: si quidem alter per se se sic erat affectus, vt etiam absque tua suasione perfeciſſet; & secundum moralem æstimationem nihili refert ad illationem damni prima vel secunda diei hora patrari delictum, quod proculdubio patrandum erat. Didici ex Lessio *l.* 2. *c.* 13. *n.* 6. Laym. *l.* 2. *sect.* 5. *tr.* 2. *c.* 5. *n.* 5.

PROBL. XLVI.

Suasit quis homicidium, & dubitat, an suasio fuerit occisionis causa: sit, & non sit irregularis.

NOn sit. Quia in dubio potior est conditio possidentis suam immunitatem ab irregularitate: nec certa pœna debet dubio delicto respondere. Quamuis enim Cap. *Ad audientiam,* Cap. *Significasti.* decernant, in homicidij dubio irregularitatem incurri: restringuntur ad dubium homicidij proprij vt docet Suarius *tom.* 5. *disp.* 40. *sect.* 6. *num.* 8. qui vero suasit homicidium quod patratum fuit, adhuc propriè non est homicida. Sic Henriq. *l.* 13. *de irregul. c.* 16. *num.* 3. *lit. D,* Salas 1. 2. *tr.* 8. *disp.* 1, *sect.* 18. *num.* 168. 173. *Non sit irregularis.*

Fit quidem irregularis, si verè post datum consilium occisio patrata fuit, & non suppetunt coniecturæ suadentes sine eius consilio pariter fore patrandam. Quia tunc est possessio, seu præsumptio contra suadentem, & dum hic non probat oppositum, reputatur certa consilij cooperatio. Sic Sayr. *de Censur. tom.* 1. *l.* 7. *c.* 3. *num.* 2. Ioan. Sanct. *disp.* 43. *num.* 10. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 10. *n.* 44. 174. *Fit irregularis.*

Huic adhæreo. Quia in externo foro irregularis ille iudicabitur, cui quidem foro debet internum conformari, cum de contraria veritate non constat. 175. *Hanc teneo.*

PROBL. XLVII.

Dubitas de tua legitimitate: Potes tunc, & non potes te reputare legitimum.

POtes quidem. Quia nemo damnandus est ob culpam dubiam ex iuris naturalis præscriptione; nam ratio naturalis dictat pœnam certam crimini certo debere addici. At si in dubio filius iudicareris illegitimus, iam ob incertam culpam parentes in filio punirentur. Debes ergo in dubio legitimus reputari. Sic Salas 1. 2. *tract.* 8. *disput* 1. *sect.* 24. 176. *Potes te putare legitimum.*

num. 245

num. 245. Castro Palao *tom.* 1. *tr.* 1. *disp.* 3. *punct.* 5. *num.* 1. *&* 3. Azor. *tom.* 1. *l.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 7. Villal. *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 20. *n.* 11.

177. *Non potest.* Non potes. Quia non præsumitur matrimonium nisi probetur; est enim quid facti, factumque non præsumitur nisi ex probatione. Cap. *cum Ioannes* §. *verum de fide instrum.* & latius ostendit Mascar. *tom.* 1. *n.* 1. *concl.* 732. Cum ergò non possis esse filius legitimus; nisi stante matrimonio, fit non præsumpto matrimonio, nec legitimum te esse præsumendum. Ità Mencha. *contr. illust. c.* 85. *num.* 14. *&* 15. Mascar. *de probat. verbo illegitimus concl.* 782. *&* *tom.* 2. *concl.* 1090. Matien. *l.* 9. *tit.* 8. & alij Iuristæ.

178. *Primæ sententiæ subscribo.* Prima mihi sententia arridet. Quia in dubio debet præsumi, quod honestius est. vt declarat Baldus *in leg.* Filium. *numer.* 11. *D. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris.* Item præsumi debet quod est fauorabilius filio, nec in dubio condemnandus est, aut peioris conditionis iudicandus. Ergò in dubio de illegitimitate censendus legitimus, & in dubio, an sit naturalis. vel spurius, censendus est naturalis.

PROBL. XLVIII.

In dubio valet, & non valet possessio circa materiam aliarum virtutum à iustitia.

179. *Non valet possessio.* NOn valet. Quia possessio solius iustitiæ titulus est; ergo nihil confert extrà iustitiæ materiam. Vnde in materiis aliarum virtutum pars tutior sequenda erit etiam contra possidentem. Certè nunquam esset præceptum sequendi partem tutiorem nec in dubio præceptum aliquod obligaret si semper pro libertate possidente esset iudicandum Sic Torres *de iust. disp.* 13. *dub.* 3. *n.* 19. Salas 1. 2. *tr.* 8. *disp.* 1. *n.* 162. Plures à Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 10. *n.* 10. referuntur.

180. *Valet possessio.* Porrò sicut in materia iustitiæ sic in cæterarum virtutum materia potior est possidentis materia, ità vt in dubio speculatiuo, quod præmissa diligentia vinci nequit, sequi licet partem cui fauet possessio, quamuis sit minus tuta. Quia possessio titulus est vniuersalis, & communis omnibus virtutibus, sicut pars aliqua potentialis iustitiæ, nimirum obedientia transcendit omnes virtutes, eademque ratione prævalere debet in omnium virtutum materia. Ideò siquidem potior est in dubio conditio possidentis circa iustitiæ materiam, quia possidens præter dubium ius proprietatis, in quo par est alteri, certam habet possessionem, in qua palam excedit. Sed similiter in aliis materiis præter ius dubium obligandi partis vtriusque dari potest in vna parte certa possessio libertatis, vel obligationis; Ergo pars excedet aliam, atque ideò potior erit. Sic Sanch. *l.* 2. *de Matr. disp.* 41. *n.* 32. Filliuc. *tr.* 21. *n.* 159. *&* 165. Cast. Pal. *tr.* 1. *disp.* 3. *punct.* 6. *n.* 1. Bonac. *de restit. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 2. *num.* 1. Laym. *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 48.

181. *Probabiliorem hanc puto sententiam.* Communiorem, ac probabiliorem hanc reputo sententiam. In cuius vberiorem intelligentiam regulam exhibeo, qua discernas in causis dubiis extra materiam iustitiæ pro quanam parte stet possessio. Est planè possessio pro parte, pro qua datur iuris præsumptio. Quia ius nihil sine iusta causa præsumit, ne præsumptio temeraria sit. Sic Sanch. citatus *n.* 13. & Filliuc. *n.* 160. Porro ius interdum resistit possessioni, & tunc iuris præsumptio non stat pro possidente. Sed contra illum: & quamuis regulariter spoliatus possessione sit antè omnia restituendus, vt habetur. *tit. de restitut. spoliator*: tamen quando ius possessioni resistit non datur spoliati restitutio; quia præsumptio iuris præponderat possessioni. Sic possessor nobilitatis possessione spoliatur, tributumque soluere cogitur statim ac ei mouetur lis circa nobilitatem, donec illam probet: quoniam illi possessioni præponderat iuris præsumptio existens pro Rege. de quo latè Ioan. Garcia *de Nobilit. glos.* 10. *n.* 11. Demum si præsumptio iuris pro hac vel illa parte sit dubia, siue probabilis dumtaxat, (vt non rarò contigit) iudicandum est, ac si nulla subesset; sicuti cum dubium est de legitima possessione, non censetur dari possessio, quia tunc vtriusque partis par est causa. Sic Cast. Pal. *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 3. *pun.* 6. *num.* 2.

PROBL. XLIX.

Adest dubium, an res præcepta licita sit: Tunc quidem subditus tenetur, & non tenetur Præsuli obedire.

182. *Non tenetur obedire.* COnstat prælatio, & præceptum Prælati, sed dubitat subditus, num res præcepta sit licita vel an excedat potestatem præcipientis, quoniam sit suprà, vel præter regulam, vel contra præceptū superioris Prælati. Quæsierim igitur, an sic

dubitans ſubditus obedire teneatur? Non tenetur. Quia Prælatus non eſt in poſſeſſione præcipiendi tes illicitas, vel excedentes eius poteſtatem; ergo ſubditus dubitans, an res ſibi præcepta ſit licita, ſimul etiam dubitat, an Prælatus illam poſſit præcipere; vndè repugnans tali præcepto, non ſpoliat Prælatum poſſeſſione præcipiendi rem illam; quia nunquam Prælatus acquiſiuit poſſeſſionem præcipiendi rem, cui culpæ periculũ ſubſit. Sic Vaſq. 1.2. *diſp.* 66. *c.* 9. *n.* 51. Salas 1. 2. *tr.* 8. *diſp.* 1. *n.* 52. 1. 57. & 183. Manu. *ſum. to.* 2. *verbo Obedientia c.* 9. *concl.* 2. 3. 4.

183. *Obedire tenetur?*

Tenetur obedire ſubditus, quamuis dubitet, rem eſſe illicitam; vel excedentem præcipientis authoritatem. Quia ſuperior quatenus ſuperior eſt, habet præcipiendi poſſeſſionem, & viciſſim ſubditus obligationem obediendi. Ergo melior eſt in dubio conditio ſuperioris, quem non poteſt ſubditus ſpoliare hac poſſeſſione, niſi certo conſtiterit, illicitum eſſe præceptum, aut præcipientis excedens poteſtatem. Sic Azor. *to.* 1. *l.* 2. *c.* 19. *q.* 9. Tolet. *de peccat. c.* 15. *n.* 6. Valent. *to.* 2. *diſp.* 2. *q.* 14. *punct.* 4. & *to.* 3. *diſp.* 3. *q.* 16. *pun.* 2. Moli. *to.* 1. *diſp.* 113. *conc.* 3. Caſt. Pal. *to.* 1. *tr.* 1. *diſp.* 3. *pun.* 13. *n.* 2. & 3. & plures alij.

184. *Hanc approbo opinionem.*

Communem hanc tenendam ſententiam reor, quoties, præceptum Præſulis facilè poſſis implere ſine detrimento tui vel alterius, quamuis dubia ſit honeſtas præcepti. Quia tunc nullus apparet titulus præcepti & ſubiectionis debitæ ſuperiori omiſſionem honeſtans. Quod enim dubitas, an illud præceptum ſit contrarium diuino, te non excuſat, dum non probas eſſe contrarium. Tibi ſiquidem incumbit onus probandi præceptum eſſe illicitum: nec ſuperior probare tenetur licitum eſſe, cum hoc ſemper in iure præſumatur. Quare nec tenentur ſuperiores rationem reddere ſubditis eorum, quæ præcipiunt, nec ſubditi poſſunt iudicio certo ſuperioris ſuum dubium anteponere. Ex Caſtro meo citato *n.* 3. didici.

PROBL. L.

Subdito res nimis moleſta, ſeu difficilis à Præſule præcipitur, de qua dubitat, an implere teneatur: In dubio quidem tenetur, & non tenetur obedire.

185. *Tenetur obedire difficili præcepto.*

PRæcipitur ſubdito abſtinentia diuturna, vel longum iter: dubitat ille de honeſtate rei præceptæ, vel de præcipientis poteſtate. An tamen parere teneatur? Tenetur obedire præcepto difficili. Quia illa moleſtia vel onus non eſt alienum à re præcepta, ſed idem prorſus cum illa. Ergo cum in caſu dubio debeas obedire ſuperiori propter poſſeſſionem, quam habet præcipiendi, teneris etiam, cum præceptum eſt difficile, cum etiam in illo ſuperioris poſſeſſio præualeat; aliàs in dubiis nulla certa regula obediendi daretur. Caſtr. Pal. *to.* 1. *tr.* 1. *diſp.* 13. *nu.* 18. Satis eſſe probabilem affirmat.

186. *Non tenetur.*

Quando ſubditus dubitat, num res præcepta ſit licita, vel ſupra præcipientis poteſtatem, & alioquin illa magnam continet difficultatem, aut moleſtiam: non tenetur ſubditus ſtatim obedire, donec, re maturius diſcuſſa, conſtet eam eſſe licitam, & intrà poteſtatem Præſulis contineri: Quare, dubio manente, prorſus ab obedientia excuſatur. Quia tanta rei difficultas ſimul cum dubio poteſtatis imperandi, aut rei honeſtatis, ſuperioris poſſeſsioni præponderat, & ſubditi potius fauet libertati, qui quidem non debet certò onus graue ſubire, dum dubitat, an ſibi poſsit imponi. Sic Salas 1.2. *tr.* 8. *diſp.* 1. *ſect.* 17. *n.* 154 Sanch. *l.* 6. *decal. c.* 3. *n.* 23. Lopez 1. *pag. cap.* 56. *col.* 1. Sayr. *in claui l.* 1. *c.* 13. *n.* 40. & *l.* 12. *c.* 16. *n.* 7. & 18.

187. *Hanc eligo.*

Certè ſecundam hanc ſententiam & probabiliorem & in praxi tutam exiſtimo, id quod ipſe Caſtro fatetur.

PROBL. LI.

Dubitat non ſolùm ſubditus, ſed & ſuperior, num res præcepta ſit licita vel excedens præcipientis poteſtatem: ſubditus ſciens huiuſmodi dubitationem Rectoris, tenetur, & non tenetur obedire.

188. *Non tenetur obedire.*

NOn tenetur. Quia tota ratio propter quam in dubio ſubditus licitè poteſt, & tenetur obedire præceptis, eſt quia ſuperior petit ſibi debitum ratione poſſeſſionis, ne ſcilicet in dubio certa poſſeſsione priuetur. Sed cum ſuperior dubitat, an res, quam præcipit, ſit licita, vel ſuæ poteſtatis limites excedat, nec petit ſibi debitum, nec ei fauet poſſeſſio: cum hęc ſit ſolum ad ea præcipienda, quæ ſuperior licita reputet, & intrà ſuam poteſtatem contenta. Non ergo tenetur ſubditus, nec poteſt tunc obedire. Sic Salas 1.2. *tract.* 8. *diſp.* 1. *ſect.* 26. *num.* 275. Sanch. *l.* 6. *Decal. cap.* 3.

cap.3.num.21. Manu.*tom.1.c.126.concl.4.*

189. *Obedire tenetur.* Tenetur planè, ſi ſimul dubitent ſuperior & ſubditus etiam poſt præmiſſam à ſuperiore veritatis inquiſitionem. Quia tunc Prælatus legitimè præcipit, cum habeat præcipiendi poſſeſſionem, & dubitationem ſubortam vincere non poſſit. Sic Caſtr. Pal. *tom.1.tract.1.diſput.3.punct.13. num.11.* Sanch.*de Matr.l.2.diſp.41.n.46.*

Mentem meã expono. Placet ſententia hæc, quam ſic liceat expendere: ſi ſimul dubitent Præſul & ſubditus, Præſul autem nondum præmiſit debitam veritatis inquiſitionem, ſubditus non tenetur, nec poteſt obedire, cum dubium eſt de pręceptæ rei honeſtate. Quia ſuperioris eſt, rei quam præcepit honeſtatem veſtigare, dum de illa dubitat: ne ſubeat errandi periculum, imperans quæ nõ licent. At ſi ſimul dubitent ſubditus & Præſul etiam poſt præmiſſam ob hoc veritatis inquiſitionem probabilius reputo, teneri ſubditum obedire, Quia tunc prætialet Præſulis poſſeſſio. Legendus Caſtro Pal. *tom.1.tract.1.diſput.3. punct.13.num.11.*

PROBL. LII.

Subditus ex obedientia graue timet damnum obuenturum: Tunc dubitans an res ſit licita, nec ne, tenetur, & non tenetur obedire.

190. *Teneris reſpõdere quæſito.* PRæſul (ex. g.) te de tuo delicto, vel alterius interrogat, & dubius es, num iuridice interroget. Rogito, an obedire reſpondendo requiſitioni tenearis. Teneris. Quia illud damnum, quod ex reſponſione tibi eſt obuenturum iam Præſul pręuiderat, & illo non obſtante pręcipit. Debes igitur obedire. Præſumere enim debes ſuperiorem iuſtè præcipere, ne ſis iudicij temerarij reus. Igitur quando dubitas etiam teneris, cum in vtroque caſu Præſul ſit in poſſeſſione præcipiendi. Sic Ioan. Sanch.*in ſelect. diſp.43.n.28.*

191. *Non teneris.* Non teneris. Quia obedientia Præſuli debita non tollit ius & poſſeſſionem tuam vel alterius in bonis fortunæ, corporis ſeu honoris. Ergo rationi non erit conſonum, vt obligeris hanc amittere propter obedientiam (de qua dubitas) in re magni momenti poſſeſſionem. Poſſeſſio quippe tua iuri ſeu poſſeſſioni dubiæ Præſulis debet præualere. Sic Sanch. *l.6. decal. c.3.n.24.* Salas 1.2. *tr.8. diſp.1. ſect. 17.n.155.* Caſt. Pal.*to.1.tr.1 diſp.3.pun.13.n.16.* Leſſi. *l.2.c.* 31.n.10.*& c.41.n.77.*

192. *Hanc approbo, & expendo.* Probabiliorem hanc iudico mentem addẽs, ſi obedientia vrgeat in graue damnum alterius, non ſolum te non obligari dubitantem obedire, ſed nec parere poſſe. At ſi in tui ſolummodo id cedat incommodum non quidem teneris, ſed poteris obedire, qua iuri tuo cedere potes. Cum autem tu alieni iuris non ſis dominus haud potes in graue alterius damnum obedire.

PROBL. LIII.

Dubitat Religioſus, an ſuperioris præceptum ſub voto ſuo comprehendatur: Tenetur tunc, & non tenetur obedire Prælato.

193. *Non tenetur obedire.* NOn tenetur. Quia Religioſus ſolum eſt ſubditus ratione votorum conſtituentium religionem; vnde Prælatus ſolum poteſt ea præcipere, quibus Religioſus per obedientiæ votum voluit adſtringi. Non ergo Religioſus in dubio parere tenetur. Nemo enim tenetur id exequi, de quo dubitat, an ſub eius voto comprehendatur. Hoc quippè idem eſt, ac dubitare de voto, quo caſu libertas poſſidet vt tradunt Sanch.*de Matr. l.2.diſp.41. n.33.& l.4. Decal.c.1.n.32.* Ioan. Sanct. *diſp.43.n.3.& 4.* Porrò ſententiam hanc pluribus confirmat & ſequitur Caſt. Pal.*to.1. tr.1.diſp.3.pun.13.n.7.& 8.*

194. *Obedire tenetur.* Tenetur Religioſus in dubio ſuis Præſulibus obedire. Quia quamuis requiratur Religioſi voluntas, & votum ad talem ſtatum ineundum; eo tamen ſuſcepto, iam Præſul habet ius præcipiendi non ſolum ratione voti, ſed etiam ratione traditionis, & iuriſdictionis, à Pontifice manantis, cuius poſſeſſio debet negatiuo in dubio præualere. Nec aliàs eſſet moraliter poſſibilis obedientia ſi cuilibet ſubdito ſigillatim prius eſſet perſuadendum. iuſtum eſſe, quod imperatur. Sic Tolet. *de peccat. c.15. num.6.* Sanch. *l.6. decal. c.3. num.3.* Moli. *to.1. diſp.113. concl.3.* Azor.*to.1. l.2. c.19. q.9.* Saa *verbo Bellum num.1.* Valent. *to.2. diſp.2. q.14. pun.4.* Qui quidem de ſubditis omnibus generaliter loquuntur.

195. *Sequor, & expendo ſecundam ſententiam.* Porrò ſi Præſul in præcipiendo non vteretur iuriſdictionis poteſtate, ſed ſolum voti obligationem exigeret, probabile reor ſubditum in dubio non teneri. Sed probabilius adhuc arbitror teneri obedire Rectori. quia ibi ſaltem interuenit poteſtas dominatiua per traditionem profeſſionis acquiſita. Sic Suar.*de Relig. to.3. l.10.c.3.* Hinc intulerim, quando Prælatus aliquid

aliquid in virtute obedientiæ imperat, vel similibus verbis indicatibus intentionem sub mortali obligandi: quamuis dubium adsit, an materia sit ita grauis, vt capax sit obligationis sub mortali, teneri subditum sub mortali obedire. Quia dum de materiæ leuitate non constat, iudicio Præsulis stare tenetur. Ita Sanch. *l.6.Decal. c.4.n.46.*

PROBL. LIV.

Dubitat subditus de honestate præcepti: Tenetur, & non tenetur doctos adire consiliarios, ad dubium deponendum.

196. *Non tenetur consulere.* NOn tenetur. Quia Præsulis munus est videre quid imperet pro subditis rationem reddituri; subditi autem munus non est Præsulis examinare, aut discutere imperia: sed obedientia cæca parere, ac dubium speculatiuum deponere, vt se practicè superioris præcepto conformet. Sic Sanch. *l. 6. decal. c. 3. num.* 19. Valent. *to.3. disp.7. q.3. pun.2.* Nauarra *de Rest. l.2. c.3. dub.12. n.261. & 266.*

197. *Tenetur consulere.* Tenetur planè. Quia licet munus subditi non sit præcepta Rectoris examinare quando de illorum honestate non dubitat: at in eo dubio tenetur veritatem inquirere. Hæc enim obligatio cuilibet inest dubitanti de operationis honestate, quam intendit, vt prudenter operari valeat. Sic possidens rem aliquam, & dubitans, an sit aliena, vt tutus possideat, tenetur requirere, diligentia adhibita, veritatem. Ita Cast. Pal. *to.1. tr.1. disp. 3. pun.13. n.* 10. Angel. *verbo Bellum num.* 8. Syluest. *Bellum* 1. *q. 9. concl. 3. & verbo obedientia, q* 2.

198. *Exprimo, quando, teneatur, & non teneatur consulere doctores.* Profecto vt vtrique sententiæ morem geram, existimo subditum non teneri viros doctos adire consulendi causa, quum superioris probitas & scientia talis est, vt possit subditus propter illius authoritatem extrinsecam probabile de re præcepta efformare dictamen. Quia probabilis opinio cum præcepto superioris sufficiunt ad obligandum subditum sine noua veritatis inquisitione. At quotiens executio præcepti sine nota transgressionis differri potest, subditus haud de probitate ac sapientia Rectoris conscius, debet illam differre, donec Doctoribus consultis inquirat, an sit exequendum, necne. Quia in casu dubio talis inquisitio non obstat debitæ obedientiæ, cum ex illa non omittatur: nec eius perfectioni, quæ solum requirit integram & promptam executionem præcepti, quando tempus vrget illud exequendi. Quod si præceptum celerem exigat executionem, ita vt posita consultationis mora, parendi laberetur occasio: nec debet subditus, nec potest etiam dubitans de honestate præcepti, viros doctos consulere. Quia talis consultatio tolleret obedientiam. Acquiescat præcepto dubium speculatiuum deponens, & practicè iudicans, sibi hoc in casu licitum, ac necessarium esse obedire. Lege Sanchez citatum *num.*20.

PROBL. LV.

Dubium adest, num Petrus sit legitimè Præsul, nec ne: Tunc subditus tenetur, & non tenetur eius præceptis obedire.

199. *Tenetur.* TEnetur plane. Quia hoc in dubio Præsulis præualere debet authoritas. Sic Sanch. *l.6. decal. c.3. n.29.*

200. *Non tenetur.* Non quidem tenetur. Quia quantum, & qualiter licet de Præsulis potestate propter defectum electionis dubitare, tantum, ac taliter licet dubitare de eius imperiorum obligatione Sic Gerson, quem citat, & sequitur Vasq. 1.2. *disp.62. c.6.* Salas 1.2. *tr.*8. *disp.*1. *sect.*8. *n.*78.

201. *Concilio sententias.* Existimo non teneri subditum Petro obedire, quando dubitat, an Petrus suus Præsul existat, & Petrus aliàs non habet prælationis, aut iurisdictionis erga talem subditum possessionem. Quia cum alter non possideat, standum est pro libertatis possessione. Teneri autem obedire quotiens Petrus sit in possessione prælationis. Tunc enim ea spoliari non debet, obedientia abnegata, donec de certo constet oppositum.

PROBL. LVI.

Rex infert bellum alij Principi, de cuius iustitia dubitatur: Milites possunt, ac debent, non possunt nec debet aduersum talem Principem dimicare.

202. *Subditus potest, & debet: si eius non subditus.* PRæmitto quinam nomine subditi militis intelligatur. Certè non solum indigenæ subditi dicuntur, sed & alienigenæ mercede conducti, qui continuis stipendiis anteà sub eodem Principe degebant tam belli tempore, quam pacis. Illi autem, qui tunc temporis conducuntur ad certamen subditi minimè sunt appellandi. Sic ex Caietano, Nauarro, Molina,

lina docet Sanch. *l.6. Decal. c. 3. num.16.* Igitur miles ſubditus poteſt, & debet ſuo Principi bellum inferenti alij Principi obedire: ſecus vero non ſubditus. Quia ſubditis ſuppetit ſufficiens ratio dubium deponendi ſuperioris præceptum eſt; quæ quidem ratio non ſuppetit non ſubdito militi, ad dubiam conſcientiam deponendam, ideoque debent veſtigare belli iuſtitiam, priuſquam ſe militiæ dedant. Sic Valent. *tom. 3. diſp. 3. q. 16. punct. 2.* Molin. *tom. 1. diſp. 113.* Azor. *tom. 1. l. 2. cap. 19. q. 9.* Sanch. cum aliis *l.6. Decal. cap. 3. num. 15.*

203. *Nec ſubditus nec non ſubditus poteſt & debet.*

Nec miles ſubditus nec miles non ſubditus poteſt, aut debet dimicare dubius de iuſtitia belli. Quia manente dubio tam ſubditus quam non ſubditus ſubit pugnando periculum tot iniuſta damna inferendi, quot aſſolent ex bello cauſari. Sic Vaſq. 1. 2. *diſp. 66. cap. 9. n. 51.* Salas *1. 2. tract. 8. diſp. 1. ſect. 27. n. 272.* Suar. *de charit. diſp. 13. ſect. 6. n. 12.* Caſt. Pal. *tom. 1. tract. 1. diſp. 3. puuct. 14. n. 3.*

204. *Primam teneo ſententiam.*

Cum primæ ſententiæ aſſertoribus ſentio diſtinguentibus inter ſubditos & non ſubditos. Nam hi poſſunt in dubio nonnunquam alterutri partium bellantium adſcribi: ſubditi non poſſunt parti contrariæ addici ſine læſæ maieſtatis ac inobedientiæ crimine, ſubditi tenentur in dubio non ſatis prudenter fundato ſuo parere Principi bellum præcipienti: non ſubditi, licet poſſint eo in dubio ei adhærere Principi, non tamen tenentur; cum præceptum ſolos ſubditos obliget.

PROBL. LVII.

Dubitatur, an lex lata ſit, vel num de hac, aut illa re impoſitum ſit præceptum? Tunc lex, ſeu præceptum ſeruandum eſt, & non eſt ſeruandum.

205. *Seruanda eſt lex.*

SEruanda quidem eſt lex aut præceptum. Quia poſſeſſio non ſuffragatur extra materiam iuſtitiæ: quapropter in materia cæterarum virtutum ſemper amplecti debemus, quod tutius eſt. Ita Vaſquez 1. 2. *diſp. 66. c.* 1. Salas 1. 2. *tr. 8. diſput. 1. ſect. 25. num. 258.* Qui addit id intelligendum, quando dubitans poteſt præceptum exequi aut legem implere ſine magna difficultate, in commoditate ſcilicet ſeu periculo.

206. *Non eſt ſeruanda.*

Si facta diligenti veritatis inquiſitione, adhuc quis dubius manet, an lex vel præceptum impoſitum ſit, non tenetur huiuſmodi legem aut præceptum implere. Quia hoc in dubio poſſeſſio ſtat pro libertate. Quilibet enim eſt dominus ſuarum actionum, & libere ſe gerere poteſt, dum ſe ligatum non agnoſcit. Ergo qui poſt præmiſſam inquiſitionem, dubius eſt de præcepto vel lege, non ſe ſufficienter illigatum agnoſcit, & ideò non tenetur ei ſubiacere. Sic Laym. *l.1. tr. 1. c.5. n.38.* Filliuc. *tr. 21. n. 163. & 170.* Bonac. *de peccat diſp. 2. q. 4. punct. 7. n. 17.* Sanch. *de Matr. l. 2. diſp. 41. num. 36. & l.1. Decal. c. 10. num. 32.* Saa *verbo dubium, n. 2.*

207. *Hanc amplectior mentem.*

Veram hanc ſententiam exiſtimo, ſiuè lex aut præceptum ſit naturale, ſiue poſitiuum humanum, vel diuinum; ſiue ſit conſuetudo dubia quo ad exiſtentiam, cum in omnibus eadem militet ratio, ſcilicet, certam libertatis poſſeſſionem haud eſſe obligationi dubiæ poſtponendam.

PROBL. LVIII.

Dubitat quis, num lex ſit acceptata, vel vſu recepta? tenetur & non tenetur eam obſeruare.

208. *Non obligat lex.*

NOn obligat lex etſi cenſuram, etſi irregularitatem imponat. Quia tunc lex non poſſidet, cum nondum conſtet, num ſufficienter impoſita ſit quoad vim coerciuam; lex enim non obligat ſinè promulgatione. §. *in his autem Inſtit. de contrahen. empti.* Nec ſecundum aliquorum ſententiã obligat donec acceptetur, & vſu recipiatur, vt tradit Rebellus *p. 1. l. 1. q. 5. n. 6.* Ergo dum adeſt dubium, an lex fuerit promulgata, vel acceptata, dubium eſt conſequenter, an vnquam obligauerit, & per conſequens, an fuerit verà lex, & ideo non poſſidet, quamuis cenſuram, aut irregularitatem imponat. Sic Caſtro Palao *tom. 1. tract. 1. diſp. 3. punct. 7. num. 4.* Azor *tom. 1. libro 2. capite 19. q. 12.* Salas 1. 2. *tract. 8. ſect. 18. num. 169.*

209. *Obligat lex.*

In dubio de acceptatione, tenetur ſubditus legem obſeruare. Quia vere lex poſſidet, dum conſtat latam eſſe: ſi quidem habet pro ſe iuris præſumptionem, & alleganti non eſſe receptam, incumbit onus probandi. Quare, dum id non probat, ad legis tenetur obſeruationem: ſecus eſt de promulgatione. Quia lex non poteſt ſine promulgatione eſſe, nec verè dicitur lata, donec ritè promulgetur. Sic Laym. *libro 1. tract. 4. capite 3. numero 6.* Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 10. numero 35.*

Filliuc.

Filliuc. *tract.* 21. *num.* 164. Bonac. *de legib. disp.* 1. *q.* 1. *punct* 4. *n.* 44.

210. *Hanc teneo & roboro.* Profecto lex recepta præsumitur, quando dubitatur, an sit acceptata, vt ostendit Riccius *verbo Praxis alienationis. decis.* 95. Legem validam post sui promulgationem esse, donec per desuetudinem infirmetur, Castro Palao probat. *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 13. Non autem excusatio contrariæ consuetudinis præsumitur donec probetur.

PROBL. LIX.

Dubitatur, an lex sit derogata, vel dispensata, vel num detur excusatio sufficiens ab eius obseruatione? subditus tenetur, & non tenetur obedire.

211. *Subditus non tenetur obedire.* NOn tenetur. Quia libertati fauendum est, quantum possumus: præcipue autem si lex subdito sit incommoda, vel molesta; in legibus enim pœnalibus debemus benigniorem sequi interpretationem, præsertim quia, præceptum impropriissimè dicitur, possidere. Voluntas autem antèà propriè suam possidebat libertatem. Ita Salas 1.2. *tr.* 8. *disp.* 1. *sect.* 25. *num.* 259.

212. *Obedire tenetur.* Tenetur subditus ad obseruandam legem. Quia constat, legem, eiusque obligationem possidere, dum constat illam latam, & promulgatam fuisse, nec certò constat esse abrogatam, vel dispensatam, vel dari sufficientem excusationem. Siquidem obligatio certa non tollitur abrogatione, vel dispensatione, vel excusatione dubia. Debet ergò subditus probare excusationem, vt ab obligatione legis eximatur. Sic Bonac. *de Rest. disp.* 1. *q.* 2. *punct* 2. §. 1. *n.* 4. Castr. Pal. *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 3. *p.* 7. *n.* 6. Sanch. *l.* 1. *Decal. cap.* 10. *n.* 34. *& de Matr. l.* 2. *disp.* 41. *n.* 37.

213. *Idem sentio.* Hanc amplector opinionem, ex qua infero, quando constat subditum lege teneri, quia obligatio legis est certa, dubitat autem, an satisfecerit, debere eum denuo satisfacere; quoniam obligationi certæ satis non fit dubia solutione. Didici ex Castro & aliis.

PROBL. LX.

In vrgenti casu, quo superior consuli non potest circa casum dubium, licet & non licet, subditum vti Epicheia.

214. *Licet Epicheia vsus.* EPicheia est interpretatio legis: nam quoties interpretamur legislatorem vel non potuisse, vel noluisse ad aliquem actum, etsi sub verbis legis comprehensum subditum obligare propter occurrentes circumstantias, vti dicimur Epicheia. Scio quidē Epicheiæ vsum in casu dubio non licere si consuli possit Rector; quia superioris voluntas ab ipso debet exponi dum potest: potestas autem in dubio præsumenda est. Quæstio voluitur circa casum vrgentem quo Præsul consuli nō possit num subditus Epicheia vti possit? Potest quidem. Quia nimis durum, homines obligare præsertim ad onera grauia legibus non certis, sed dubiis: & certè in hoc casu lex videtur dubia, cum de ipsius obligatione dubitetur. Ità Henriq. *l.* 14. *c.* 3. *n.* 3. *lit. X.* Sylvest. *verb. Papa, q.* 16. *concl.* 2. *& verbo dispensatio, q.* 4. Cordu *l.* 3. *q.* 13. Consonat Salas 1.2. *tr.* 8. *sect.* 25. *num.* 260. quotiens impletio legis nimis est incommoda.

215. *Non licet.* Non potest subditus Epicheia vti, sed tenetur legi obtemperare. Quia in hoc casu lex non est dubia, sed certa, cum constet eius verba huiusmodi casum comprehendere: solum vero dubitatur, num legislator potuerit, aut voluerit eum casum comprehendere. Ergo dum impotentia vel nolitio legislatoris non probatur, tam præsumptio quam possessio debent stare pro lege Sic Sanch. *de Matr. l.* 2. *disp.* 41. *num* 37. Suar. de *leg. l.* 6. *c.* 8. *num.* 10. Vasq. 3. *p. disp.* 219. *c.* 4. *num.* 43.

216. *Huic hæreo sententi.* Existimo plane, huic hærens sententiæ, Epicheiam solummodo habere locum in manifestis: quando scilicet regula legis vniuersalis manifestè deficit in hoc vel illo casu; v. gr. lex de reddendo depósito deficit quando dominus illud petit, vt noceat. Vt autem primam sententiam probabilem esse censeam cum Ioan. Sanct. *disp.* 43. *n.* 8. expono de dubio positiuo, quum scilicet est probabile iudicium, licet cum formidine vel non potuisse vel noluisse Prælatum tali in casu obligare.

PROBL. LXI.

Cum de voto, iuramento, aut promissione es dubius: teneris, & non teneris illam implere.

217. *Teneris implere.* TEneris quidem. Quia licet in dubio iuris non sit necessarium, partem eligere tutiorem: at in dubio facti eligi debet, præsertim in foro conscientiæ. Cap. *Ad audientiam de homicid.* Abbas *ibi num.* 2. Felin. *num.* 17. Vnde in dubio homicidij

micidij facti quis irregularis censetur. Sed dubium, an voueris, an iuraueris, an promiseris, est dubium facti, vt de se constat. Ergo hoc in dubio teneris. Ita Vasq. 1. 2. *disputatio.* 65. *cap.* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *quæstione* 10. *&* *l.* 11. *cap.* 15. *quæst.* 2. Salas 1. 2. *tract.* 8. *disputat.* 1. *sect.* 17. *n.* 162.

218. *Non teneris.* Non teneris in huiusmodi dubio votum, iuramentum, aut promissionem implere, si facta diligentia, vinci dubium non potest. Quia in dubio melior est possidentis conditio non solum in materia iustitiæ sed etiam virtutum aliarum, vti vidimus supra. Sed in hoc dubio voluntas possidet suam libertatem, cum de vinculo contracto dubitetur. Ergo hoc in dubio est pro libertate iudicandum. Sic Laym. *l.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 31. Sanch. *de matr. l.* 1. *disp.* 9. *n.* 11. Dian. *p.* 3. *tract.* 6. *resol.* 50. Reginal. *l.* 18. *n.* 176. Castro. Pal. *tr.* 1. *disp.* 3. *punct.* 9. *n.* 2. Rebel. *p.* 2. *l.* 1. *q.* 2. *n.* 13.

219. *Hanc reputo probabiliorem.* Longè probabiliorem hanc reputo mentem. Quia iniquum videtur, cogi promittentem ad certam voti, iuramenti aut promissionis solutionem, quin vouisse, iurasse, aut promisisse probetur. Vnde in externo foro illa seruatur regula: Nemo soluere cogitur, ante quam debitor esse monstretur. Debet ergo idem foro in interno seruari.

PROBL. LXII.

Dubium est inæquale, magisque propendes in eam partem, vt emiseris votum, iuramentum, aut promissionem: Tunc teneris, & non teneris votum, iuramentum, aut promissionem implere.

220. *Teneris implere.* TEneris quidem. Quia si in pari causa melior est possidentis conditio, hic non est par causa. Ita Rebel. *p.* 2. *l.* 1. *q.* 2. *sect.* 2. *n.* 10. Et Filliuc. *tr.* 21. *n.* 165. censet esse probabile.

221. *Non teneris absolutè.* Non teneris absolutè, sed si magis propendeas, votum, iuramentum, aut promissionem fuisse emissam, teneris diuidere pro qualitate dubij. Quia maior propensio in eam partem possessionis alterius partis excessum sufficienter compensat. Sic Sanch. *de matr. l.* 2. *disp.* 41. *n.* 34. Porrò Antonin. Diana vtramque sententiam censet esse probabilem. *p.* 2. *tract.* 1. *miscel. resol.* 9.

222. *Sub distinctione mentem expono.* Ego autem teneri te votum, iuramentum, aut promissionem implere, si ita in affirmationem voti, iuramenti, aut promissionis propendeas, vt opineris te vouisse, iurasse, vel promisisse, nec contrariæ partis habeas assensum, sed solam formidinem. Quia determinatio iudicij quamuis cum formidine, excessum possessionis quam libertas habet, sufficienter compensat. Ita Suar. *de voto.* 4. *cap.* 5. *numer.* 5. Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 1. *disputat.* 3. *punct* .9. *numer.* 5 Si autem habeas pro vtraque parte rationem, & assensum probabilem, poteris sequi quam malueris.

PROBL. LXIII.

Certus est Antonius, se vouisse, iurasse, aut promisisse, dubius autem est de qualitate voti, iuramenti, aut promissionis: Tenetur, & non tenetur, quod tutius, aut maius est, eligere.

223. *Tenetur quod tutius & maius est, eligere.* TEnetur. Quia interpretatio voti, iuramenti, aut simplicis promissionis fieri debet in sensu maxime pleno, & maxime obligatorio. Cap. cum dilecti de donation. Sic: *In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis quoque plenissima est interpretatio adhibenda.* Ex contextu verò constat, nomine beneficij significari quidquid diuino cultui dicatur. Vnde qui certus est de Religionis voto, dubius autem, num vouerit Religionem in communi, vel hanc specialiter: tenetur quod tutius est amplecti, nimirum se vouisse Religionem in communi, ideoque si in hac speciali non admittatur, aliam debet inire. Sic D. Thom. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad* 6. Carthus. *ibi quæst.* 2. Angel. *votum* 3. *num.* 12.

224. *Non tenetur.* Non tenetur eligere, quod tutius, aut maius est; sed quod minus est eligere sufficit. Quia argumentum de toto ad partem est validissimum, idem enim est ius de toto quo ad totum, & de parte quoad partem. Sed qui dubitat de tota voti obligatione, quia dubius est, an vouerit, ad nihilum tenetur: Ergo quando dubitat de parte obligationis non tenetur ad illam. leg. *Quidquid astringendæ. D. De verb. oblig.* Consultus profatur: Quidquid astringendæ obligationis causa dictum est, id nisi palam exprimatur, omissum esse intelligendum est, aut certè secundum promissorem interpretamur. Vnde iuramentum, aut votum restringen-

dum quantum fieri potest vt minus obliget. Sic Angel. *Iuramentum* 4. *n.* 1. Sylu. *Iuramentum* 3. *q.* 3. Bonac. *de Restit. disput.* 1. *q.* 2. *punct.* 2. §. 1. *n.* 5. Sanch. *de matr. l. disp.* 41. *num.* 33. Dian. *punct.* 3. *tract.* 6. *resol.* 50.

225. *His assentior, & plures infero resolutiones.* Assentior, & infero, si quis dubitet an vouerit Religionem in communi, vel hanc in particulari: solummodo ad hanc particularem teneri, ita vt si non admittatur ad eam, liber à voti vinculo existat: Qui vouit non habere copulam, & dubitat, an intellexerit solam illicitam, ad hanc solam vitandam esse obligatum: Qui vouit castitatem & Religionem, & dubitat, num illam ab hac independenter vouerit: teneri solum ad castitatem seruandam si Religionis ineat statum. Qui vouit Quadragesimale ieiunium, & dubitat an etiam à lacticiniis comprehenderit abstinentiam, non teneri abstinere à lacticiniis. Qui vouit quotidie Rosarium recitare, & dubitat, num vouerit integrum: ad solam tertiam partem teneri: Qui castitatem vouit, & dubitat, an vouerit perpetuam, vel temporalem: ad hanc solam teneri. Qui vouit aliquas frumenti mensuras Ecclesiæ litare, dubitat verò, an intellexerit de maioribus, vel de minoribus, posse dare minores ex eo loci consuetis. Didici ex Bonac. *de voto, q.* 2. *punct.* 5. *n.* 32. Suar. *de Relig. tom.* 2. *l.* 4. *de voto, c.* 8. *num.* 7. Sanch. *l.* 4. *Decal. c.* 13. *n.* 16. Valent. *tom.* 2. *disput.* 6. *quæst.* 8 *punct.* 4. Molin. *tom.* 1. *disp.* 198.

PROBL. LXIV.

Constat, Antonium vouisse, iurasse, promisisse, dubitat autem ipse, num se obligandi habuerit animum, eo quod votum, aut iuramentum metu fuerit extortum: debet, & non debet implere.

226. *Non debet implere.* NOn debet. Quia votum, seu iuramentum per metum extortum in dubio non præsumitur, cum intentione vouendi, aut iurandi fuisse prolatum. Cum enim vouens, aut iurans causam habeat simulandi intentionem propter vim sibi addictam, potest ius præsumere, huiusmodi adfuisse simulationem. Sic Angel. *Iuramentum* 5. *num.* 10. Sylu. *Iuramentum* 4. *quæstio.* 7. *conclusio.* 4. Abbas *cap. si vero de iureiur.*

227. *Implere debet.* Debet quidem. Quia iurans non potest intentionem simulare sine peccato: nec in dubio præsumendum est delictum iurantis, qui potuit quidem ob violentiam vti restrictione mentali, vel amphibologia. Sic Sanch. *de Matrim. l.* 1. *disp.* 9. *numer.* 13. Suar. *l.* 2. *de Iuram. c.* 33. *num.* 6. Castr. Pal. *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 3. *punct.* 10. *n.* 5. & 6.

228. *Auctoris placitum.* Profectò si dubium sit an votum, seu iuramentum coactum factum fuerit cum amphibologia, vel restrictione mentali, Antonius non tenebitur. Quia tunc dubitat de valore voti, aut iuramenti, nec in eo præsumitur delictum, cum sufficientem causam vtendi æquiuocatione, seu restrictione habuerit.

PROBL. LXV.

Certus quis est de voto, iuramento, aut promissione, dubitat autem de necessaria deliberatione ob defectum ætatis: votum, iuramentum, promissio valet & non valet.

229. *Valet votum, iuramentum, promissio.* QVamuis ante septennium potest quis doli esse capax vt colligitur ex Cap. *Iuuenis de sponsal.* At quoniam ante septennium rarissimè vsus rationis contingit, ideo regulariter nec votum nec iuramentum, nec promissio quæ fiunt ante illam ætatem valida reputantur: in dubioque reputari possunt inualida, quia subest coniectura non leuis vsum rationis defeciisse. E contra transacto septennio, quia ius præsumit vsum rationis, nisi contrariũ probetur, debent vota, iuramenta, promissiones validæ reputari. Hoc præmisso, quæsierim. An valeant si dubium sit, num vouens, iurans, seu promittens septennium expleuerit? Valet votum, iuramentum, aut promissio. Quia præsumendum est septennium esse perfectum. Præsumptio enim ex communiter accidentibus debet assumi, & communiter accidit, vota, iuramenta, promissiones fieri post septennium, non antea. Sic Sanch. *de Matr. l.* 1. *disp.* 9. *n.* 14. Confirmo ex cap. *In præsentia de Probation.* Vbi quidam allegauit, se vouisse in ætate minori, nec id sufficienter probauit, & ideo declaratur valuisse votum.

230. *Non valet.* Non valet votum, iuramentum, aut promissio, si dubitatur de rationis vsu, & de septennio completo tempore voti, iuramenti, aut promissionis. Quia tunc non supponitur votum, iuramentum, seu promissio, cum de cõstituentibus illa

illa dubitetur. Sic Malde. 2. 2. *tr.* 10. *cap.* 5. *dub.* 1. Dian. *p.* 3. *tr.* 6. *res.* 50. Capua *l.* 2. *decis. c.* 31.

231. *Cum his sensio.* His subscribo sciens votum, ac promissionem etiam iuratam in dubio debere nos in fauorem promittentis interpretari ex leg. *Quidquid adstringendæ D: de verb. oblig.* & cap. *Ex parte de censib.* Consule Panormitanum, ac Glossam.

PROBL. LXVI.

Certus quis de voto, iuramento, aut promissione, dubitat de necessaria deliberatione ex somno, ebrietate, seu phrenesi: Votum, iuramentum, promissio valet, & non valet.

232. *Valet votum, iuramentum, promissio.* VAlet certè, præsumendumque est votum, iuramentum seu promissionem factam fuisse sanæ mentis tempore. Quia somnus, ebrietas, phrenesis breui tempore durant. Ergo præsumere non debemus, hæc eo breui tempore facta fuisse. Sic Sanch. *l.* 4. *Decal. c.* 1. *n.* 15.

233. *Non valet.* Si quis nec satis meminit voti vel promissionis etiam iuratæ, nec actus ostenditur ita benè gestus, vt tollat dubium: votum, iuramentum, promissio non valet, sed potest sic dubitans, posito dubio, se liberum reputare. Quia tũc verè dubitatur, an sit votum, iuramentum, vel promissio, cum dubitetur, num adfuerit libertas ad eius valorem essentialiter requisita. Ergò iudicandum in fauorem libertatis. Sic Suar. *l.* 4. *de voto c.* 6. *n.* 9, Castr. Pal. *to.* 1. *tr.* 1. *disp.* 3. *punct.* 11. *n.* 8.

234. *Huic hæreo seu sui.* Semper credidi, si constet votum, seu iuramentum, aut promissionem tempore phrenesis, somni, ebrietatisve fuisse factam, & dubitetur, num tunc adfuerit plena phrenesis, somnus, seu ebrietas tollens libertatem: præsumendum esse hanc defuisse.

PROBL. LXVII.

Certus quis de voto, iuramento, aut promissione, dubitat de necessaria deliberatione ex subita passione timoris, vel iræ, vel alterius perturbationis: votum, iuramentum, seu promißio valet, & non valet.

235. *Valet votum, iuramentum promissio.* VAlet votum, promissio iurata, aut simplex. Quia hæc possident, & semper præsumitur deliberatio, dum non constat oppositum. Porro licet gesta iracundiæ aut alterius perturbationis mentis præsumantur inconsultè facta, teste Menoch. *de Præsumption. l.* 1. *q.* 13. *n.* 21. non tamen præsumitur defuisse deliberationem sufficientem ad mortale peccatum, sed solum maturum consilium. Sic Sanch. *de Matr. l.* 1. *disp.* 8. *num.* 10. citans Panormitanum, Felinum, & Alexandrum.

236. *Non valet.* Si ex specialibus coniecturis prudens dubium exoriatur de deliberationis defectu etiam sufficientis ad mortale peccatum, vouens, iurans, promittens non tenetur. Quia dubius est valor actus, & per consequens talis obligatio. Sic Suar. *l.* 4. *de Voto, cap.* 6. *num.* 9. Castr. Pal. *to.* 1. *tr.* 1. *disp.* 3. *pun.* 11. *num.* 8.

237. *His hæreo, signaque defectus libertatis exhibeo.* His hæreo, signaque huiusmodi defectus exhibeo ex Angelo *Votum* 1. *nu.* 6. Tabiena *ibi. q.* 1. & Panormitano *cap. si vero num.* 7. *de iureiur.* Transacto feruore passionis non promitteres, potius te pœnitet voti, iuramenti, aut promissionis. Scio tamen hoc reiici documentum à Sanchez *citato num.* 8. Castro *num.* 11. Basilio Legion. *l.* 4. *de Matr. c.* 1. *n.* 6.

Quia multa fiunt feruore passionis deliberatione sufficiente ad mortale peccatum, quæ post transactam iram, vel cupidinem non fierent. Attamen si dubium sit aliàs de rationis vsu propter vehementem passionem, & promittentem pœniteat mox post passionem sedatam: coniectura probabilis erit, deliberationem necessariam defuisse.

PROBL. LXVIII.

Præmissa debita veritatis inquisitione circa irregularitatem ex homicidio prouenientem, adhuc res dubia exponitur. In foro conscientiæ manes, & non manes irregularis.

238. *Non est in foro conscientiæ irregularis.* POst præmissam diligentem, veritatis inquisitionem siuè dubium sit iuris, siuè facti, nemo est in foro conscientiæ irregularis, secus in externo. Quia in dubio melior est conditio possidentis in omni materia. Sed hic possidet immunitatem ab irregularitate. Ergò in sua est possessione conseruandus. Præcipuè cum textus inducentes hanc irregularitatem in dubio facti, vel loquuntur in externo foro vel quando verosimilius est, homicidium fuisse perpetratum, vt ex ipsorum verbis colligitur. Sic Henriq. *l.* 14. *c.* 3. *n.* 3. & 4. & *c.* 14. *n.* 3. Suar. *tom.* 5. *disp.* 40. *sect.* 6. *n.* 10. Salas 1. 2. *tr.* 8. *disp.* 1. *sect.* 6. *n.* 70.

239. *Censetur in foro conscientiæ irregularis.* In dubio hic irregularis in fnro conscientiæ censetur, non in externo. Quo in hoc nequit Iudex sine sufficiente probatione damnare. At in foro conscientiæ pars tutior est amplectenca. Sic Sylvest. *Homicidium* 3.*q*.1 Armil. *verbo Irregularitas n*.8.*&* 9. Tabie. *Irregularitas* 1.*q*. 3. *n*.4.Manu.*to*.1.*c*.157.*sum.n*.3.

240. *In dubio iuris non ponitur irregularitatem contrahi.* Ego autem existimo, quando dubium est iuris, an scilicet cõtra tale crimen lata sit irregularitas, vel an sub talibus verbis comprehendatur, in neutro foro censendum esse irregularem, post adhibitam sufficientem veritatis inquisitionem. Quia textus inducentes irregularitatem in dubio commissi homicidij, loquuntur in dubio facti : nec vllus textus illam inducit in dubio iuris. Ergo non est in dubio iuris asserenda. Nec est eadem ratio vtriusque dubij, nam licet irregularitas ex facto tanquam ex radice procedat : per se tamen oritur ex iure decernente illam tamquam causa efficiente. Quare si ius est dubium, nequit suum effectum producere. Porro in dubio commissi homicidij dubitans quoad forum vtrumque est censendus irregularis. Quia ita expresse deciditur cap. *Ad audientiam*, cap. *significasti*, cap. *petitio tua de homicid*. Quæ iura non solum loquuntur, quando verosimilius est, homicidium fuisse secutum : sed etiam generaliter quoties est dubium. Nec solum loquuntur in externo foro, sed etiam in internoitum quia præceptũ iustum est, nec falsa nititur præsumptione. Ergo foro obligat in vtroque. Didici ex Azorio *to*.1.*l*.2 *c*. 19.*q*. 16 *&* 11.Auila *p*. 7. *disp*.2.*dub*.5.*concl*.5.Dian.3.*p.tr*.5.*resol* 72.Laym.*l*.1.*tr*.1.*c*.5.*n*.39. Tolet. *l*.1.*c*. 57.Coninch *de sacram.disp*.18.*n*.21.

PROBL. LXIX.

Iuris decisio circà dubium de homicidio extendenda est, & non est extendenda ad cuiuslibet dubium irregularitatis.

241. *Extendenda est.* EXtendenda quidem. Quia licet textus illi loquantur solummodo de homicidio, rationem tamen reddunt ex illo naturali principio : In dubiis tutior pars est sequenda. Quæ ratio pariter militat in omni cuiusque irregularitatis dubio. Sic Vasq. 1.2.*disput*.65, *num*. 9. *&* 13.Azor. *tom*.1. *l*. 2. *cap*. 10. Ioan. Sanch. *disput*. 42. *num*. 4. Garc. *de Benef. part*.7. *cap*. 2. *num*. 18.

242. *Non est extendenda.* Non extendenda iuris illa decisio, sed specialis est pro dubio irregularitas ex homicidio prouenientis : & per consequens in aliis casibus, nec in dubio iuris nec in dubio facti censendus est quispiam irregularis, nec est necessariò sequenda pars tutior, sed possessio immunitatis præualet. Ex.gr. si quis dubitet num sit legitimus, legitimus reputandus est. Quia non est irregularitas asserenda præterquam in casibus à iure expressis, *cap. Is qui, de sentent. excommu. in* 6. Sed vt in dubio facti quis irregularis censeatur, expressum est in solo casu homicidij voluntarij propter specialem eius deformitatem in ordine ad sacrum altaris ministerium. Ergo extendi non debet ad alios casus iure non expressos ; sed standum est iuri communi tam Canonico, quam Ciuili, quod sæpe clamat, In dubio neminem condemnandum : In pœnis benigniorem interpretationem gerendam. Ita Suar. 3. *part. tom*. 5. *disput*. 40. *sect*. 6. *num*. 8. Sanch. *l*. 1. *decal*. *c*. 10. *num*. 48. Laym. *l*. 1. *tr*. 1. *cap*. 5. *num*. 39. Coninch. *de Sacram. disp*. 18. *dub*. 2.

243. *Hanc sequor opinionem.* Hanc probabiliorem partem reputo, nec Salas Magistri mei limitationem admitto 1. 2. *tract*. 8. *disp*. 1. *sect*. 18. *num*. 168. expressam, scilicet non esse necessarium sequi partem tutiorem, quoties esset nimis incommodum te irregularem reputare. Certè hæc limitatio, tanti viri venia, nullo iure, nulla ratione probatur.

PROBL. XXX.

Dubitans, an occiderit in bello iusto, censendus, & non censendus irregularis.

244. *Censendus irregularis.* CEnsendus irregularis. Quia cap. *Petitio tua*, *de homicidio*. Sacerdos pugnans contra infideles in bello iusto damnatur in hoc dubio facti tanquam irregularis. Sic Auila *p*.7. *disp*.2. *dub*.5. *concl*. 2. Bonac. *de censur. disp*.7.*q*.1. *pun*.5. *n*.5.

245. *Non censendus irregularis.* Non censendus est irregularis. Quia textus statuentes irregularitatem in dubio loquuntur de homicidio, sub quo non comprehenditur occisio iusta. Ita Sanch.*l*.1.*dec*.*c*.10.*n*.50.Laym.*l*.1.*tr*.1.*c*.5. *n*.39.Fill.*tr*.19.*n*.47.Dian.*p*.3. *tr*.5. *ref*.72.

246. *Hanc eligo partem.* Huic subscribo sententiæ, nec obstare existimo textum in cap. *Petitio tua*. Quia vt notat ibi Glossa verbo *Remordet*, ille non poterat propria manu

nu pugnare, cum esset Presbyter, & ideo rei illicitæ dabat operam.

PROBL. LXXI.

Dubitans dubio iuris, num contraxerit irregularitatem, vel censuram: & ante præmissam debitam veritatis inquisitionem ordines recipiens: potest, & non potest in illis post adhibitam sufficientem diligentiam, perseuerante dubio, ministrare.

247. *Non potest ministrare.* MInistrare non potest donec omnino certus sit, se non contraxisse censuram, vel irregularitatem Quia possessio mala fide cœpta haud reddit meliorem possidentis conditionem. Sic Salas 1.2. *tr.* 8. *disp.*1.*sect.*18.*n.*169.Suar. 3.*p.tom.*5. *disp.*40.*sect.*5.*n.*19.

248. *Potest ministrare.* Potest ministrare, perseuerante dubio. Quia in dubio iuris nemo censendus est irregularis, nec ligatus censura. Sed hic versatur in dubio iuris. Ergo non censetur irregularis, aut censura ligatus. Ita Sanch. *lib.* 1. *Decal. cap.*10. *num.*46. Bonac. *de censur. disput.*7. *quæst.* 1. *punct.*5. *num.* 5.

249. *Hæc probabilior mens.* Probabiliorem hanc sententiam puto. Peccauit quidem qui debitam veritatis non præmisit inquisitionem. Huic tamen omissioni nulla censura, seu irregularitas iure decernitur.

PROBL. LXXII.

In censurarum dubio iuris, & dubio facti, in vtroque foro censeris ligatus, & non ligatus.

250. *Censeris ligatus.* POtest multiplex esse dubium. Primũ, an contraxeris censuram, quia scilicet dubitas,num censura sit in iure talem casum complectens(quod est dubium iuris.)Deinde dubitas, an illud crimen admiseris,cui censura est imposita (quod est dubium facti:)Porrò in vtroque dubio, & in vtroque foro te ligatum existima. Quia in dubiis debes partem tutiorem eligere: sed pars tutior est,vt te reputes ligatum,& à sacris abstineas. Ergo debes hanc partem amplecti. Sic Sylvest. *Absolutio* 3. *v.*14.Vasq.1.2.*disp.*65.*n.*9.*&* 13.*& disp.*66. *c.*1.Cordu.*l.*3.*q.*6.

251. *Non censeris ligatus.* Nec in dubio iuris, nec in dubio facti, nec in interno, nec in externo foro te ligatum puta, nec subinde debere te à diuinis abstinere nec absolutionem procurare, si præmissa debita veritatis inquisitione, de causa certus esse non possis. Quia in hoc dubio potior esse debet conditio possidentis: sed quilibet fidelis possidet ius ad communicandum cum aliis fidelibus etiam in diuinis. Ergo non est tali iure priuandus propter dubiam censuram. Ita Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 10. Laym. *l.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 38. Bonac. *de censur. disp.* 2. *quæst.* 2. *p.* 6. §. 2. *numer.* 49. Ioan. Sanct. *disputat.* 43. *num.* 46.

252. *Hos sequor, & infero nonnulla.* Hos sequor, & infero, quando dubitatur, an iudex tulerit sententiam censuræ contra te: vel an impleta sit conditio, sub qua lata fuit censura: vel an Prælatus qui non est in possessione ferendi censuras, habeat potestatem illas ferendi: te non censeri ligatum. Quia tuæ libertatis possessio prævalet. Similiter, quando dubitas, num talia verba censuram latam, vel ferendam contineant, ligatus non eris. Quia tunc est dubium iuris, an censura sit lata. Quando verò dubitas, an fuerit clericus, quem, percussisti, quanuis temere percusseris non sine suspicione clericatus, si tamen postea veritatem deprehendere non possis, te non esse reputandum excommunicatum. Idem est de aliis censuris. v. gr. si temere malâque fide sacros ordines suscepisti, dubitans an habeas legitimam ætatem, dum veritatem deprehendere non potes, non es cẽsendus suspensionem incurrisse. Monuerim tamen, si nulla necessitas cogat, te sacro ministerio abstinere, donec tibi certò ætas constet legitima. lege Laym. citatum.

PROBL. LXXIII.

In dubio iuris, facti, aut confessionis tenetur quis, & non tenetur confiteri peccatum.

253. *Non tenetur confiteri.* SVppono triplex posse esse huiusmodi dubium. Primum de iure, quando mihi constat commisisse peccatum, dubito vero, an fuerit mortale. Secundum de facto, quando dubito, an fecerim id, quod credo esse mortale. Tertium de confessione,quando peccatum est certum, dubito autem, num illud fuerim confessus, vel an confessio valida extiterit. Loquimur quidem de dubio negatiuo, nam in dubio positiuo communis sententia docet

docet, quoties quis probabiliter opinatur, se non commisisse peccatum, vel id non esse mortale, vel iam fuisse confessario detectum, quamuis probabile, vel etiam probabilius reputet oppositum: non teneri confessione aperire. Quia licitè quilibet operatur sequens opinionem probabilem. Igitur in dubio negatiuo iuris, facti, aut confessionis non tenetur quis cõfiteri. Quia conditio possidentis prævalet in dubio, quando dubitans ad aliquid excedens dubij limites obligatur. At in præsenti obligaretur quis aliquid gerere excedens dubij limites, nempe confiteri quod post diligentem sui discussionem non constat esse peccatum: cum in dubio delictum præsumi non debeat, nec in vllo foro debeamus aliquem accusare de delicto, quod saltem probabiliter constare non possit. Sic Henriq. *l.8.c.45. n.3. lit.P.* Coninch. *de sacram.disput.7. dub.8. num.69.* Laym. *l.1.tr.1.c.5.n.37.*

254. *Tenetur confiteri.* Qui negatiuè dubitat, an peccatum mortale perpetrauerit, nimirum an consenserit desiderio vel delectationi morosæ graui, tenetur id peccatum vt dubium confiteri. Quia conditio possidentis (fateor) prævalet in dubio, quando dubitans obligatur ad aliquid excedens dubij limites. At in præsenti non obligatur dubitans ad aliquid vltra dubij limitem, cum solum teneatur, ea peccata confiteri sub dubio, quod re vera habet. Sic Azor. *tom.1.l.11. c.4.q.3.* Saa *verbo Confessio n.7.* Dian. *p.3.tr.4. resol. 60.* Bonac. *de sacram.disp.4. q.6. punct.1. num.12.* Reginald. *l.29. num.99. & l.2. num.9.* Filliuc. *tract.7.n.108.*

255. *His subscribo.* His subscribo, & consequenter adiicio, qui scit se piaculum perpetrasse, dubitat autem, an fuerit mortale vel veniale: teneri, illud sub hoc dubio fateri. Quia in dubiis est eligenda pars tutior, quando possessio non fauet dubitanti. Item qui scit se peccasse mortaliter dubitat autem, an illud peccatum fuerit confessus, teneri assero illud fateri, dum dubium non deponit. Quia certus est de præcepto confitendi, dubius autem, an ipsi satisfecerit: quo casu præceptum possidet, & obligat. Lege Coninch. *de Sacram. disp.7. dub. 8. num. 69.* Tolet. *lib.3.c.7. n.6.*

***

PROBL. LXXIV.

Dubitans, num post horam duodecimam noctis comederit, aut biberit, potest, & non potest communicare.

256. *Communicare potest.* POtest esse dubium de potu, quando dubitas, num lauans os aliquid deglutieris; vel potest esse certus potus, & dubitari de tempore, quia non constat, an fuerit post mediam noctem. In vtroque dubio communicare potes. Quia cœnans carnes die Iouis dubitans, an sit hora duodecima noctis ieiunij præceptum Ecclesiasticum non violat, nam dubium est, num tunc vrgeat tale præceptum. Ergo similiter talis cœna, seu potus non violabit ieiunium naturale requisitum ad communionem diei sequentis propter idem dubium. Sic Laym. *l. 1. tr. 1. c. 5. n.36.* Ioan. Sanct. *disp. 42. n. 1. & 9.* Medin. *in sum. ad 3. Eccl. præc.*

257. *Communicare non potest.* Dubitans in vtrolibet casu communicare non potest Quia præceptum cõmunicandi ieiunè semper obligat. Ergò cum accedis ad Eucharistiam dubitans, an sis ieiunus, dubitas, num violes præceptum ieiunè communicandi. Cumque nulla sit pro tua libertate possessio, quæ tale præceptum antecedat, sequitur, in dubio pro præcepto esse iudicandum. Sic Bonac. *de Restit. disp. 1. quæst. 2. punct. 2. §. 1. num. 8.* Castro Palao *tract. 1. disp. 3. punct. 8. num. 9* Sanch. *de Matr. l. 2. disput. 41. n.40.* Salas 1. 2. *tract.8. disput. 1. sect. 25. numer. 264.* Villalob. *tom. 1. tr. 1. diffic. 21. n. 7.*

258. *Secunda subscribo menti.* Fateor me Primæ sententiæ subscribere voluisse ob fundamenti robur: sed re maturius considerata, secundam amplector, ratus cœnam illam non opponi præcepto ieiunij vel Ecclesiastici, vel etiam naturalis per se sumpti, tamen opponi Communioni postea sequendæ. Nam aliud est ius acquisitum tollere, aliud de nouo acquirere. Porro per præceptum ieiunij tollitur homini ius acquisitum comedendi cum voluerit: hoc autem tolli non potest nisi præcepto certo; quapropter in dubio prævalet possessio libertatis. At qui vult Eucharistiam recipere, beneficium requirit acquirere, quod non datur nisi dignis, & habentibus requisitam, dispositionem, quæ certa esse debet, vt certum ius habeat ad certam communionem. Nec ipsi fit iniuria si ei tale beneficium non conferatur, dum non certò constat necessaria sufficientia.

PROBL.

PROBL. LXXV.

Dubitans, an habeat matrimonij impedimentum, facta sufficienti diligentia, potest, & non potest illud contrahere.

259. *Potest contrahere.* POtest quidem. Quia stat possessio pro libertate ad contrahendum, & absque certo iure nemo debet sua possessione spoliari. Sic Thomas, ac Ioannes Sanct. hic *disp.* 43 *n.* 44. ille *de Matr. l.* 8. *disp.* 6. *num.* 18.

260. *Non potest contrahere.* Non potest. Quia nunquam habuit ius ineundi matrimonium, nisi probando, nullum subesse impedimentum. Quare constare debet impedimenti negatio priusquam matrimonium contrahatur. Hinc vulgare axioma: Mala fide contractus initur, & possessio ab illo capitur, qui dubitat, num contrahendi, possidendive ius habeat. Sic Laym. *l.* 1 *tr.* 1 *c.* 5. *n.* 23. Castr. Pal. *to.* 1 *tr.* 1 *disp.* 3 *punct.* 8. *n.* 10. Henriq. *l.* 11 *c.* 15. *n.* 13. Veracruz *in specu. p.* 3 *a.* 13.

261. *Vtraque opinio mea sententia fauet.* Certè ex vtraque opinione meam exprimo mentem. Qui dubitat, an habeat impedimentum matrimonij non potest illud contrahere, priusquam præmittat debitam veritatis inquisitionem, ne temere subeatur sacramenti irritandi periculum, quod secunda sententia suadere videtur. At post diligentem veritatis inquisitionem adhibitam, siuè dubitet coniux vterque, siue solus alter, possunt contrahere matrimonium; quoniam stat pro libertate possessio, vt prima sententia docet.

PROBL. LXXVI.

Post contractum bona fide matrimonium oboritur dubium de eius valore: Coniuges sic dubitantes possunt, & non possunt petere, & reddere.

262. *Non possunt petere, & reddere.* NOn possunt. Quia agere contra conscientiam dubiam est illicitum. Sic quidam apud Sanch. *l.* 2. *disp.* 41. *n.* 46.

263. *Possunt.* Possunt petere, ac reddere debitum. Quia sic indicatur in Cap. *Laudabilem de frigidis, & maleficiat.*

264. *Quid sentiam expono.* Porro cum Thoma Sanctio citato ab vtraque sententia recedo, asserens, antè diligentem inquisitionem adhibitam teneri coniugem dubitantem reddere, ne priuet alterum iure certo propter dubium superueniens; non tamen posse petere, quia dubitans an res sit sua quamuis retinere possit, non tamen potest tali re vti, donec veritatem inuestiget. Post adhibitam autem veritatis inquisitionem posse quoque petere. Quia possidens bona fide, si dubitet rem alienam esse, factaque sufficienti veritatis inquisitione nequeat vincere dubium, potest rem retinere, illaque vti. Consonat Laym. *l.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 24. Bonac. *de Matr. q.* 4 *punct.* 4. *num.* 4.

PROBL. LXXVII.

Dubitat quis de recitandi horas canonicas obligatione propter tenues annuos redditus beneficij: tenetur, & non tenetur recitare.

265. *Non tenetur recitare.* NOn tenetur. Quia possidet immunitatem, qua non est in dubio priuandus. Nec onerosum, ac molestum præceptum in dubio potest inducere obligationem. Sic Salas 1. 2. *tr.* 8. *disp.* 1. *sect.* 17. *num.* 154.

266. *Recitare tenetur.* Tenetur recitare. Quia certum est, illum habere beneficiū, & per consequens obligationem recitandi beneficio esse annexam. Dubium autem est, an ab hac obligatione propter fructuum tenuitatem excusetur. In tali ergò dubio debet recitare. Sic Vasq. 1. 2, *disp.* 65. *c.* 3. *n.* 11. Castr. Pal. *tom.* 1. *tr.* 1. *disp.* 3. *punct.* 8. *n.* 11.

267. *Hæc probabilior.* Primam sententiam probabilem reputo, secundam autem securiorem, ac probabiliorem. Moneo tamen solum, beneficij titulum, aut tenues eius redditus non obligare ad recitandum: Sed requiri tales esse, vt præstent tertiam partem sustentationis necessariæ, demptis ipsius beneficij sumptibus. legendus Suarez *de Relig. tom.* 2. *l.* 4. *c.* 21. *n.* 9.

CAPVT VIII.

De conscientiæ scrupulo.

PROBL. LXXVIII.

Licet, & non licet aduersus scrupulum non depositum operari.

268. *Non licet stante scrupulo operari.* NOn licet. Quia ad honestam operationem assensus saltem probabilis honestatis operis requiritur. Sed stante scrupulo deficit hic assensus, cum mens potius propendeat

in oppositum. Ergò priusdeponendus erit scrupulus, vt licitum sit oppositum operari. Ita Ludou. Lopez. 1 *p. c.* 3. §. *Ex quo sequitur.* Manuel *in summa tom.* 2. *c.* 51. *n.* 3.

269. *Operari licet.* Licitum est, contra conscientiam scrupulosam etiam non depositam operari, talis enim conscientia iudicium ad operandum rectè non tollit requisitum. Quoniam ad rectè operandum sufficit iudicium probabile dictans, aliquid licere. Sed quamtumuis perseueret scrupulus in mente, non amittitur præfatum iudicium: cum enim scrupulus ex leui fundamento procedat, non potest practicam, ac moralem certitudinem in operando tollere. Ergò licitum est, contra conscientiam scrupulosam adhuc manentem operari. Sic Sanch. *l.* 1. *Decal. cap.* 10. *n.* 80. Filliuc. *tract.* 21. *n.* 176. Reginal. *l.* 13. *n.* 114. Laym. *l.* 1. *tr.* 1. *cap.* 6. *n.* 2. Cast. Pal. *tom.* 1. *tr.* 1. *disp.* 4. *punct.* 1. *n.* 2. Bonac. *de peccat. disp.* 2. *q.* 1. *punct.* 8. *n.* 5.

270. *Non solum licet, sed & expedit.* Asseruerim, non solum licere, sed etiam expedire scrupulos contemnere, aduersusque illos operari. Quia oportet scrupulosas dubitationes, & formidines vti friuolas despicere, qui hoc morbo sauciatur. Legendus Salas 1. 2. *tract.* 8. *disput.* 1. *n.* 298.

LIBER TERTIVS.

PECCATA.

ARGVMENTVM.

EXprimo quid sit peccatum, id diuido, ac distinguo. Peccatum commissionis, & omissionis recolo. Causas peccatorum enuncio, specificam ac numericam peccatorum distinctionem euoluo, cordis scilicet, oris, & operis. Peccati subiectum ad noto. Peccatorum effectus expono.

SECTIO PRIMA.

De Peccatis Receptiores absque lite Sententiæ.

CAPVT I.

§. 1. *Quid peccatum, eius diuisio, ac distinctio.*

1. *Peccatum generaliter sumptum.* PEccatum generaliter sumptum est defectus perfectionis debitæ inesse in ordine ad aliquem finem, vnde monstra dicuntur à Philosopho *l.* 2. *Physic.* peccata naturæ. Hic sumimus peccatum strictius pro eo solo defectu, qui hominem ab vltimo fine, æterna scilicet beatitudine auertit, vel impedit. D. Thom. 1. *p. q.* 63. *art.* 1. Fernandez *p.* 5. *c.* 1. §. 1. *n.* 2.

2. *Peccatum actuale, & habituale, commissionis, & omissionis.* Peccatum aliud *actuale, habituale* aliud. hoc dicitur, quod post actuale, per modum habitualis defectus, permanet, donec deleatur, & emundetur. Actuale peccatum sic à D. Thoma 1. 2. *q.* 71. *a. vlt.* definitur. *Dictum, factum, concupitum contra legem æternam.* Et quamuis hæc definitio proprie *Commissionis* peccato conueniat, accommodatur tamen etiam peccato *Omissionis*, quod est non dictum, non factum, &c. iuxtà legem æternam. Vnde nomine dicti, facti, concupiti vniuersa oris, operis, ac cordis peccata comprehenduntur, & sumuntur pro ipsis dicendi, faciendi, ac concupiscendi actibus. Porrò *lex æterna* hîc accipitur pro ratione ac voluntate diuina, qua Deus vult, vt

vt nihil fiat inhonestum. Hinc omnia peccata siue contra ius naturale, siue contra humanum, sunt contra legem Dei, non quia propriè ac directè iuri diuino aduersentur; sed quia Deus iuri, naturali, & humano parére iubet. Sanch. *l.* 1. *Decal. cap.* 1. *n.* 1. Laym. *l.* 1. *tr.* 3. *c.* 1. Filliuc. *tr.* 21. *n.* 228.

3. *Peccatum originale.*

Ingentem quidem peccatorum diuersitatem in septem capita sic diuido: primum *originale*, & *actuale*. Originale est, quod omnes homines contraxere ex Adamo per naturalem propagationem (Christo, ac Deipara exceptis,) & definitur *Priuatio iustitiæ, & sanctitatis debitæ inesse singulis ex pacto facto à Deo cum Adamo.* Nomine iustitiæ originalis, Doctores intelligunt directè gratiam sanctificantem, cum qua reliqua dona, Adamo non peccante, coniuncta fuissent, & in posterum transmitterentur. Certè hoc peccatum veram rationem peccati habet, & dicitur voluntarium in nobis non voluntate propria, sed voluntate Adami, quatenus censemur consensisse in pactum Adami cum Deo factum nostrum in commodum, & vtilitatem de transmittenda in nos originali iustitia, pactum seruante Protoplasto. At peccatum *Actuale* est vti expressimus *dictum, factum, concupitum contra legem æternam* Valent. *to.* 2. *disp.* 6. *q.* 11.

4. *Peccatum mortale.*

Profectò Actuale peccatum diuido in *Mortale*; ac *Veniale*. Peccatum Mortale vocito, quod mortem animo affert iuxta illud Ezech. 8. *Anima, quæ peccauerit ipsa morietur.* Peccati mortalis malitia consistit in amicitiæ diuinæ contemptu, & in ab vltimo fine auersione. Quia amicitia, seu gratia diuina est vita animæ nostræ, quam statim amittit, qui amici graue non obseruat imperium: graue autem præceptum est; quod est regula ad finem vltimum necessaria. Malitia peccati mortalis est moraliter infinita. Quia secundum legem iustitiæ non potuit nisi infinito pretio expiari: physicè tamen non est infinita, cum nullus actus creaturæ possit infinitam intensionem habere, & vnum peccatum mortale sit altero grauius. Est igitur infinita dupliciter. Primò *obiectiuè* quia contra infinitam Maiestatem. Secundò *comparatiuè*, idque vel respectu peccatorum venialium, vel respectu bonorum operum; quia Deus magis odit vnicum peccatum mortale, quam amet omnes virtutes Sanctorum. Vnde nulla pura creatura potuit nos ex condigno à seruitute peccati liberare. Bellar. *de amis. gra. l.* 1. *c.* 9. Valent. 1. 2. *disp.* 6. *q.* 18. *pun.* 1.

5. *Peccatum veniale.*

Veniale autem peccatum est, quod facile sua ex natura veniam consequitur. Huius malitia consistit in repugnantia cum recta ratione, salua amicitia diuina. Quia peccatum veniale est quid imperfectum in genere peccati, & offensionis, vnde quamuis aliquam amici indignationem mereatur, & pœnam: non tamen rescindit amicitiam, & consequenter pœnam non incurrit æternam, quæ cum amicitia haud potest consistere. Porrò peccati venialis malitia est in infinitum malitia peccati mortalis minor. Quia est alterius ordinis, neque continet in se Dei contemptum, ac propterea nunquam malitiæ peccati mortalis adæquabit licet crescat in infinitum. Attamen habet suam quandam infinitatem. Quia omne malum culpæ altioris est ordinis, quam malum pœnæ, & consequenter magis vitandum, quam quæuis pœna, siue illa sit negatiua, siue positiua. Bonac. *to.* 2. *disp.* 2. *q.* 2. *pun.* 5.

6. *Triplex peccatum veniale ex genere, ex paruitate, ex indeliberatione.*

Triplex est peccatum veniale ex *genere*, ex *paruitate materiæ*, ex *indeliberatione*. *Ex genere* est, quod versatur circa obiectum malum amicitiæ diuinæ non repugnans, nec ab vltimo fine auertens: vt est verbum otiosum, risus immoderatus, mendacium officiosum, aut iocosum. *Ex paruitate materiæ* est illud, quod cum ex genere suo sit mortale, excusatur autem à tam graui culpa eo quòd obiectum circà quod versatur, non censetur tanti momenti, vt actum in suam speciem reducat. Ex gr. Furtum est peccatum mortale ex genere, quia contra iustitiam; at si quis à diuite quatuor furetur asses, aut drachmam, non est tantæ æstimationis, vt propterea amicitia soluatur: si vero à pauperè, poterit fortasse videri iusta hostilitatis causa, propter notabile nocumentum. *Ex indeliberatione* autem est. Quod cum sit mortale ex suo genere, & habeat materiam sufficientem, ex peccantis dispositione, à grauiori culpa excusatur, quia ex parte ratio fuit præuenta; vt assolet fieri in subitis infidelitatis, blasphemiæ, ac libidinis motibus, qui propterea vocari assolent *secundò primi*. v. gr. si quis subito ad Dei odium aut blasphemiam moueatur, & ratio non ita intendat sicut oportet, sed potius reiiciat antè plenam facti cognitionem, & consensum, excusabitur à mortali propter incompletam actus libertatem. Laym. *l.* 1. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. & 5. Reginal. *l.* 15. *num.* 30. & 31. Filliuc. *tract.* 21. *num.* 250.

Tres

7. *Regulæ tres, quibus possis discernere peccatum mortale à veniali.*

Tres regulas exhibeo, quibus possis discernere peccatum mortale à veniali. Prima sit *Scriptura diuina*, ex qua constat, esse quædam peccata, quæ iram diuinam merentur, quæ dicuntur esse abominabilia, execranda, Deo exosa, vel excludere à Regno Dei, esse digna morte, aut quibus dicitur *Væ:* hæc quidem procul dubio sunt mortalia. Cum vero scriptura leuioribus verbis aliquid reprehendit, signum est peccati venialis. Secunda est *sensus*, vel *consensus fidelium*, qui ex libris sanctorum Patrum, ac Doctorum scholasticorum, & ex vsu Catholicorum deprehenditur. Cum enim Ecclesiæ & ipsius Doctoribus præstanda sit fides, iure optimo sequitur, illa habenda esse tanquam mortalia aut venialia, quæ communi Doctorum consensu, & Ecclesiæ traditione mortalia, aut venialia iudicantur. Tertia est *ratio humana*, quæ proposito præcepto geminæ charitatis, considerat actum, de quo quæritur, vtrum illi consentiat, an repugnet: nam si charitati non aduersatur, nullum peccatum est: si aduersatur leuiter, erit peccatum veniale: si grauiter, erit mortale. Azor. 1. *p. l.* 4. *cap.* 9. *quæst.* 8. Sanch. *l.* 1. *decal. cap.* 1. *num.* 4. Valent. *tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 18. *pun.* 3.

8. *Peccatũ mortale ex genere potest fieri veniale ex plena deliberationis defectu.*

Quodcumque peccatum ex genere suo lethale, & in quacumque materia potest fieri veniale ex perfectæ deliberationis defectu. Quia cum ad mortale peccatum plena deliberatio requiratur, non est credibile Deum velle pœnis æternis eum addicere, qui cum imperfecta aduertentia & deliberatione aliquid peccaminosum exerit. Ad veniale verò sufficit imperfecta, & semiplena consideratio, ac deliberatio. Item vltra plenam intellectus aduertentiam, sicut ad mortale requiritur consensus voluntatis plenus, ac perfectus: ad peccatum tamen veniale sufficit imperfectus consensus, ac tepiditas quædam in quacumque cuiusuis criminis suggestione expellenda. Sanch. *l.* 1. *decal. cap.* 1. *num.* 12. *&* 13. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 3. *pun.* 5. *num.* 5.

9. *Ex paruitatis materiæ ratione.*

Porro peccatum mortale ex genere etiam transit, in veniale paruitatis materiæ ratione, si hæc paruitas in eo reperiatur. Quia vbi materiæ paruitas est, modica reperitur offensio, ac proinde culpam venialem non excedit. Vt autem dignoscere valeas, an peccatum sit veniale paruitatis materiæ ratione, certum est, peccatum esse veniale quando res, quæ præcipitur, vel prohibetur est parua non solum secundum se, verum etiam per ordinem ad finem, vel circumstantias, propter quas talis res præcipitur, vel prohibetur. Quando vero secundum se quidem parua est, sed efficitur grauis ratione finis vel circumstantiæ, tunc peccatum est mortale, Quia materia grauis est effecta. Vnde grauitas vel leuitas materiæ in præceptis positiuis pensanda est ex qualitate finis eiusmodi præceptorum: an scilicet eiusmodi finis sit valdè necessarius, nec ne; & ex conducibilitate ad eundem finem, an videlicet tanta materia multum vel parum conferat ad talem finem. Quia si finis sit valde necessarius, tanta vero materia iudicio prudentis notabiliter ad eum consequendum conferre videatur: tunc materia erit grauis; si vero alterum desit, erit materia leuis. Moneo, in quibusdam peccatis hanc materiæ paruitatem minime reperiri, & ideo hac ratione reddi venialia non posse. Huiusmodi sunt illa, quæ immediatè & directè circa Deum versantur, vt odium Dei, contemptus ipsius, infidelitas, vera & formalis blasphemia, periurium assertorium & simonia per quam res vera spiritualis venditur. Quia quantumcumque rei minimæ Deus adducitur in testem, adducitur vt testis falsus, eique mendacium tribuitur: Quantumuis modica res spiritualis vendatur, & quantumuis modicum sit pretium, est mortale eo quod planè rei spirituali irrogetur iniuria, etiam pretio æstimando. Filliuc. *tract.* 21. *num.* 250. Laym. *l.* 1. *tr.* 3. *c.* 5. *n.* 6. Suar. *to.* 1. *de Relig. l.* 4. *c.* 3. *p.* 5.

In quibusdam peccatis non datur paruitas materiæ.

10. *Peccatum veniale non trãsit in lethale ob duplex præceptum, nec ex consuetudine committendi venialia, nec ex personæ dignitate.*

Peccatum veniale non transit in mortale ob duplex præceptum. Quia is actus ex leuitate materiæ venialis tantum est culpa, accedente autem nouo Dei mandato, vel humano imperio, materia minimè mutatur. Nec ratione vsus ac consuetudinis committendi venialia. Quia actus replicati sunt eiusdem speciei cum primo, ac proinde eiusdem deformitatis. Nec ex peccantis dignitate, ac sanctitate: Quia dignitas, & sanctitas eius qui peccat. auget quidem piaculi grauitatem, non tamen adeo vt ex veniali in lethale transeat. Sanch. *lib.* 1. *decalog. cap.* 5. *num.* 1. Azor *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *quæst.* 10.

11. *Regula ad dignoscendum an plures materiæ paruæ in vnam grauem coalescant.*

Requiris regulam ad cognoscendum, an plures materiæ paruæ ita in vnam coniungantur, & coalescant, vt materia grauis euadat sufficiens ad mortale?

Hanc

Hanc expono : Quoties parua postremi peccati venialis nequit cum præcedentium materia moraliter continuari, ita vt pro vna reputetur, nec effectus relicti continuari moraliter possunt: multiplicatio transgressionis præcepti in materia parua materiam grauem, ac culpam lethalem non constituit. Ex. gr. si quis in Quadragesima quotidie buccellam comedat extra statuta tempora : si opifex omnibus diebus festis horæ quadrantem operi seruili addicat, secluso scandalo : si clericus quotidie aliqua verba in recitando officio per negligentiam omittat. Quia cum omnes hæ materiæ diuersæ sint, nec in vnam coalescant, nec effectus ab eis producti, nequit ex illis grauis materia conflari, sed singulæ diuisæ ac paruæ manebunt. At si plurium transgressionum paruæ materiæ inter se moraliter vniantur, & coalescant siue secundum se ipsas, siue secundum effectum ab ipsis productum : tunc completur malitia mortalis in vltima transgressione, cuius materia, siue obiectum licet præcisè spectatum paruum sit, tamen propter moralem connexionem cum antecedentibus grande reputabitur, & notabilis materia euadet. Vasq. 1. 2. *q.*88. *a.*4. *disp.*146. *c.*2. *n.*3. *&* 4. Suar *tom.*2. *de Relig. l.*5. *c.*5. *n.*9. *&c.* Sanch. *l.*1. *Decal. c.*4. *n.*9.

12. *Proximæ assertionis exẽpla exponuntur.*

Proximæ huius assertionis exempla exhibeo. In materia iustitiæ ex paruæ materiæ multiplicatione magna consurgit & sufficiens ad mortale. Id patet in furtis minimarum rerum repetitis, quorum singula cum obligationem ex damno illato post se relinquunt, in tantum ea repetitione crescere possunt vt furtum notabile fiat ; furtum vero per quod notabile fit, mortale fit. Attamen si ex aliis furtis propter damnum permanens nulla remansit obligatio, leue, ac veniale tantum esset. In materia intemperantiæ vltimum, quod ratione paruitatis materiæ esset veniale, respectu præcedentium mortale efficitur, propter moralem effectus relicti continuationem. Vt accidit in eo, qui sæpius exiguum quid eodem ieiunij die comedit, modo ea quæ degustantur, materiam notabilem efficiant. In materia obseruationis festorum, si multa seruilia opera diuersis vicibus fiant eodem festo die ita vt simul sumpta ad quantitatem temporis notabilem perueniant. Bonac. *tom.* 2. *disp.*2. *q.*3. *punct.* 5. *n.*27. Reginal. *l.* 19. *n.*53 Azor *p.* 2. *l.* 1. *c.* 28. *q.*5.

13. *Quantitas materiæ, quæ*

Vt edocearis, num quantitas materiæ, quæ sufficit ad peccatum mortale, absolutè spectanda sit, an verò comparatione totius: existimo magnum, & paruum non omninò absolutè, sed etiam cum comparatione ad totum, cuius pars est, prudentis viri morali iudicio, pensandum esse, vt intelligatur, sit ne sufficiens peccati mortalis materia. Quia quod absolutè magnum est comparatione totius, à quo multoties superatur, paruum quandoque censetur, & moraliter non valde æstimabile. Ex. gr. qui vouit, in piam causam se ter mille aureos erogaturum, & omnes soluit præter tres, quos non soluere intendit: non delinquit mortaliter ex voti præuaricatione. Quia licet tres aurei absolutè spectati sint materia ad mortale sufficiens, comparatione tamen totius aureorum summæ pars notabilis minimè censenda. Suar. *tom.*2. *de Relig. l.*4. *c.*25. *n.*18. *& tom.*1. *l.*2. *c.*31. *num.*2. Laym. *l.*2. *tract.*3. *c.*5. *num.*10.

sufficit ad mortale spectanda est comparatione totius.

14. *Peccatum veniale ex genere suo sæpe in casibus transit in mortale.*

E contra verò peccatum veniale ex genere suo hisce in casibus transit in mortale. Primò ratione finis mortalis adiuncti: v. gr. si quis leue mendacium proferat, vt perpetret adulterium. Quia omnis actus etiam de se bonus ob finem mortalem est mortale peccatum. Secundo ratione specialis contemptus, vel inobedientiæ ; v. gr. si aliquid fit in contemptum vel consilij diuini, vel regulæ non obligantis ad mortale. Tertiò si ponatur in eo vltimus finis, quia scilicet eo perpetretur affectu, vt delinquens non dubitet, ad id gerendum, transgredi præceptum sub mortali: nam si actus ex se bonus, vel indifferens potest effici peccaminosus mortaliter ratione scandali, multo magis peccatum veniale. v. gr. ornatus mulierum, aut hominum, quamuis ex se peccati venialis rationem non excedat, si tamen probabiliter credatur per eum aliquem mortaliter peccaturum, ob scandalum erit mortalis. Quinto ratione periculi proximi in mortale incidendi, quando scilicet ex suo genere occasio est talis, vt frequenter homines similis conditionis ad mortale peccatum inducat: vel experimento constet, in hoc homine talem effectum habere. Quia spiritualem salutem contemnere conuincitur, qui se tam probabili eius amittendæ periculo obiicit. Sextò ratione conscientiæ erroneæ : v. gr. si fiat contra conscientiam erroneam dictantem id esse mortale, vel de eo dubitantem. Moneo, idem numero peccatum veniale manens idem in genere moris non posse fieri mortale, nec è contra. Quia non dicitur vnus numero secundum esse morale, si

volun

voluntas aliquo modo mutetur : sed non potest fieri de veniali mortale nisi mutetur voluntas : ergò semper est alius numero actus secundum esse morale, quando de veniali fit mortale. Reginal. *l.* 15. *c.* 3. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 5. *n.* 7. Suar. *de pœnit. disp.* 22. *sect.* 4. *n.* 11. Molin. *tom.* 1. *de iust. disp.* 114.

15. *Peccatum cordis, oris, & operis.*

Iam vero tertia peccati diuisio est in peccatum *Commissionis*, & *Omissionis*, de quo proximo cap. Quarta vero in peccatum *Cordis*, *Oris*, *& Operis*. Quæ quidem diuisio quatuor modis potest intelligi. Primo, vt sint species peccatorum completæ, quorum quædam consummantur corde, seu cogitatione, vt hæresis, odium Dei, inuidia proximi; quædam ore siue sermone, vt blasphemia, periurium, detractio, quædam opere, vt homicidium, adulterium, furtum. Secundo, vt sint tres gradus vnius & eiusdem peccati : v. gr. cum quis fornicationem intendit perpetrare, mulierem inuitat, & fornicatur : hic enim vnum peccatum est variis partibus heterogeneis constans, quarum prima est propter secundam, & secunda propter tertiam : quarè sufficit in Confessione peccatum ipsum vnico verbo exprimere. Tertio, vt sint tres species peccatorum, sed imperfectæ & inchoatæ ex operantis intentione : v. gr. cum vnus fornicationis cogitatione delectatur, nolens loqui aut facere turpia : alius delectatur, & loquitur, nolens opus exercere, tertius delectatur, loquitur, & consummat opus; etsi enim hi tres gradus sint subordinati, possunt tamen ex operantis intentione separari. Quarto deniquè, vt sint tres imperfectæ species consensus interni sine vlla exteriori manifestatione; v. gr. cum aliquis in fornicationis delectationem consentit, alter in verba turpia, tertius in ipsum opus. Aliam deformitatem habet cogitare turpia, aliam loqui turpia, aliam turpia perpetrare Reginal. *l.* 15. *c.* 1. *n.* 7. Malder. 1. 2. *q.* 72. *a.* 7.

16. *Peccatum contra Deum, contra proximum, ac contra seipsum.*

Quinta diuisio in peccatum *contra Deum*, & *contra proximum*, ac *contra seipsum*. Quia quamuis omnia peccata sint contra Deum, & contra ipsum peccatorem, quædam tamen ratione obiectorum, & ratione virtutum contrariarum peculiariter sunt contra Deum : v. gr. quæ repugnant virtutibus Theologicis, Religioni, pœnitentiæ; quædam peculiariter contra proximum : v. gr. immisericordia, iniustitia; quædam peculiariter contrà ipsum peccatorem; v. gr. quæ repugnant fortitudini, ac temperantiæ. Filliucius *tract.* 21. *numer.* 240. Laym. *l.* 1. *tract.* 3. *c.* 4. *n.* 5.

17. *Peccatum per excessum, & per defectum.*

Sexta diuisio in peccatum *per excessum*, & *per defectum*. Quia virtus in medio consistit, habetque certam mensuram & modum, quem possumus excedere, & non attingere : v. gr. contra fidem nimis leuiter quiduis credendo, aut nimis dubitando post sufficientem fidei propositionem, Filliuc. *tract.* 21. *n.* 240. Azor. *p.* 1. *l.* 4. *c.* 7. *quæst.* 3.

18. *Peccatum carnale & spirituale.*

Diuisio septima in peccatum *carnale*, & *spirituale*. Carnale est, quod in carne consummatur, vel cuius obiectum est aliqua delectatio carnalis v. gr. gula, & luxuria. Spirituale, quod habet obiectum eleuatum suprà carnem, etiam si pertineat ad appetitum sensitiuum : v. gr. ira. auaritia, superbia, inuidia, acedia, Laym. *l.* 1. *tract.* 3. *c.* 4. *num.* 6 Malder. 1. 2. *quæst.* 72. *art.* 2.

Caput II.

De Peccato Commissionis, & Omissionis.

19. *Quid præceptum affirmatiuum, & Negatiuum.*

PRæceptum *Affirmatiuum* est, quod iubet actionem : *Negatiuum* autem, quod aliquam realem prohibet actionem. Præceptum Affirmatiuum obligat semper, non ad semper, eaque de causa sæpè licet omittere actionem realem, quæ præcipitur; v. gr. non tenemur Deum semper actu diligere, sacrum semper audire, &c. Sed sufficit, si tempore, & loco id faciamus. At Negatiuum obligat semper, proindeque nunquam licet facere realem actionem, quæ prohibetur, nisi obligatio legis extinguatur. Hoc præmisso, peccatum *Commissionis* est, quod præcepto negatiuo : *Omissionis* vero, quod affirmatiuo præcepto, aduersatur. Quia affirmatio per se opponitur negationi, commissio autem est veluti affirmatio practica, nam consistit in actu positiuo : Ergo propriè præcepto negatiuo opponitur. Omissio autem cum consistat in non agendo, est veluti negatio, ac proinde opponitur affirmanti præcepto. Becanus. 1. 2. *tractatu* 2. *cap.* 3. *quæstione* 1. Filliuc. *tractatu* 21. *cap.* 7. *num.* 255.

20. *Peccatum commissionis, & omissionis differunt specie materialiter.*

Commissionis peccatum à peccato Omissionis differt, quia omissio consistit in priuatione actus præcepti, v. gr. non audiendi sacrum; commissio verò in faciendo

do actu, qui contrarius est præcepto, v. g. furandi. At quia omissio aliquando fundatur in aliqua commissione, v.gr. omissio restitutionis in ablatione alieni: ideo peccatum commissionis & omissionis differunt specie materialiter tantum, non formaliter. Materialiter inquam, hoc est, considerando esse naturale vtriusque: formaliter autem idem est, quòd considerando vtrumque secundum propriam rationem peccati. Azor. *tom.* 1. *l.* 4. *c.* 3. *q.* 1. & 2. Valent. 1. 2. *disp.* 6. *q.* 2. *punct.* 2.

21. *Peccatum commissionis grauius omissionis peccato.*

Quæris, num peccatum commissionis grauius sit omissionis peccato? Affirmatiuè respondeo. Quia plus à virtute recedit: v. gr. qui odit, plus recedit à virtute charitatis, quam qui non amat. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 4. *num.* 2. Filliuc. *tract.* 21. *c.* 7. *n.* 260.

22. *Peccata omissionis inter se distinguuntur ex inæqualitate operis debiti.*

Porrò peccata omissionis inter se distinguuntur in grauitate ac leuitate ex inæqualitate operis debiti; quia scilicet vna sit perfectior altera, vel imperfectior. Ex gr. omissio amoris Dei maius peccatũ est, quam omisso sacri. Grauitas peccati omissionis per se ac cæteris paribus æstimanda est ex qualitate operis præcepti, quod omittitur: per accidens tamen, vel propter disparitatem necessitatis, aut aliarum circunstantiarum actus, æstimanda est ex maiori obligatione vel necessitate ex causa magis, ac minus excusante: ex difficultate, quæ operi esset adiuncta: ex perfectione voluntarij. Azor. *tom.* 1. *l.* 4. *c.* 3. *q.* 8. Filliuc. *tr.* 21. *c.* 7. *n.* 260.

23. *Actiones quæ causa sunt opus debitum omittendi, malæ sunt: secus, quæ non sunt causa.*

Illæ autem actiones, quæ causa sunt opus debitum omittendi, malæ sunt, & peccata, etiam si aliàs bonæ essent. Quia illa actio est mala, quæ est causa peccati; sed actio quæ est causa omissionis est causa peccati; ergo est mala. Ex gr. Iacere sagittam ita incautè, quod ex iactu huiusmodi homicidium sequatur, est peccatum, etiamsi iactus sagittæ non sit secundum se malus. At actiones illæ, quæ nec sunt causa omissionis præcepti, nec sunt talis occasio, vt ex ea cum affectu præceptum omittatur, nec adimunt facultatem illud implendi, sed ipsam omissionem nudè comitantur: Si aliunde non sint malæ, non sunt peccata, etiamsi sint incompossibiles cum præcepti executione. v. gr. statuit quis die festo non audire sacrum ex pigritia: sed ne interea sit otiosus, se se studio applicat: studium huiusmodi peccatum non est. Quia ex se bonum est, & ratione omissionis non habet vllam circunstantiam malam, cum neque sit causa illius, nec occasio. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 71. *art.* 5. & *q.* 2. *de malo*, *art.* 1. lege citatos.

24. *Quæ nam actio sit causa peccati omissionis, quæ nam comes tantum?*

Vt verò dignoscas, quæ nam actio sit causa peccati omissionis, quæ vero sit tantum comes; hæc annotanda adijcia. Actio, quæ per se primo eligitur, & secundum se sola consistere non potest cum obseruatione præcepti, quod omittitur, etiam si eligatur post voluntatem omittendi; dicitur causa illius, & est mala. Illa verò actio, quæ secũdario eligitur cum priore comes tantum est, ideoque non mala. Hinc monuerim actus qui sunt causa, seu occasio omissionis, seu ex quorum affectu omittitur opus præceptum, non esse peccata distincta à subsecuta omissione, si alioquin non sunt ex se mali; ideoque sufficere in confessione accusare omissionem, etiam si illi actus, qui fuerunt omissionis causa, nõ exprimantur. Quia tales actus cum non sint ex se mali, non habent malitiã distinctam à malitia omissionis, neque opponuntur alteri virtuti, quam illi, cui omissio ipsa opponitur. Secus dicendum, si actus in se sint peccata; retinebunt enim suam malitiam: v. gr. si quis omittat sacrum, vt furetur. Azor. *tom.* 1. *l.* 4. *c.* 3. *q.* 5. Tanner. 1. 2. *disp.* 4. *q.* 4. *dub.* 2. Dian. *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* 8.

25. *Externum peccatum omissionis existit, cum occurrit præcepti implendi instantia.*

Denique ipsum externum omissionis peccatum tunc existit, quando occurrit præcepti adimplendi instãtia. Quia omissio exterior est priuatio actus præcepti; ergo tunc existit, quando actus deberet exponi. Et licet peccatum omissionis quasi inchoatiuè, siue secundum propositum dici possit fieri eo tempore, quo ipsius causa culpabiliter ponitur: consummatiuè tamen vel executiuè ac simpliciter tunc, quando operis implendi tempus adest. Citati Doctores consulendi.

CAPVT III.

De peccatorum causis.

26. *Duo reperiuntur in peccato, materiale, & formale. Peccatum habet causam.*

DVo in omni reperiuntur peccato; actus, vel omissio; & priuatio rectitudinis debitæ inesse: illud est materiale peccati, hoc formale, & in quo eius ratio consistit. Peccatum habet aliquam causam. Quia de nouo incipit, cum antea nõ esset; ergo debuit suo modo produci ab aliqua causa. D. Tho. 1. 2. *q.* 75. *a.* 1.

27. *Peccatum secundum esse formale non habet causam efficientem, sed deficientem.*

Peccatum secundum esse materiale à voluntate creata causatur. Quia materiale peccati est actus liber, vel eius omissio. At secundum esse formale non habet causam efficientem, sed deficientem. Quia effectus priuatiui causa per se

debet esse priuata, quamuis per accidens causa positiua adesse possit. Integrum itaque peccati principium est voluntas creata deficiens à sua regula in liberis operationibus. Sylui. 1. 2. *q.* 71. *a.* 5. *q.* 2. Clauis Reg. *l.* 2. *c.* 8.

28. *Causa interna peccati Voluntas, intellectus Appetitus.* Peccati sunt variæ internæ externæque causæ. Internas recenseo. Voluntas est prima directa & integra causa peccati actu malum eliciens, & in se suscipiens. Quia nulla alia re fit anima hominis serua libidinis nisi propria voluntate. Voluntas tamen per se non est causa peccati, sed per accidens, quatenus per se est causa actus in quo est perfectionis debitæ defectus. Deinde, intellectus vt proponens voluntati bonum commutabile, nec ad regulam sibi præscriptam attendens. Tertio, imaginatio, & appetitus, vt inclinantes voluntatem ad peccati consensum. Vnde duplex causa peccati interior potest assignari, mediata, & immediata: hæc est intellectus, & voluntas, illa autem apprehẽsio sensitiuæ partis, & appetitus sensitiuus. Non tamen necessario semper concurrunt ad omne peccatum. Quia nihil repugnat, quin aliquando peccatum perpetretur contrà appetitus inclinationem, aut contrà scientiam intellectus. Azor. *tom.* 1. *l.* 4. *c.* 22. Bonac. *to.* 2. *disp.* 2. *q.* 5. *punct.* 1. Sylu. 1. 2. *q.* 77. *ar.* 2.

29. *Causa externa, illecebræ, Diabolus, Homo.* Iam causas externas expono. Primò, illecebræ mundi & carnis, vt sunt obiecta delectabilia, honorifica, vtilia. Secundò, diabolus. Tertiò, homo. Hi tamen obiectis vtuntur externis, vt homines trahant ad peccatum. Alens. *p.* 2. *sum. q.* 94. *mem.* 3. *a.* 4.

30. *Peccatum ex ignorantia, ex infirmitate, ex malitia.* Profecto cum peccatum prouenit ex defectu intellectus, dicitur peccatum ex ignorantia; cum autem ex deordinatione aut defectu appetitus sensitiui, dicitur peccatum ex infirmitate: cum denique ex deordinatione voluntatis, dicitur peccatum ex malitia. Quia deordinatio intellectus per ignorantiam, appetitus sensitiui per passiones, seu ægritudines animæ, voluntatis vero per malitiam contingit. Clauis Reg. *l.* 2. *c.* 8. *n.* 5. Sylu. 1. 2. *q.* 75. *a.* 3.

31. *Peccatum ex intellectus ignorantia.* Igitur causæ internæ peccatorum sunt quatuor, ignorantia intellectus, passio appetitus, malitia voluntatis, actus alterius peccati. Peccatum ex ignorantia est, quod à vincibili ignorantia voluntarium diminuente, tanquam à causa per accidens procedit. Excluditur tamen ignorantia inuincibilis, & inculpabilis; nam quamuis hæc possit esse peccati occasio, numquam tamen causa. Et ignorantia affectata; nam quod ex illa fit, ex malitia fieri censetur. Excluditur etiam inconsideratio; nam cum inconsideratione potest peccari & ex ignorantia & ex passione, & ex malitia. Filliuc. *tr.* 21. *c.* 10. *q.* 5. Laym. *l.* 1. *tr.* 3. *c.* 7. *n.* 1. Tanner. 1. 2. *disp.* 4 *q.* 9. *dub.* 1.

32. *Peccatum ex infirmitate* Peccatum ex passione, seu infirmitate est, quod fit ex motu appetitus sensitiui libertatem voluntarij minuente. Huiusmodi sunt piacula ex vehementi ira, tristitia, libidine. *Vehementi* dixi, quia leuis passio non minuit libertatem nec illa quæ excitatur à voluntate, & vocitatur consequens, nec ea, quæ est ex praua consuetudine seu male agendi, seu non resistendi passionibus. Azor. *to.* 1. *l.* 4. *c.* 2. *q.* 8. Filliuc. *tr.* 21. *c.* 10. *q.* 5. *n.* 377. Laym. *l.* 1. *tr.* 3. *c.* 7. *n.* 1.

33. *Peccatum ex malitia.* Peccatum ex malitia est, quod ex plena libertate perpetratur, quia libertas voluntatis dupliciter imminuitur. Primo ab intellectu per ignorantiam, secundo ab appetitu per passionem: ergo quando ignorantia abest & passio, dicimur ex pura libertate quæ denominatione quadam extrinseca vocatur malitia, delinquere. Lege citatos.

34. *Grauissimum trium est peccatum ex malitia.* Porrò inter trium horum ce peccatorũ genera grauissimum est ex malitia peccatum. Quia plena libertate geritur, & cum aliquo contemptu, vnde magis est voluntarium. Deinde sequitur peccatum ex passione. Quia quamuis liberum minuat, auget tamen voluntarium, & facilius vitari potest, quam ex ignorãtia delictum quod simul liberum ac voluntarium imminuit. Becan. 1. 2. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 8. Tanner. 1. 2. *disp.* 4. *q.* 9. *dub.* 1. *num.* 52.

35. *Vnum peccatum sæpe assolet esse causa alterius* Denique vnum peccatum sæpe assolet esse causa alterius, idque secundum omnia quatuor causarum genera Greg. hom. 11. in Ezech. *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Dicitur autem peccatum esse causa alterius, quatenus tollit gratiam, & charitatẽ, verecundiam, & timorem, quibus retrahebatur quis à peccando; seu quatenus per vnum peccatum accipit homo dispositionem, qua inclinetur voluntas ad alterum, præsertim eiusdem speciei, vel quod saltẽ cum eo affinitatem & dependentiã quandam habet; v. gr. per actum libidinis, vel per gulæ excessum redditur homo procliuior ad alios luxuriæ, & intemperantiæ actus. Vnde hæc quarta causa constituit peccata capitalia, quæ nihil aliud sunt quã capita, fontes, radices, causæ, & matres aliorum peccatorum, vt sunt illa septem vulgarissima superbia, auaritia, luxuria, inuidia, Gula, Ira, Acedia. Caspens. *tr.* 12. *d.* 5. *sect.* 8. Vasq. 1. 2. *d.* 136. Medin. 1. 2. *q.* 84. *a.* 2.

Iam

36. *Dantur causæ exteriores peccati, Homo, Diabolus, Obiecta sensibilia.*

Iam vero constat ex sacris literis dari causas exteriores peccati, quæ quidē possunt obiectiuè tantum causare peccatum per speciem boni, quam sensibus ingerūt: vnde dixerim potius peccati occasionem, quam causam existere. Hæ sunt, vt innui, *Homo*, *Diabolus*, *Obiecta sensibilia*. Certe homo potest suasione & consilio suo, aliisque modis alterum ad peccatum inducere, adeoque potest esse causa peccādi impulsiua. Diabolus est omnium peccatorum author occasionaliter, causaliter autē plurimorum. Partem primam ostendo, quia primis nostris parentibus peccatum persuasit, quod fuit omnium peccatorum subsequentium origo. Alterā probo, quia cum hominem in paradiso superauit, ius in illū acquisiuit, ac propterea illū tentat, instigat, impellit ad malū, nonquidē cogēdo aut necessitando liberū arbitrium, sed per externam suggestionem proponendo obiecta quædam sensibus grata, quæ possint trahere ad consensum: & per suggestionem internam cōmouendo spiritus, & humores, atque adeò imaginationem, & appetitum sensitiuum ad varios motus impellendo, quibus homo inclinatur ad peccandum. Porro non omnia & singula peccata ex diaboli accidunt suggestione, nisi remotè: quatenus nimirum ipsa quoque naturæ corruptio, quæ subindè nobis est causa peccandi, ex ipsa quoque serpentis seu diaboli suggestione, seu tentamine prodiit. Demum obiecta sensibilia, seu res exteriores causæ nonnunquam peccati esse solent. Quia experientia docet sensibilia exteriora hæc sensitiuum mouere appetitum, vnde fit vt homo ad delinquendum inducatur: non tamen eum ex necessitate mouent, nisi forte contingat, appetitum sic esse dispositum, vt à rebus exterioribus dicatur de necessitate moueri; v.gr. quando appetitus huiusmodi subest vehementibus passionibus vsum rationis tollentibus: tunc enim idem iudicium gerendum sicut de brutis animantibus, quia appetitus necessario impetū passionis sequitur. Nihil ergo immediate mouere potest volūtatē ad causationem peccati, quæ tamen sola proxime peccat: & ideo ipsa sola est causa peccati sufficiēs, & cōplens ipsum. Tanner. 1.2. *disp.* 4. *q.* 9. *dub.* 6. *n.* 102. Mald. 1.2. *q.* 80. *a.* 2. Fill. *tr.* 21. *cap.* 10. *q.* 12.

37. *Deus vere haud est causa aut author peccati.*

Equidem fide Orthodoxa constat, Deū vere ac proprie loquēdo, nullo modo esse causam, ac authorem peccati. Quia Deus non potest id velle, quod ipsius naturæ aduersatur; sed peccatum aduersatur naturæ diuinæ, cum Deus sit summum bonum, culpa vero summum malum; Ergo Deus non est causa peccati; Nec directè, nā omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum; Deus autem cum omnia ordinet in se ipsum sicut in vltimū finem non potest esse neque sibi, neque aliis causa recedendi ab ordine, qui est in se ipsum: Non etiam indirectè, nam is, qui non præbet alicui auxilium ad euitandum peccatum, si hoc faciat secundum ordinem sapientiæ & iustitiæ, non est causa peccati nec quidē indirectè. Certè quando Deus non præbet aliquibus auxilium ad euitandum infallibiliter peccatū, id gerit secundum ordinē suæ sapientiæ, ac iustitiæ, cum ipse sit sapientia, ac iustitia; Ergo non est causa peccati nec quidem indirecta. Quia vt aliquis non impediendo sit causa indirecta peccati, requiritur, vt is non solum potuerit, sed etiam debuerit illud impedire: quod de Deo dici nō potest, quandoquidem ipse tanquam causa vniuersalis, & generalis totius vniuersi Rector nec tenetur impedire modum agendi causarū particularium, nec etiam omnibus gratiā efficacem, qua re ipsa omnia vitētur peccata, impertire. Tann. 1.2. *disp.* 4. *q.* 9. *dub.* 4. Bellarm. *l.* 2. *de statu pecc. a. c.* 18. Becan. *p.* 2. *tr.* 2. *c.* 6. *q.* 1. Bonac *to.* 2. *disp.* 2. *q.* 5. *punct.* 2.

38. *Est causa actus secundū genus naturæ considerati.*

Attamen profitemur, Deū esse causam omnis actus secundū naturæ genus considerati, qui malitiæ peccati substernitur, nō autem causam actus peccati formaliter, siue secundum quod est peccatū. Quare autē homo dicendus sit peccare, & nō Deus etiamsi Deus eundē actum, quem homo, operetur? Quia Deus præbet homini influxum, qui indifferens est, quique ad malum ab hominis voluntate, non autem à Deo determinatur. Suar. *opusc. de auxil. l.* 1. *c.* 6. Moli. *in conc. q.* 14. *a.* 13. Tanner. 1.2. *disp.* 4. *q.* 9. *dub.* 5. Bonac. *to.* 2. *disp.* 2. *q.* 5. *pun.* 2. *n.* 1.

CAPVT IV.

De peccatis Cordis, Oris, & Operis, eorumque specifica, ac numerica distinctione.

39. *Peccata cordis, oris, & operis specie differunt.*

PEccata Cordis illa vocito, quæ in ipsa ratione, ac voluntate complentur, nempe odium Dei, vel proximi, hæresim, inuidiā, iram, superbiam, iudicium temerarium & similia. Peccata oris ea appello, quæ in ore cōsummantur, scilicet detractionem, mendacium periurium, &c. Peccata operis illa recenseo, quæ opere ipso perficiuntur, puta

furtum homicidium, &c. Certè peccata cordis differunt ſpecie à peccatis quæ in ore aut opere conſumantur. Quia habent diuerſa obiecta, vt odium Dei, detractio, furtum. At ſi peccata cordis & oris conſiderentur vt ſunt origo ſeu diſpoſitio ad peccatum operis non differunt ſpecie. Quia opponuntur eidem virtuti, & includunt priuationem perfectionis, & bonitatis eiuſdem ſpeciei Bonac. *tom.2.diſp. 2.q.4.pun.5.* Tanne. 1.2. *diſp.4. q.2. dub.2. num.33.& 34.* Filliuc. *tr.21.c.8. n.274.* Valent. 1.2. *diſp.6.quæſt.2.pun.2.*

40. *Non ſunt paria peccata.*

Peccata non ſunt paria. *Qui me* (inquit Dominus) *tradidit tibi maius peccatum habet.* Ioan. 19. Ratio eſt, quia peccatum eſt ab ordine rationis receſſio: at peccata non tollunt totum rationis ordinem, ſed aliquid eius: ergo ſecundum quod plus vel minus de hoc ordine tollunt, eo maiora, vel minora exiſtunt: iuxta etiam quod plus, minusve aduertentiæ, voluntarij, deliberationis, affectus: aut iuxta virtutum inæquales perfectiones, à quibus deuiatur, maior vel minor eſt à recto rationis opere receſſus. Bonac. *to.2. diſp.2.q.4.punct.1.n.1.& 4.* Azor. *to.1.l.4. c.19.q.1.& 2.* Malder. 1.2.*q.73.a.1.& 2.*

41. *Non ſunt neceſſariò connexa.*

Peccata non ſunt neceſſario connexa. *Quod ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis.* Iac. 2. Ratio eſt, quia tũ peccata, tũ vitia ſæpe inter ſe pugnant, v. gr. prodigalitas & auaritia, gula & nimia abſtinentia: & quamuis non pugnarent, tamen non ſtatim qui furatur, eſt adulter, aut homicida. Poſſunt tamen aliquo modo dici connexa, quatenus vnum eſt via, ac diſpoſitio ad aliud. Tanner. 1.2.*diſp.4.q.3.dub.1.* Vaſq. 1.2. *diſp.99. c.7.* Valent. *to.2.diſp.6.q.3.punct.1.& 2.*

42. *Specifica inæqualitas peccatorum deſumitur ab obiectorum, ſeu finium diuerſitate.*

Peccatorum ſpecifica, & principalis, ſeu inſeparabilis inæqualitas à diuerſitate obiectorum ſiue finium intrinſecorum deſumitur: provt vnum obiectum magis quam alterum rationi repugnat, ſeu actus prauus circa vnum potius obiectũ, quam circa alterum deteriori priuatione deformatur. Quia peccati grauitas attendenda eſt ex eo vndè habet ſpeciem: peccata autem habent ſpeciem ex obiectis. Vnde fit, vt aliquorum peccatorum vnum ſit grauius altero ſecundum ſuam ſpeciem: v.gr. homicidium furto; vt grauiora ſint peccata, quæ in Deum perpetrantur, blaſphemia ſcilicet, odium Dei, eis, quæ in creaturam perficiuntur; vt inter ea quæ in proximum diriguntur, maiora ſint, quæ animæ ſaluti aduerſantur, eis, quæ corpori inferri aſſolent; vt peccata ſpiritualia ſint grauiora peccatis carnalibus, quia ſpiritualia turbant rationis ordinem in materia ſublimiori. Tanner. 1.2. *diſp.4.q.3.dub.2.* Clauis Reg. *l.2.c.7.n.5.*

43. *Grauitas peccati attenditur ex dignitate virtutis, cui opponitur.*

Grauitas peccati attenditur ex dignitate, & perfectione virtutis, cui opponitur. Quia quo peccatum opponitur ſublimiori virtuti, eo circa præſtantius verſatur obiectum: ſicut autem virtus & vitium ex obiectis ſpecificantur: ita virtutis dignitas, & vitij grauitas ex obiectis attẽditur. Azor. *to.1.l.4.c.9.q.4.* Bonac. *to.2.d.2.q.4.p.1 n.5.*

44. *Peccati grauitas attenditur ſecundũ diuerſas volũtarij rationes.*

Peccati grauitas ſecundum eius cauſas attenditur, ſeu diuerſas volũtarij rationes. Quia voluntas, quæ eſt cauſa peccati per ſe, quo maior eſt, & vehementior, eo peccatum grauius exiſtit; item finis, qui dicitur eſſe cauſa peccati per accidens, quo peior eſt, eo peccatum eſt grauius. Tanner. 1.2.*diſp.4.q.3.dub.1.*

45. *Peccatum ex circumſtantiis aggrauatur.*

Peccatum ex circunſtantiis aggrauatur vt quæ non ſolum in eadem ſpecie augere poſſunt, vt ſit per quantitatem maiorem obiecti, v.gr. furti; itemque per maiorem intenſionem eiuſdem actus: ſed etiam in diuerſam ac grauiorem ſpeciem transferre, aut nouam ei ſuperaddere. Clauis Reg. *l.3.c.7.n.13.*

46. *Peccatum increſcit ex perſona peccãtis, ſeu in quam peccatur conditione.*

Peccatum ex perſonæ peccantis vel in quam peccatur conditione increſcit. Quia & quo quis vberiora à Deo accipit beneficia eo ſe magis ingratum exhibet deliberatè delinquendo: & quia perſona in quam peccatur, eſt quodammodo obiectũ peccati: grauitas autem peccati ex obiecto attenditur. Tanner. 1.2.*diſp.4.q.3.dub.2.*

47. *Creſcit peccatum ex nocumento, quod peccans infert.*

Peccatum denique ex nocumento, quod peccans ſibi, aut alteri infert, accipit incrementum, dum nocumentum ſiuè tẽporale, ſiuè corporale, ſiuè ſpirituale ex peccato prouenies ſit præuiſum, & intentum. Quia tunc hoc nocumentum eſt per ſe obiectum volũtatis eius, qui delinquit. At ſi præuiſum ſit, ſed non intẽtum, auget indirectè peccatum. Quia non eſt per ſe ac directè voluntarium, neque vt finis, neque vt medium. Si verò neque præuiſum, nec intentum ſit: ſed per ſe ſequatur ex actu peccati, directe illud aggrauat; ſi autem ſequatur ſolum per accidens, non aggrauat illud directe. Quia quæcumque per ſe ad peccatum conſequuntur, quodammodo pertinent ad ipſam peccati ſpeciem, & virtualiter, ſeu implicitè voluntaria ſunt, hoc ipſo quo actus peccati eſt volũtarius. Filliuc. *tr.21.c.9.q.9.* Vaſq. 1.2.*diſp.102.*

48. *Sola diuerſitas materialis præceptorum non inducit*

Sola diuerſitas materialis præceptorum non inducit ſpecificam peccatorum diuerſitatem; v. gr. ſi idem eodem modo

specificam peccatorum diuersitatem.

& ratione, diuerso solùm tempore, vel à diuersis præcipientibus præceptum, aut prohibitum sit: vel si vnum præceptum sit diuinum, alterum humanum. Quia peccata non sortiuntur specificam differentiam ex eo quod opponantur materiali præceptorum entitati, vel eidem aut pluribus præceptis sæpius repetitis, cum talia præcepta esse possint, vbi nulla omninò est specifica obiectorum formalium diuersitas; sed quia opponuntur præceptis formaliter, & ex parte obiecti spectatis. Valent. *to.2.disp.6.q.2.punct.1.* Suar. *3.p.tom.4. d.22.sect.4.* Sanch. *l.1.Decal.c.14.n.9.& 10.*

49. *Transgrediens plura eiusdē rationis præcepta vnum peccatum committit, secus qui plura diuersa rationis.*

Qui ergo plura præcepta eiusdem rationis, siue ex eodem motiuo lata transgreditur, vnum simplex peccatum committit: qui vero plura diuersæ rationis, seu ex diuerso motiuo posita, duplex, vel etiam triplex peccatum perpetrat. Quia duo vel tria adsunt distincta motiua transferentia actum præceptum ad duas vel tres diuersas virtutes. Ex. gr. Religiosus, qui ex voto tenetur ieiunare die veneris, duplex specie peccatum non ieiunando committit, si in eum diem etiam ieiunium Ecclesiæ præceptum concurrat: Quia contra plura præcepta diuersæ rationis, seu ex diuerso motiuo imposita operatur, scilicet contra votum, quod ad Religionis virtutem spectat: & contra præceptum Ecclesiæ, quod pertinet ad temperantiam. Bonac. *tom.2.disp.2.q.4.punct.3.n.5.* Azor. *to.1. l.4.c.2.q.6.* Laym. *l.1.tr.3.c.2.n.1.*

50. *Distinctio numerica desumenda in peccatis internis ex distinctis numero malitiis.*

Distinctio verò numerica peccatorum cordis, seu internorum desumenda est ex distinctis numero malitiis, seu contrarietatibus ad rationem. Quia interrupto moraliter actu voluntatis circa peccati obiectum, cessat continuatio, & completa est perfectissimè istius peccati malitia; vnde si post moralem interruptionem nouus actus eliciatur, priori non subordinabitur, & distinctam numero malitiam habebit, ac consequenter distinctum erit peccatum. Bonac. *to.2. disp.2. q.4.punct.2.n.5.* Suar. *l.5.de voto cap.6.n.10.*

51. *Actus voluntatis censetur interruptus, quoties nec formaliter, nec virtualiter perseuerat.*

Porrò voluntatis actus moraliter interruptus cēsetur, quoties nec formaliter nec virtualiter perseuerat: quod fit primò, quādo voluntas prior vel per veram pœnitentiam, vel per contrariam voluntatem est reuocata. Secundò per voluntariam cessationem ab actu, per quam fit, vt illa interruptio sit perfectè voluntaria. Vnde si ad idem obiectum cogitatione quis redeat, actus multiplicabitur. Ex. gr. quis visa fœmina, morosè delectatur, eamque delectationem voluntariè deserit; statim autem eadem consp̃ecta, rursum delectatur: bis delinquet; quia sunt duo actus mali, quorum vnus ad alterum nullum ordinem, nullamque habet connexionem. Tanner. 1.2. *disp.4.q.2. dub.4.* Lessi. *l.2.c.12.n.21.* Henriq. *l.5.c.5.§.5.* Laym. *l.1.tr.3.c.3.n.3.* Addiderim tertium modum per inuoluntariam cessationem, siue id accidat per naturalem inaduertentiam, & distractionem ad alia, siue per somnum, in quo cessante vsu rationis, & deliberationis, non videtur actus voluntatis liber posse continuari, ideoque interrumpetur. Sic Vasq. 1.2. *disp.75. c.2.* Sed tanti Doctoris venia existimo actus huiusmodi moraliter non multiplicari, licet possit concedi, per illam interruptionem multiplicari physicè. Quia cum distrahitur animus inuoluntariè ad alia, prior voluntas interpretatiuè remanet, cum retractata non sit per contrarium propositum, vel per cessationē voluntariā.

52. *Peccata oris multiplicantur specie, & numero, cum sermo dirigitur ad obiecta specie diuersa.*

Peccata oris, seu quæ sermone complentur, multiplicantur specie, & augentur numero quando verbum seu sermo dirigitur, & refertur ad obiecta specie diuersa. v. g. si quis alium vocet hæreticum, latronem, adulterum: tria peccata contumeliæ perpetrat specie distincta. Vnde quando multiplicantur peccata oris specificè, etiam numericè quoad malitiam moralem multiplicantur. Secus dixerim de illo, qui ex eodem impetu odij vel iræ, eadem conuitia repetit, quempiam quater vel quinquies furem appellando; vnum enim peccatum committit saltem quantum ad necessitatem confitendi. Quia prior voluntas perseuerat, & prius peccatum saltem moraliter continuatur. Tanner. 1.2. *disp.4. q.2.dub.4.n.55.* Sanch. *l.1. Decal. c.3.n.39.* Henriq. *l.5.c.8.n.3.*

53. *Peccata operis multipliciter specie multiplicantur.*

Demùm peccata Operis, seu quæ opere consummantur, multiplicantur specie. Primò, ex obiectis specie distinctis. v. gr. furtum, homicidium. Quia hæc obiecta distinguntur specie, & ideo etiam, quæ circa illa versantur. Secundo, ex fine, v. gr. in homicidio simplici, & in eo, quod ex intentione furandi fieret: hoc secundum specie à primo ex fine distinguitur. Tertio ex circumstantiis mutantibus speciem, v. gr. furtum rei sacræ specie distinguitur à simplici furto ratione circumstantiæ specie distinctæ. Certè quocumque modo ex præfatis multiplicentur peccata specificè, etiam numericè, quoad malitiam moralem in Confessione aperiendam, multiplicantur. Suar. *tom.4. disp.22.sect.5.* Azor. *1.p.l.4.c.4.q.6.* Bonac. *tom.2.disp.2.q.4.punct.2.*

54. *Duobus modis multiplicantur numero.*

Operis peccata numero etiam duobus modis multiplicantur. Primo ex multiplicatione operis interrupti moraliter, v. gr. si quis ter diuerso, vel eodem tempore eandem feminam cognoscat, vnam copulam subinde complendo post aliam, tres sunt copulæ numero distinctæ. Secundo, ex multiplicatione obiectorum, quæ numero distinguuntur: v. g. si quis eodem ictu tres conficiat ex intentione. In ordine ad confessionem peccata numero distincta altero ex præfatis modis, distinctè etiam exponenda. Laym. *l.* 1. *tr.* 3. *cap.* 3. *n.* 4. Azor. 3. *part. l.* 13. *c.* 5. *q.* 6. Tanner. 1. 2. *disp.* 4. *q.* 2. *dub.* 4. *n.* 54.

Actus precedentes & concomitantes qui ex intentione referuntur ad principalem actum non sunt peccata numero distincta.

Actus præcedentes, & concomitantes peccatum, qui ex intentione principalem referuntur ad actum, non sunt numero distincta peccata, nec in confessione necessario aperienda; sed sufficit actum principalem exponere. Quia sic cognitio sufficiens status pœnitentis ad salutare iudicium in conscientiæ foro ferendum, habetur. Ex. gr. Quis fornicari intendens, cum fœmina loquitur, eam osculatur, amplexatur &c. tandemque fornicatur: satisfacit si se accuset de vnica fornicatione commissa. Quia omnes illi actus cum fornicatione, ad quam ordinantur, coniuncti, vnum peccatum totale constituunt. Bonac. *to.* 1. *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *p.* 2. §. 3. *diffic.* 2. *num.* 12. Reginald. 6. *num.* 219. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 11. *punct.* 1. Ioan. Sanct. *in select. disp.* 6. *n.* 5.

Caput V.

De peccati subiecto.

55. *Peccatum formaliter in sola est voluntate.*

Peccatum si formaliter sumas, in sola est voluntate. Quia peccatum formaliter debet esse liberum; ergo in potentia, quæ formaliter habet libertatem. At peccatum denominatiuè potest esse in intellectu seu ratione, in imaginatione seu appetitu sensitiuo, in ore, & opere. Quia quædam sunt peccata, quæ nata sunt consummari in intellectu, vt ignorantia culpabilis, error, hæresis: quædam in phantasia, & appetitu, vt delectatio morosa: quædam in ore, vt periurium, blasphemia: quædam in opere, vt homicidium, furtum, hæc tamen, omnia sunt denominatiuè, seu per extrinsecam denominationem; nam tota culpa est in voluntate, quæ potuit, ac debuit ope rationis hasce inordinationes comprimere, & impedire. Tanner. 1. 2. *disp.* 4. *quæst.* 8. *dub.* 1. Filliuc. *tract.* 21. *c.* 10. *quæst.* 1. Becan. 1. 2. *tr.* 2. *c.* 5. *q.* 1.

In sensualitate nullum est peccatum sine ordine ad voluntatem.

Certè in sensualitate nullum est peccatum, sine ordine ad voluntatem. Quia nullus hominis motus, vel actus potest esse verum, seu directè peccatum, nisi homo sit eius causa, vel principium in quantum est homo; sed eorum motuum, qui in sensualitate exurgunt independenter à voluntate, homo non est causa vel principium in quantum est homo; ergò tales motus non possunt esse peccata. At cum dependentia à voluntate in sensualitate potest esse peccatum, hoc est, in appetitu sensitiuo, qui est virtus quædam appetitiua naturæ sensitiuæ, complectiturque concupiscibilem & irascibilem. Vasq. 1. 2. *disp.* 104. *c.* 1. Laym. *l.* 1. *tract.* 3 *c.* 5. *num.* 11. & 12. Filliuc. *tr.* 21. *num.* 350. 351.

56. *Vt motus sensualitatis culpabiles sint requiritur aduertentia ex parte intellectus.*

Vt autem sensualitatis motus culpabiles sint, requiritur aduertentia ex parte intellectus, qua præfati motus præuideantur futuri ex causa libera, aut sentiantur præsentes, & considerentur secundum aliquam rationem mali moraliter. Deinde requiritur ex parte voluntatis consensus directus, vel indirectus, hoc est, in causa volũtaria. Præterea requiritur grauitas ipsorum motuum, & malitia obiectiua: nam si motus ipsi leues sint, erunt tantum peccata venialia. Bonac. *tom.* 1. *de matr. q.* 4. *punct.* 7. *num.* 6. 7. 8. Tanner. 1. 2. *disp.* 4. *q.* 8. *num.* 13. *dub.* 2. Lessi. *l.* 4. *c.* 3. *dub.* 5. *n.* 116.

57. *Motus primò primi non sunt peccata mortalia.*

Infero hinc, motus sensualitatis primo primos, id est præuenientes rationem, & voluntatem non esse peccata mortalia (est de fide contra Lutherum & Caluinum, vt patet in Trident. *sess.* 5. *de pecca. orig. can. vlt.*.) Quia nemo peccat in eo, quod vitare non potest; sed hos motus homini lapso euitare impossibile est, etiamsi sit iustificatus Rom. 7. & 8. Ergo non sunt peccata mortalia.

58. *Nec venialia.*

Imò asseruerim contra Caietanum 1. 2. *q.* 74. *art.* 4. sensualitatis motus peccata venialia non esse. Quia omne peccatum est voluntarium; sed quod voluntatem præuenit, non est voluntarium; ergò peccatum non est. Et hoc dixerim valere non solum in primis sensualitatis motibus, verum etiam in primis motibus voluntatis, & intellectus: vt accidit, quandò aliquis subitò de proximo malè suspicatur. Azor. *p.* 1. *l.* 4. *cap.* 5. *q.* 7. Cordub. *l.* 2. *q.* 23. *dub.* 9. Becan. *p.* 2. *tract.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 4. & 5.

59. *Motus secundò primi sunt*

Porrò alij sunt motus, qui *secundò primi* vocitantur, quia partim rationem sequuntur,

Peccata venialia.

quuntur, partim præueniunt. Sequuntur quidem, nam ratio aliquando aduertit alicuius cogitationis turpitudinem, sed imperfectè, & agnoscit aliquo modo esse contra legem Dei, sed quasi per transennam, & sic aliquantulum resistit: præueniunt autem, nam ratio non plenè iudicat, an sit materia peccati mortalis, & an sit tanti momenti, vt statim debeat discuti, propter negligentiam aliquam, quam admittit. Hi itaque motus secundo primi, vt plurimum sunt peccata venialia. Laym. *l.1.tr.3.c.5.n.12.* Azor. *p.1.l.4.c.5.q.3.* Nauar. *in man. præl.9.num.11.cap.11.n.4.*

60. *Motus secundò secundi sunt lethales, aut veniales iuxta materiam.*

Sunt & motus *secundò secundi*, id est, perfectè deliberati. Hi sunt peccata mortalia, vel venialia pro ratione materiæ; loquor de peccatis denominatiuè: nam consensus voluntatis in hos motus, est formaliter ipsum peccatum. Quia actus accipit malitiam ab obiecto: tales autem motus sunt obiectum nostri consensus, ac proindè qui voluntariè tristatur de aliquo bono proximi leuis momenti contra rationem peccat venialiter; qui autem tristatur de notabili bono proximi, mortaliter delinquit. Becan. 2. *part. tract.* 2. *c.* 5. *q.* 5. Bonac. *de Matr. q.* 4. *p.* 7. *n.* 8. Tanner. 1. 2. *disp.* 4. *q.* 8. *dub.* 4.

61. *Non omnes motus appetitus ex causa voluntaria sunt peccata.*

Moneo, non omnes motus appetitus ex causa voluntaria esse peccata: etiam si expresse voliti, & in se ipsis essent peccata mortalia. Vt autem peccata non sint, duo requiruntur: vnum, vt quis expertus sit, se non incurrere probabiliter periculum consentiendi per voluntatem in tales motus: alterum vt causa voluntaria, quæ adhibetur, habeat vel honestatem, vel vtilitatem, vel necessitatem aliquam, ratione cuius curandum non sit de motibus contingentibus. Ex. gr. Audis confessiones, aut legis libros amorum tractatum continentes, alioqui vtiles, aut ex patria consuetudine fœminam osculo excipis, vel amplexu. Vasq. 1. 2. *disp.* 106. 107. 108. Bonac. *de Matr. q.* 4. *punct.* 7. *n.* 5. Suar. 3. *p. q.* 80. *a.* 7. Becan. 2. *p. tr.* 12. *disp.* 4. *n.* 21. 24.

CAPVT. VI

De peccatorum circunstantiis.

62. *Quid circunstantia & quotuplices.*

CIrcunstantiæ à D. Thoma 1. 2. *q.* 7. *a.* 1. vocantur particulares humanarum actionum in genere conditiones, siuè accidentales affectiones non pertinentes ad actus peccati substantiam, sed aliquo modo ipsum actum attingentes. Huiusmodi circumstantias in quadruplici differentia expono. Quædam sunt impertinentes, quia neque augent, neque minuunt malitiam: quales sunt scortari die festo, aut profesto. Aliæ sunt augentes notabiliter: quales sunt, intensio actus, seu vehementia actionis, mora longa, &c. Aliæ sunt notabiliter minuentes: qualis est circumstantia metus alicuius mali. Aliæ sunt mutantes speciem: quales sunt quæ de peccato veniali efficiunt mortale & è contra; item quæ nouam peccati speciem addunt. Suar. 3. *p. to.* 4. *disp.* 22. *sect.* 3. *n.* 1. Laym. *l.* 1. *tr.* 2. *c.* 8. Filliuc. *tr.* 7. *n.* 85. *& tr.* 21. *n.* 80.

63. *Circumstantiæ impertinentes.*

Profecto circumstantiæ impertinentes quo ad actum moralem, quæ nihil conferunt ad malitiam, non sunt in confessione explicandæ. Quia non sunt proprie circumstantiæ morales, cum malitiam neque augeant, neque minuant. Suar. 3. *p. tom.* 4. *disput.* 22. *section.* 3. *numer.* 1. Filliuc. *tract.* 7. *c.* 4. *n* 92. Rodrig. *in sum tom.* 1. *c.* 53. *n.* 1.

64. *Circumstantiæ notabiliter aggrauantes intra eandem speciem.*

Circumstantiæ notabiliter aggrauantes, ac augentes peccatum intrà eandem speciem sunt & non sunt in Confessione explicandæ, de quibus in Problem. At circumstantiæ notabiliter minuentes non sunt necessariò exprimendæ ad confessionis integritatem, nisi mutent speciem. Quia cum circumstantiæ minuentes potius pœnitentem excusant quam peccata exprimunt: non sunt necessariò explicandæ, nisi speciem immutent: quod quidem quatuor modis fit. Primò circumstantia explicata declarat actum nullum fuisse peccatum; v. gr. si quis occidat hominem in sui iustam defensionem, moderamine inculpatæ tutelæ seruato. Si enim hanc iustæ defensionis circunstantiam non declarauerit in Confessione, poterit Confessarius existimare, pœnitentem mortale crimen perpetrauisse, cum tamen reuera non commiserit. Secundò si circumstantia addita declaret esse veniale, quod alias lethale esse putaretur; v. gr. si peccatum fuit commissum ex motu primo, ex subreptione animi absque plena deliberatione. Tertiò, si circunstantia tollat vnam malitiam moralem, & aliam relinquat; v. gr. quis cognouit fœminam coniugatam, putans esse solutam: hic tenetur ignorantiæ circumstantiam exponere; quia huiusmodi circumstantia tollit vnam malitiam, scilicet adulterij, & malitiam

intemperantiæ relinquit. Quartò, si actus absque circũstantia apparet vnius speciei, cum illa vero alterius, licet leuioris; v.gr. si homo volens occidere bouem alicuius, & per ignorantiam inculpabilem ipsum occidat hominem, tenetur huiusmodi imminuentem circunstantiam exponere; quia tunc non est homicidium formale, sed furtum, aut damnum, Henriq. *l.* 5. *cap.* 7. *n.* 3. Fagund. *præc.* 2. *l.* 4. *cap.* 2, *num.* 13. Filliuc. *tr.* 7. *cap.* 4. *n.* 91. Dian. *p.* 5. *tr.* 14. *resol.* 85.

65. *Circunstantia mutantes speciem actus moralis.* At circunstantiæ mutantes speciem actus moralis quoad malitiam sunt necessario in confessione aperiendæ. Quia præterquam quod à Tridentino *sess.* 14. *c.* 5. *& can.* 7. expresse decernitur; peccata multiplicantur nõ solùm ratione actuum, sed etiam ratione circunstantiarum diuersarum specie: sed diuersa specie peccata necessario sunt confitenda: Porrò illæ circunstantiæ, quod ad confessionis necessitatem attinet, mutare dicuntur speciem, quæ habent specialem repugnantiam cum recta ratione diuersam ab ea, quæ est in ipso peccato secundum se. Ex. gr. Illicitum est cognoscere non suam, sed si cognoscatur aliqua per consanguinitatem, aut affinitatem intrà gradus vetitos propinqua, constituitur noua species, scilicet incestus. Tolet. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 7. Azor. *tom.* 1. *l.* 13. *c.* 12. *q.* 6. Valen. *to.* 4. *disp.* 7. *q.* 11. *punct.* 1. *asser.* 2.

66. *De circunstantia, Quis.* Septem sunt circunstantiæ, ex quibus augeri, vel minui potest peccatum, illo vulgari carmine expressæ:

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Circunstantia *Quis* denotat conditionem seu qualitatem personæ peccantis, quæ frequentius auget mutando speciem: v. gr. si persona sit sacra, vel habeat votum transfert actum intemperantiæ in sacrilegij vitium. Si sit persona publica, sæpe actus eius malitiam exponet scandali. Tanner. 1. 2. *disp.* 2. *q.* 5. *dub.* 4. *n.* 82. Filliuc. *tr.* 21. *n.* 82.

67. *De circunstantia, Quid.* Circunstantia *Quid* significat conditionem, quantitatem, aut qualitatem, materiæ siuè obiecti circà quod actio versatur; v. gr. quantum quis furatus sit, vel quam graue intulit nocumentum. Existimo hanc circumstantiam quando est alicuius notabilis grauitatis esse in confessione aperiendam. Quia tunc maximè est cum substantia peccati coniuncta, & maxime necessaria est eius notitia ad arbitrium ferendum circà restitutionem, & quando peccatum in tanta quantitate est reseruatum Tolet. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 7. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *diffic.* 3. *num.* 17.

68. *De circunstantia, Vbi.* Circunstantia *Vbi* respicit locum, in quo delictum fuit patratum: & hæc necessario est aperienda; quia mutat speciem peccati trahens ad sacrilegium ratione irreuerentiæ loco sacro illatæ. Profecto non omne peccatum habet circunstantiam necessario aperiendam in confessione, hoc ipso quod fiat in loco sacro: sed tantum quando ipsum peccatum directè loci sanctitati aduersatur, nempè quando furtum loco in sacro committitur, quando sanguis humanus, vel semen peccaminosè ac voluntariè profunditur, vel quando Ecclesiæ immunitas per iniustam extractionem alicuius criminosi violatur, aut quum quis qualecumque peccatum committat in despectum, vel dehonestationem loci sacri. Quæ quidem loci sacri circumstantia etiam est exprimenda, quando aliquis sola mente in eiusmodi opera in Ecclesia perpetranda consentit. Quia hæc intentio est eiusdem cum externo actu rationis: actus autem externus habet specialem sacrilegij malitiam. Azor. *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 4. *q.* 2. Sanch. *de Matrim. l.* 9. *disput.* 15. *num.* 10. 11. Bonac. *de Matr. q.* 4. *punct. vlt. num.* 7.

69. *De circunstantia, Quibus auxiliis.* Circunstantia *Quibus auxiliis* significat propriè instrumenta, seu concursus peccati, quæ possunt esse vel alij homines, vel quælibet aliæ res vt ferrum, gladius, sclopetum, vel quod simile instrumentum: & hæc non sunt necessariò exprimenda in confessione; quia parum refert, vtrum hoc, vel illo instrumento occidas. Attamen duo casus assigno, quibus debeas exponere: Quando vsus talis instrumenti per se prohibitus est, vel quando ad explicandam illati nocumenti grauitatem, necessarium sit quonam factum fuerit instrumento exponere. Verùm si homines fuerint concausæ peccati v. gr. si quis sociis vtatur, aut mediatrice, vel mediatricibus ad peccatum, & socios, vel mediatricem induxit, vt se se iuuarent: non solum tenetur peccatum ad quod induxit: sed etiam circumstantiam inductionis in confessione exprimere modo secij non essent parati ad id patrandum, & mediatrix ad mediandum; tunc enim cessat inductionis circumstantia. Henriq. *l.* 2. *de Pœnit. c.* 6. *n.* 7. Fagund. *Præc.* 2. *l.* 4. *c.* 5. *n.* 1. Coninch. *disp.* 7. *dub.* 4. *num.* 23. Azor *tom.* 2. *l.* 12. *c.* 16. *q.* 5.

70. *De circun-* Circunstantia *Cur* seu *Propter quid*, inclu

stantia cur.

includit non solum intentionem finis, propter quem operamur, sed etiam electionem medij : Porro finis non est circumstantia, nisi quando est extrinsecus: nam quando est intrinsecus, est potius obiectum: quare ad hanc circumstantiam concurrunt formaliter, vel virtute duo actus, scilicet intentio finis, & electio medij, respectu cuius ille finis dicitur esse circumstantia: quod dupliciter fieri potest. Primò, cum tam finis, quam medium sufficiunt ad constituendum peccatum mortale: v.gr. cum quis furatur, vt fornicetur, tunc tenetur pœnitens hanc circumstantiam finis explicare. Quia sunt duo peccata diuersa specie, alterum furti in materia iniustitiæ, alterum fornicationis contra temperantiam. Secundò cum electio medij est bona vel indifferens in se, & finis malus, v. gr. si quis deambulet vt occidere possit; vel det eleemosynam puellæ, vt cum ea fornicetur: vnum peccatum tantum committit occisionis, vel fornicationis, & non est opus electionem medij explicare. Bonac. *tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 2. *pun.* 2. §. 3. *diffic.* 13. *num.* 25. Reginald. *l.* 6. *num.* 127. Henr. *l.* 3. *de pœn. c.* 6. *num.* 3. Dian. *p.* 1. *tract.* 7. *resol.* 23.

71. *Circumstantia finis boni nouam bonitatis speciem addit actioni ex se bonæ: circumstantia finis mali efficit actum, bonum ex obiecto, simpliciter malum.*

Iam expono, quam bonitatem vel malitiam tribuat actioni ex se bonæ, vel malæ finis malus vel bonus. Circumstantia finis boni nouam bonitatis speciem addit actioni ex obiecto bonæ; vnde duarum virtutum opus exercet scilicet pœnitentiæ ac misericordiæ, qui eleemosynam dat, vt Deo pro piaculis satisfaciat. Becan. 1. 2. *tract.* 1. *c.* 4. *quæst.* 3. *concl.* 2. Fagund. *Præc.* 2. *l.* 4. *c.* 2. *num.* 3. Circumstantia finis mali omnino destruit, & efficit actum, qui ex obiecto bonus esset, simpliciter malum. Quia malum ex singulis defectibus. Ex. gr. si quis det eleemosynam, aut concionetur, ad aucam captandam popularem. Azor. *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 5. *q.* 5.

72. *Circumstantia finis boni dat actui indifferenti primam bonitatis speciem, circumstantia finis mali primam dat speciē malitiæ.*

Circumstantia finis boni tribuit actui ex obiecto indifferenti primam, & vnicam bonitatis speciem essentialem: ideoque in genere moris non circumstantiæ, sed obiecti rationem habet. Quia finis tunc se habet tanquam obiectum formale proximum in genere moris quamuis sit extrinsecus in genere naturæ. Ergo dat primam & essentialem bonitatis speciem. Ex. gr. ambulatio ad visitandas sanctorum reliquias est Religionis actus, quamuis in genere naturæ semper eiusdem speciei maneat. Tanner. 1. 2. *disp.* 2. *quæst.* 5. *dub.* 4. & 5. Vasq. 1. 2. *disput.* 53. *cap.* 2. *num.* 9. Medi. 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 3. Circumstantia finis mali confert actui ex obiecto indifferenti primam & vnicam essentialem malitiæ speciem: ideoque in genere moris amittit proprietatem circumstantiæ, & solius obiecti rationem acquirit. Quia tunc finis malus est primum in genere moris, quod appetitur: nam obiectum indifferens, est extrà genus moris. Ex. gr. deambulare ad fornicandum, opus intemperantiæ est. D. Tho. 1. 2. *quæst.* 18. *art.* 5. *ad* 4. Sylu. 1. 2. *quæst.* 18. *art.* 6.

73. *Circūstantia finis boni nil confert actui ex obiecto malo: at circumstantia finis mali confert actui ex obiecto malo nouā malitiam.*

Circumstantia finis boni nihil confert actui ex obiecto malo, sed relinquit simpliciter & vndequaque malum; v. gr. furari ad dandam eleemosynam. Quia actus malus non est capax vllius moralis bonitatis, quod enim habet aliquam debitæ bonitatis priuationem, est simpliciter malum. Laym. *l.* 1. *tract.* 2. *cap.* 9. *num.* 7. Durand. *in* 2. *dist.* 38. *q.* 1. *n.* 1. Circumstantia finis mali confert actui ex obiecto malo nouam malitiam: eamque vel specie distinctam, si finis ille prauus ordinem repugnantiæ cum recta ratione specificè diuersum habeat: v. gr. in furto fornicationis causâ: vel solo numero distinctam, si prauitas finis eiusdem rationis sit cum prauo medio: v. gr. in furante instrumentum, quo possit vti ad pecunias furandum: talis enim duo peccata contra iustitiam solo distincta numero perpetrat. Becan. *tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 5. *quæst.* 2. Valent. *tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 2. *pun.* 2. Dian. *p.* 1. *tract* 7. *resol.* 42.

74. *De circumstantia, Quomodo.*

Porro circunstantia *Quomodo* ad modum spectat, quo delictum patratur; & hæc potest aliquando speciem malitiæ variare, vt constat in rapina seu furto violento, violento stupro, homicidio cum feritate. Denique in omni peccato facto ex formali legis contemptu, siue directa non obediendi legi intentione. Interdum verò intrà eandem speciem operis malitiam auget, vel minuit: v. gr. si peccatum sit patratum ex scientia ac mera malitia: an ex passione, ex culpabili ignorantia, ex metu mortis, ac grauis incommodi, & conscientia erronea. Suar. *de pœnit. disp.* 22. *sect.* 4. *n.* 12. Caiet. 1. 2. *q.* 7. *art.* 1. Fagund. *præc.* 2. *l.* 4. *c.* 5. *n.* 13.

75. *De circumstantia, Quando.*

Circumstantia *Quando* si sumatur pro temporis mora, qua actio durat, eius bonitatem aut malitiam accidentaliter auget. Alioquin temporis circumstantia non reddit actionem moraliter meliorem, deterioremve; multò minus nouam speciem addit; vnde qui furtum committit in die festo, hanc circumstantiam non tenetur

tenetur exponere. Quia circunstantia diei festi non superaddit peccato distinctam specie malitiam, cum non sit specialiter prohibitum, in die festo furari. Si autem circunstantia *Quando* ad explicandam circunstantiam temporis adhibeatur, fieri potest, vt aliquando peccati mutetur species: v. gr. si quis celebret post prandium, aut bis in die ieiunij comedat. Vasq. 3. *p. tom.* 4. *q.* 91. *art.* 1. *dub.* 3. *num.* 36. Henriq. *l.* 5. *c.* 6. *n.* 6. Filliuc. *tr.* 21. *cap.* 9. *num.* 347.

CAPVT VII.

De Peccatorum Effectibus.

76. *Tres sunt peccati effectus.*

TRes sunt pessimi peccatorum effectus ex Doctore Angelico 1. 2. *q.* 85. *a.* 1. 2. 3. &c. scilicet corruptio naturæ, macula animæ, reatus pœnæ. Bonum naturæ tripliciter dicitur. Primò ipsa naturæ principia, nempè anima & corpus, ac proprietates consequentes, scilicet intellectus, voluntas, ac cæteræ potentiæ. Secundò propensio ad virtutem, & honestatem. Tertio donum iustitiæ originalis. Clauis Reg. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 1. Sylu. 1. 2. *q.* 85. *a.* 1.

77. *Primus peccati effectus, corruptio naturæ.*

Igitur peccati primus effectus est naturæ corruptio. Est de fide contra Pelagianos. Trid. *sess.... c.... Can.* 1. *si quis non confitetur, totum Adamum per illam præuaricationis offensam secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse, Anathema sit.* Porrò peccatum neque tollit, neque minuit naturæ principia, aut naturales eius proprietates. Est contra Lutherum, qui vult, donum originalis iustitiæ fuisse homini naturale. Est contrà Caluinum, qui docet per peccatum, liberum arbitrium fuisse amissum. Probatur assertio, quia homo per peccatum non desinit esse homo; ergo nihil amittit eorum, quæ ad humanæ naturæ pertinent veritatem, quale est in primis liberum arbitrium. Fateor naturam, & liberum arbitrium dici appositè vulneratum, quia amisit quædam superiora bona, quibus etiam in ordine naturæ perficiebatur. Valent. *tom.* 2. *disp.* 6. *q.* 15. *pun.* 1. Tanner. 1. 2. *disp.* 4. *quæst.* 10. *dub.* 1. *num.* 5. Vnde peccatum tollit animę harmoniam, per quam sensualitas rationi, & ratio planè Deo subiiciebatur: Item corporis impatibilitatem, & immortalitatem, quia sustulit supernaturale donum originalis iustitiæ, cuius beneficio hæc harmonia, & immortalitas constabant: vnde mansit homo in sua culpabili nuditate, morti subiectus, reliquisque humanæ vitę miseriis habens intellectum obscuratum, voluntatem pronam ad malum, appetitum concupiscibilem effrenem, & indomitum, irascibilem valdè debilem, quæ sunt quatuor animæ ex crimine vulnera. Tanner. citat. *n.* 12. Porrò peccatum impedit inclinationem ad bonum. Quia in voluntate est propensio quædam ad bonum honestum, cuius vsus & executio difficilis redditur per peccatum, nam & aufert Dei gratiam, & habitum gignit virtuti contrarium, hominemque ad seruandum ordinem rectæ rationis reddit ineptiorem. Attamen huiusmodi inclinationem non tollit. Quia hæc propensio realiter est ipsamet voluntas, quatenus habet essentialem ordinem ad bonum honestũ. Vasq. 1. 2. *to.* 1. *disp.* 137. Bon. *to.* 2. *dis.* 2. *q.* 7. *pun.* 1. Sal 1. 2. *disp.* 13. *s.* 2.

78. *Secundus peccati effectus macula in animo relicta.*

Secundus peccati effectus est macula in anima post peccatum relicta, quæ non nisi gratia abluente, & animæ inhærente tolli potest. Certè quamuis peccata venialia non eandem maculam inferant, quam mortalia, & non denominent hominem simpliciter maculatum, sed ex parte: necessario dicendum est, etiam ex peccato veniali maculam contrahi. Quia à peccatis venialibus verè iustificamur, & emundamur. Hæc tamen macula, quam peccatum veniale infert, est priuatio illius nitoris, qui feruenti charitatis vsu, quem peccata venialia impediunt, continetur. Vnde qui solum peccato veniali inficitur, eo ipso quod in gratia existit, simpliciter dicitur mundus, etsi secundum quid dici possit maculatus. Vasq. 1. 2. *q.* 139. *c.* 5. Bonac. *to.* 2. *q.* 2. *pun.* 2. *n.* 2. Tanner. 1. 2. *disp.* 4. *q.* 10. *dub.* 2. *n.* 33. &c.

79. *Tertius peccati effectus pœna reatus.*

Tertius peccati effectus est pœnæ reatus. Porro hic reatus pœnæ nil aliud est, quam quod homo per peccatum dignus sit pœna, atque adeo ad pœnam luendam diuinitus ordinatur. Quia peccatum ordinem à Deo rerum institutum peruertit; ergo debet aliquid adhiberi quod ordinem illum restituat subdendo peccatorem eius potestati, quem offendit illumque deprimendo, quemadmodum se inordinatè erexit: hoc autem fit per pœnam: nam pœna est incommodum positiuum, aut priuatiuum naturæ, aut voluntati contrarium à superiore inflictũ, aut ordinatũ, ad seruandum iustitiæ æqualitatem. Dico ordinatæ. Propter pœnas voluntarias, quas pœnitentes in suorum peccatorũ vindictã assumunt.

assumunt. Azor. *tom.* 1. *l.* 4. *c.* 24. *quæst.* 3. Tanner. 1. 2. *disp.* 4. *q.* 10. *dub.* 3. *n.* 45. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 7. *punct.* 1. Becan. 2. *p. tract.* 2. *c.* 8. *q.* 1.

80. *Peccatum mortale pœnam Damni ac sensus æternam meretur.*

Profecto peccatum mortale personale pœnam meretur æternam tùm damni, tùm sensus. Est de fide quoad pœnam vtramque.. *Ite in ignem æternum.* Mat. 25. Ratio est, quia duo sunt in omni peccato mortali, auersio à bono incommutabili, & huic pœna damni respondet, hoc est priuatio beatitudinis : nam *tolletur impius, ne videat gloriam Dei.* Isa 26. & conuersio ad bonum commutabile, & huic respondet pœna sensus. Rogas, cur peccatum mortale breuissimo tempore commissum æternùm puniatur ? Respondeo, quia peccator numquam potest Deo satisfacere pro erogata iniuria ; ergò semper potest iustè puniri, nam ante satisfactionem semper manet pœnæ reatus. Addo, peccatorem ita esse dispositum, vt manentibus iisdem circunstantiis, semper vellet peccare : atqui voluntas semper peccandi, iustè semper punitur. Imò vel pœna æterna inflicta peccatum mortale citrà condignum punitur, hoc est, Deus ab æterno decreuit, mitiorem pœnam peccatis infligere, quam ex rigore iustitiæ mererentur. Tanner. 1. 2. *disp.* 4. *q.* 10. *dub.* 3. *n.* 47. Becan. 2. *p. tr.* 2. *c.* 8. *q.* 6.

81. *Peccatum veniale pœnam temporalem tam damni quam sensus meretur.*

Peccatum veniale pœnam temporalem tàm damni, quàm sensus meretur. Pœna damni consistit in dilatione visionis Dei post animæ egressum : pœna sensus consistit in doloribus quos animæ in purgatorio perpetiuntur. Quia in peccato veniali est suo quodam modo auersio illa, & conuersio, ac propterea meretur pœnam vtrique deformitati accommodatam. Et quamuis non sit de fide animas in purgatorio vero, ac corporeo igne torqueri : est tamen adeò certum, vt absque temeritate negari posse non videatur. Valentia *tom.* 4. *disput.* 11. *q.* 1. *punct.* 1. §. 6. Bellarm. *l.* 2. *de Purgat. c.* 11.

SECTIO SECVNDA.

De Peccatis Problemata.

CAPVT VIII.

Varia de Peccatis

PROBL. I.

Habens voluntatem peccata omnia venialia perpetrandi, solaque vitandi mortalia, peccat, & non peccat mortaliter.

82. *Peccat mortaliter.*

PEccat quidem. Quia qui vult se peccati mortalis periculo exponere, peccat mortaliter; sed qui vult committere omnia peccata venialia vult, se proximo peccati mortalis periculo exponere; Ergò peccat mortaliter. Sic Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 5. *n.* 1. Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 5. *c.* 5. Laym. *l.* 1. *tr.* 3. *c.* 5. *n.* 8.

83. *Non peccat mortaliter.*

Non peccat. Quia malitia interni actus voluntatis desumitur ab obiecto, prout proponitur à ratione ; sed obiectum huius internæ voluntatis sunt omnia venialia & nulla maior malitia proponitur à ratione præter malitiam venialem. Ergo interna voluntas perpetrandi omnia venialia non potest esse culpa lethalis. Ita Granad. 1. 2. *controu.* 6. *tr.* 2. *disp.* 2. *sect.* 7. Dian. *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* 24. Macha. *tom.* 1. *l.* 2. *p.* 1. *tract.* 2. *docum.* 5.

84. *Probabiliorem censeo primam sententiam.*

Scio Dianam hanc probabiliorem reputare sententiam, quia licet possibile esset, à te omnia venialia piacula committi, peccati venialis malitiam non excederes. At probabiliorem reputo primam, maximè quando voluntas illa sit in materia periculosa, puta luxuriæ ; manifestum enim esset mortalis libidinis periculum ob naturæ fragilitatem, propositum admittendi confabulationes, aspectus, leues attactus, quoties solum venialia fuerint. Præterea semper probaui mei Sanchez *lib.* 6. *Decal. cap.* 4. *numero* 20. sententiam asserentis in Religioso lethale esse peccatum, decretum nunquam se continendi ab vllo actu, propterea quod prohibeatur in regula, aut à Prælato, nisi sub mortali sit prohibitum.

***

PROBL.

PROBL. II.

Potest, & non potest quis habere vsum rationis sufficientem ad peccandum venialiter, qui tamen non habeat sufficientem ad peccandum mortaliter.

85. *Potest peccare venialiter, & non mortaliter.* POtest planè. Quia vsus rationis successiuè acquiritur; ergo potest quispiam prius habere vsum rationis imperfectum, qualis ad peccatum veniale sufficit; & postea perfectũ, qualis ad peccatum mortale requiritur. Et vix negari potest id ad tempus saltem accidere in semidormientibus, semiebriis, semiamentibus. Ita Valent. *tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 19. *punct.* 2. Salas 1. 2. *disput.* 18. *sect.* 8. *num.* 44. Tanner. 1. 2. *disp.* 4. *q.* 5. *dub.* 4. *n.* 76.

86. *Non potest.* Non potest. Quia materia peccatorum mortalium notior est, quam venialium; notius est enim, quod homicidium, & periurium sint mala, quam mendacium, & verbum otiosum, ergo non potest quis ita esse dispositus, vt possit cognoscere peccata venialia, & nullum mortale. Sic Victor. *rele.* 13. *p.* 2. Caiet. Conrad. Malder. 1. 2. *quæst.* 89. *art.* 6. & ipse D. Thom. *inibi.*

87. *Secundam sententiam amplectior.* Hanc probabiliorem sententiam existimo, ratus eum, qui potest honestum à turpi discernere, consequenter posse mereri, ac demereri: adeóque peccare mortaliter; sed omnis venialiter peccans id potest. Ergo, &c. Non ignoro Tannerum nostrum *vbi supr. num.* 75. asserere, illum, qui diuinitatis inuincibili ignorantia laborat, posse peccare venialiter occidendo, furando; quia contra dictamen rectæ rationis: non tamen mortaliter; quia neque agnoscit amicitiam diuinam, nec supremum illum legislatorem, nec vltimum suum finem. Porrò de huiusce assertionis probabilitate aliquando dubitaui, quia dictamen rectæ rationis obiiciens homicidium, ac furtum vt malum, simul ea vt graue malum obiicit; quid enim naturæ humanæ horribilius quam occisio? Iam non dubito sciens Cardinalem Lugo, & meum doctissimum amicum P. Didacum de la Fuente Hurtado cuius egregia scripta videbunt lucem, id asserere.

***

PROBL. III.

Peccatum veniale potest, & non potest cum solo originali consistere

88. *Non potest consistere.* NOn potest. Quia puer non baptizatus simul ac ad vsum rationis aduenerit, tenetur deliberare de se ipso & conuertere se ad Dominum Deum: quod si fecerit, à peccato originali liberabitur: Deus enim illum iustificabit; si non fecerit peccabit mortaliter: nam lex naturalis in illo instanti ipsi proponitur, & innotescit, ac proindè debet eam acceptare, lex, inquam, de vita in ordine ad vltimum finem instituenda. Sic D. Tho. 1. 2. *q.* 89. *a.* 6. Antonin. *p.* 1. *tr.* 10. *c.* 1. §. 1. Sotus *l.* 2. *q.* 3. *a.* 10. Bannes 2. 2. *q.* 10. *a.* 1.

89. *Potest consistere.* Potest quidem. Quia pueri in primis illis cogitationibus mouentur naturaliter à sensibilibus, & si peccant, id fit communiter leui in materia: v gr. in paruis furtis, in ira, gula, mendaciis. Certè moraliter est impossibilile, hominem præsertim ab infidelibus parentibus natum, qui nihil hactenus de Deo audiuit, aut intellexit, in primo statim instanti vsus rationis Deum agnoscere, ac in eum fide supernaturali credere, sine qua charitatis actus elici nullo modo potest Sic. Suar. *tom.* 4. *disp.* 11. *sect.* 2. Valent. 1. 2. *disp.* 6. *q.* 19. *punct.* 3. Vasq. 1. 2. *disp.* 149. *cap.* 2. Azor. *tom.* 1. *libro* 4. *capite* 10. *quæst.* 2.

90. *Sententiam secundam propono.* Hanc mentem magis probo sciens, nusquam extare præceptum conuertendi se ad Deum in primo vsus rationis instanti, nec in scripturis diuinis, nec in lege naturali: vnde traditio tale præceptum non agnoscit. Quamuis probabile duco cum Tannero 1. 2. *disp.* 4. *q.* 5. *n.* 86. & Salas *c.* 2. *disp.* 18. *sect.* 3. *n.* 10. puerum, postquam incipit Deum clarius agnoscere, & suam dependentiam ab illo tùm in esse gratiæ, tùm in esse naturæ, teneri non diu differre suam in Deum conuersionem per amorem, ac generale bonæ vitæ propositum.

PROBL. IV.

Qui ex consuetudine, & frequenter admodum aliquod peccatum veniale, v. gr. mendacium committit, peccat, & non peccat mortaliter.

91. *Peccat mortaliter.* PEccat mortaliter. Quia cum veniale peccatum ad mortale sit dispositio, qui tam frequẽter veniale id piaculum patrat, videtur

videtur vltro velle ſubire periculum. Sic Angel. *verbo Inobedientia.* 4. Antonin. Panormit. Gabriel, & alij apud Suar. *l.* 3. *de leg. cap.* 28. *n.* 9. Vaſq. 1. 2. *q.* 96. *diſput.* 158. *c.* 6. *n.* 60.

92. *Non peccat mortaliter.* Non peccat mortaliter. Quia vnius peccati venialis multiplicatio eiuſdem haud conſtituit actum alterius ſpeciei, nec intenſiue peccati venialis auget grauitatem, ſed extenſiuè, id eſt conſtituendo multa venialia eiuſdem rationis piacula. Ita Azor. *l.* 4. *cap.* 9. *quæſt.* 11. Suar. citat. Valent. 1. 2. *diſp.* 7. *q.* 3. *punct.* 6. Filliuc. *tr.* 21. *cap.* 6. *q.* 10. *n.* 253.

93. *Hanc ſententiam ſequor.* Porrò hanc ſententiam certam inter Catholicos reputarim cum meo amiciſſimo Caſtro Palao. *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 2. *punct.* 9. §. 4. *n.* 1.

PROBL. V.

In confeſſione exponenda, & non exponenda non ſolum peccata; ſed & cauſa, propter quam fuere commiſſa.

94. *Exponenda cauſa peccati.* SAcrum non audiſti, quia operam dediſti ludo. Debes non ſolum peccatum omiſſionis ſacri exponere confeſſario, ſed & ludum. Quia illud propter quod peccatum omiſſionis patratur, peccatum eſt etiam ſpecie ac numero diſtinctum; ergo particulatim debet exponi. Sic Zumel 1. 2. *q.* 71. *a.* 5. *diſp.* 4. qui citat. Gandauenſ. Gabriel. & Richard.

95. *Non exponenda.* Non debes omiſſionis miſſæ cauſam aperire. Quia id, propter quod peccatum omiſſionis perpetratur, peccatum diſtinctum non eſt. Sic Vaſq. Valent. Medi. Azor, & alij quos refert, & ſequitur Diana *punct.* 1. *tr.* 7. *reſol.* 64.

96. *Subſcribo ſententiæ huic.* Subſcribo, modo cauſa omiſſionis illius aliquam ſpecialem malitiam non inuoluat, tunc enim neceſſario declarandam in confeſſione aſſero cum Suario, Reginal. Valent. quos citat. ac ſequitur Bonacina *diſp.* 4. *q.* 4. *pun.* 4.

PROBL. VI.

Deformitas peccati omiſſionis minuitur, & non minuitur ex cauſæ illius bonitate.

97. *Minuitur.* EX. gr. Sacrum omittis, vt ludo, des operam, vel vt ſtudio literarum vacare poſſis: An minuatur omiſſionis ſacri delictum, quia non ludo, ſed ſtudio indulſiſti? Minuitur quidem. Quia ad rem honeſtam affectus ille aliqualem in voluntate ingenuitatem annotat, quæ delicti malitiam minuere videtur. Sic nonnulli, quos tacito nomine refert Azorius *tom.* 1. *l.* 4. *c.* 3. *q.* 8.

98. *Non minuitur.* Non minuitur. Quia ſi id admitteretur, ſequeretur plane, tantam poſſe exiſtere actus illius, ob quem fit omiſſionis piaculum, bonitatem, vt omnino peccati omiſſionis deformitatem tolleret. Ita Azor citatus, Vaſq. 1. 2. *diſp.* 93. *c.* 3. Filliuc. & alij quos adfert, & ſequitur Baſſæus *Peccatum* 11. *n.* 5.

99. *Hanc ſequor mentem.* Hanc mentem probabiliorem reputo ratus, actiones, quæ cauſa ſunt opus debitum omittendi malas eſſe, etiamſi aliàs bonæ deberent reputari. Quia illa actio eſt mala, quæ eſt cauſa peccati. de quo *ſect.* 1.

PROBL. VII.

Peccatum omiſſionis abſolutè poteſt, & non poteſt eſſe ſine omni actu, qui ſit cauſa, vel occaſio illius.

100. *Non poteſt eſſe ſine omni actu.* NEceſſariò in peccato omiſſionis aliquis interuenit actus, qui ſit cauſa, vel occaſio illius ſeu coniuncta omiſſioni, ſeu ipſam præcedens. Ratio petitur præcipue ab experientia, & conditione animi noſtri, qui numquam planè ſolet eſſe otioſus. Sic Caietanus, Conradus, Magiſt. Bonau. quos ſequitur Vaſq. 1. 2. *diſp.* 93. *c.* 2. Gabr. *in* 2. *diſt.* 41. *q.* 1. *art.* 3. Porrò Vaſquez nomine actus hic intelligi aſſerit non tantum operationem alicuius facultatis, v. gr. ambulare, audire, videre: ſed etiam id, quod ſe habet per modum actus: qui præcepto aliquo poteſt prohiberi, aut imperari, v. gr. armatum eſſe, quieſcere, ſtare, iacere: Hæc enim & ſimilia, ſi fiant libere poſſunt eſſe capacia virtutis, ac vitij.

101. *Poteſt eſſe ſine omni actu.* Profecto peccatum omiſſionis poteſt eſſe ſine omni actu, qui ſit cauſa, ſeu occaſio illius. Quia (v. gr.) ſiquis tempore, quo præceptum contritionis obligat, ſuſpendat actum contritionis, nullum actum exercet incompoſſibilem cum contritionis actu, cum negatiuè ſe habeat. Sic Valent. 1. 2. *diſputatio.* 6. *quæſtione* 1. *punct.* 4. Tanner. 1. 2. *diſputatione* 4. *quæſtio.* 4. *dubio* 1. *num.* 9. Azor. *tom.* 1. *l.* 4. *c.* 3. *q.* 3.

102. *Veriorem puto hanc ſententiam.* Horum ſententiam puto veriorem maxime in omiſſione culpabili, & moraliter loquendo; quia inculpabilis omiſſio eſſe poteſt per ſolam negationem actus: v. gr. omiſſio ſacri in die feriato, vel die feſto

si quis naturaliter obliuiscatur diei festi, hæ enim omissiones inculpabiles essent. Porrò physicè & absolutè loquendo posse omissionem sinè vllo actu reperiri, qui propriè sit actus, probo. Si quis tempore quo præceptum contritionis obligat, suspendat actum contritionis, absque libertate contrarietatis nullum actum exercet cum actu contritionis incompossibilem, cum negatiuè se habeat, vt supponitur.

PROBL. VIII.

Tota malitia peccati omissionis tunc solum contrahitur, & tunc solum non contrahitur, cum causa culpabilis omissioni exhibetur.

103. *Tunc solum contrahitur. cum causa culpabilis omissioni exhibetur.*

NVm pecccatum omissionis tunc solum accidat, cum causa culpabilis omissioni datur; an verò eo tempore, quo actus præceptus executioni esset mandandus: præcipuè cum ipsa omissio tempore præcepti non esset amplius in libera omittentis potestate: puta si tunc dormiat, vel sit ebrius, aut per aliquem alium actum se culpabiliter fecit impotentem? Igitur tunc solum quis delinquit, quando causam culpabilem dat omissioni: ipsa vero actualis omissio propriè non est peccatum Quia pro tempore, quo præceptum obligabat, sub libera potestate omittentis non est. Ita Vasq. 1.2. *disp.* 94. *c.* 2. Azor. *to.* 1. *l.* 4. *c.* 3. *p.* 4. Richar. *in* 4. *dist.* 9. *a.* 2. *q.* 3.

104. *Solum delinquitur, cum præceptum est exequendum.*

Eo solùm tempore peccat quis, quo præceptum est exequendum, etiam si tunc nullus sit vsus rationis. Quia tunc præceptum pro illo dumtaxat tempore obligat Sic D. Thom. 2.2. *q.* 79. *a.* 3. *ad* 3. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 17. *n.* 9. Filliuc. *tr.* 21. *num.* 7.

105. *Vtroque tempore delinquitur.*

Existimo tamen vtroque tempore peccato omissionis quem infici, quando causa omissionis potuit, ac debuit vitari, & cum causa voluntaria omissioni datur, & cum accidit ipsa omissio, modò hæc in sua causa maneat voluntaria. Prima pars est certa, quia tunc aliquis peccat, quando est causa peccati voluntaria. Secundam partem probo: quia tunc temporis licet omissio actualis non sit amplius voluntaria nec in se, nec in sua causa: est tamen voluntaria in sua causa virtualiter, quatenus ex vi præcedentis voluntatis, quis voluit causam nondum per contrariam volitionem retractatam. Porro ipsa omissio peccatum non est, si pro tempore, quo accidit, non sit in potestate omittentis, nec etiam in se vel in sua causa sit voluntaria; quia antè tempus executionis præcepti, hominem de causa data pœnituit, aut quia homo vel non potuit, vel non debuit secuturam cauere omissionem.

PROBL. IX.

Peccata specie distinguntur, & non distinguntur, secundum obiecta.

106. *Distinguntur secundum obiecta.*

DIstinguntur secundum obiecta, & non per ordinem ad virtutes, quibus opponuntur diuersas specie. Quia peccatum est actus humanus: actus autem humani distinguntur specie secundum obiecta: ergo peccata specie secundùm obiecta distinguntur. Ita D. Th. 1.2. *q.* 72. *a.* 1. Sylui. *ibi* Vasq. 1. 2. *q.* 72. *in comment. a.* 1.

107. *Non distinguntur secundum obiecta.*

Peccata distinguntur specie per ordinem ad virtutes quibus opponuntur specie diuersas, & non secundum obiecta. Quia peccatum natura sua in recti priuatione consistit; ergò peccata specie ab seinuicem distant, cum sint priuationes boni & recti specie diuersi, nimirum, quia carent diuersis circunstantiis rectæ rationi debitis. Ex. gr. furtum idcircò specie distinguitur à blasphemia, quia illud est oppositum iustitiæ, hęc religioni, quæ specie differunt. Ita Scotus *in* 2. *dist.* 35. *quæst* 1. Gabriel. *dist.* 37. *q.* 1. *a.* 3. Tanner. 1.2. *disput.* 4. *q.* 2. *dub.* 1.

108. *Auctoris sententia.*

Horum sententiam approbo quatenus concedit, peccata diuersis virtutibus opposita esse specie diuersa: tamen non admitto ex quo capite sustinet ex oppositione solum ad virtutes specie diuersas colligi distinctionem specificam peccatorum. Quia eidem virtuti opponi possunt peccata specie diuersa, v. gr. rapinæ, furti, adulterij, quæ virtuti iustitiæ opponuntur, & sunt peccata specie distincta. Didici ex Azorio *tom.* 1. *l.* 4. *c.* 2. *q.* 3. & Laym. *l.* 1. *tr.* 3. *c.* 2. *num.* 2.

PROBL. X.

In eodem actu possunt, & non possunt dari plures malitiæ solo numero distinctæ, in confessione aperiendæ.

109. *Possunt dari plures malitiæ.*

POssunt dari. Quia malitia peccati consistit in respectu contrarietatis ad rectam rationem: cum autem actus dicat ordinem ad plura obiecta, ex quorum vnoquoque per se prouenit contrarietas ad rationem, sequitur esse plures malitias numero distinctas, & ideo plura

plura numero peccata in confessione explicanda. Sic Vasq. 3.*p.to.*4.*q.*91.*art.*1. *dub.* 4. Azor.*to.*1.*l.*4.*c.*4.*q.*3. Dian. *p.*1. *tr.*7.*resol.* 29. & *p.*3.*tr.*4.*resol.*164. Henr.*l.*5.*c.*5.*n.*4.

110. *Non possunt dari.*

Non possunt dari. Quia licet actus tendat in plura obiecta materialiter distincta non tamen tendit in illa per modum plurium, sed per modum vnius: vnde eiusmodi obiecta diuersa numero materialiter, & physicè, faciunt solummodo actum peccati grauiorem, & sunt vnum obiectum formaliter. Sic Suar. 3.*p.to.*4.*disp.*22. *sect.*5.*n.*33. Filliuc.*tr.*21.*c.*8.*num.*320. 321. Laym.*l.*1.*tr.*3.*c.*3.*n.*1.

111. *Iudicium Auctoris circa vtramque sententiam.*

Verùm primam sententiam probabiliorem reputo, quando vnus actus simul versatur circà plura obiecta, eiusdem quidem rationis, sed quæ non habent se per modum vnius; is enim est virtute multiplex in genere moris, continetque tot malitias numero distinctas, quot sunt eiusmodi obiecta numero totalia, ac integra. v. gr. qui vno ictu occidit decem homines, facit vnum peccatum physice ratione vnius actionis, in quo sunt decem malitiæ morales numero distinctæ. Si autem vnus actus versetur circà plura obiecta per modum vnius, ita scilicet vt vel vnum sit pars alterius, vel omnia tanquam plures partes constituant vnum totum, est tantum vnus, vnumque peccatum. v. gr. furtum bibliothecæ, in qua sunt multi libri, quorum singuli fortè possunt materiam grauem furti efficere, & tamen vnum tantum peccatum est illius furtum; quia libri illi sunt obiecta partialia, & constituunt integram bibliothecam. Porro quia secunda opinio docet omninò declarandum esse in confessione, quot homines quispiam odio habuerit vno actu, vel percusserit, vel occidere voluerit: parùm differt à sententia prima; siue enim sint decem peccata, odisse decem homines, siuè vnum habens malitiam decem peccatorum, perinde est: hoc enim vnum illis decem æquiualet.

PROBL. XI.

Actus subsequentes peccatum sunt, & non sunt distincta numero peccata: & in confessione sunt, & non sunt aperienda.

112. *Sunt distincta numero peccata.*

TEnetur ne qui fornicationem perpetrauit, oscula, tactus, amplexus, qui copulam subsequuntur veluti peccata distincta confiteri? Tenetur. Quia cum illa non ordinentur ad præcedentem copulam, sed ad sequentem, haud possunt cum illa actum eundem moralem constituere. Sic Vasq. 3.*p.to.*4.*q.*91. *a.*1. *dub.* 5. *n.*35. Suar. 3.*p. to.* 4 *disp.*22. *sect.*5.*n.*26. Coninch *de pæn. disp* 7. *dub.*7.*n.*59.

113. *Non sunt distincta numero peccata.*

Non tenetur. Quia talia oscula, & tactus cum actu, & affectu principali coniunguntur, & cum eo constituunt vnum numero peccatum: vndè explicato actu principali, etiam huiusmodi actiones explicatæ censentur. Ita Henriq. *l.* 5. *c.*5.*n.*5. & *c.*8.*n.*3. Azor.*to.*1.*l.*4.*c.*4. Filliuc. *tract.*21 *cap.*9.*n.*335. Caram. *in Reg. S.Bened. num.* 1200.

114. *Primam sententiam eligo.*

Hæc sententia communiter in praxi obseruatur, sed prima mihi magis arridet. Quia subsequentes actus neque sunt partes copulæ, quæ iam præcessit, & consummata est: neque ex natura rei eam sequuntur, sed ex malitia tantum operantis: & ideò pertinent tanquam dispositiones ad nouam fornicationem; ergò in confessione explicandi tanquam nouum peccatum.

PROBL. XII.

Macula in anima post peccatum relicta (quæ est peccati effectus) est, & non est relatio rationis, seu obligatio, reatusve ad pœnam.

115. *Est relatio rationis.*

PEccati macula, ex qua peccator quis dicitur post commissum peccatum, non est aliud quam relatio rationis, hoc est, obligatio, & reatus ad pœnam, quatenus anima post reatum peccati est obiectum iræ diuinæ, & intellectus, & voluntatis Dei hominem ad debitam pœnam destinantis, Ita Scotus *in* 4. *dist.*14. *q.*1. §. *Dico ergo.*

116. *Non est relatio rationis.*

Macula peccati non est reatus, seu obligatio ad pœnam. Quia obligatio ad pœnam est posterior, quam macula; ergo non potest esse idem cum ea: sed defectus seu priuatio nitoris animæ. Sic Valent.*to.*2.*disp.*6. *q.*16. *pun.*1. Azor. 1.*p.l.* 4. *c.*24.*q.*1. & 3. Tanner. 1.2.*disp.*4.*q.*10.*dub.* 2. *num.*31. & 38.

117. *Hanc sequor, & expono.*

Hanc sequor sententiam, in cuius expositionem addiderim, duplicem esse animæ nitorem, aut pulchritudinem, vnum ex refulgentia luminis rationis naturalis, per quam in suis actibus dirigitur ad Deum, vt Authorem naturæ: Alium ex refulgentia luminis supernaturalis, scilicet sapientiæ & gratiæ, per quam perficitur in ordine ad Deum tanquam

finem ſupernaturalem. Peccati macula priuationem dicit huiuſce vtriuſque nitoris, eo quod peccatum ſit deſtructiuum ordinis non ſolum naturalis, ſed etiam ſupernaturalis. Hinc licet priuatio nitoris gratiæ, quæ ob diuerſa peccata ſequitur, eadem ſit, cauſæ tamen huius priuationis cum ſint diuerſæ,& inæquales,conſequenter ex parte cauſæ diuerſæ & inæquales maculæ erunt:ſicut etiam diuerſæ dicuntur vmbræ ob diuerſitatem corporum, quæ inter lumen Solis & terram interponuntur, tametſi omnes vmbræ eiuſdem luminis ſint priuationes.

PROBL. XIII.

Peccatum veniale per accidens punitur aliquando, & non punitur pœna æterna.

118. *Non punitur pœna æterna.* DEcedit quis ex hac vita habens peccatum veniale cum peccato mortali coniunctum:vel vna cum peccato mortali ex hac vita fert ſecum alicuius pœnæ temporalis reatum poſt remiſſum peccatum ſeu mortale, ſeu veniale remanentem.Puniturne ſaltem per accidens à Deo illa venialis culpa pœna æterna, aut reatus ille æternùm perſiſtit? Apud inferos & veniale peccatum dimittitur, & reatus abſoluitur. Quia veniali peccato per ſe pœna ſolum temporaria debetur, qua perſoluta tollitur culpa:id quod de reatu illo aſſerendum. Sic Scotus, Gabriel, Nauarrus, Medina apud Azor.*to.*1.*l.*4.*c.*10.*q.*5.

119. *Pœna æterna punitur.* Peccatum veniale coniunctum mortali perſonali & reatus ille præfatus pœna æterna punitur in tartaro. Quia omnis remiſſio tam culpæ quam pœnæ meritis Chriſti nititur; quorum fructus damnatis non poteſt applicari. Sic Valent. *to.* 2. *diſp.*6.*q.*17.*punct.*4. Suar.3.*p.tom.*4.*diſp.*11. *ſect.*2 *n.*11. Azor.citatus,Tanner.1.2.*diſp.* 4.*q.*10.*dub.*4.*n.*75.*&* 80.

120. *Hanc ſequor mentem.* Sequor hanc mentem communiorem vtique, ac probabiliorem. Moneo veteres ſcholaſticos Alenſem, Albertum, Durandum pœnam temporalem poſt peccatum ſeu veniale ſeu mortale remiſſum remanentem apud tartarum terminari, peccatum verò veniale minime repurgari, aſſeruiſſe.

CAPVT IX.

Circa Paruitatem materiæ.

PROBL. XIV.

In rebus venereis datur, & non datur, materiæ paruitas.

121. *Datur paruitas materiæ.* DAtur quidem. Quia ſi in cæteris præceptis datur materiæ paruitas, cur non in hoc? Ita Nauar. *præl.*9. *n.*12. Clauis Reg. *l.*8.*c.* 6. Zanard. *in direct. conc.p.*1.*de Matr.ſect.* 21. *n.*149. Villal. *tr.*40. *dub.*9. Soto *de doctr. fol.*26. Probabilem ſpeculatiuè docet hanc ſententiam Malder.1.2.*q.*74.*art.*10.

122. *Non datur.* Non datur in rebus venereis materiæ paruitas. Quia cum nulla ſit tam exigua Fornicatio quin ſit peccatum mortale, & delectatio ſequatur morem actus, videtur omnis delectatio moroſa hac in materia eſſe mortalis. Omnis quidem delectatio venerea, & carnis commotio eſt ſuapte natura ordinatum medium ad externam pollutionem, imo quædam pollutionis inchoatio; at ſicut inchoatus pollutionis actus eſt mortalis, ita etiam quæcumque huiuſmodi delectatio. Ita Rebel.*p.*2.*l.*3.*q.*19.*ſect.*3.Tanner.1.2.*diſp.* 4.*q.*8.*dub.*6.*n.*109. Leſſi. *l.*4. *c.*3.*num.*109. Ponti.*de Matr.l.*10.*c.*16.§.2.*n.*8.Filliuc. *tr.* 30.*n.*166. Laym. *l.*4.*tr.*4. *c.*8. Dian.*p.*3. *tr.* 5.*reſol.* 1. Thomas Sanchez *l.*5. *decal.c.*6. *num.*12.

123. *Improbabilem practicè reputo primâ ſententiam, omnino reiicendam.* Quia in quauis venerea delectatione deliberatè admiſſa apertum eſt periculum incidendi in maiorem aliam delectationem manifeſtè mortalem; nec audeo, nec vnquam auſus ſum excuſare à confeſſionibus huiuſmodi delectationum quantumuis modicarum declarationem. Baldellus *to.*1.*l.*3. *diſp.*14.*num.*4. & Lopez de Texeda *t.*1.*l.*2.*tr.*3.*contr.*13.*n.*73.teſtantur Clementem VIII. definiiſſe in officio ſanctæ Inquiſitionis non dari in rebus venereis materiæ paruitatem. Vt autem exponam debere Ieſuitas huic veriſſimæ ſententiæ ſubſcribere,& primam improbare, haud graueris reuerendi admodum Patris Claudij Aquauiua Societatis noſtræ Generalis Præpoſiti decretum indictum Societati Romæ 24. Aprilis anno 1612. perlegere. Quia nonnullorum opinio, qui docent etiam in re venerea exiguam aliquam delectationem deliberatè quæſitam, propter leuitatem materiæ

materiæ excusare à peccato mortali, plurimum obesse posset non solum bonæ Societatis existimationi, sed etiam puritati morum, quam tum in nostris, tum in externis tanti semper facit Societas: & quia propter periculũ in quod inducit, ac moralem impossibilitatẽ distinguendi practicè in re tam lubrica materiam leuem à graui, à doctis admodum grauibusque Societatis patribus, cum quibus negotium hoc communicauimus, in praxi omnino falsa, maxime periculosa, ac puritati valde contraria iudicatur: re maturè considerata, statuendum in Domino duximus, nè quis in Societate in posterum vel publice vel priuatim, non modo vt veram, vel probabilem, sed ne vt tolerabilem quidem vlla ratione eam doceat, aut placere sibi significet, aut secundum illam consilium cuiquam det: quod omnibus in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & sub pœna excommunicationis, ac priuationis lecturæ, vocis actiuæ & passiuæ, nec non etiam inhabilitatis ad quælibet officia ac aliis pœnis arbitrio nostro infligendis: & ad professionem tales intelligant minimè esse admittendos, & vbi de re satis constiterit, Prouinciales statim exequi debebunt, nosque primo tempore monere, vt re examinata, statuere possimus, an qui rem tanti momenti, atque à nobis tam serio commendatam neglexerit, retinere in Societate expediat; Atque hæc interim dum, quod futurum speramus, grauius aliquid in hanc doctrinam à suprema Romana sede statuatur. Volumus etiam vt post manifestationem huius decreti, si quis in posterum aliquem ex nostris contra supra dicta deliquisse nouerit, teneatur in virtute sanctæ obedientiæ superiori aperire. Sic Claudius.

PROBL. XV.

In simonia datur, & non datur materiæ paruitas: vnde id peccatum potest & non potest esse vnquam veniale.

125. *Non datur materiæ paruitas.* NOn datur materiæ paruitas, nec peccatum simoniæ vnquam potest esse veniale vel ex parte rei spiritualis vel ex parte pretij. Non potest esse venialis ex parte rei spiritualis, quia nullum donum gratiæ, quamtumuis paruum videatur, esse potest vendibile sine graui Dei irreuerentia: nã per id grauissimè res sacra cõtemnitur, & tãquã quid vile tractatur. Vnde peccatum mortale est, pretio tradere vel minimum cereum agnum benedictum, vel vnam Angelicam salutationem, vel primam tonsuram. Non potest esse veniale ex parte pretij; quia quod pretio potest æstimari, tanquam pendens ex gratuita Dei donatione non reputatur. Sic Suarez *de Relig. tom.* 1. *l.* 4. *c.* 3. *num.* 5. *&c.* Sanch. *decal. tom.* 1. *l.* 1. *cap.* 4. *n.* 1. Castro Palao, *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 7. *n.* 4. Laym. *l.* 4 *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 4.

126. *Datur materiæ paruitas.* In peccato simoniæ potest dari materiæ paruitas. Quia extra gratiam & sacramẽta in materia Religionis durum videtur, minimam sacram materiam trahere secum grauissimam Dei offensionem: cum etiam intra Religionis latitudinem sint multa alia peccata, quæ fiunt venialia ex materiæ leuitate. Sic Gordon. *in sum. to.* 2. *l.* 8. *q.* 7. *cap.* 3. *num.* 7. Reginal. *to.* 2. *l.* 23. *c.* 15. *num.* 219. Molin. *to.* 1. *tr.* 2. *disp.* 92. *num.* 5. Bonac. *de legib. disput.* 10. *quæst.* 2. *punct.* 8. *num.* 13.

127. *Hanc sequor, & expendo.* Hanc sequor, & adiicio, in simonia materiam paruam à mortali excusantem illam esse, quæ excusaret in furto. Sic Bonac. citatus. scio tamen ex Merolla *to.* 1. *disp.* 2. *c.* 4. *dub.* 7. *n.* 116. id arbitrio prudentis esse remittendum. Quæris, num excommunicatio Extrau. 2. de simonia, & const. Pij V. per simoniam, quæ ex parte pretij videtur parua esse, incurratur? Stando in prima sententia incurritur; quia illa est simpliciter peccatum mortale, & ideo est causa censuræ sufficiens. At stando in secunda, non incurritur, quia haud sufficiens causa excommunicationis.

PROBL. XVI.

Paruitas materiæ datur, & non datur in blasphemia contra Deum, ac Diuos peccato.

128. *Non datur paruitas.* NOn datur. Quia omnis blasphemia virtuti Religionis & charitatis erga Deum aduersatur. Ergo omnis blasphemia erit peccatum mortale. Certè blasphemia peccatum ideo est, quia in Deum verbum contumelioſum profertur cum animo dehonorandi Deum vel directè vel indirectè; at Deus dehonoratur non solum cum blasphemus Deo falsò tribuit res magnas, sed etiam cum minimas; ergò blasphemia non poterit ratione materiæ vnquam esse venialis. Ita magister meus Petrus Hurtado de Mendoza 2. 2. *vol.* 1. *disp.* 91. *sect.* 11. §. 48. Valent. *to.* 3. *disput.* 1. *q.* 13. *punct.* 11. Suar. *de Relig. to.* 1.

tract. 3. l. 1. c. 6. num. 2. Cordon. *in sum. tom. 2. l. 6. q. 8. c. 2. n. 4.*

128. *Datur paruitas.* Datur planè. Quia quemadmodum omnia peccata sunt in Deum offensa, & nihilominus sunt venialia piacula, quia leues offensæ: ita à lethali crimine excusatur scripturæ verba per iocum minus reuerenter vsurpans, aut in Diuos conuitiuncula iocosè iactitans, v. gr. Crispinum ac Crispinianum fuisse Sutores. Sic Villalob. *in sum. to. 2. tr. 1. diffic. 15. num. 5.* Sayr. *in Claui. l. 6. c. 13. n. 5.* Sylui. 2. 2. *q. 13. a. 2.* Sanch. *to. 1. Decal. l. 2. c. 32.*

129. *Sequor primam sententiam.* Profectò primæ sententiæ hæresens tam graue piaculum puto blasphemiam, vt non possit fieri veniale nisi ex deliberationis defectu; illicitum enim quis dubitet esse iocum, in quo Deo irrogatur iniuria: propter iocum enim haud deficit ratio iniuriæ, imo rebus tanti momenti iocari specialis blasphemia erit. Nisi iocum quis vocitet, quod non ex animo significandi quod verba sonant, profertur: v. gr. si per hyperbolem fœminam Deam appellares; id quidem reor venialem malitiam non excedere. Didici ex Lorca 2. 2. *q. 13. a. 1. n. 9.*

PROBL. XVII.

In anticipatione comestionis ieiunij die datur, & non datur materiæ paruitas.

130. *Non datur paruitas* NOn datur. Quia indulgendo ieiunantibus, quod hora vndecima queant se reficere, latus terminus assignatur, infra quem nullus dabilis extat; aliàs si alter posset assignari infrà illum, etiam aliud paruum spatium liceret anteponere & sic in infinitum. Deueniẽdum igitur est ad terminum infra quem alius non designetur, sicut in sponsalibus septennium completum mathematicè requiritur. Ita Sancti. *in select. disp. 53. n. 2.* Nauar. *c. 21. num. 27.* Ludou. San Iuan *in sum. q. del ayuno. a. 13. dub. 1. diffic. 1. c. 2.*

131. *Datur paruitas.* Datur quidem. Quia semihora, aut hora non nimis videtur statutum comestioni, ieiunij die, tempus inuertere. Sic Filliuc. & Molphesi. apud Dianam *p. 1. tr. 9. resol. 27.* Ioan Henriq. *in comp. c. 18. n. 5.* quem Diana sequitur.

132. *Nullam anticipationem puto lethalem.* Ego verò nimis scrupulosam Sanctij sententiam ratus, approbo secundam. Asseroque, quamlibet anticipationem comestionis non esse peccatum mortale dummodo in ieiunij contemptum non fiat. Sic Tolet. *lib. 6. cap. 2.*

PROBL. XVIII.

In naturali ieiunio ad Communionem necessario, datur, & non datur materiæ paruitas.

133. *Datur materia paruitas in naturali ieiunio.* TAntum est veniale peccatum, post cibi, seu potus in parua quantitate sumptionem suscipere Eucharistiam, ob materiæ leuitatem. Quia ieiunium ad cõmunionem prærequisitum præcipitur ab Ecclesia; ergò eodem modo intelligendum est, quo Ecclesia intelligit ieiunium, quod pro diebus ieiunij præcipit. Sic aliqui apud Gasp. Hurta. *de Sacra. Euch. disp. 9. diffic. 15.* & Præpos. ac Gotfred. apud Dian. *p. 5. tr. 5. resol. 12.*

134. *Non datur.* Lethale crimen est, ieiunium naturale frangere ante communionem sumpta quantumlibet minima parte cibi, nisi per modum saliuæ, aut respirationis attrahatur. Quia ab Ecclesia prohibitum non est, quod quis non sumat cibum, vel potum absolutè, sed quod non suscipiat Eucharistiam post cibum, ac potum; huiusmodi autem præceptum simpliciter in suo actu principali violatur, etiamsi ieiunium in parua materia solutum sit. Sic Cardin. Lugo *de Sacr. Euch. disp. 15. sect. 2. numer. 22.* Vasq. *disp. 211. c. 3.* Turrian. *de inst. tom. 1. disp. 22. dub. 1. n. 6.* Hurtadus. citatus.

135. *Improbabilem puto primam sententiam.* Primam sententiam improbabilem puto, omninoque expungendam, illud Concilij Tolet. VII. *can. 2. apud cap. Nihil. q. 1.* legens: Nullus post cibum potumque quemlibet minimum sumptum Missas facere præsumat. Adiiciam autem quantum cibi, ac potus per modum saliuæ, aut respirationis attractum, Communionem non impediat. Certè si minimum aliquid inaduertẽter traiiciatur, per modũ saliuæ traiici censendum. Sanch. ait, non obstare communioni culicem inaduertenter deglutire. Ildefonsus Rodriquez noster asserit, aquam quam auellanæ putamen capit, esse minimam. De culice non dubito, imo nec de musca; quia, vt asserunt Tabiena, & Henriq. id non est manducare; aquam vero tanta in quantitate non admitto; quia res hæc restringenda potius, quam extendenda. Legendus Granad. *in 3. p. de sacram. contr. 6. tr. 10. disp. 8. n. 8.* Sanctij, Roderici, Tabienæ, ac Henriquez afferens opiniones.

PROBL.

PROBL. XIX.

In acceptione perſonarum quoad beneficia conferenda, datur, & non datur materiæ paruitas.

136. *Datur leuis materia.* NOn eſt peccatum mortale eligere amicum, ſeu propinquum minus dignum relicto digniori, quando licet materia, aut munus magni momenti ſit, exceſſus tamen dignitatis paruus, ſeu modicus eſt. Quia tunc iuſtitiæ diſtributiuæ grauis non datur violatio. Sic Rodrig. *in ſum.tom.*1.*c.*16. *ante n.*1. Soto *de iuſt. l.*3. *q.vlt.a.*2. Banes, Salon.Valent. apud Turrian.2.2.*diſp.*22.*dub.* 1.*n.*6.

137. *Non datur.* Mortiferum planè peccatum eſt. Quia materia præcepti non eſt exceſſus dignitatis,ſed electio dignioris,cui conferendum eſt beneficium,aut præbenda: talis autem actus grauis materia eſt.Sic Turrian.citat. Dian.*p.*5.*tr.*5.*reſol.*13.

138. *Hanc teneo.* His ſubſcribo,concedotamen à peccatolethali liberari electorem,quando munus, ad quod quis eligendus eſt, non eſt magni momenti, & prætermiſſo digniori, eligitur dignus: quod quidem non facilè in electione beneficij, aut cathedræ cueniet.

PROBL. XX.

In adimpletione pœnitentiæ iniunctæ datur, & non datur materiæ paruitas circa Roſarium.

139. *Datur leuis materia.* COnfeſſarius imponit pœnitentiam tertiam partem Roſarij B. Virginis recitandi, omittuntur quatuor, quinquevè preculæ: excuſatur à mortali pœnitens ſaltem ex præſumpta confeſſarij voluntate. Quia rationabiliter credendum eſt Confeſſarium præfatam pœnitentiam cum tanto onere non impoſuiſſe. Ita Dian.*p.*5.*tr.*5.*reſol.*15.

140. *Non datur.* A mortali non excuſatur. Quia tertia pars Roſarij Virginei pars indiuidua reputatur,& ideo deficientibus aliquibus preculis, Roſarium non dicitur. Sic Sanch. *in Decal.tom.*1.*l.*1. *cap.*19. Sancti.*in ſelect. diſp.*15.*n.*7.

141. *Prima hæreſeo menti.* Primam ſequor ſententiã circa Roſariũ ex confeſſarij præſumpta voluntate, admittens indiuiduam eſſe materiam. At in ſacro, in officio diuino, in officio Deiparæ,vel Defunctorum, vel ſeptem Pſalmis, reliquiſque materiis non indiuiduis certum eſt paruitatem admittendam. Quia illa materiæ paruitas, quæ fractionem præcepti recitandi horas canonicas non inducit, in adimplenda pœnitentia à confeſſario iniuncta admittenda eſt.

PROBL. XXI.

In ætate requiſita ad Matrimonij valorem datur, & non datur paruitas materiæ.

142. *Datur materia leuis.* DAtur quidem, licet tres dies ex ætate deficiant, licet decem dies deſint, imò licet contrahentes à præſcripta ætate diſtarent per vnum aut alterum menſem, qui vulgariter finis anni dicitur. Quia parum pro nihilo reputatur. Ita Hoſtienſ. *in cap. Puberes, numer.* 5. *de deſponſ. impub.* tres dies admittens. Ledeſma *in* 2.*p.* 4. *q.* 60 *a.* 1. decem adſtruens.Rebel.*l.*3.*q.* 16.*ſect.*2.*n.*16. vnum aut alterum menſem concedens.

143. *Non datur.* Requiritur ætatem eſſe mathematicè completam. Quia iure præſcribitur, ſeu taxatur, ac proindè debet in indiuiſibili conſiſtere, quemadmodum pretium iure præſcriptum in indiuiſibili conſiſtit. Vnde regula illa:quod parum diſtat,&c. non habet locum in taxatis à iure. Sic Gaſpar Hurta. *de Matr. diſp.* 22. *diffic.* 12. *n.*45. Baſil. citatus ab ipſo, & alij quos refert. Diana 3.*p.tr.*4.*reſol.*277.

144. *Primam ſequor opinionem.* Exiſtimo dari materiæ paruitatem circa ætatem requiſitam ad Matrimonii valorem,non tamen adeo laxam, vt aſſignat Rebellius, nec trium, aut decem dierum, vt Hoſtienſis, & Ledeſma: ſed quam Sanch.*de Matr.tom.*2.*l.*7. *diſp.* 104. *n.*2. *&* 3. concedit. aſſerens ſufficere tali in caſu vltimam diem anni duodecimi in fœmina, & decimi quarti in viro inceptam eſſe.

PROBL. XXII.

In ætate requiſita ad Ordines ſuſcipiendos datur, & non datur materiæ paruitas.

145. *Datur materia leuis.* DAtur quidem. v. gr. hodie ætas viginti quatuor annorum impletur, & die craſtina annus vigeſimus quintus inchoatur: cum die prima vigeſimi quinti anni incepta, poteſt quis ordinari ſacerdos.Quia in fauorabilibus dies cœptus habetur pro completo. *l. qua ætate ff. de teſtam.* Sic Nauar. *conſ.*6. Mandoſi.*de ætate minori c.*14.*n.*11.Sanch.*in opuſc.to.*2.*l.*7.*c.*1. *dub.*33.*n.*6.*&* 7.Nald.*in ſum.ver.Ætas n.*3.

146. *Non datur.* Non datur. Quia hic locum non habet illa regula: Quod parum distat, nil distare videtur: si enim vel vna hora desideretur in iis in quibus ius tempus præfinitum exigit, vitiat factum; parum enim reputandum, pro nihilo, quando non inde tota pendet impletio præcepti. v. gr. breuissimum spatium est illud, quo versus *Gloria Patri* possit recitari, & tamen si nocte Iouis postquam sonuit vnici horologij duodecima noctis hora vescaris carnibus, mortaliter delinques: secus si antè illud breuissimum spatium comederes. Ita Pontius *de matr. l. 7. c. 65. n. 1.* Henriq. *l. 7. cap. 20. num. 2. in glo. lit. O.*

147. *Prima hæresco.* Approbo magis sententiam primam, quam ex ætatis requisitæ ad validitatem sponsalium roboro paritate. Licet enim requiratur septennium completum ad sponsalia, si tamen adest vltima dies septennij, sat est si sit incœpta. Certè qui perfectos viginti quatuor annos obtinet hora noctis duodecim, aqua primus vigesimi quinti anni dies incipit, reuera iàm vigesimum quintum annum dicitur attigisse.

PROBL. XXIII.

In continuatione anni Nouitiatus datur, & non datur materiæ paruitas.

148. *Non datur leuitas materiæ.* NOn datur. Quia quando ius certum tempus, vt annum, vel mensem requirit, intelligendum est de tempore continuo. Adde, quia annus assignatur, vt experiatur nouitius Religionis austeritatem, quam aptius continuando experietur. Ita Lessi. *l. 2. c. 41. dub. 7. num. 59.* Ioan. Andre. *in Cap. 1. de elect. in 6.* Panorm. *in Cap. ad Apostolic. 16. de regular. n. 9.*

149. *Datur quidem.* Annus interpolatus sufficit. Quia si tota ratio, cur annus debeat esse continuus, est, vt Religionis experiare austeritates, non minus experieris, si postea totidem dies, quot intermisisti, suppleas. Accedit, paucorum dierum intermissionem non censeri moralem continuationem impedire. Sic Barthol. Brixi. vt refert Panormit. *in spec. p. 4. tit. de stat. Monach. §. 1. q. 37.* Nauar. & Azor. apud Naldum. *in sum verbo. Nouitius num. 4.* docentem, exitum vnius vel duorum dierum è Monasterio sine licentia superioris non sufficere ad interruptionem inducendam.

150. *Expendo quando datur & quando non datur.* Ego quidem magis considerarem grauitatem actionis, per quam probatio nouitiatus interrumpitur, quam temporis diuturnitatem. Vnde si quis, dimisso Religionis habitu egressus est, eo ipso interrumpi censeo probationis annum, etiam si paulo post intrà diem pœniteat. Quia eo ipso statum, quem habebat, amisit, & indiget noua receptione, & admissione vt incipiat esse nouitius. Quotiens igitur iuxta consuetudinem Religionis censetur noua receptio necessaria, annus etiam probationis sufficienter interruptus existimabitur. Si vero sit sermo de animo redeundi, præsertim si absessio sit cum habitu licet fiat sine superioris licentia, non crediderim nouitiatum interrumpi, etiam si sit per aliquot dies, nisi re cognita à prælato dimittatur. Sentio cum Suario *de Relig. to. 3. l. 5. cap. 15. num. 6.* Sanch. *in sum. tom. 2. l. 5. cap. 4. n. 32.*

PROBL. XXIV.

In ingressu fœminarum ad claustra Religiosorum, in ingressuque, vel egressu clausuræ monialium datur, & non datur materiæ paruitas.

151. *Datur leue peccatum.* DAtur quidem; & modicus ingressus excusans à lethali culpa, modicusque egressus reputandus, quando per duos solum pedes fœmina esset intra clausuram Monasterij Religiosorum, aut vir intra clausuram Monalium, aut Monialis extra clausuram Monasterij. Quia licet ille sit verus & perfectus ingressus, & egressus, tamen est in parua materia: quemadmodum licet vnius argentei furtum sit verum ac perfectum furtum, non tamen sufficiens est ad peccatum mortale. sic Merol. *tom. 1. disp. 1. c. 2. diffic. 7. n. 502.* Mald. *in sum. verbo clausura. n. 1.* Graffi. *1. p. decis. l. 4. cap. 23. n. 25.*

152. *Non datur.* Non datur: & ingressus aut egressus minime reputandus modicus quando aut fœmina pede vtroque, totoque corpore ingressa est Religiosorum claustrum, aut egressa proprium Monasterium, vel vir Monialium ingressus est claustra. Quia sic clausura perfectè violatur, cum sit completa transgressionis ratio: & cum hic sit verus intra clausuram ingressus, vel ex ea egressus, sufficiens est ad culpam lethalem, & censuras incurrendas: nec modicum reputatur, quando perfecta transgressionis ratio in illo reperitur. Sic Sanch. *tom. 2. Decal. l. 6. c. 16. n. 70.* Lælius Zechi. *de casib. reseru. cas. 10. n. 1.*

153. *Auctoris sententia.* Ego quidem modicum in huiusmodi ingressu, seu egressu existimarem, quando hæc non sunt perfecta, & consummata: sed semiplena: v. gr. cum pars corporis adest

adest intra, pars autem extrà. Nec aliquid referre reor, an maior corporis pars sit intrà aut extrà; dum enim totum corpus non est intra aut extrà, nõ sunt perfecti ingressus, & egressus, vt culpæ lethali, ac censuris subdantur. Quare nec censerem comprehendi eum, qui est in ostio; quia ostium est partim intrà, partim extrà clausuram. Accepi à Rodrig. *in qq. regul. to. 1. q. 49. a. 7.* & Antonio Fernand. de Cordo. *in Instr. Conf. p. 2. c. 5. n. 13.*

PROBL. XXV.

Capellanus obligatus ad Missam quotidie celebrandam, potest, & non potest aliquot dies Missam illam omittere, ac pro alio conferente sibi specialem stipem celebrare ob huiusce scilicet materiæ paruitatem.

154. *Potest Capellanus Missam omittere aliquando.* POtest aliquando per annum, scilicet quater vel sexies. Quia id non præsumitur negaturus Capellaniæ institutor, ob materiæ scilicet leuitatẽ. Ita Nald. *in sum. verbo Missa n. 7.* Homob. de bonis *in consult. moral. to. 2. p. 7. respons. 52.*

155. *Nunquam potest.* Non potest. Quia indulgentia hæc omittendi Capellaniæ Missam, ac celebrandi pro alio fundata est in Cap. *significatum de præbend.* vbi ex causa honestatis, & maioris deuotionis in Capellano conceditur; ergo cessante causa, cessat illa iuris indulgentia. Ita Dian. *p. 5. tr. 5. res. 23.*

156. *Posse censeo.* Censeo, aliqua ingruente necessitate licere Capellano aliquando per annum pro se ipso, aut pro sibi valdè coniuncto ad specialem aliquam Dei gratiam obtinendam: id enim non abnegaret pius Capellaniæ institutor, si de tali casu interrogatus fuisset. Porrò talem voluntatis testatoris præsumptionem ex paruitate materiæ consistere. Hoc in sensu Naldi, ac Homoboni sententiam amplector.

PROBL. XXVI.

In obligatione restituendi fructus pro Horarum Canonicarum omissione culpabili datur, & non datur materiæ paruitas.

157. *Datur materia leuis.* DAtur materiæ paruitas, nempe octo dierum per anni curriculum sine vlla restituẽdi obligatione. Quia rigidus videretur exactor dominus qui famulum octo dierum huiusmodi seruitium omittentem cogeret restituere. Sic Sotus *de Iust. l. 10. q. 5. a. 5.* Medin. *in sum. l. 1. c. 14. §. 11.* Ioan. Henriq. *in Compen. c. 29. n. 30.* Vega *in sum p. 1. c. 36. cas. 1. & 2. & c. 128. cas. 18.*

158. *Non datur.* Non datur paruitas materiæ, sed quælibet omissio obnoxia est restitutioni. Quia expresse Pius V. in Bulla pro qualibet die & pro qualibet hora fieri restitutionem præcipit. Sic Castr. Pal. *to. 1. disp. 2. punct. 2. n. 4.* Oliuer. Bonart. *de horis Canon. l. 2. c. 11. n. 15.* Menoch. *l. 2. cas. 429. n. 9. & 10.* Dian. *2. p. tr. 12. resol. 34.*

159. *Primam sequor opinionem.* Primæ sententiæ hærerem, approbans fundamentum, nempe famulum omittentem debitum paucorum dierum seruitium, præsumi à Domino haud rigido exactore exemptum esse à restituendi obligatione: nisi hoc in casu viderem dominum, id est, Ecclesiam suam exprimere voluntatem, Pio V. decernente. Quod si hanc voluntatem satis non expressisset Ecclesia, ad plurium dierum omissionem fortassè eius expenderem pietatem.

PROBL. XXVII.

In fructibus beneficij datur, & non datur ea materiæ paruitas, vt non consurgat recitandi horas Canonicas obligatio.

160. *Non datur paruitas.* NOn datur. Quia beneficium tenues fructus habens verè est beneficium; ius enim est percipiendi fructus ex speciali titulo: sed beneficio absque vlla distinctione pingui, vel tenui onus recitandi ex Concilio Later. & ex Bulla Pij V. est annexum: ergo, &c. Sic Castr. Pal. *tom. 2. disp. 2. punct. 1. §. 2. n. 9.* Comitol. *in resp. moral. l. 1. q. 68.* Tabie. *verbo, Hora. n. 2.* Armil. *inibi* Syluest. *hîc, n. 3.* Valent. *tom. 3 disp. 16. q. 2. punct. 10.* Azor. *p. 1. l. 10. c. 13. q. 3.*

161. *Datur paruitas.* Datur quidem. Quia parum prò nihilo reputatur, videturque tenue beneficium pro nullo habendum, si præceptum horas recitãdi spectes. Profectò qui ex beneficio nullos per se, nec per alium fructus percipit, aut percipere potest, ad nihil, secundum omnes, tenetur: ergo qui exiguum recipit, ad partem solùm, non ad totum tenebitur. Sic Malder. 2. 2. *tr. 10. c. 2. dub. 3.* Rodrig. *in sum. to. 1. c. 140. n. 3.* Vega *in sum. par. 1. c. 128. casu 13.* Raphael de la Torre 2. 2. *tom. 1. qu. 83. contr. 6. disp. 5. & controu. 7. n. 16.*

162. *Huic sensui subscribo.* Hanc sequor opinionem sciens plura habentem beneficia etiam copiosa & ampla non teneri nisi semel horas recitare;

recitare ; ergo rationabile non est eum tantundem oneris sustinere,qui solum sex aut octo aureis ex beneficij redditu potitur.Plura suo in loco.

PROBL. XXVIII.

In mendacio commisso in Confessione datur, & non datur materiæ paruitas.

163. *Non datur euitas.* NOn datur, sed omne mendacium in Confessione quamuis sit in materia leuissima, mortale est. Quia tanta obligatio aperiendæ veritatis in Confessione interno quidem iudicio est, vt vel de re leuissima mendacium sit graue eo quod existat contrà iudicij veritatem. Sic Caiet. 2.2.*q.*66.*a.*1.

164. *Datur leuitas.* Datur materiæ paruitas,& mendacium in Confessione si iuramento non confirmetur, veniale est. Quia si extra confessionem excusat materiæ leuitas, cur leue mendacium graue erit in confessione, & dandum mortali crimini, quod grauem sacramento non infert irreuerentiam. Ita Reginal. *to.*2.*l.*24.*c.*2.*sect.*4.*n.*44.Turrian. *de Iust.to.*2 *disp.*50.*dub* 1.*n.*2.Dian.*p.*5.*tr.*5. *resol.*27.Alfon.de Leo. *p.*1.*recol.*7.*n.*41.

165. *Idem sentio.* Idem sentio siue mendacium sit in materia præcipua, siue in circumstantiis illi accidentibus, dummodò leue illud mendacium haud sit in causa, ita vt vitiet absolutionem , ac non conficiatur sacramentum.

PROBL. XXIX.

In mendacio facto in iudicio externo datur, & non datur materiæ leuitas.

166. *Non datur leuitas.* NOn datur, sed omne mendacium in externo iudicio etsi sit in materia leuissima, & quod extra iudicium veniale existeret, in iudicio forensi lethale reputandum. Quia sicut vis iuramenti exigit veritatem iuramentorum , atque adeò de re leui periurium est mortale : ita vis iudicij exigit veritatem iudicandorum , vndè mendacium in iudicio de re leuissima efficit mortale. Sic Caiet. 2.2. *qu.*69.*a.* 1.

167. *Datur leuitas.* Datur quidem, & mendacium leue iuramento minimè confirmatum , leue piaculum reputandum est. Quia materiæ leuitas excusat siuè sit in materia , de qua iudicatur , siue in circumstantiis accidentibus, cum grauis iniuria iudicio forensi minimè inferatur. Sic Reginal. *tom* 2. *lib.* 24.*cap.*2.*sect.*4. *num.* 44. Dian. *part.* 5. *tract.*5.*resol.* 27. Alfons. de Leo. *de Offic. Confes.part.*1.*resol.*7.*n.* 41.

168. *Assentior.* Assentior,quia nulla valida mihi obiicitur ratio , ob quam adducar profiteri, in materia iudicij haud posse dari materiæ leuitatem,sicut in multis aliis.

PROBL. XXX.

In hæresi datur , & non datur materiæ paruitas.

169. *Datur paruitas.* DAtur. Quia in materia fidei potest tam leue verbum aduersus veritatem eius proferri vt hæresis tantummodo venialis existeret.Ita Sayr.*in Claui l.*12. *c.*2.*n.*19. Alfons.de Leo.*p.*1.*resol.*7.*n* 45.

170. *Non datur.* Non datur. Quia in peccato infidelitatis quacumque in materia minima licet, integra malitiæ ratio sufficiens ad mortale reperitur. Sic Castr.Pal.*tom.*1. *tr.* 2.*disp.*2.*punct.*7.*num.*2.Sanch.*l.*1.*Decal.cap.*4. *n.* 1. Baldel.*tom.*1.*tr.*2.*l.*3.*disp.*14.*n.*12.

171. *Hoc admitto.* Subscribo. Quia ratio obiecti per se prima in actu infidelitatis est , vt negetur fides Deo ipsi aliquid reuelanti, & ex hac sola præcisè cõsiderata fundatur oppositio grauis ad fidei virtutem : & malitia grauis non dicitur, quod in actu infidelitatis possit dari materiæ paruitas,& culpæ leuitas,sed quòd omnis materia in ordine ad illam sit notabilis, & omnis culpa sit grauis,etiam si alioquin in se ipsa , res minima existat.

PROBL. XXXI.

In conscientia erronea, quando non distinguit,an mortale sit, vel veniale ; sed solum confuse actio mala proponitur:datur , & non datur materiæ leuitas.

172. *Non datur paruæ materia.* NOn datur. Quia cum amplecteris obiectum venialiter malum, dubitans an sit lethale,mortaliter peccas, te enim exponis lethaliter delinquendi periculo. Sed quando tibi repræsentatur obiectum malum prohibitum , neque distinguens num sit mortale, vel veniale, illud amplecteris, te iam perpetrandi piaculum mortale periculo exponis : ergò in erroneæ conscientiæ actu præfato haud datur materię leuitas.Sic Sanch.*l.*1.*Decal. c.*1.*n.*9.Sanct.*in select.disp.*18.*num.*1.Castr. Pal.*to.*1.*disp.*1.*punct.*3.*n.*6.

Tali

173. *Datur parua materia.* Tali in casu ob materiæ leuitatem peccatum veniale committitur. Quia voluntas appetens malitiam in communi, malitiam excedentem veniale piaculum non appetit: aliàs si excederet, non esset veniali, ac mortali communis. Sic Salas 1.2. *tr.*8.*d.vnic.sect.*3.*n.*33. Valent.*to.*1.*disp.*2. *q.*14.*punct.*4. Perez *certam.*10.*n.*29.

174. *Subscribo huic.* Primæ sententiæ subscribo solidiori hærenti fundamine: probabilem tamen valdè puto secundam.

PROBL. XXXII.

In totali materia voti datur, & non datur leuis culpa.

175. *In totali materia non datur veniale.* SI materia parua est partialis, veniale erit: v.gr. si quis vouit recitare Rosarium, & vnam aut alteram salutationem omittit. At si est totalis materia, erit semper mortale: v.gr. si quis vouit recitare semel Angelicam salutationem, & omisit. Quia transgressio totius voti habet actus perfecti rationem, & contrà excellentissimam Religionis virtutem: cum tamen peccatum veniale sit quid imperfectum. Sic Caiet. 2.2. *q.* 89. *a.*7. *dub.* 1. Cordub. *in sum. q.*188. Tolet.*l.*4.*c.*17.*n* 20.

176. *In totali materia datur veniale.* Et si materia parua sit totalis, transgressio voti est tantum venialis. Quia promissio rei leuis facta homini non obligat ad sui obseruationem sub mortali, quamuis ipsa res leuis sit tota materia promissionis: ergò nec facta Deo: Deus enim non est rigidior suarum promissionum exactor, quam homo. Certè materia illius voti quomodocumque sumatur, est leuis: ergo votum de ea omissum tantum obligat ad veniale. Sic Ledesma *in sum.tom.*2. *tr.*10. *c.*3.*dub.*1. Henriq. *l.*5.*c.*20. *num.*4.*in Gloss. lit.M.* Sanch.*l.*4.*Decal.c.*12.*n.*5.

177. *Hanc amplector.* His assentior, sciens, grauitatem peccati non esse sumendam ex quantitate, & necessitate obiecti, si loquamur de grauitate, quam habet actus ex natura sua v.g. in furto grauitas peccati non sumitur ex voluntate furantis, sed ex re ipsa, de qua furtum est; nam si res furata est grauis, quamuis latro nolit, erit peccatum mortale: & si est leuis, erit veniale. Sed quando votum fit de re leui, ipsa ex se est parua materia fidelitatis, & Religionis; ergo tale votum violare peccatum mortale non erit.

PROBL. XXXIII.

In coniunctione formæ ac materiæ Sacramentorum datur, & non datur paruitas materiæ.

178. *Requiritur coëxistentia.* SImultas temporis inter aliquam saltem partem formæ & aliquam partem materiæ requiritur, ita vt non prius perficiatur forma, quam existat aliquid materiæ: nec prius existat integra materia, quam incipiant verba proferri. Quia inter materiam & formam sacramenti requiritur ea coniunctio, quæ necessaria est ad verborum veritatem; sed ad veritatem verborum necessarium est ea saltem quo ad aliquam partem proferri, cum materia applicatur; ergo ad sacramentum requiritur, aliquam partem materiæ cum aliqua parte formæ existere. Ita Scotus *in* 4. *dist.*6. *quæst.* 1. §. *Dico ergo.* Richard. *dist.*3. *a.*4.*q.*2. Syuest. *verbo, Baptismus* 5. §. *Secundo.* Licet de Baptismo in speciali loquantur. Caiet. ad sacramentum ordinis allicit doctrinam. *tom.*1.*opusc.tr.*26.

179. *Non requiritur coëxistentia.* Ad veritatem Sacramenti non requiritur coëxistentia materiæ & formæ: sed sufficit moralis coniunctio. Quia Sacramentum est morale quoddam compositum ex re sensibili, & verbis, quæ illam determinant ad significandam gratiam; ergò ad eius constitutionem; & veritatem sufficit moralis coniunctio, & moralis modus reddendi vera verba, quibus ipsum præcipitur Sacramentum. Ita Suar. Soto, Henriq. Victo. quos refert, ac sequitur Granad. *de Sacram. in* 3.*p.contro.*3.*tract.*1. *disp.*4.*n.*4.

180. *Hanc mentem sequor.* Profectò semper duxi, ad moralem coniunctionem satis esse, si verba non ita à re sensibili distent, vt ad ipsam pertinere, seu illam actuare, & determinare ad rei sacræ significationem non censeantur. Id quidem optimè potest intelligi, si verba parum distent à materia, licet simul non coexistant.

PROBL. XXXIV.

In librorum hæreticorum lectione datur, & non datur materiæ leuitas.

181. *Datur leuitas materiæ venialis.* MAteriæ paruitas est, pauca verba legere, aut vnam vel alteram lineam, dum modò tres, vel quatuor non excedas. Quia non dicitur quis exponere se periculo hæresim imbibendi statim ac scienter aliquam hæreticam legit propositionem,

sitionem, nisi simul legat rationes, quibus hæretici eam probare contendunt. An Catholicus legens apud hæreticum volumen hanc propositionem : Duo tantum sunt Sacramenta, statim censendus periculo illam imbibendi hæresim expositus? Ita Azor. *tom.1.l.8.cap.16.q.3.* Hurtado de Mend. *de fide to.1.disp.76.sect.1.§.11.* Suar. *de fide disp.20.sect.2.num.20.* Merol. *tom.1. disp.1.c.2.corol.7.difficul.3.n.344.*

182. *Non datur.* Si leguntur duæ vel tres lineæ, in quibus legens certo nouit hæresim contineri, materiæ ex leuitate non excusatur. Quia periculum est, ne legens imbibat hæresim, quæ eis in lineis forte continetur. Sic Tolet. *l.1.c.19.n.9.* Hugol. *in explic. Bul. cœnæ can.1.verbo, ad eorumdem libros.§.1.*

183. *Primam sector opinionem.* Primam sententiam probabiliorem puto, monens, Sanchez, Duardum, alioque, quos citat Dian. *p.1.tract.11.resol.30.* huiusmodi materiæ paruitatem ad vnam libri in folio excussi integram paginam extendentes reiiciendos omninò, postquam Emanuel Saa, & Viualdus consentientes fuere expurgati à S. Palatij Magistro.

PROBL. XXXV.

Qui vno instanti habet actum retinendi librum hæreticum longo tempore, licet mutans intentum mox illum tradat, ex paruitate materiæ excusandus, & non excusandus est à censura.

184. *Non excusatur ex materia leuitate.* NOn excusatur. Quia volũtas illa peccatum mortale est, & ab illa procedit exterior retentio parua, quæ quidem peccatum est graue, etiam si mutata voluntate breuissimo tempore duret. Ita Suar. *tract. de fide disp.20.sect.2.num.22.* Hurta. de Mend. *vol.1. disp.76.sect.1.§.12.*

185. *Excusatur ex leuitate.* Requiritur ad retentionem grauem mora temporis; si enim tempus, quo de facto retines librum, breue est, etiam si voluntatem haberes, longo tempore retinendi, retentio illa exterior leuis debet reputari ad effectum incurrendi censuras. Quia censura non incurritur ex retinendi voluntate, sed ex voluntate executioni mandata, quæ cum non sit integra, & in materia graui exercita ad censuram incurrendam non sufficit. Ita Gordon. *to.2. l.2.q.13.c.8.§.3.num.81.* Reginal. *tom.1.l.9. c.14.num.256.* Castr. Pal. *tom.2. tr.4.disp.2. punct.10.§.2.n.11.*

186. *Idem sentio.* Idem sentio. Quia grauitas retentionis non desumitur solùm ex libro, qui retinendus est; si enim haberes voluntatem retinendi vna hora librum, & statim illum tradendi, non video quanam ratione quis dicere possit, te graue piaculum perpetrasse. Igitur si quis vnius aut alterius diei interstitio librum prohibitum retineret, excommunicationem Bullæ Cœnæ, vel Indicis non incurreret.

PROBL. XXXVI.

In omissione alicuius verbi Canonis Missæ datur, & non datur materiæ leuitas.

187. *Grauis culpa est vnum verbum Canonis omittere.* SVppono, cum, qui omittit voluntariè *Credo*, aut *Gloria*, aut commemorationem aliquam, solum venialiter ex materiæ leuitate delinquere. Quia non sunt partes simpliciter necessariæ ad Missam, nec quid notabile constituunt ad Missæ spectans integritatem. De quo propria in in materia. Circa verba in Canone Missæ contenta quæstio procedit. Igitur ex intentione non velle nominare aliquem sanctum eorum, qui inibi apponuntur, aut aliquod verbum omittere, grauis culpa est. Quia illius portionis Missæ religio prorsus augustior. Sic Nugnus *in 3. p.q.83.a.4.dub.2.conc.2.*

188. *Leuis culpa est.* Omittens in canone nomen alicuius Sancti, vel tempore Paschali ea, quæ interponuntur in Communicantes, aut in Actione : *Hanc igitur oblationem, &c.* ex materiæ paruitate leuiter delinquit. Quia vel augustissimæ illius Missæ partis religio suam etiam habet materiæ leuitatem; non enim illæ particulæ, aut additæ clausulæ sunt partes simpliciter necessariæ ad Missam. Sic Filliuc. *tom.1.tr.5. c.5. n.155.* Celest. *in Compen.tr.8.c.5.q.10.* Marchant. *in qq. regul. de Sacram.tr.4. c.5.q.4.* Dian. *p.5.tr.5.resol.45.*

189. *Cum his sentio.* Idem sentio, dummodo hæc ex contemptu non omittantur : sed ex culpabili memoriæ lapsu, quod nolit quis ad librum recurrere, &c. Certè si paulo pòst quis recordetur haud tenetur repetere, nec debet, me auctore; quia moraliter id non sine aliqua interturbatione contingit.

PROBL. XXXVII.

Lex prohibet, ne aliquid extrahatur à Regno : materiæ paruitas excusat, & non excusat à graui piaculo.

190. *Excusat.* EXcusat planè. Quia extractio duorum scutorum (v. gr.) leue sequitur Reipublicæ nocumentum, quod solutione pœnæ

pœnæ compensatur. Sic Granad. *in 2.p.D. Tho. controu.7.tr.3.p.1.disp.4.n.* 19. Castr. Pal.quem refert & sequitur Dian.*p.5.tr.5. resol.* 49.

191. *Non excusat.* Non excusat.Quia non spectatur quale damnum sequatur Regno , vno contrauenie nte. Sed quale si à multis communiter fiat. Sic Merol.*tom.2.disp.4.c.3.dub.25. num.242.* Victor. *tract. de potest.ciuit. numero* 19.

192. *His hæreo.* His hæresco lubenter , dum video, finem legis omnino frustrari, si delinquenti vni ob damni illati leuitatem concederetur,grauiter non deliquisse ; nunquam enim quilibet tantam extrahit quantitatem , vt ex ea sola ingens Reipublicæ damnum inferatur.

PROBL. XXXVIII.

Voueo Angelicam salutationem semel quotidie recitare: possum, ad votum paruæ huius materiæ me sub mortali peccato obligare.

193. *Possum me obligare.* POssum. Quia totum id pendet ex voluntate , & intentione vouentis; actus enim humani intentionem agentium haud possunt effugere.Igitur huiusmodi votum non habebit vim obligandi ex quantitate, & grauitate pœnitentiæ iunctæ , sed ex intentione vouentis. Sic quando Confessarius pro mortalibus leuem pœnitentiam imponit , & intendit sub mortali obligare: tunc enim præceptum non habebit obligandi sub mortali vim ex quantitate materiæ , sed ex Confessarij intentione.Ità Fagund. *præc.2. l.9.c.3.n.15.*

194. *Non possum.* Non possum. Quia legislator in materia leui non potest obligare ad mortale; sed votum obligat ad instar legis , vt Caietanus 2. 2. *quæst.*88. *artic.* 3. Sotus *de Iust. l.7. quæstion.* 2. *artic.*1. Sanchez. *l.*4. *Decal. capite* 11. *numer.* 31. Valentia *tom.2. disp.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 4. docent; ergo neque vouens in materia leui possum me ad lethale obligare. Ita Ioan. Sanct. *in select. disput.* 15. *numero* 15. Vasquez *in part.* 2. *tom.* 2. *disp.* 158. *cap.*4.*num.*34. Dian.*p.*3. *tract.* 5. *resol.* 24. cum Thoma Sanch.

195. *Hanc opinionem probabiliorem puto.* Profecto probabiliorem hanc opinionẽ iudico illi hærentem fundamini:legislator in materia leui non potest obligare ad mortale.Veram enim hanc propositionem puto siuè materia leuis sit totalis materia legis,siue partialis,quia est eadẽ proportio, & ratio;sicut in lege naturali idem reperitur:lex enim non mentiendi per se obligat tantum sub venìali,& eodem modo obligat lex non furandi in materia leui , licet in priori lege materia leuis , totalis sit , in posteriori autem partialis : & solum est differentia , quod in lege priori obligatio est per se ex genere leuis, in posteriori verò solum ex accidẽti, & in tali indiuiduo; ergo idem cum proportione in lege humana est obseruandum.Porrò intentio legislatoris sufficit , cum iusta est , ac rationabilis, tunc enim illa erit materiæ commensurata. Sic intelligendum illud *l.*1. *ff. de const. Princ. Quod Principi placuit legis habet vigorem*,vtique quod iustè ac rationabiliter placuit.

PROBL. XXXIX.

Confessarius potest, & non potest pœnitentiam leuem sub mortali imponere.

196. *Potest imponere.* LIcet emittens votum rei leuis , etiam cum animo se obligandi ad mortale non possit grauem obligationem inducere vt illius omissio sit lethalis : nec id possit legislator præcipiens rem leuem ; Confessarius tamen rem leuem sub pœnitentia iniunctam poterit sub mortali implendam præcipere.Quia materia grauis reputatur, partem integrantem Sacramentum omittere. Sic Ioan. Sanct. *in select.disp.*15. *num.*14.*&* 15.

197. *Non potest imponere.* Confessarius rem leuem sub pœnitentia iniunctam non poterit sub mortali implendam imponere. Quia quamuis integritas Sacramenti non seruetur,est in re valde extrinseca , ac secundaria , & quid leue reputatur , hac ex parte Sacramentum non integrare.Ita Coninch.*de Sacra. disp.*10.*n.* 80. Suar. *tom.*4. *in* 3.*p.disp.* 38. *sect.*7.*num.*5. Reginald.*tom.*1.*l.*7. *num.*77. Henriqu. *lib.* 5. *cap.* 20. *numer.* 4 *in glos. lit. M.*

198. *Cum his sentio.* Subscribo: oratio enim Angelica,quæ secundum naturam orationis parua est materia , etiam secundum quod pars Sacramenti constituitur , leuis est reputanda ; quia ad essentialem Sacramenti constitutionem non pertinet.Vnde sententiam Sanctij strictam censeo.

***

PROBL. XL.

Beneficiarius in singulis horis Canonicis partem leuem omittit, quæ simul sumptæ grauem exprimunt quantitatem: tenetur hic, & non tenetur aliquid restituere.

199. *Tenetur restituere.* TEnetur planè. Quia sicut huiusmodi omissiones in ordine ad culpam grauem, ita etiam in ordine ad restitutionem continuantur. Sic Faust. *de horis can. l. 2. q. 286.*

200. *Non tenetur.* Non tenetur. Quia si pro qualibet hora suum distinctum præceptum latum est, tunc omissiones non coniunguntur cùm omissione in alterius diei officio, sed adhuc admisso vnicum esse præceptum pro integro officio diei, nulla est obligatio; nam ita est vnum præceptum, vt virtualiter multiplex sit, & obligatio restitutionis singulis est horis annexa. Vnde si quælibet hora per se sumpta nullam restituendi inducit obligationem, neque illam inducet, quatenus vnicum quoddam officium constituit. Ita Cast. Pal. *tom. 2. tract. 7. disp. 2. punct. 7. n. 6.* citans Monetam ac Filliucium.

201. *Idem sentio.* Assentior, quia officium non potest inducere restituendi obligationem, nisi partes illius diuisim inducant.

PROBL. XLI.

Vouet quis, quoties Missam audierit, nihil leue ex illa se omissurum, & in pluribus missis leue quid omisit; vouet simul singulis horis mentem ad Deum eleuare, quam die tota nec eleuauit semel: eodem die plura vota violare est, & non est peccatum lethale.

202. *Culpa lethalis est.* LEues materiæ votorum multiplicium pro eodem die obligantium continuantur moraliter: ac proinde culpa lethalis est, notabilem illa die omittere quantitatem, siue materiæ sint eiusdem rationis, siue diuersæ: v. gr. si alterum votum sit recitandi, alterum eleemosynæ gerendæ. Quia etsi diuersa numero sint vota, at obligatio voti eiusdem est rationis, & eadem ratione ad Religionis virtutem spectat, eiusque præceptum, quod tunc notabili in re violatur. Sicut qui homini promitteret magnam pecuniæ quantitatē diuersis promissionibus, singulis tamen vicibus quid modicum: peccaret mortaliter non implens in notabili quantitate, perinde ac si vnica promissione rem notabilem pollicitus, promissis non staret. Quia omnes illæ promissiones numero diuersæ ad eandem iustitiæ obligationem pertinent. Sic Sanch. *l. 1. Decal. c. 4. n. 16.*

203. *Culpa venialis est.* Leues illæ materiæ votorum multiplicium pro eodem die obligantium moraliter non continuantur, ac proinde culpa lethalis non est, notabilem die illa quantitatem omittere. Quia vna materia cum alia non colligatur: secus vero, si quis promitteret integre officium diuinum recitare, & in prima & in reliquis horis psalmū omitteret; quia omnes illæ horæ vnum officium diurnum constituunt, & omnes illæ omissiones in vnum colligantur. Ità Suar. *de Relig. lib. 5. de voto n. 11. & 12.* Castro Pal. *tom. 1. tr. 2. punct. 9. §. 4. n. 11.*

204. *Idem existimo.* Proximæ hæreo sententiæ dum video in præfato casu vota illa in aliquo tertio non vniri, sed quodlibet ex illis esse separatum; vnde violatio vnius non potest alterius augere violationem. Neque obstat illa vota in virtute Religionis vniri; nam etiamsi promisisses singulis diebus Dominicam orationem recitare, & multis diebus omitteres non grauiter peccares; quia etsi omnes illæ recitationes aduersus Religionis virtutem omittantur, quia tamen inter se non vniuntur, ideo Religionis virtus grauiter non læditur. Certè omnia illa vota etsi sint vno die implenda, non tamen inter se vniuntur, sed ita distincta sunt, ac si quodlibet illorum quolibet distincto die præstandum esset.

PROBL. XLII.

Præceptum illud nihil addendi, aut imminuendi ex canonico officio, quis transgreditur, addendo nimirum aliquid: is quidem ex paruitate materiæ excusatur, & non excusatur, à mortali crimine.

205. *Non excusatur à lethali.* NOn excusatur, si addit animo, vt in perpetuum duret. Quia licet respectu totius diuini officij illa sit minima pars, & leuis additio: non est tamen leue, illam minimam partem ritui Ecclesiæ quasi perpetuò adiicere. Sic Suar. *lib. 4. de hor. canon. c. 15. n. 15.*

206. *Excusatur à lethali.* Excusatur à graui piaculo. Quia absolutè leue est, quod adiicitur, & præcepto recitandi satisfaciet, qui ita perlegerit totum

totum enim, quod præcipitur, recitat etsi aliis preculis mixtum. Nec moraliter loquendo alia est forma recitandi ab ea, quæ in Breuiario iniungitur; quia quis non censetur illa addere, vt partem diuini Officij, sed quasi quid accidentale, vt asserit Castr. Pal. *to.* 2. *tract.* 7. *disp.* 2. *pun.*2.*n.* 15. Ita Bonac. *de hor. canon. disp.* 1 *q.*3.*p.*1.*num* 21.

207. *Primæ hæreo sententiæ.* Primæ sententiæ adhæreo, graue piaculum reputans vel in minimo tam augustam summi Ptæsulis iurisdictionem vsurpare, nouum ritum, ac cultum inducendo.

PROBL. XLIII.

In præcepto celebrandi cum vestimentis sacris, datur, & non datur materiæ leuitas.

208. *Ex paruitate materiæ non est leue peccatum.* SIne omnibus vestibus nullo in casu licet sacrum agere, etiam ob mortis periculum, si saltem contemptus fidei adiungatur: esset enim magna irreuerentia, & scandalum. At in necessitate sine vna, vel altera veste præsertim ex minoribus, vt cingulo se sacri perfectioni accingere, leue peccatum est. An ex materiæ paruitate? Minimè. Quia quælibet earum vestium propter ministerij sublimitatem sufficiens est ad mortale piaculum, si voluntariè omittatur. Ita Filliuc. *to.* 1. *tr.* 5. *c.*5. *nam.* 149.

209. *Est leue peccatum ex paruitate materiæ.* Non peccat mortaliter ratione paruitatis materiæ sacerdos celebrans cum cingulo non benedicto, vel aliquo alio vicem cinguli gerente. Quia est materia leuis, & indumentum minus in se considerabile, imo indumentum non est, sed vestimentorum illigamentum. Sic Henriq. *l.*9.*de Missa. cap.*29. *n* 5. *in Glos. lit. A. & B.* Fagund. *tr.*1.*de præc.Eccl.l.*3.*c.*23. *n.*13. Dian.*p.*2.*tr.*14.*resol.*68.

210. *Idem sentio.* Idem affirmo, miratus quidem Suarium,*in* 3.*p.tom.*3.*disp.*82.*sect.*3. §. 2. asserentem, contrariam opinionem non esse tutam; quia in Missali Romano benedictio cinguli reperitur. Certè in Missali Romano etiam pro libris Ecclesiasticis benedictiones extant, & tamen celebrare sine Missali benedicto lethale piaculum non erit.

PROBL. XLIV.

Ex causa turpi quis habitum Religionis propriæ dimittit: datur hîc, & non datur materiæ paruitas, obnoxius est, & obnoxius non est excommunicationi.

211. *Grauiter delinquit.* REligiosus professus Religionis suæ habitum temere dimittens subiacet excommunicationi ex *cap.* 2. *Nè Clerici, vel Monachi in* 6. An grauiter delinquat, & excommunicationem incurrat, qui ad breue tempus etiam ex causa turpi dimittit Grauiter delinquit. Quia grauitas huius piaculi non est pensanda ex temporis duratione, sed ipsa habitus dimissio est per se res grauis, & ad peccatum mortale sufficiens, quod peccatum est huic legi contrarium,& huius censuræ materia. Sic Suar.*in* 3.*p.to.* 5. *disp.*22.*sect.*4.*n.*31. Bannes *in* 2.2.*q.*12.*a.*2.*dub.*2.*concl.*2.

212. *Grauiter non delinquit.* Religiosus dimittens habitum ex causa turpi ad breue tempus à graui culpa excusatur, & excommunicationem non subit. Quia etsi dimissio illa exigui temporis ex malitia alterius speciei adiuncta illi sit grauis, at in ratione dimissionis temeriariæ,quæ sola subiicitur censuræ,leuis censetur. Sic Azor. *to.*1.*l.*12.*c.*13.*q.*5.*c.*16. Tolet.*l.*4.*c.*18.*n.*4. Sà,*verbo,excommunicatio,num.*9.

213. *Idem puto.* Idem sentio, & breue illud tempus ad vnius horæ spatium traho. Religiosus itaque habitum dimittens assignato hoc temporis interstitio, non incurrit excommunicationem, etiamsi dimittat non solum ex causa turpi,scilicet fornicandi,aut clam aliquid abripiendi, sed etiam vt incognitus ineat lupanar.

PROBL. XLV.

In præcepto gestandi Clericalem tonsuram, datur, & non datur materiæ leuitas.

214. *Peccat mortaliter.* PEccat mortaliter Clericus, tonsuram non gestans. Quia in cap. *Si quis dist.* 23. id præcipitur sub excommunicationis pœna. Ita Panormit. *cap.*4.*de vita, & honest.Cler.* Richar.*in* 4.*dist.*24.*a.*1.*q.*1.

215. *Non peccat mortaliter.* Non peccat mortaliter Clericus, qui secluso contemptu,ac contumacia,tonsuram clericalem non gestat. Quia in iure Canonico hæc obligatio non præcipitur

sub verbis grauem obligationem indicantibus. Sic Henriq. *l. de Ord. c.* 11. §. 1. Caiet. *in sum. verbo, Peccata Clericorum.*

216. *Mediam ineo viam.* Mediam ineo viam. Peccat mortaliter sacris ordinibus initiatus, si tonsuram non deferat, secus si sit in minoribus constitutus. Mecum Sotus *in* 4. *dist.* 24. *q.* 2. *artic.* 1. *concl.* 2. Sylvest. *verbo, Clericus* 2. §. 2. Armil. *ibi. num.* 11. Angel. *inibi* 4 *num.* 1.

CAPVT X.

Circa Circunstantias.

PROBL. XLVI.

Cum multa præcepta circa idem coincidunt, hæc circunstantia est, & non est explicanda.

217. *Explicanda non est.* VIgilia S. Matthæi (v. g.) incidit in quatuor tempora, satisfacit ne pœnitens in confessione exponens in die ieiunij non ieiunasse, an tenetur exprimere duplicis rationis ieiunij circunstantiam? Non tenetur, quia ex præceptorum diuersitate non sumitur diuersitas malitiæ eiusdem actus; quamuis enim multiplicatio illa præceptorum malitiam transgressionis augeat, non ita tamen notabiliter aggrauat, vt sit necessario in confessione detegenda. Sic Henriq. *lib.* 5. *de pœn. cap.* 5. *num.* 6. Sà *verbo, confessio num.* 30. Dian. *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 22. Vasq. 1. 2. *q.* 72. *art.* 6.

218. *Est explicanda.* Tenetur quidem. Quia licet rectitudo virtutis specie sit vna, numero tamen multiplicatur: & quamuis vnico ieiunio satisfacias vtrique, transgressio tamen duplex videtur, eo quod sunt diuersi tituli obligantes. Ita Nauar. *in manu. c.* 11. *n.* 4. Rodr. *in sum. to.* 1. *c.* 23. *n.* 4. Coninch *de Sacram disput.* 2. *dub.* 6. *num.* 47. Reginald. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 129.

219. *Primam sententiã tueor.* Prima sententia mihi est probabilior, nec vrgere existimo illam Nauarri rationem, scilicet Fratrem Minorem die veneris, in quo incidit vigilia, non ieiunantem duplex peccatum patrare, vnum contra Ecclesiæ præceptum, alterum contra regulam illi ieiunium sextis feriis præscribentem. Quia ille fingit duplicis virtutis præceptum, vnum abstinentiæ, seu temperantiæ, ad quod Ecclesiasticum ieiunium spectat, alterum autem Religionis; quia ex voto obedientiæ regulam tenetur obseruare. Quòd si minimè vouisset, sed regula more alterius legis illud præscriberet ieiunium, vnica esset culpa illius transgressio. Didici ex Vasq. citato.

PROBL. XLVII.

Consuetudo peccandi, seu circumstantia relapsus est, & non est in Confessione exprimenda.

220. *Exprimenda est.* EXprimenda est, quando est valdè frequens. Quia tunc valde aggrauat, & speciali pœnitens indiget medicamine à Confessario adhibendo. Sic Henriq. *l.* 5. *c.* 8. *num.* 2. *lit. A.* Fagun. *præc.* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 7.

221. *Non est exprimenda.* Exprimenda non est. Quia circumstantia relapsus non mutat speciem: & non potest afferri ratio per se loquendo, cur pœnitens obligetur, huiusmodi circunstantiam referare, modò cum debito dolore peccata commissa quoad speciem ac numerum exponat, in posterumque firmiter vitæ emendationem proponat. Ita Vasq. 3. *part. tom.* 4. *quæst.* 91. *art.* 1. *dub.* 3. Suarez 3. *part. tom.* 4. *disput.* 22. *sectio* 4. *numer.* 15. Reginald. *lib.* 6. *numer.* 138.

222. *His hæresco.* Subscribo, nam si consuetudinem peccandi teneretur pœnitens aperire, idem esset, ac obligare illum, peccata legitime confessa iterum exprimere quod nullo præcepto humano potest induci. Attamen existimo pœnitentem debere huiusmodi consuetudinem referare, quandò ex occasione proxima fuisset exorta, vel quum iusta de causa à Confessario interrogatur. Quia Confessarius Medici, ac Iudicis vices exerit, & cognita peccati consuetudine aut occasionis proximæ periculo, poterit pœnitenti diuersa exhibere medicamina.

PROBL. XLVIII.

Circunstantiam complicis tenetur, & non tenetur pœnitens explicare, quum complex est Confessario notus.

223. *Tenetur pœnitens circunstantiam aperire.* SVppono, debere pœnitentem, prius remedia possibilia quærere, vt Confessario delictum illud aperiatur ignoto, ne complex apud notum Confessarium aliquo modo patiatur infamiam. Si autem nulla remedia possint inueniri, quid gerendum:

Non solum licet, sed tenetur pœnitens ob solam præcisam confessionis integritatem semper circunstantiam complicis declarare, quãdo alius confessarius ignotus commodè iniri non potest. Quia in confessione nunquam datur vera ratio infamiæ, & confessarius id sub sigillo confessionis agnoscit, quod perinde est, ac si non cognouisset. Sic Suar. 3. *p. tom.* 4. *disp.* 22. *sect.* 2. *n.* 8. *&* 9. Filliuc. *tr.* 7. *n.* 80. Reginal. *l.* 6. *c.* 4. *n.* 141.

224. *Tenetur non aperire.* Non potest pœnitens illam profiteri circunstantiam, vnde apud confessarium possit complex infamari. Quia ex naturali, ac diuino iure tenemur famam proximi illæsam conseruare: hic autem proximi fama deturpatur, quando confessarius illum agnoscit. Sic Nauar. *in manu c.* 7. *n.* 3. *&* 4. Bannes. 2. 2. *q.* 33. *dub.* 8. 1. *p.* Medin. *l.* 2. *c.* 4. §. 1. Canus *de Pœn. p.* 5. Dian *p.* 1. *tr.* 7. *resol.* 49.

225. *Secundam sententiam amplector, & confirmo.* Probabilis admodum mihi sententia prima, sed secundæ subscripserim, experimento edoctus, grauia ex prima incommoda prosiliisse. Nam etsi sub sigillo confessionis complicis maneat piaculum, abnegari non potest id quidem apud notum confessarium pessimum conceptum generare de illo, qui alioqui apud confessarium iusta suæ famæ possessione potiebatur, qua à pœnitente priuatur iniustè. Quid si confessarius, vt assolet accidere, sit Præsul suspicionosus ob sinistram quam de subdito concipit opinionem? certe plus interdum dolet subditus tali Præsuli suum crimen etiam in hoc foro referari, quam à pluribus aliis foro in externo dignosci. An non præceptum non infamandi alterum (diuinum ac naturale) fortius est præcepto confessionem integrandi, quod est diuinum positiuum solummodo? Ergo in concursu horum duorum præceptorum, relicto præcepto minus forti de confessionis integritate, seruandum est aliud de proximi fama tuenda. Porro hanc sententiam adeò aliqui veram existimant, vt doceant, nec etiam in mortis articulo posse quemquam huiusmodi circunstantiam confiteri: quod nec approbo, nec improbo, donec suo in loco quæstio voluenda recurrat.

PROBL. XLIX.

Circunstantiæ notabiliter aggrauantes sunt, & non sunt in confessione necessario aperiendæ.

226. *Aperiendæ sunt.* APeriendæ necessario sunt. Quia non plenè potest confessarius iudicare circa pœnitentis statum si se furatum esse aperiat lethali quidem crimine, & mille scutorum summam non referet. Ita Sanch. *l.* 2. *Decal. c.* 11. *n.* 24. Coninch. *de sacr. disp.* 7. *dub.* 3. *concl.* 1. *n.* 13. Caiet. *verbo confessio conc.* 15. Suar. *in* 3. *p. to.* 4. *disp.* 22. *sect.* 3. & alij. Quorum nonnulli hanc adeo certam reputant opinionem, vt contrariam improbabilem planè existiment.

227. *Aperiendæ non sunt.* Non sunt necessario aperiendæ. Quia iure diuino non tenetur quis confiteri nisi omnia mortalia peccata; sed reticendo circunstantias, quæ non prohibentur peculiari præcepto, quis omnia mortalia crimina profitetur: ergo non tenetur confiteri circunstantias notabiliter aggrauantes. Minorem probo, quia peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra Dei legem; ergo si aliqua circunstantia peculiari lege non prohibetur, non est speciale peccatum. v. gr. eodem præcepto prohibetur furtum mediocris, & magnæ quantitatis; ergo quamuis non exprimatur rei ablatæ quantitas, sufficit profiteri: Fateor, me furtum quod mortale attigit piaculum, perpetrasse. Ita Vasq. *in* 3. *p. tom.* 4. *q.* 91. *a.* 1. *dub.* 2. *&* 3. Reginal. *tom.* 1. *l.* 6. *c.* 5. *n.* 135. Valent. *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 11. *punct.* 1. Lessi. *l.* 4. *c.* 3. *dub.* 12. *n.* 8. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 9. *dub.* 36. *num.* 8. & alij ex antiquis & modernis plurimi.

228. *Sequor hanc sententiam, eamque confirmo.* Queis lubens assentior sciens Tridentinum *sess.* 14. *c.* 5. agentem de circunstantiis, asserere esse aperiendas eas, quæ mutant speciem. Ergo cum de aggrauantibus taceat, virtualiter negat præceptum ad illas extendi. Consequentiam probo, quia hæc verba præmittit: Nihil aliud ab Ecclesia à pœnitentibus exigitur, quam vt, &c. Ergo nihil aliud est sub præcepto, nisi quod inibi præscribitur. Profectò si contraria sententia vera esset, teneretur peccator circunstantias aggrauantes callere, sicut tenetur peccata mortalia dignoscere, quod quidem valde durum. Moneo me alibi excepisse notabilem furti quantitatem.

PROBL. L.

Mulieri delinquenti cum sacerdote Religioso, satis, & non satis aperire in confessione sacerdotij circunstantiam.

229. *Aperiendus Religionis status.* NOn sufficit Sacerdotij circumstantiã profiteri, sed necessum est & religionis statum aperire. Quia votum solemne

castitatis à Religioso emissum, alterius speciei est à voto sacerdotis in ordine suscepto. Sic Coninch *de sacram. disp. 20. dub. 3. num. 131.* Ledes. *in sum. tom. 1. de Pœn. cap. 19. dub. 2.* Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. a. 4. & de Iust. 1. 2. q. 8. a. 5. ad 1.*

230. *Non aperiendus Religionis status.* Pœnitens satisfacit, aperiendo in confessione, se rem cum sacerdote, aut cum clerico sacris initiato habuisse, nec tenetur Religionis statum exponere. Quia votum sacerdotis ac Religionis diuersam speciem non constituunt, sed est velut quædam voti prioris reiteratio. v. gr. qui bis votum ieiunandi die veneris emittit, illud violando, vnicum piaculum perpetrat. Sic Sanch. *de matr. l. 7. disp. 27. numer. 27.* Villalob. *in sum. to. 1. tr. 9. c. 37. n. 14.* Henriq. *l. 5. de Pœn. c. 5. n. 6. in glos. lit. G.* Probabilem hanc sententiam Lessius *l. 5. c. 2. dub. 12. n. 87.* vocitauit.

231. *Hanc amplector mentem.* Certè votum sacerdotij ac Religionis eandem obligationem constituit. An qui plura instrumenta scripsit ad eiusdem debiti solutionem, tenetur plus soluere ex publici instrumenti multiplicitate: Absit. Ergo sacerdos regularis eiusdem voti iteratione ad eandem castitatem seruandam quasi vnico obligatur ex voto.

PROBL. LI.

Religiosus, professus qui votum castitatis solemne violauit, debet, & non debet exponere in confessione, se violasse votum, abstrahens à solemni ac simplici.

232. *Debet explicare solemne votum.* DEbet plane. Quia votum solemne castitatis specie differt à simplici. Sic Laym. *l. 4. tr. 10. c. 7. n. 4.* Azor. *p. 3. l. 3. c. 27 q. 10.* Conich. *de sacr. disp. 7. dub. 4. n. 20* Fagund. *de præc. Eccl. tr. 2 l. 4. c. 3. n. 10.*

233. *Non debet explicare solemne votum.* Non debet, sed sufficit Regulari em professum exponere se votum castitatis toties violasse professionis subticens circunstantiam. Quia votum solemne ac simplex haud differunt specie. Ita Sanch. *de matr. to. 2. l. 7. disp. 27. n. 27.* Filliuc. *tract. 30. c. 9. n. 125.* Villalob. *to. 1. tr. 9. dub. 37. n. 13* Henriq. *l. 5. de Pœnit. c. 5. n. 6. in glos. lit. G.*

234. *Idem censeo.* Idem puto, & asserendum moneo de sæculari sacerdote; nec enim in confessione tenetur aperire sacri ordinis, seu voti solemnis circunstantiam sed ei sufficit, se contra votum castitatis peccasse, profiteri. Quæ quidem doctrina fœminæ cum sacerdote aut Religioso professo delinquenti est accommodanda.

PROBL. LII.

Quis per expressum pactum cum dæmone diuinans debet, & non debet in confessione referare.

DEbet quidem. Quia licet huiusmodi diuinatio specie non differat à reliquis diuinationibus, addit tamen circunstantiam notabiliter aggrauantem. Multo enim grauius piaculum est, dæmonem expresse inuocare, quam aliqua gerere, quibus se dæmon ingerat. Ita Sylu. *2. 2. q. 95. a. 3.* 235. *Debet expressum pactum aperire.*

Non debet. Quia circunstantiæ aggrauantes laudabiliter certe, non tamen necessario sunt in confessione aperiendæ. Ita Dian. *p. 1. tr. 7. resol. 66.* 236. *Non debet.*

Profecto diuinationum non sunt species diuersæ omnino in genere moris; vnde non est necessarium profiteri, an diuinatio per inspectionem auium, an per lineamentorum signacula, an per expressam Diaboli inuocationem fuerit captata.

PROBL. LIII.

Omisit quis sacrum propter studium: tenetur, & non tenetur exponere in confessione studij circunstantiam.

TEnetur plane. Quia studium ex cuius affectu in die festo sacrum omittitur, est peccatum specie ac numero distinctum ab ipso omissionis peccato, ac proinde in confessione distincte exponendum. Sic Gandauens. Gabriel. Richar. quos citat & sequitur Zumel. *1. 2. q. 71. a. 5. disp. 4.* 237. *Tenetur exponere.*

Non tenetur. Quia voluntas ipsa omittendi, atque etiam actus ille ex se non malus, cuius affectu inordinato aliquod præceptum omittitur, per se ac formaliter loquendo, nec specie nec numero distinctum sunt peccatum à subsequenti omissione: ac proinde nec distincte in confessione sunt aperienda Sic Valent. Azor. Vasq. quos citat, ac sequitur Tanner. *1. 2. disp. 4. q. 4. dub. 2. n. 15. & 20.* 238. *Non tenetur.*

Certè actus ille ideo malus est, quia per modum causæ, seu medij ad consummandum omissionis peccatum ordinatur; sed in genere moris vnum numero peccatum censetur actus consummatus peccati & cæteri, qui ad ipsam consumationē ordinantur, si aliunde mali non sunt. Vnde si actus, qui est causa omissionis per se alioqui 239. *Hanc sequor mentem.*

qui malus non est, non est peccatum specie, vel numero à subsequente omissione distinctum.

PROBL. LIV.

Furatur quis coram ludice, seu cum manifesto vitæ discrimine: in confessione tenetur, & non tenetur hanc circunstantiam reserare.

240. *Tenetur exponere.* TEnetur quidem. Quia duo adsunt peccata, nempe furti & temeritatis contra fortitudinem: quemadmodum qui in bello se mortis periculo sine causa exponit. Ita Vasq. 1.2.*to.*1.*q.* 73.*a.*9.*dub.*3.

241. *Non tenetur.* Non tenetur. Quia pœna mortis quamuis sit à delinquente præuisa non addit nouam malitiæ speciem, nisi ea pœna sit intenta directè, ipsumque adeò peccatum tanquam medium ad hunc finem electum. Ita Tanner. 1.2.*disp.*4.*q.*3.*dub.*3. *num.*71.

242. *Idem puto.* Idem sentio. Quia qui directè & per se non vult pœnam, sed tantum indirectè, ac consequenter: non vult pœnam nisi ex suppositione peccati; sed velle pœnam ex suppositione peccati, per se non est peccatum. sufficit ergo pœnitentem profiteri, se furtum perpetrasse, nec tenetur exponere coram ludice, aut cum manifesto vitæ periculo id patrauisse.

PROBL. LV.

Medicus alicui veniam dat carnes edendi die ieiunio consecrato sine causa legitima: debet, & non debet diei prohibiti circunstantiam in confessione aperire.

243. *Non debet aperire.* NOn debet. Quia hoc est vnicum peccatum contra temperantiam, licet sit diei prohibiti circunstantia notabiliter aggrauans. Sic Montes. *in* 1.2.*tom.*2.*q.*73. *a.*2.*q* 4.*n.*47.

244. *Aperire debet.* Debet planè. Quia Medicus duplicis fractionis reus est præcepti, nempe præcepti ieiunij, & à carnibus abstinentiæ. Ita Sanch. *l.* 4. *Decal. c.* 11. *n.* 42. & 53. Ludou. de San. Iuan. *sum. tom.* 1. *tr. de ieiun. a.* 7. *dub.* 2. Sancti. *in select. disp.* 41. *num.*16.

245. *Idem existimo.* Sequor hosce, quia duplex omnino peccatum. At si primam sententiam (quod abnegarim) veram existimes circunstantia illa haud est necessario reseranda, quia solummodo aggrauat, non mutat speciem.

PROBL. LVI.

Ministrat quis lethali crimine irretitus excellentius sacramentum: tenetur, & non tenetur excellentiæ circunstantiam in confessione expendere.

246. *Tenetur exprimere.* TEnetur equidem. Quia Sacramenti excellentia ausus Sacerdotis exaggerat, facit crescere sacrilegi irreuerentiam. Ità Ledesm. *sum. tom.* 1. *de Sacram. in gen. cap.* 6. *concl.* 8. Ioan. de la Cruz *in direct. p.* 2. *de sacr. quæst.* 4. *dubio* 3. *concl.*3.

247. *Non tenetur.* Non certè tenetur. Quia licet grauius delinquatur, peccatum tamen non est specie diuersum. Ita Dian. *p.* 1. *tract.* 7. *resol.* 59.

248. *Assentior.* Assentior monens quæstionem procedere de aliis sacramentis Eucharistia excepta, quam ministrari ab indigno lethale peccatum non est, de quo alibi. Addo contra primæ sententiæ Doctores ministrum grauissimo aliquo crimine irretitum, aut multis grauissimis piaculis maculatum non teneri grauitatem indignitatis exponere, sed sufficere, se indignum generatim profiteri.

PROBL. LVII.

Vno vel multis annis quis iniustè retinet rem furto ablatam: diuturnitas illius voluntariæ retentionis est, & non est circunstantia necessariò in confessione manifestanda.

249. *Manifestanda est.* NEcessario manifestanda est. Quia licet in huiusmodi diuturna retentione rei alienæ domino inuito, non semper multiplicentur peccata, aggrauantur tamen notabiliter. Ita Tanner. 2. 2. *disp.* 4. *q.*6.*dub.* 14.*n.*427. & alij.

250. *Manifestanda non est.* Non est necessario aperienda. Quia plura non committuntur peccata, sed tantum continuatur antiquum, etiam si forte sæpius interim offeratur restituendi occasio, vel etiam sæpius propositum non restituendi renouetur. Sic Petrus Nauar. *de Rest l.* 4. *c.* 4 *n.* 9. Arag. & Cabrer. apud Tanner. citat. *n.*425. Dian. *p.*1. *tr.*7. *resol.*85.

251. *Idem existimo.* Idem putarim, si quidem circunstantiæ notabiliter aggrauantes haud sunt necessario aperiendæ. Moneo tamen id intelligendum, dummodò qui retinuit aliena, pœnitentia ductus non proponat restituere, & postea, muta-

to proposito resumat animum non restituendi.

PROBL. LIX.

Omittit Præsul necessariam subditi correctionem, in confessione tamen solum aperuit, se proximi correctionem omisisse, nulla subditi facta mentione: satisfacit, & non satisfacit confessionis integritati.

252. *Non satisfacit.* NOn satisfacit, nisi exponat, se illius proximi esse Prælatum. Quia ad corrigendum subditum tenetur ex iustitia. Ita Villalob. *sum. tom. 2. tract. 4. diffic. 6. num. 4.* Bannes 2. 2. *q. 33. vers. 3. dub. 1. concl. vlt.*

253. *Satisfacit.* Satisfacit omninò. Quia ad corrigendum subditum solum ex misericordia tenetur. Vnde notabiliter solum modo huiusmodi aggrauat circunstantia. Ita Dian. *p. 1. tract. 7. resol. 57.* & alij quorum sententiam approbat Ioan. Sanct. *select. disp. 6. num. 9.*

254. *Prima hæreo opinioni.* Certè Sanctius ipse inibi Bannes sententiam vocitat veriorem, cui subscribendum duxi. At si admittas solummodo ex misericordia Præsulem teneri ad subditi correctionem, quod de Prælato à secundæ sententiæ Doctoribus asseritur, affirmandum de patre, tutore ac domino, respectu mancipij non famuli ob salarium seruientis; quia mancipium est sub dominio domini, & ad eius pertinet curam, mancipij dirigere actiones, non autem famulorum.

PROBL. LX.

Sacerdos cum fœmina, eius aliquando confessionis filia, copulam iniit: tenetur, & non tenetur huiusmodi filiationis circunstantiam in confessione exprimere.

255. *Tenetur explicare.* TEnetur quidem. Quia hæc circunstantia piaculi mutat speciem, est enim speciale sacrilegium ratione vinculi, simili cognationi spirituali ex sacramento contracti. Ita Sanch. *de Matrim. tom. 2. l. 7. disput. 55. numer. 4.* Coninch. *de Sacra. disput. 31. dub. 2. n. 23.* Fagund. *de Præc. Eccl. tract. 2. l. 4. c. 3. n. 33.* Megal. *in p. 1. l. 5. c. 12. n. 16.*

256. *Cum his sentio.* Non tenetur: Quia hæc circunstantia nō mutat speciem, sed notabiliter aggrauat. Ita Ponti. *tract. de impedim. Matr. causa 30 cap. 24. §. 2. vers. atque hac.* Sanct. *sel. disp. 11. num. 13.* Azor. *part. 3. l. 3. c. 9. q. 5.* Bonac. *de Matr. q. 4. punct. 16. num. 7.*

Scio Filliucium *tom. 1. tr. 10. c. 5. n. 187.* vsum distinctione. Aut enim actu mulier est confessionis filia Sacerdotis huiusce cui ordinariè confiteatur, aut non est actu pœnitens, sed olim fuit. In primo casu putat circunstantiam esse aperiendam, in secundo minime. At crediderim circunstantiam huiusmodi haud esse vnquam manifestandam. Quia non mutat speciem; Nam Pœnitentiæ Sacramentum non inducit propriè spiritualem cognationem, cum nullo in iure expressa reperiatur. Cap. enim *Omnes, 30. q. 1.* intelligendum de incestu metaphorico, ac improprio, licet Confessarius pater spiritualis appelletur. Id quod ipse Filliucius *tom. 2. tract. 30. c. 5. n. 105.* affirmauit. 257. *Cum his sentio.*

PROBL. LXI.

Confessarius cum filio confessionis peccans tenetur, & non tenetur circunstantiam filiationis huiusce in confessione declarare.

PŌno, arguendi gratia, sacerdotem cum confessionis filia delinquentem teneri filiationis exponere circunstantiam, & requiro: an etiam id debeat profiteri si cum viro filio confessionis rem gessit iniquam? Tenetur quidem. Quia etsi iura de commistione cum fœminis confessionis filiabus loquantur solummodo, eadem omnino ratio procedit respectu virorum pœnitentiæ filiorum, & eadem Sacramento irrogatur iniuria. Vnde in Bulla contra sollicitantem fœminas Confessarium in confessione, etiam virorum sollicitatio includitur. Sic Sanct. *sel. disp. 11. num. 12.* 258. *Tenetur declarare.*

Non tenetur. Quia Canones prohibentes, de fœmnis tantum loquuntur, vt Cap. *fin. ibi cum mulieribus*, & Cap. *Omnes ibi, ad suam pœnitentialem, accedat.* Vnde multi Doctores probabiliter docent, ante Bullam Gregorij XV. Confessarios sollicitantes viros non fuisse denunciandos, quia Bulla Pauli V. & Clementis VIII. tantùm de Confessariis sollicitantibus fœminas loquebatur. Sic Ponti. *tract. de impedim. causa 30. c. 24. §. 2.* Acuna *tract. de Conf. sollic. qu. est. 5. num. 53.* Peirin. *ad priuil. Minor. tom. 2. const 4.* Fauet Fagundez *de Præc. Eccl. tract. 2. l. 4. cap. 3. numero* 259. *Non tenetur.*

numero 31. asserens viros minimè denunciandos ante Bullam Gregorij.

260. *Idē arbitror* Subscribo, & adiicio, etiam stando sententiæ, quod debeat Confessarius circunstantiam copulæ cum confessionis filia aperire: non debere circunstantiam tactus ac pollutionis declarare; quia ius Canonicum solum commistionem enumerat ad irrogandam iniuriam sacramento.

PROBL. LXII.

Rogitat pœnitentem Confessarius, an perpetrandi id crimen, quod profitetur, consuetudine laboret? tenetur; & non tenetur huiusmodi recidiui circunstantiam aperire.

261. *Non tenetur consuetudinē seruare.* NOn tenetur. Quia Confessarius ius habet ad interrogandum de peccandi consuetudine, cum neque illud habeat, vt quis eadem peccata bis confiteatur, nec ad afficiendum pœnitentem dedecore, ac pudore, consuetudine peccandi exposita. Quid si Confessarius interroget de consuetudine: Potest æquiuocatione vtendo, negare consuetudinem, vt fiat sensus: Consuetudine careo peccandi non absolutè, sed ad confitendum tibi. Ad eadem enim peccata referanda bis, nullus est obligatus, nec ad patiendum pudorem ex consuetudine exposita oriturum. Sic Sanctius *sel. disput.* 9. *num.* 6. *&c.*

262. *Tenetur aperire.* Tenetur planè interrogatus pœnitens, consuetudinis circunstantiam aperire. Quia ius habet Confessarius gerens Medicum ægroti requirere infirmitatem. Laboranti enim consuetudine delinquendi validiora sunt pharmaca adhibenda. Ita Vasq. 3. *part. tom.* 4. *quæst.* 91. *art.* 1. *dub.* 3. Henriq. *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 1. Reginal. *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 133.

263. *Amplector secundam sententiam.* Profiteor, primam sententiam ingenioſe à docto admodum amico meo Sanctio de more defendi, sed in praxi tutam minimè affirmare audebo, nisi mihi ostendatur, à Confessarij munere Medici officium expunctum omnino.

PROBL. LXIII.

Apostasiæ quis crimine inficitur, & Confessario generatim aperit se lapsum in hæresim, apostasiæ circunstantiam reticendo: sufficiens est, & sufficiens non est huiusmodi confessio.

264. *Aperienda necessario.* APostasiæ à fide circūstantia in confessione necessario est aperienda. Quia apostasia differt specie ab hæresi. Sic Valent. *to.* 3. *disp.* 1. *q.* 11. *pun.* 1. *Diffic.* 1. Suar. *de fide, disp.* 16. *sect.* 5. Ledes. *sum. to.* 2. *tr.* 1. *c.* 7. *concl.* 3. Imo Sanch. *l.* 2. *Decal c.* 7. *n.* 17. asserit apostatam debere exponere ad quam sectam transierit.

264. *Non aperienda necessario.* Non est necessario manifestanda apostasiæ circumstantia. Quia non differt specie ab hæresi. Apostasia enim est discessio à tota fide, hæresis autem à parte fidei; at magis vel minus recedere ab eo, quod semel susceptum est, non mutat speciem; ergò apostasia ab hæresi specie non differt. Circumstantia igitur apostasiæ solummodo aggrauans intra eandem speciem proferenda non est. Ita Azor. *to.* 1. *l.* 8. *c.* 21. *q.* 3. Caiet. 2. 2. *q.* 10. *a.* 1. *& q.* 11. *a.* 1. Sanch. citat. *n.* 16. Bannes 2. 2. *q.* 12. *a.* 1.

266. *Cum his sētio.* Cum his sentio, dum video apostatis, & hæreticis eandem pœnam imponi: quia ciusdem scilicet speciei piaculum reputatur.

PROBL. LXIV.

Semel quis contra Deum, semel contra Virginem Deiparam, semel contra D. Petrum blasphemiam protulit, & in confessione indistinctè exposuit se triplex blasphemiæ crimen perpetrasse, reticendo blasphemiarum circumstantias: satisfecit, & non satisfecit confessionis integritati.

267. *Non satis-facit.* NOn satisfecit. Quia contra Deum, aut Virginem proferre blasphemiam grauiorem irreligiositatis importat speciem. Ita Filliuc. *to.* 2. *tr.* 25. *c.* 1. *n.* 26. Turria. 2. 2. *disp.* 56. *dub.* 3. Reginal. *to.* 2. *l.* 18. *c.* 14. *n.* 201. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 6. *n.* 11.

268. *Satis-facit.* Satisfacit planè. Quia blasphemiæ in Deum, & in Diuos specie non differunt: ideo circumstantia solummodo aggrauans necessariò non est proferenda. Ita Caiet. *sum. verbo, Blasphemia.* Valent. *to.* 3. *disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 1. Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *quæst.* 10.

Assentior,

269. *Hos sequor.* Assentior, nisi huiusmodi blasphemiæ ex odio Dei formali procederent, vel hæresim inuoluerent. Exclusis autem hisce duobus casibus, nunquam tenetur pœnitens exprimere blasphemiæ qualitatem.

PROBL. LXV.

Quis morosè delectatur ex obiecto solutæ, nuptæ, aut Monialis, & in confessione dixit: Toties morosè delectatus sum, sine expressione circumstantiæ imaginationi obiectæ: sufficit, & non sufficit huiusmodi confessio.

270. *Non sufficit.* NOn sufficit. Quia delectationes morosæ in re venerea non sunt eiusdem speciei, sed diuersæ pro specifica operis, diuersitate: ergo distinctè sunt in confessione exprimendæ. Sic Sanch. *l.* 1. *Decal. c.*2.*n.*11. Azor. *to.*1.*l.*4.*c.*6.*q.*3. Villalob. *to.*1. *tr.*3.*dub.*3.*n.*4. Homobon. *de Exam. Eccl. p.* 1.*tr.*5.*c.*13.*q.*84.

271. *Sufficit.* Sufficit quidem. Quia quum delectationes morosæ tantum in appetitu sensitiuo consistunt, & non in efficaci voluntate, eiusdem sunt speciei, nec à simplici fornicatione differunt. Sic Vasq. 1.2. *to.*2. *disp.*112.*c.*2.*to.*2.*l.*12.*c.*2.*n.*13. Clauis Reg. *l.*8.*c.*7.*n.*10.

272. *Hanc sententiam sequor.* Ego equidem libenter huic menti hæresceram, si mentis humanæ fragilitatem non agnoscerem, quæ tam facile, imaginationi obiecto proposito, appetit id, quod voluntati delectabile exponitur. Difficilè enim morosa illa delectatio ab obiecto abstrahi poterit. Attamen si delectatio hæc tantum sistit in appetitu sensitiuo, & non in voluntate efficaci, fateor à simplici fornicatione specie non differre. V. gr. non delectaris de coniugata vt coniugata, siue de illo obiecto quatenus iniuriosum est alteri, sed quatenus est delectabile.

PROBL. LXVI.

Quis dixit in confessione peccatum necessariæ oblitus circumstantiæ: postmodum explicando in alia confessione circumstantiam oblitam, satisfacit, & non satisfacit.

273. *Non satisfacit.* QVis furatus est calicem sed in confessione ex obliuione inculpabili aperuit, se furtum commisisse haud expressa sacrilegij circunstantia, non satisfacit proferens in secunda confessione se sacrilegium lethale perpetrasse: sed totum peccatum simul tenetur exponere. Quia aliter tota delicti malitia non exponitur. Ita Nugnus *in addit. ad* 3.*part.*1 *tom.* 2. *quæstio.* 9. *artic.* 1. *dubio* 2. qui citat Angelum.

274. *Satisfacit omninò.* Satisfacit omninò. Quia tam peccatum quam circunstantia possunt sufficienter separari. V. gr. iurasti diebus veneris ieiunare; ieiunium violasti, & in confessione solummodo expressisti, ieiunium te violasse, nulla facta voti mentione: satisfacis, in alia confessione aperiendo, licitum iuramentum violasse: sufficienter enim separatim oblita exponitur circumstantia. Ita Suar. *in* 3.*p.to.*4.*disp.*22.*sect.*2.*n.*8.*&* 9. Reginal. *to.*1.*l.*6.*c.*4.*n.*141. Filliuc. *to.*1.*tr.* 7. *cap.*4.*num.*80. Coninch *de sacram. disp.*7. *num.*141.

Assentior. Assentior eo in casu, quo tam peccatum, quam circumstantia possunt separatim exponi, secus quum non possunt sufficienter explicari separatim. V. gr. copula cum matre, quæ non explicatur sufficienter confitendo diuisim fornicationem cum consanguinea, & irreuerentiam ergà matrem.

PROBL. LXVII.

Sacerdos excipit multorum confessiones in peccato lethali existens: tenetur, & non tenetur, in confessione aperire multitudinis absolutorum circunstantiam.

275. *Tenetur exponere.* TEnetur Confessarius exponere numerum personarum, quas absoluit. Quia tot peccata mortalia commisit, quot personis absolutionis beneficium expendit. Sic Azor. *part.* 1. *lib.* 4.*cap.*4. *quæst.*6. Suar. *in* 3.*part.tom.*4.*disp.*22.*sect.*5. *n.*55 & alij.

276. *Non tenetur exponere.* Non tenetur personarum, quas absoluit, numerum referare. Quia vnicum peccatum est illud in genere motus. Ideò sufficit, Confessarium profiteri: Administraui sacramentum pœnitentiæ lethali crimine infectus. Ita Rodrig. *in sum. to.* 1.*c.*44.*n.*23. Dian. *p.*1.*tr.*7.*resol.* 43. & alij alibi recensendi.

277. *Primam sententiam sequor.* Probabilem hanc mentem existimo, dummodò Confessarius succesiuè illos pœnitentes absoluat: secus si cum notabili interruptione, nunc vnum, nunc alium absolueret. Attamen primam

sententiam

sententiam amplector, donec secunda decursu temporis fiat ex Doctorum approbatione securior.

PROBL. LXVIII.

Sacerdos Eucharistiam ab alio consecratam multis ministrat simul lethali piaculo infectus: debet & non debet circunstantiam multorum, quos Eucharistia refecit, explicare.

278. *Tenetur explicare.* SVppono modo sacerdotem mortali piaculo infectum, qui Eucharistiam ministrat peccare mortaliter, quod abnego in Tract. de Eucharistia: & quæsierim, an huic stando opinioni, teneatur Sacerdos, qui multis simul Eucharistiam impendit, circunstantiam multitudinis explicare? Tenetur quidem. Quia multos Eucharistia reficiens multa patrauit sacrilegia, sicut qui multos absoluit. Sic Filliucius *tom.1. tract. 4. c. 9. numero 271.* Coninch *de sacra. quæstion. 64. artic. 6. dub. 1. n. 35.* Valent. *tom. 4. disp. 9. quæst. 10. punct. 1.*

279. *Non tenetur explicare.* Non tenetur, sed sufficit aperire, se Eucharistiam indigne administrasse sine expressione aut numero personarum. Quia hoc in casu vnicum tantum peccatum in genere moris reperitur absque iniuria proximi. Sic Tanner. 2. 2. *disp. 4. quæst. 2. dub. 4. n. 56.* Henriq. *l. 5. c. 5. n. 6.* Dian. *p. 1. tr. 7. resol. 42.*

280. *Idem sentio.* Idem assero, sciens vnica aspersione Baptismi, aut vnica absolutione quem posse baptizare, aut absoluere multos. Vnde multos reficere Eucharistia vnicam putarim actionem.

PROBL. LXIX.

Circunstantia durationis temporis est, & non est in confessione exprimenda.

281. *Debet aperire durationem.* QVis multis diebus morosè delectatur; debet aperire tantam temporis durationem. Quia nimium aggrauatur delictum ex tam diuturna delectationis pertinacia. Sic Henriq. *l. 5. c. 7. num. 5.* Coninch. *de Sacram. disp. 7. dub. 3. num. 5.* Canus, & Sotus apud Vasquez citandum.

282. *Non debet.* Licet quis per annum integrum morosè delectetur si memoriæ haberet omnes delectationes, quas habuit non tenetur tantam illam temporis durationem aperire, sed sufficit ei dicere: Toties morose delectatus sum. Quia circunstantia illa solum est aggrauans. Ita Vasquez *in 3. p. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 3. numer. 36.* Zerol. *in praxi c. 12. quæst. 15.* Nauar. apud Vasq. citat.

283. *Subscribo.* Subscribo, submonens aliquando oportere, imò necessum esse durationem huiusmodi exprimere nimiam, vt pœnitens eo modo, quo potest, numerum peccatorum manifestet. Sæpe tibi videbitur imperito vnicum commisisse piaculum, & expressa temporis duratione, plura commisisse videberis.

PROBL. LXX.

Abripit quis virginem consentientem: debet, & non debet raptus circunstantiam manifestare in confessione.

284. *Debet manifestare.* DEbet profectò. Quia virgini, & parentibus grauis irrogatur iniuria. Sic Caiet. 2. 2. *q. 154. art. 6. ad 1. dub.* Vega *in sum. tom. 1. c. 55. cas. 25.* Barthol. Ledes. *de Pœn. dub. 10. num. 1.* Cordub. *in qq. lib. 1. quæst. 13.*

285. *Non debet.* Non debet. Quia quando virgo consensit in raptu, quamuis parentes, tutores, ac alij qui loco parentum se habent, dissentiant, solum erit fornicatio simplex. Parentibus autem nescientibus, & actualiter non repugnantibus haud fit vis manifesta. Vnde nec ratio virginitatis, nec iniuria parentibus facta necessario explicanda erit. Ita Lessius *l. 2. cap. 10. dub. 1.* Sanch. *de Matr. tom. 2. l. 7. disputat. 4. n. 5.* Dian. *part. 1. tract. 7. resol. 37.*

286. *Auctor ex parte annuit his, ex parte repugnat.* Fateor virgini annuenti haud irrogari vim, aut iniuriam, sed non admitto ignorantibus parentibus iniuriam non fieri, sed solummodo cum actualiter repugnant. Voluntati enim parentum vis inuritur ignorantium. Vnde si necessario explicanda est iniuriæ circunstantia dum fit raptus repugnante actualiter parente, debet exponi etiam nesciente: semper enim parentes credendi filiarum libidini repugnare. Ideo asseruerim debere pœnitentem circunstantiam raptus non ex virginis consentientis capite, nec ei iniuria facta: sed ex iniuria parentibus irrogata.

***

PROBL.

PROBL. LXXI.

Inducit quis ad peccandum mulierem libidini iam paratam ad facinus: circunſtantia huiuſmodi eſt, & non eſt neceſſario exponenda.

287. *Exponenda eſt.* EXponenda eſt. Quia etiam data fœminæ præparatione ille peccato alterius cooperatur. Ita Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 6. *num.* 14. Bonac. *de Sacram. diſp.* 5. *punct.* 2. *diffic.* 3. *num.* 19.

288. *Non eſt exponenda.* Non eſt exponenda. Quia in tali caſu re vera non datur ſcandalum, nec propria, ac moralis exhibetur inductio, cum voluntas ex ſe iam piaculo erat expoſita. Ita Ledeſ. *ſum tom.* 1. *de Pœnit. cap.* 19. *dubio* 7. Suarez *in* 3. *p. tom.* 4. *diſput.* 22. *ſect.* 4. *num.* 18. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 16. *q.* 5. Coninch. *de ſacram. diſputat.* 7. *dub.* 4. *numero* 13.

289. *Aſſentior.* Aſſentior, & conſequenter aſſero contra Henriq. *l.* 5. *c.* 7. *n.* 7. eum qui vtitur perſona parata, vt maleficium alio maleficio ſoluat cum pacto dæmonis, haud teneri inductionis circunſtantiam exprimere, ſed ſufficere, ſi aditionem ad ſagam profiteatur. Didici ex Fagund. *præc.* 2 *l.* 4. *c.* 5. *n.* 3.

PROBL. LXXII.

Die iouis aut veneris ſancti quis libidinis piaculum perpetrauit: tenetur & non tenetur ſanctitatis diei circunſtantiam declarare.

290. *Tenetur declarare.* SAnctiſſimi diei circunſtantia eſt de neceſſitate confeſſionis. Quia religioni tam ſancti diei irrogatur iniuria. Sic Medin. *ſum. l.* 1. *c.* 9. §. 1. Llmas *ſum. p.* 3. *c.* 8. §. 14. Pitigian. *in* 4. *tom.* 2. *diſput.* 17. *q. vnic. a.* 5. Rodrig. *ſum. tom.* 1. *c.* 53. *n.* 12.

291. *Non tenetur.* Non eſt de neceſſitate confeſſionis. Quia eſt tantum aggrauans circunſtantia, quæ neceſſariò aperienda non eſt. Sic Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 9. *n.* 347. Henriq. *l.* 5. *c.* 6. *n.* 6. Dian. *p.* 1. *tract.* 7. *reſol.* 32.

292. *Conſentio,* Aſſentior, dummodo illud piaculum in diei feſti contemptum non fuerit perpetratum.

PROBL. LXXIII.

Patrauit quis inceſtum cum matre, vel filia, vel ſorore, vel nepte: debet, & non debet exprimere perſonæ ſibi iunctæ ſanguine aut affinitate naturali, vel legali, vel ſpirituali circunſtantiam.

293. *Debet exponere lineam & gradum.* DEbet quidem. Quia inceſtus eſt diuerſę ſpeciei non ſolum in linea conſanguinitatis, & affinitatis deſcendentium, & aſcendentium; ſed etiam in gradibus ſingulis vtriuſque lineæ, ita vt quot ſunt gradus conſanguinitatis & affinitatis, tot ſint ſpecies diſtinctæ inceſtus: Ideo qui filiam vel ſororem vxoris, vel neptem cognouit, non ſatisfacit profitendo: peccaui cum conſanguinea vel affine, vel cum vna aſcendentium, aut deſcendentium, ſed debet exponere: cum filia, vel nepte, vel ſorore vxoris. Imo ſi quis peccauit cum matre, non ſatisfacit exponens: deliqui cum vna in primo conſanguinitatis gradu. Sic nonnulli, quos ſuppreſſo nomine memorat Dian. *p.* 1. *tr.* 7. *reſol.* 31. Filliuc. *tr.* 30. *n.* 96. aſſerit gradus conſanguinitatis comparatos cum gradibus affinitatis, vel alijs coniunctionibus ſpecie diſtingui. Conſentit Nauar. *c.* 16. *n.* 17. Valent. *tom.* 3. *q.* 3. *punct.* 3. Azor. *p.* 3. *cap.* 9. *q.* 1. Si autem inter ſe comparentur, probabile eſt non diſtingui ſpecie, probabilius autem diſtingui, ipſo Filliucio auctore *n.* 97.

294. *Non debet.* Non debet. Quia inceſtus inter conſanguineos & affines non differunt ſpecie in genere moris: & diuerſitas graduum ſpecificam non conſtituit diuerſitatem: ſed circunſtantiam ſolum aggrauantem intra eandem ſpeciem, quæ neceſſario aperienda non eſt. Nugnus ita *in addit. ad* 3. *p. tom.* 2. *q.* 9. *a.* 2. *dub.* 3. Gypti. *tr. de caſ. reſer. c.* 8. *n.* 5. Megal. *in* 1. *p. l.* 5. *cap.* 12. *n.* 9. lege Azor. *p.* 3. *l.* 3. *c.* 9. Bonac. *de ſacra. diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *diffic.* 3. *n.* 9. Vaſq. *in* 3. *p. to.* 4. *q.* 91. *a.* 1. *dub.* 4. *n.* 18.

295. *Auctoris ſententia.* Exiſtimo probabile eſſe in ſacramentali iudicio ſufficere profiteri: Inceſtum toties perpetraui, perſonam tibi coniunctam non exprimendo. Et quamuis grauior ſit inceſtus cum filia vel matre, quam cum ſorore vel nepte, vel conſobrina vxoris: tamen quia grauitas hæc malitiam intra eandem auget ſpeciem, non eſt neceſſariò aperienda. Verum primi gradus inceſtum ego exponendum exiſtimarim; adeo

adeo enim grauitas increſcit, vt diuerſam ſpeciem conſtituere videatur, præcipue cum ipſa natura repugnet.

PROBL. LXXIV.

Quis proximum odio proſequutus eſt ſemel circa perſonam, bis circa honorem, ter circa facultates: debet, & non debet haſce exprimere in confeſſione circunſtantias.

296. *Non ſufficit.* NOn ſufficit huic indiſtinctè profiteri: ſex in proximum odij grauis crimina perpetraui. Quia afficere proximum iniuria in perſona, in fama, in facultatibus ſunt peccata ſpecie diſtincta contra iuſtitiam propter materiæ diuerſitatem. Vnde quando pœnitens confitetur ſe fratrem odiſſe, deberet confeſſarius interrogare, quonam odij genere? v. gr. an malum volitum fuerit circa perſonam, vel famam, vel facultates. Ita Suar. *tract. de charit. diſputatio. 6. ſectione 2. numer. 2. & 3.* Sylueſt. *2.2. quæſt. 34. art. 6.*

297. *Sufficit omnino.* Sufficit, vt pœnitens aperiat, ſe ſexies proximum odio proſecutum; nec opus eſt explicare, an odium circà perſonam, vel famam, vel facultates verſaretur. Quia odium in ſuo eſſe non ſolum ſpecifico, verum etiam indiuiduali conſtituitur potius ex motiuo, quam ex obiecto materiali: cum idcirco velimus alicui graue incommodum aut in vita, aut in fama, aut in facultatibus, quia nobis diſplicet. Sic Ledeſma *in ſum. tom. 2. tr. 3. c. 6. conc. 8.* Bonac. *tr. de legib. diſp. 3. q. 4. punct. vlt. §. 1. n. 10.* lege Turrian. *2.2. diſp. 91. dub. 1.*

298. *Idem ſentio.* Idem exiſtimo; quia licet illa mala vohita ſpecie differant tamen hîc optantur ſub vna eademque ratione formali, quæ eſt proximi odium.

PROBL. LXXV.

Tactus impudici facti in Templo habent, & non habent ſpecialem ſacrilegij circunſtantiam neceſſario in confeſſione exprimendam.

299. *Habent ſacrilegij circunſtantiam.* HAbent quidem. Quia licet Eccleſia ſolũ prohibeat ſeminis emiſſionem, lex naturalis prohibet in Eccleſia fieri huiuſmodi impudicos tactus tanquam ſanctitudini indecentiſſimos: reputantur enim materia grauis ad grauem irreuerentiam ſacri loci ſufficiens. Sic Suar. *de Rel. to. 1. l. 3. c. 7. n. 11.* Salas *1. 2. tom. 2. tract. 13. diſp. 6. ſect. 22. num. 150.* Azor. *to. 1. l. 4. cap. 6. q. 10.* Cordub. Sylueſt. Lop. Rodrig. Ledeſ. apud Suar. citat.

300. *Non habent.* Tactus impudici, modo non adſit pollutionis periculum ratione loci ſacri non habent ſpecialem malitiam ſacrilegij in confeſſione reſerandam. Quia malitia & ſpecialis deformitas ſacrilegij non aſſurgit ex naturæ iure, ſed ex ſolo Eccleſiæ ſtatuto, quod decernit, Templa tantùm ex ſanguinis, ac ſeminis profuſione violari. Sic Sanch. *de matr. tom. 3. l. 9. diſp. 15. num. 21.* Fagund. *præc. 2. l. 4. c. 4. n. 31.* Vaſq. *1.2. to. 1. q. 72. a. 6. diſp. 98. n. 4.* Coninch. *de ſacr. diſp. 7. n. 22.*

301. *Idem ſentio.* Exiſtimo, tunc loci circunſtantiam conſtituere ſacrilegium, cum peccata in eo admiſſa impediunt inibi poſſe diuina celebrari, mortuos ſepeliri, &c. At tactibus quantumuis impudicis non violatur Eccleſia, nec diuina geri officia prohibentur. Non igitur erunt ſacrilegi, nec circunſtantiam confeſſione aperiendam importabunt. Didici ex Caiet. *tomo 1. 17. reſponſionum, reſp. 12. dubio. 1.*

PROBL. LXXVI.

Occulta pollutio in Templo continet, & non continet ſacrilegij malitiam neceſſario in confeſſione explicandam.

302. *Continet ſacrilegij malitiam.* COntinet quidem. Quia licet voluntaria ſeminis effuſio non violet Eccleſiam actu, quandiu occulta eſt, tamen ſi poſtea fiat publica, incipit Eccleſia eſſe polluta. Ergo à principio actus ille fuit culpabilis contra Eccleſiæ prohibitionem; culpa enim non pendet ex futuro euentu ſcilicet an profuſio illa ſeminis voluntaria futura ſit aliquando publica, nec ne; & actus ipſe de ſe polluit ſufficienter, ideoque eſt contrà eſſentialem Eccleſiæ prohibitionem. Ita Suar. *de Relig. to. 1. l. 3. c. 7. n. 4.* Sanch. *de matr. to. 3. l. 9. diſt. 15. n. 11.* Bonac. *de matr. q. 4. punct. vlt. n. 7.*

303. *Non continet.* Non continet ſpeciale peccatum ſacrilegij occulta ſeminis in Eccleſia profuſio. Quia ſecundum communem ſententiam tantum violatur locus ſacer notoria pollutione. Si ergò hæc profuſio ideo ſolummodo eſt ſacrilegium, quia ea locus ſacer profanatur, & tollitur conſecratio, ſeu benedictio (nulla enim alia ratio eſt, vt ſpeciale peccatum ſit) fit vt notoria tantum effuſio ſpeciale ſit ſacrilegij

piaculum. Ita Vasq. 1. 2. *tom.* 1. *quæst.* 72. *a.* 7. *disp.* 98. *c.* 3. *n.* 6. Ponti. *de matr. l.* 10. *c.* 10. *n.* 15.

304. *Probabiliorem assero primam sententiam.*

Probabilem admodum hanc opinionem puto, sed adhuc probabiliorem primam assero, quia voluntaria seminis profusio, etiam secluso omni positiuo iure, sanctitati Ecclesiæ contrariatur, non solum propter malitiam eam, quam includit; verum etiam propter fœditatem actus, cuius turpitudo, etiamsi nullum esset peccatum, sanctitati Ecclesiæ, & eius munditiei est valdè repugnans.

PROBL. LXXVII.

Apud Templum quis hominis conuenientis nummos furatur: furtum hoc continet, & non continet circunstantiam sacrilegij in confessione necessario exprimendam.

305. *Continet circunstantiam exprimendam.*

FVrtum in loco sacro continet sacrilegij circunstantiam in confessione necessario declarandam. Probatur ex illo Ioannis Pap. cap. *Quisquis* 17. *q.* 4. testimonio: *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, aut sacrum de non sacro.* Ergo simpliciter & sine vlla limitatione species sacrilegij est, non sacrum de sacro furari. Ita Suar. *de Rel. tom.* 1. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 7. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *cap.* 7. *n.* 18. Rebell. *p.* 1. *l.* 3. *q.* 15. *n.* 25. Reginal. *to.* 2. *l.* 23. *c.* 1. *n.* 12.

306. *Non continet.*

Furtum huiusmodi in loco sacro non continet sacrilegij circunstantiam necessario exprimendam. Quia nummi illi quasi per accidens sunt in Ecclesia; ergò ipsi Ecclesiæ specialis non irrogatur iniuria, & aliàs tale furtum haud est specialiter prohibitum in Templi honorem. Ita Fagund. *Præc.* 2. *l.* 4. *cap.* 4. *n.* 9. & 12. Henriq. *l.* 2. *cap.* 6. *n.* 5. *in glos. lit. N.* Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *a.* 4 Lessi. *l.* 2. *cap.* 45. *dub.* 3. *n.* 14.

307. *Distinguendum puto.*

Profecto furtum in loco sacro, si asyli, ac securitatis causa res ibi sit deposita vt reuerentia loci tuta sit, ob circunstantiam loci sacri, dicit malitiam sacrilegij mortiferam. Si autem eam ob causam ibi deposita non sit, ratio sacrilegij specialis necessario aperienda in confessione non adest; quia res illa loci sacri custodiæ non erat concredita, sed per accidens ibi collocata. Quare non censetur loco per tale furtum iniuria irrogari maior, quam per confabulationes, detractiones, risus, sæculares contractus, & similia.

PROBL. LXXVIII.

Quis proximo vno impetu plures ore profert iniurias, seu contumeliosa verba: aperienda, & non aperienda est in confessione numerus, ac quantitas, seu qualitas iniuriarum.

308. *Aperiendus numerus, & qualitas iniuriarum.*

APerienda qualitas, ac numerus iniuriarum, si iniuriæ prolatæ sint specie distinctæ: v. g. Tu es fur, ac Iudæus. Quia huiusmodi duæ iniuriæ sunt plura peccata. Sic Henriq. *l.* 5. *c.* 8. *n.* 3. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 3. *n.* 39. Sanct. *disput.* 6. *num.* 1. & 2. Tanner. 2. 2. *disput.* 4. *q.* 2. *dub.* 4. *num.* 55.

309. *Non aperiendus.*

Non aperienda qualitas, nec numerus conuiciorum. Quia omnes contumeliæ sunt eiusdem speciei, Quamuis enim in cæteris diuersitas cernatur, conueniunt tamen in ratione formali, quæ est intentio auferendi alteri honorem. Vnde dum proximum vno impetu iracundus appellas latronem, Iudæum, quasi idem conuitium videris iterare: ideo sufficit in confessione aperias: meum proximum graui contumelia affeci. Ita Saa *verbo contumelia n.* 1. Molin. *to.* 5. *tr.* 4. *disp.* 19. *n.* 3. Azor. *p.* 3. *l.* 13. *c.* 5. *dub.* 1. Regin. *tom.* 2. *l.* 24. *c.* 5. *n.* 102.

310. *Hanc sequor mentem.*

Quibus hæresco haud limitationem Soti admittens. Hic enim *de Iust. l.* 5. *q.* 1. *art.* 1. asserit aliquando contumeliarum grauitatem tantum augeri posse, vt eius expressio sit de confessionis necessitate: v. gr. si proximum hæreticum, aut patriæ proditorem, vel quid simile vocitares. Id enim Sotus edocet ex opinione eorum qui putant circunstantias aggrauantes in confessione aperiendas. Ego autem, qui tantum circunstantias mutantes speciem in confessione reserandas asserui, simpliciter puto haud esse necessarium contumelias graues, profiteri.

PROBL. LXXIX.

Quis pluribus personis vno impetu profert iniuriam: debet, & non debet in confessione exprimere personarum numerum.

311. *Tenetur exprimere numerum personarum.*

TEnetur exprimere. Non quia pluralitas personarum præcisè sit circunstantia speciem immutans, sed quia est obiectum terminans, ac determinans ipsum actum, vt aliquid spectans ad ipsius substantiam quasi indiuiduam: cum autem ipse

ipse actus indiuidualis exprimendus sit in confessione, & hic exprimi sufficienter nequeat, non expresso numero personarum : sequitur numerum personarum exprimendum esse. Ita Bonac. *de Sacram. dis. 5. quæst. 5. sect. 2. pun. 2. §. 3. diffic. 3. num. 16.* Henriq. *l. 5. c. 5. n.* 4. Vasq. *in 3. p. to. 4. q. 91. a. 1. dub* 4. *n.* 4. Tanner. *2. 2. disp. 4. quæst. 2. dub. 4. n. 55.*

312. *Non tenetur.* Non tenetur exprimere. Quia in eodem actu non possunt dari plures malitiæ solo numero distinctæ. Sic Suar. *in 3. p. to. 4. disp. 22. sect. 5. num.* 34. Vasquez citat. asserit debere consequenter affirmare circumstantiam numeri personarum non esse necessariò in confessione exprimendam, qui profitentur plures malitias solo numero distinctas in eodem actu dari non posse.

313. *Idem sentio.* Idem existimo : quia plurium personarum circumstantia intra eandem aggrauat speciem. Itaque vnitas & multiplicitas peccatorum desumitur ex vnitate ac multiplicitate personarum, & subiectorum, quando actio fit successiuè circa plures personas, non quando fit tota simul circa personas plures. Quando enim quis erga decem homines profert iniuriam, aut conuitium, illa iniuria, aut conuitium illos decem homines respicit per modum vnius obiecti, & ideo ad illos vnica habitudine transcendentali tendit.

PROBL. LXXIX.

Copula inter coniugatos habita in loco sacro, est, & non est circumstantia necessariò in confessione aperienda.

314. *Est circumstantia aperienda.* ESt circunstantia necessario aperienda, nisi coniugati per longum tempus in illo loco sint detenti. Quia actio illa dedecet tantam Templi puritatem. Propter vitandum autem incontinentiæ periculum recluſis hæc venia exhibenda. Certè arbitrio prudentis relinquitur determinare, quodnam tempus longum sit vocitandum. Sanch. *de Matr. to. 3. l. 9. disp. 15. n. 12.* putat vnum mensem esse longum tempus. Lessius *l. 4. c. 3. dub. 12. n. 86.* quindecim vel viginti dies. Fagund. *præc. 2. l. 4. c. 4. n.* 21. decem dies. Diana *p. 1. tr. 7. resol. 19.* fragilitati humanæ consulens quatuor seu quinque dies assignat. Ita Suar. *in 3. p. to. 4. q. 83. a. 3. disp. 81. sect. 4.* Ledes. *in sum. to. 1. de Sacr. Euch. c. 20.* Megal. *in 1. p. l. 5. c. 13. n. 9.*

315. *Non est circunstantia aperienda.* Copula coniugalis si occulte fiat, etiamsi coniuges non sint concluſi vel quatuor dierum interstitio, non est peculiare sacrilegij peccatum. Quia actus qui sine vllo piaculo geritur, imò qui sanctè exponitur potest quidem aliqua indecentia veniali locum sacrum purissimum afficere, sed non grauiter deturpare. Ita Ponti. *de Matrim. l. 10. c. 10. c. 15.* Probabilem putat Vasq. *1. 2. to. 1. disp. 98. c. 3. num. 6.* Lessiusque citatus non impugnat.

316. *Primæ hæc mentis.* Primæ sententiæ sequor Auctores, ratus solum incontinentiæ periculum posse actum illum coram augustissima puritate honestare. Lege Tannerum *2. 2. disp. 4. q. 2. dub. 3. n. 42.*

PROBL. LXXX.

Præsul subdito aliquid sub præcepto obedientiæ iubet, subditus violat obedientiam : debet, & non debet virtutis obedientiæ circunstantiam declarare.

317. *Debet exprimere.* DEbet exponere virtutis obedientiæ circunstantiam. Quia peccatum patrauit duplicem continens malitiam vnam aduersus Religionem, alteram aduersus obedientiam. Sic Villalob. *in sum. to. 1. tr. 9. dub. 36. num. 14.*

318. *Non debet.* Non debet exponere. Quia subditus ille peccatum vnam solummodo malitiam continens perpetrauit. Licet enim violatio præcepti virtuti obedientiæ ac Religionis opponatur, non tamen contra obedientiæ necessariam materiam existit, nisi ex virtutis Religionis participatione, voto mediante : vnde peccatum illud vnicam malitiam importat. Ita Ledes. *in sum. to. 1. de pœnit. c. 19. concl. 6.* Caiet. *2. 2. q. 88. art. 5. ad 3.* Sotus *de Iust. l. 7. quæst. 2. a. 3. ad 1.*

319. *Hos sequor.* Cum his sentio putans præcepti violationem, voti simul obedientia læsa, actui intrà eandem speciem addere grauitatem.

PROBL. LXXXI.

Virgo, quæ primò sponte amisit integritatem, debet & non debet virginitatis circumstantiam in confessione declarare.

320. *Tenetur declarare virginitatis circunstantiam.* SVppono virum, qui primo virginitatem corporis violauit ; ex communiori sentia, non teneri virginitatis læsæ circumstantiam exponere, de quo alibi : hîc quæsierim, an fœmina sponte virginitatem violari permittens, teneatur huiusmodi exponere circumstantiam. Tenetur quidem. Quia circum-

ſtantia virginitatis mutat ſpeciem, & eſt ſtupri peccatum. Ita D. Thom. 2.2.*quæſt.* 64. *art.* 6. Graffis *p.* 1. *l.* 2. *cap.* 79. *num.* 1. Tabie. *verbo ſtuprum num.* 1. *& verbo luxurioſus, q.* 5. *num.* 6. Angel. *verb. ſtuprum.* Sylueſt. *verbo luxuria, quæſt.* 1.

321. *Non tenetur.* Non tenetur. Quia peccatum virginis ſi ſponte conſentiat, ſiue ſit, ſiue non ſit ſub cura parentum, ſeu tutorum non eſt peccatum ſtupri, ſed ſimplicis fornicationis: volenti enim fœminæ haud infertur iniuria ſuæ quidem integritatis dominæ. Ita Leſſi. *l.* 2. *cap.* 10. *dub.* 6. *num.* 5. Coninch *de Sacram. diſp.* 7. *dub.* 4. *num.* 19. Sanch. *de Matr. l.* 7. *diſp.* 4. *num.* 5. Vaſq. *opuſc. de Reſtit. cap.* 3. §. 11. *dub.* 1. *num.* 6.

322. *Hanc eligo opinionem.* Huic hæreo menti, inferens virginem, quæ morosè delectatur circa aliquod obiectum, non teneri virginitatis aperire circumſtantiam: & iuuenem, qui morosè delectatur circa virginis obiectum, ſine voluntate inferendi ei violentiam, ſatisfacere confeſſioni exponendo, ſe circà ſolutam admiſiſſe delectationem: eum denique, qui annuentem virginem cognouit, haud debere exprimere virginitatis circumſtantiam. Alibi plura.

PROBL. LXXXII.

Præſul morem gerens humanæ fragilitati deliquit grauiter: tenetur, & non tenetur Præſulatus exponere circumſtantiam.

323. *Tenetur exponere Præſulatus circunſtantiam.* TEnetur. Quia Epiſcopi ratione proprij ſtatus debent vitę perfectioni ſtudere, cui quidem quodlibet peccatum mortale ex æquo repugnat. Id quod in Generalibus Religionum procedit, qui quaſi Epiſcopali dignitate funguntur, & alios debent monere perfectionem. Ita Nugnus *in addit. ad* 3. *p. tom.* 2. *q.* 9. *art.* 2. *dub.* 3. *concl.* 2. *&* 3. Fagund. *præc.* 2. *l.* 4. *c.* 3. *num.* 8.

324. *Non tenetur.* Epiſcopus ſatisfacit non ſolum tacendo ſe eſſe Epiſcopum, ſed etiam proferendo ſe tantum voto caſtitatis illigari, non ſacerdotij non Præſulatus vinculo. Quia Præſulatus circumſtantia ſolummodo intra eandem aggrauat ſpeciem. ſic Coninch *de Sacr. diſp.* 7. *dub.* 4. *num.* 18. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 30. *cap.* 7. *num.* 125. Sanch. *de Matr. tom.* 2. *l.* 7. *diſp.* 27. *num.* 33. Henriq. *l.* 5. *cap.* 5. *num.* 6. *in Gloſ. lit. G.*

325. *Idem exiſtimo.* Huic menti applaudo dummodo Præſul occultè (ex gr.) fornicationem perpetret. Nam ſi delictum illud publicè patraretur, ſcandalo oborto, tunc aduerſus ſpecialem officij obligationem, qua tenetur ſubditos non ſolum verbo, ſed etiam exemplo paſcere, delinqueret: atque adeò ſpecialis malitia ex ſtatus, ac officii circumſtantia contraheretur neceſſario in confeſſione proferenda.

PROBL. LXXXIII.

Peccat quis cum alterius ſponſa de futuro: vterque tenetur, & non tenetur hanc exponere in confeſſione circunſtantiam.

326. *Tenetur exponere vnus & alter.* TEnentur explicare. Quia duplex eo in actu malitia, altera fornicationis, altera fractorum ſponſalium, quæ quidem ob id dirimi poſſunt ex cap. *Quemadmodum, de iureiur.* Sic Mald. *in ſum. verbo, ſponſalia, num.* 12. Lopez *in inſtruct. p.* 1. *cap.* 29. Sarmi. *ſelect. inter. l.* 1. *cap.* 5. *n.* 3. Homobon. *de Exam. Eccl. p.* 1. *tract.* 7. *c.* 36. *q.* 140.

327. *Nullus tenetur.* Non tenentur exponere ſponſalium circumſtantiam. Quia circunſtantiæ mutantes ſpeciem ſolummodo ſunt neceſſariò aperiendæ. Hæc autem cum non ſit adulterium, ſpeciem non mutat. Petr. de Ledeſ. *de Matr. q.* 43. *art.* 1. *dub. vlt.* Henriq. *l.* 11. *cap.* 13. *num.* 4. Probabilem vocat Azorius apud Filliuc.

328. *Subſcribo hiſce.* Mediam inire viam poſſem affirmans: huiuſmodi circumſtantiam neceſſario referandam eſſe, quando ſe ex parte tenet ſponſæ, id eſt, dum aliquis rem habet cum ſponſa alterius de futuro: tunc enim & vir & fœmina tenentur ſponſalium circunſtantiam profiteri; apprehenditur enim vt grauis iniuria facta ſponſo: at quando ſe tenet ex parte viri, quia ſponſus de futuro fornicatur, circunſtantia hęc non eſt in confeſſione detegenda: neque enim ſponſi piaculum vt grauis ſponſæ facta iniuria aſſolet apprehendi. Sic Filliuc. *tract.* 30. *n.* 53. Tamen ſubſcribo ſecundæ ſententiæ Doctoribus ſciens ex Henriquez *l.* 11. *de Matr. c.* 13. *num.* 4. ſpeciem, id piaculum non mutare, nec propriè eſſe adulterium.

LIBER QVARTVS.

VITIA CAPITALIA.

DE vitiis, & peccatis prout ſunt capitalia vel principia aliorum nobis eſt differendum. Inter cauſas enim peccati non modo illæ ſunt annumerandæ, quas iam expoſuimus tam ſubiectiuas, quam effectiuas, tam intrinſecas quam extrinſecas: ſed etiam recenſendi ipſimet actus, vel habitus peccatorum, prout eorum aliqui ſunt aliquando cauſa aliorum, vt patet ex Doctore Angelico 1. 2. quæſt. 75. *De his ergo peccatis, quæ plurium aliorum ſunt principia, idque habent ex propria ac peculiari ſua ratione, in genere, & in particulari hæc certa dogmata, hæc accipe Problemata.*

SECTIO PRIMA.

De vitiis Capitalibus Receptiores abſque lite ſententiæ.

CAPVT I.

Vndenam Vitia hæc, Capitalia, vocitentur?

1. *Peccatum capitale eſt illud, quod eſt principium aliorum.*

CAPVT ſumitur dupliciter, propriè, ac metaphoricè. Caput propriè eſt illa pars in animali, à qua maxime pendet motus, ac ſenſus, & quæ eſt totius animalis directiua. Caput metaphoricè eſt omne illud, quod eſt principium, & directiuum aliorum; quo modo homines, qui alijs præſunt, eoſque dirigunt, communiter capita eorum appellantur. Denominatio igitur capitalis ſumenda à capite tranſlatè ac metaphorice, vnde peccatum capitale eſt illud, quod eſt principium aliorum, & quaſi directiuum aut ductiuum. D. Thom. 1. 2. *q.* 84. *a.* 3.

2. *Vocantur mortalia hæc capitalia vitia quia poſſunt eſſe origo mortalium.*

Certe hæc vitia, quæ à ſcholaſticis dicuntur capitalia, quia ſunt capita, ac principia plurium aliorum, vulgo *peccata mortalia* vocitantur; non quia peccatum capitale ac mortale conuertantur ad inuicem, ſi quidem multa peccata ſunt mortalia & non ſunt capitalia, vt blaſphemia, & homicidium; & multa ſunt capitalia, quæ communiter non ſunt mortalia, ſed regulariter ſolum ſunt venialia vt patet ex primo, quod à multis aſſignatur, inanis gloria; ſed quia poſſunt eſſe origo multorum mortalium, & vnumquodque eorum ex ſuo genere poteſt eſſe mortale, ſi materia ſit grauis, & actus perfectè deliberatus. Nauarrus *man. c.* 23. *n.* 3. Tolet. *l.* 8. *c.* 2.

3. *Hæc appellatio peccatorum mortalium vulgi errore inducta.*

Addiderim hanc peccatorum mortalium appellationem inductam eſſe vulgi errore, & abſolute loquendo bonam non eſſe: ſumptam autem fuiſſe æquiuocationem à peccato capitali ſecundum primam acceptionem capitis, ſecundum quam illud dicitur peccatum, ſeu vitium capitale, quod punitur pœna capitis. Quia enim pœna capitis in corporalibus eadem eſt cum pœna mortis, haud difficile potuit æquiuocatio ſumi, & peccatum capitale vulgariter vocari mortale. D. Thom. & Tolet. citat.

4. *Oſtenditur ſufficientia ſeptenarij numeri in peccatis capitalibus.*

Probo autem ſufficientiam numeri ſeptenarij in vitiis capitalibus. Omnis finis dupliciter poteſt mouere appetitum. Primo directè & per ſe; v. gr. quando

quando bonum mouet ad actum prosecutionis, & malum ad actum fugæ. Deinde indirectè, & quasi per accidens; v. gr. quando malum mouet ad actum prosecutionis propter aliquod bonum, quod habet adiunctum: vel bonum mouet ad actum fugæ propter aliquod malum. Si finis peccatorum sit mouens directè, & per se, habentur quatuor vitia capitalia, *Superbia, Auaritia, Luxuria, Gula*; si verò sit mouens indirectè, & quasi per aliud, habentur tria solummodò, *Ira, Inuidia, Acedia*. Quia omne bonum, quod potest directè mouere vel est bonum solius animæ quod ex sola apprehensione, & intellectione habet, vt sit appetibile, v. gr. excellentia laudis, & honoris; vel est bonum corporis, quod pertinet ad conseruationem indiuidui, v.gr. cibus, potus, & ad conseruationem speciei, v.gr. res venereæ: vel denique ad bonum externum, v.gr. diuitiæ. Certè circa primum inordinatè appetendum versatur superbia, circa secundum Gula, circa tertium luxuria, circa quartum Auaritia. At si finis & bonum moueat indirectè & per aliud, vel est bonum proprium, vel alienum: & si est alienum, vel mouet cum aliqua insurrectione ad vindictam, vel sine illa; si primum, circa illud versatur Acedia, quæ de bono spirituali proprio tristatur propter laborem, quem habet adiunctum; si secundum, vel est inuidia, quæ tristatur de bono alieno, in quantum est propriæ excellentiæ impeditiuum: vel Ira, quæ est cum insurrectione ad vindictam. Ex D. Thom. 1.2. *quæst.* 84. *art.* 4.

Caput II.

De Superbia.

5. *Superbia est omnium septem vitiorum capitalium Regina.*

Superbia propriè loquendo non est ponenda vt primum inter vitia capitalia: sed vana gloria: superbia autem per se velut suprema omnium vitiorum Regina, & à qua oriantur, ac principentur etiam illa, quæ capitalia appellantur. Do D. Gregorium *l.* 31. *Mor. c.* 31. *Et ipsa vitiorum omnium Regina superbia, cum deuictum planè cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis quasi quibusdam suis ducibus deuastandum tradit, ex quibus vitiorum multitudines oriuntur.*

6. *Superbia quatuor modis accipitur.*

Superbia dicitur à *super* & *eo*, quod supra suam mensuram eat. Variis modis à Doctoribus accipitur. Primo sumitur latius pro vt est voluntas violandi legem siue præceptum: & tunc omne peccatum est superbia; quia est alicuius præcepti seu legis violatio. Secundo accipitur pressius quatenus est quædam legis & præcepti contemptus. Tertio adhuc strictius, prout est immoderata propriæ excellentiæ cupiditas, sed in quacumque re siue materia. Quarto demum superbia sumitur propriè vt est immodica propriæ excellentiæ cupiditas in honoribus, siue iis in rebus, quibus honor, ac reuerentia solet addici. Nauar. *c.* 23. Tolet. *de peccat. mort. c.* 3.

7. *Superbia, siue inclinatio illa naturæ corruptæ ad Dei contemptum est initium omnis peccati.*

Porro superbia, si sit illa inclinatio naturæ corruptæ ad Dei contemptum saltem interpretatiuum, quantum ad hunc effectum, qui est non subdi eius præceptis, est *initium omnis peccati* (Eccli. 10.) Quia talis contemptus maxime spectat ad auersionem à bono incommutabili, quæ in actu peccati se habet, sicut in motu primum initium, id est, recessus à termino à quo. Tolet. citat.

8. *Alio ex capite dicitur superbia initiũ omnis peccati, scilicet quia eius obiectum est propria excellentia.*

Sed quia ex Augustini *l.* 2. *de Genes. ad lit. cap.* 15. expositione non accipitur *Eccli.* loco illo superbia prout dicit contemptum Dei interpretatiuum, & est quid generale ad omne peccatum: sed pro vt est in se speciale peccatum contra humilitatem, & specialiter dicit appetitum inordinatum propriæ excellentiæ: alio ex capite dicenda est superbia omnis peccati initium. Duplex ergo ordo in actibus peccati est considerandus, ordo intentionis, & ordo executionis; & quia in primo ordine id quod habet rationem primi, & principij respectu aliorum, est ipse finis, & finis vniuersalissimus in omnibus peccatis est ipsum obiectum superbiæ, id est, propria excellentia; ideo hoc ex capite superbia est initium omnis peccati; quemadmodum ex alio capite, executionis scilicet, rectè dicitur cupiditas, aut diuitiæ esse radix malorum omnium; quia præbent adimplendi omnia peccatorum desideria opportunitatem. Vasq. 1. 2. *disput.* 136. *c.* 1. *n.* 5. D. Thom. 1.2. *q.* 1. *a.* 1. & *q.* 20. *a.* 1. & *q.* 57. *a.* 4.

9. *Vana gloria distinguitur à superbia.*

Igitur absolutè (vt vidimus) per vitia, aut peccata capitalia illa solum intelliguntur à D. Gregorio, quæ sunt capita plurium, vnde comparata sunt ab ipso particularibus ducibus, qui dirigunt certos milites. Collocat autem vt primum capitale vitium vanã gloriam, quæ distinguitur à superbia, quod sit appetitus inordinatus excellentiæ manifestandæ, non autem excellentiæ quomodocumque, & secun

ſecundum ſe : & ideo inordinatè appetit honorem, & gloriam, quæ communiter in ſignum excellentiæ aſſolent exhiberi. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 132. *art.* 1. *&* q. 162. *dub.* 6.

10. *Vana gloria poteſt apte appellari, ſuperbia.*

Si quis tamen hunc ipſum appetitum inordinatum excellentiæ propriæ manifeſtandæ ſuperbiam appellet, & ſuperbiam hoc modo acceptam contendat eſſe primum ex his vitiis capitalibus, quæſtionem de ſolo nomine fore reor. Certè de facto ſic numeratur non modo à D. Iſidoro, ac Caſſiano apud D. Tho. 2. 2. *q.* 162. *a.* 8. ſed & in Catholicis Catechiſmis communiter ; vnde non eſt, quod huiuſmodi locutio reprehendatur. In præſenti ſuperbiam accipio non ſecundum totam ſuam latitudinem, & rationem excellentiæ propriæ : ſed magis ſtrictè prout ſolum verſatur circà excellentiam manifeſtandam, & eſt idem cum vana gloria. Thom. citat.

11. *Peccatum ſuperbiæ poteſt quatuor modis contingere.*

Peccatum ſuperbiæ quatuor modis poteſt contingere, ſeu ad quatuor poteſt ſpecies adduci. Prima, ſi quis exiſtimet bonum, quod habet à ſe habere. Secunda ſi credat, id quod deſuper datum eſt, ſe ex ſuis meritis accepiſſe. Tertia, ſi quis iactet, ſe habere id, quod non habet. Quarta, ſi deſpectis cæteris, velit videri, ſe habere ſingulariter id, quod habet. Quia propria excellentia, in cuius appetitu ſuperbia conſiſtit, quatuor modis poteſt appeti inordinatè : primo, quia inordinatio conſiſtat in bono ipſo, ex quo excellentia quæritur : verbi gratia ſi quis iactet ſe habere id, quod non habet ; ſecundo, quia conſiſtat in modo illud bonum habendi : v. gr. ſi quis bona naturæ, vel quæcumque putet ſe habere à ſe ipſo, & non Deo, ſeque ſibi eſſe cauſam illorum efficientem ; tertio, ſi ipſe ſibi non eſt cauſa efficiens, exiſtimat ſaltem cauſam eſſe meritoriam, eaque ſe accepiſſe propriis ex meritis, & non ex gratuita Dei voluntate ; quarto, ſi putet, ſingulariter ſe illa accepiſſe, vnde aliis omnibus ſe ipſe præferat. Azor. *parte* 1. *libro* 4. *capite* 12. *quæſtione* 6. Nauar. *in Manu. capite* 23. *num.* 7.

12. *Superbia eſt peccatum mortale.*

Porrò ſi quis hæc omnia vel eorum aliquod deliberatè & aduertenter, practicè hic & nunc, & in particulari putet eſſe verum : non eſt dubium, quin peccet mortaliter. Quia hoc neceſſariò Dei contemptum includat, & tollat ad ipſum ſubiectionem. D. Thom. 2. 2. *q.* 162. *a.* 4.

13. *Non eſt contra fidem.*

Dixi autem *hic*, *&* *nunc*, *&* *in particulari* ; quia ſi quis in vniuerſali ac ſpeculatiuè aſſereret, quod bona, quæ habet, non habet effectiuè à Deo, ſed à ſe ipſo, peccaret contra fidem ; contra quam tamen non peccat, ſi ſolum practicè hic & nunc de propriis bonis ita glorietur, ac ſi illa haberet de ſe ipſo. Sicut enim ſi quis diceret in vniuerſali, fornicationem eſſe bonam, erraret in fide, in qua tamen non errat, ſi ſtimulante concupiſcentia, & ſolum practicè hic & nunc eam dicat eſſe bonam, & vt bonam appetat. D. Thom. 2. 2. *q.* 8. *de malo*, *art.* 4. *ad* 1.

14. *Pluribus aliis modis ex ſuperbia poteſt peccare mortaliter.*

Pluribus aliis modis poteſt quis ex ſuperbia peccare mortaliter. Quando ſcilicet appetit propriam excellentiam immeritam, aut meritis ſuis maiorem, aut malis artibus, & contra ius, faſque ; & eſt paratus potius legem Dei tranſgredi, quam à ſua excellentia excidere : aut illam quærit cum graui damno aliorum, eos inhonorando, aut infamando ; aut quærit ex re falſa, aut mala, vel relata in malum finem. Azor. *l.* 4. *c.* 12. *q.* 5.

15. *Poteſt peccare venialiter ex ſuperbia.*

Profecto tunc venialiter ſuperbiæ vitio indulgens delinques, quando res, ex qua quæris excellentiam, eſt parui momenti : vel quando actus Superbiæ non eſt plenè ac perfectè deliberatus. Tolet *l.* 8. *cap.* 4.

Caput III.

De vana gloria.

16. *Vana gloria eſt appetitus manifeſtationis propriæ excellentiæ cum laude.*

Vana gloria eſt appetitus inordinatus gloriæ, vel manifeſtationis propriæ excellentiæ, cum laude multorum. In hoc (vt vidimus) differt à ſuperbia quod illa ſit appetitus inordinatus excellentiæ ſimpliciter, & quomodocumque : hæc vero ſit appetitus inordinatus manifeſtandi huiuſmodi excellentiam. Quia hoc diſcrimen inter famam, laudem, honorem, & gloriam, quod fama ſit bona opinio, quæ de aliquo habetur, ſicut è contrà mala opinio eſt infamia ; laus ſit ſermo manifeſtans excellentiam ; honor ſit reuerentia alicui exhibita in excellentiæ documentum ; gloria autem ſit fama ſimul cum laude : & ideo appetitus gloriæ nihil eſt aliud quam appetitus, vt excellentia quam aliquis habet manifeſtetur pluribus & approbetur. Nauar. *in Man. c.* 23. *n.* 9. Tolet. *l.* 8. *c* 6.

17. *Contingit,*

Appetitus gloriæ non dicit aliquid vitioſum

peccari tripliciter ex vana gloria.

tiosum, sed tunc solum est malus, cum est appetitus inanis, ac vanæ gloriæ. Quod tripliciter potest contingere, vel ex parte rei de qua quis quærit gloriam, v. gr. si reuera non sit digna gloria; vel ex parte eius, à quo quærit, v. gr. si quærat ab homine, cuius iudicium non est certum; vel ex parte eius, qui quærit, v. gr. si gloriam non referat in debitum finem, qui est Dei honor, vel proximi salus. D. Tho. 2.2. *q.* 162. *a.* 4. *& alibi.*

18. *Quando nam vana gloria sit peccatum mortale.*

Hic appetitus tunc est peccatum mortale quando contrariatur charitati Dei: quod potest fieri dupliciter, primo ratione materiæ de qua quis gloriatur; v. gr. qui quærit gloriam de peccato mortali, vt complaceat sibi in illo vt in re digna gloria. Quia complacentia de mortali semper est mortalis. Secundò ex parte ipsius gloriantis, qui intentionem suam refert ad gloriam tanquam ad vltimum finem: verbi gratia qui de aliquo facto laudari appetit, vt consequatur finem carnalem fornicationis: vel ex appetitu gloriæ paratus est aliquod transgredi præceptum, verbi gratia si Medicus, ne laudem populi amittat, nolit in morbo periculoso, quem ipse non bene capit, socium adhibere; vel nolit fateri, se esse ad multos morbos curandum insufficientem. Tolet *l.* 8. *c.* 7.

19. *Quando nam ex vana gloria venialiter delinquatur.*

Verùm si appetitus gloriæ non repugnet charitati Dei, modo explicato, solum est peccatum veniale, etiam si gloria quæ appetitur, sit alioqui vana v. gr. si quis propter vanam gloriam ieiunet, oret sacramenta recipiat, vel ministret, sacrum faciat, Quia quamuis hæc similia principaliter gerat propter vanam gloriã dummodo tamen in hac vana gloria non constituat finem, huiusmodi sacris rebus leuem irrogat iniuriam. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 3. *n.* 1. Silu. *ver. Vana gloria, q.* 2. Henriq. *l.* 4. *de Pœnit. c.* 36. *n.* 4. Glos. *litt. L. & R.*

CAPVT IV.

De nouem vanæ gloriæ filiabus, iactantia, nouitatum Præsumptione, Hypocrisi, Pertinacia, Discordia, Contentione, & Inobedientia, Ambitione, Arrogantia.

20. *Filiæ vanæ gloriæ seu vitia quæ ex illa oriuntur sunt septem.*

SEptem à D. Greg. filiæ vanæ gloriæ assignantur, Iactantia, nouitatum Præsumptio, Hypocrisis, Pertinacia, Discordia, contento inobedientia. Aliæ duæ ipsi tribuuntur Ambitio, & arrogantia. Certè si quis appetit directe suam manifestari excellentiam, dupliciter potest se gerere scilicet aut verbis, aut factis; si verba nihil noui & admirationis contineant erit solùm Iactantia: si vero contineant aliquid excellentiæ nouæ, ex qua admiratio aliorum captanda sit, erit Præsumptio nouitatum; & si excellentiam directè factis ministret, talem scilicet factis se ostendendo, qualis vere non est, erit Hypocrisis. Si vero appetat quis solum indirectè manifestare suam excellentiam, ostendendo scilicet, se non esse minorem aliis, potest id facere quadrupliciter, primo quoad intellectum per Pertinaciam nimis suæ sententiæ adhærendo; & nolens credere meliori; secundò quo ad voluntatem per Discordiam nolens discedere à sua voluntate, vt cum aliis concordet; tertio, quo ad locutionem clamorosè contra alium litigando per contentionem; quartò demum quo ad factum, nolendo per inobedientiam exequi voluntatem, & præceptum superioris, ne ea ratione se inferiorem fateatur. D. Tho. 2.2. *quæst.* 132. *art.* 5.

21. *Aliæ duæ filiæ, seu sociæ.*

Porro septem hæc vitia specialiter dicuntur filiæ vanæ gloriæ; quia communiter ab illa causantur in genere causæ finalis, eamque supponunt, vt priorem secundum ordinem intentionis Præter illa tamen sunt alia duo quæ communiter ex vana gloria proueniunt, non tamen in genere causæ finalis, &. secundum ordinem intentionis: sed potius in genere causæ efficientis, & secundum ordinem executionis. Hæ duæ velut adoptiuæ Vanæ gloriæ filiæ sunt Ambitio, & Arrogantia. Ex hoc enim, quod aliquis putat, suam excellentiam iam esse aliis satis manifestam, & notam optat exhiberi sibi ab illis certos honores, seu certa signa & attestationes existimationis quam habent de tali excellentia, in quo propriè consistit Ambitio; & præterea multa audet, quæ vere sunt supra vires, in quo consistit Arrogantia. Parum quidem refert, si malis eas appellare socias Vanæ gloriæ, non autem filias. Reginaldus *lib.* 17. *cap.* 27. *num.* 209. Nauar. *in man. cap.* 23. *num.* 11.

22. *Quibus modis iactantia est peccatum mortale.*

Enim vero tunc *iactantia* prima vanæ gloriæ filia est peccatum mortale, quando charitati contrariatur: v. gr. si quis, dum se iactat, dicit aliquid contra gloriam Dei, iuxta illud Ezech. in

persona

persona Regis Tyri, *Eleuatum est cor tuum Dixisti, Deus ego sum.* Cap. 18. vel dum facit aliquid contrà charitatem proximi prorumpendo contrà eum in contumelias, iuxta illud de Pharisæo, *Non sum sicut cæteri homines raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* Luc. 18. Vel si quis se iactet ex malo fine, qui sit peccatum mortale; vel de re, quæ sit mala mortaliter; vel cum notabili proximi damno: v. gr. si se iactet magnum Medicum, aut Aduocatum, cum re ipsa talis non sit, & ideo multi ad ipsum confluentes, graue incommodum patiantur. Toletus *lib.* 8. *c.* 8. Nauar. *c.* 23. *n.* 16.

23. *Iactantia de re bona, per se loquendo non est mortalis. Potest tamen ex accidenti mortalis esse.*

Si quis se iactet de re bona, v. gr. quod oret, quod ieiunet, per se loquendo non peccat mortaliter. Quia iniuria, quam actibus bonis irrogat, quærendo ex illis inordinatam propriæ excellentiæ manifestationem, est solummodo leuis. Dixi, *per se loquendo*, quia si contingat, rem huiusmodi bonam, de qua est iactantia, esse falsam; & per iactantiam persuaderi vt veram, & inde graue malum contingere aliis, hanc iactantiam lethale piaculum asseruerim. Sanch. *lib.* 1. *Decal. cap.* 3. *numer.* 2. Lessi. *lib.* 2. *Decal. cap.* 3. *numer.* 42. Caietanus *in sum. cap.* 23. *num.* 13.

24. *Ex falsa iactantia sequitur graue incommodum, teneris contradicere laudatori.*

Qui aduertit, se falso laudari, & iactari ab alio, & inde sequi periculum damni notabilis aliorum, omnino tenetur contradicere suo laudatori sub mortali peccato. Nauar. *c.* 23. *num.* 13. Sanch. *lib.* 1. *Decal. c.* 3. *num.* 3.

25. *Qui iactat se vel alterum de re mala, peccat leuiter aut grauiter iuxta materiam.*

Qui iactat se, vel alterum de re mala, peccat venialiter, aut mortaliter ex leuitate, aut grauitate materiæ. Nam in tali iactantia includitur approbatio, & complacentia circa rem illam: quia talis approbatio, & complacentia de re mala sumit leuitatem aut grauitatem ex leuitate aut grauitate materiæ. Caiet. 2. 2. *q.* 132. *a.* 3. Nauar. *c.* 23. *num.* 13.

26. *Si cum iactantia de re mala actus gaudij, vel complacentiæ coniungatur, est duplex peccatum.*

Si cum iactantia de re mala actus gaudij, vel complacentiæ coniungatur, est duplex peccatum, iactantiæ scilicet, & complacentiæ. Quod quidem magis communiter contingit quando iactantia est de re vera, non autem quando de re falsa. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 3. *n.* 5.

27. *Cum peccato iactantiæ sæpe coniungitur peccatū scandali.*

Sæpe cum peccato iactantiæ peccatum scandali coniungitur. v. gr. si quis se iactat de vindicta pro alio sumpta, & coram illo ipso pro quo est sumpta, vel coram eius cōsanguineis eisque tribuat complacentiæ occasionem, & iactet se de fornicatione, & alios ad illam inducat. Antonin. 2. *part. tit.* 1. *c.* 12. §. 12. & alij apud Sanch. citat. *num.* 9.

28. *Qui audit iactantiā de re graui approbans, grauiter delinquit.*

Qui audit iactantiam ex ore aliorum, de re mala mortaliter, grauiter delinquit, si approbet, si acceptet, & rem malam suscipiat, & admiretur vt laude dignam. Quia semper hæc approbatio rei malæ est mala & mortalis. Sanch. *l.* 1. *Decal. c.* 3. *n.* 10.

29. *Inuentio nouitatum. Contra Dei honorem, aut contra proximum est mortalis.*

Præsumptio nouitatum, quæ ab aliquibus inuentio vel cupiditas nouitatum vocitatur, tunc est peccatum mortale quando peculiariter est contrà Dei honorem vel cedit in graue proximi malum, aut est propter mortalem finem; tunc autem veniale, quando hisce carens circumstantiis, solum est de re vana inutili ac leui. Azor. *par.* 1. *l.* 4. *c.* 13. *q.* 5. Tolet. *l.* 8. *c.* 13. Nauar. *c.* 13. *n.* 17.

30. *Grauiter, aut leuiter peccat nouitates inducens iuxta materiæ leuitatē, aut grauitatem.*

Per illam peccant, qui ex tali appetitu excellentiæ manifestandæ, nouas opiniones in scholas inducunt, in ciuitates noua epularum, vestium, spectaculorum genera. At ex huiusmodi nouitatum natura, qualitate, & circumstantiis culpæ est grauitas mensuranda. Exempla exhibeo: si quis vir aut fœmina se adeo tenui veste induat, vt pudenda traluceant, peccat mortaliter. Fœmina si absque mala intentione nudum pectus ostentet, mortaliter non delinquit. Qui inducit nouos habitus præuidens moralem necessitatem aliis suo exemplo imponendam, vt sumptus suprà vires faciant, vnde postea suis creditoribus non satisfaciant, vel alimenta non exhibeant eis, quibus debent impendere, grauiter peccat contra charitatem. Qui solum ex animi leuitate ornamentorum nouitatem inducat, v. gr. ad ostentandam corporis pulchritudinem, venialiter solummodo delinquit, etiamsi Religiosus aut Monialis. Nouitas ludorum turpium, aut qui inferant graue damnum in re familiari est mortalis. Nouitas doctrinæ si sit fidei contraria, aut bonis moribus, aut alicuius Vniuersitatis, seu Communitatis graue præiudicium, mortalis habenda. Caiet. 2. 2. *quæst.* 169. *art.* 2. Nauar. *cap.* 14. *numero* 36. *& cap.* 23. *numer.* 19. Sanchez *lib.* 9. *de Matr. disp.* 46. *n.* 25.

31. *Hypocrisis semper est peccatum.*

Hypocrisis, qua aliquis factis ipsis se talem ostendit, qualis verè non est, semper est peccatum. Quia est mendacium quoddam non in signis verborum, sed in signis factorum consistens & quemadmodum mendacium etiam bono fine prolatum est intrinsece malum, & peccatum saltem veniale; sic & hypocrisis. D. Thom.

2. 2. *q.*

2.2.*quæst.* 111.*art.* 1. Caiet. *ibid.* Tolet. *l.* 8. *cap.* 9 *num.* 3.

32. *Est peccatum mortale, quãdo est ob finem, qui repugnat charitati Dei, vel proximi.*

Tunc hypocrisis est peccatum lethale, quando non solum includit voluntatem simulandi sanctitatem, quæ non habetur; sed etiam voluntatem illam non habendi. Quia nemo priuatur totaliter sanctitate nisi per peccatum mortale; sicut certè priuatur qui positiue vult illam non habere. Si verò hypocrisis huiusmodi voluntatem non includat, tunc solùm est peccatum mortale talis simulandi sanctitatem voluntas, quando est propter finem, qui repugnat charitati Dei vel proximi, v. gr. Si quis ad eum finem simulet sanctitatem, vt falsam doctrinam disseminet, vel Ecclesiasticam dignitatem adipiscatur, qua verè est indignus. D. Thom. 2.2. *q.* 111. *a.* 4.

33. *Simulare improbitatem, est peccatũ graue, aut leue ex materia.*

De simulatione improbitatis idem affirmo. Nam si quis simulet se esse malum. Per opera, quæ habent mali speciem, & mala non sint: peccat planè & ratione mendacij, & ratione scandali. At grauitas aut leuitas huiusce peccati ex grauitate, aut leuitate materiæ est mensuranda. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 111. *artic.* 1. *ad* 3.

34. *Sancti licitè improbitatem simulauerunt.*

Monuerim æquiuocationem factis exhibitam posse licitam esse; sancti enim aliquando piè simulauerunt improbitatem. An non Ambrosius, vt non eligeretur in Præsulem, fœminas suum in cubiculum introduxit? Certè per hoc factum non intendit suam falsam incontinentiam significare, quæ vera simulatio fuisset, & mendacium facto commissum intrinsece malum; sed solum intendit factum illud quasi materiale, illudque permisit ab aliis accipi tanquam suæ falsæ incontinentiæ signum: cum tamen reuera ex sua natura, vel ex intentione facientis tale non esset. Caiet. 2.2.*q.* 111.*a.* 1

35. *Quid est pertinacia.*

Pertinacia est vnum ex illis vitiis, quæ ideo dicuntur ex Vana gloria oriri, quia faciunt ad manifestandam indirectè propriam excellentiam. At propriè in hoc consistit, vt quis firmiter suæ adhæreat sententiæ. Reginald. *l.* 17. *cap.* 22.*num.* 115.

35. *Est mortalis, quando sententia est cõtra fidem aut bonos mores.*

Tunc est peccatum mortale, quando sententia, quam quis defendit, est contra fidem, aut bonos mores, aut contra communem Doctorum sensum, aut in notabile proximi damnum. Ex. gr. si Medicus cum ægroti periculo sit sua in sententia pertinax; vel Princeps nolit suam mutare legem, quam videt esse graue in incommodum subditorum. Nauar. *cap.* 23. *num.* 32. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 11. Reginald. *lib.* 17. *cap.* 22. *num.* 115.

Discordia.

37. *Quandonam discordia sit peccatũ mortale.*

Discordia, qua quis in aliquo habet voluntatem contrariam voluntati alterius, tunc est peccatum mortale, quando illud, in quo est discordia, est bonum diuinum, aut bonum proximi, in quo illi duo, qui sunt discordes deberent ex charitate esse concordes; tunc enim repugnat charitati, & ideo est mortale. v. gr. Si quis animo discordandi ab alio habeat voluntatem contrariam voluntati illius in eo, quod pertinet ad honorem Dei. vel ad proximi salutem. D. Thom. 2.2. *q.* 37. *a.* 1.

38. *Quandonam contentio sit peccatũ mortale.*

Contentio, tunc est peccatum mortale, quando quis animo contradicendi, altercatur contrà veritatem pertinentem ad fidem Catholicam, aut saltem animæ vel corporis: vel quando in contentione iurgia, aut graues admiscentur iniuriæ. Nauar. *cap.* 23. *num.* 34. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 10.

39. *Inobedientia ex genere est mortale.*

Inobedientia, quæ inclinat, ad non faciendum id, quod iubetur, eò principaliter, quia iubetur, ex suo genere est peccatum mortale. Quia Dei charitati contrariatur, quando eius præceptis non obeditur, eo præcipuè quia præcepta eius sunt; & præterea contrariatur charitati proximi, quando superiori proximo obedientia debita ei subtrahitur. D. Thom. 2.2. *q.* 104. *a.* 1. *&* *q.* 105. *a.* 1.

40. *Inobedientia formalis est lethale peccatum.*

Certè inobedientia formalis, & quę includit contemptum, semper est peccatum mortale: siue præceptum quod non seruatur, per se obliget ad mortale, siue ad veniale. Ideò Religiosus, qui frangeret silentium hac intentione, vt faceret contra voluntatem indicentis illud, eiusque potestatem paruifaceret vere peccaret mortaliter. Quia vere & formaliter superiorem contemneret, quod est mortale iuxta illud Lucæ: *Qui vos spernit, me spernit.* c. 10. Sanch. *l.* 1. *decal. c.* 5. *n.* 8. *&* 9. Caiet. *in sum. ver. Contemptus.* Nauar. *c.* 23. *n.* 36.

41. *Communiter est duplex peccatum.*

Communiter semper est contra duplex præceptum, & per consequens duplex peccatum. Quia qui transgreditur (v. gr.) ieiunij præceptum formaliter ex contemptu quia est præceptum, peccat contra virtutem, & præceptum abstinentiæ, ad quam pertinet materiale ieiunij; & præterea peccat specialiter contra virtutem, & præceptum obedientiæ

ex

ex qua tenetur velle superioris subiici potestati, eamque non contemnere; quod peccatum est omnino distinctum. Lessi. *l.*2. *c.*46. *n.* 41. Suar. *tom*,3. *de Relig. l.*10. *c.* 2. *num.*3.

42. *Inobedientia materialis est peccatum veniale.*

Si vero inobedientia solum sit materialis, nec ineludat contemptum, sed violetur præceptum non formaliter quia præceptum est, sed propter aliquod aliud motiuum: tunc solum est peccatum mortale, quando præceptum quod violatur per se obligat ad mortale, & ratio inobedientiæ est circunstantia quædam generalis, quæ in omni peccato, & in omni præcepti trangressione reperitur, & non tribuit specialem malitiam nisi directè intendatur. Lessi. *l.*2. *c.*46. *n.*40.

43. *Contemptus executionis præcepti pro hic & nunc, potest esse venialis.*

Contemptus executionis præcepti pro hic & nunc potest esse venialis. Quia aliud est contemptus formalis superioris aut præcepti & aliud contemptus executionis eiusdem præcepti pro hic & nunc: siquis enim præceptum violet, non quia simpliciter nolit illi subiici; sed quia quoad executionem non vult subiici hic & nunc, non peccat mortaliter. Et si contemnat superiorem, non quia est superior, sed quia est imprudens: & contemnat mandatum, quia est inutile, & extra propositum; non autem quia formaliter est mandatum: solum peccat venialiter. Dummodo talis superior non sit ipse Deus, neque contemnatur eius mandatum. Quia in Deum, aut eius præceptum non potest sine blasphemia cadere contemptus ratione imprudentiæ, aut ineptitudinis. Lessi. *l.*2. *c.*46. *n.penult.& vlt.* Sanch. *l.*1. *Decal. c.*5. *n.*11.

44. *Inobedientia ex indignatione, est veniale.*

Inobedientia ex indignatione erga superiorem est solum veniale piaculum. Quia aliud est præceptum transgredi ex contemptu superioris, & aliud ex indignatione. v.gr. si quis ideo nolit parere ne superiorem hac voluptate afficiat. Sanch. *l.*1. *Decal. c.*5. *n.*12. ex Caiet. *verb. contemptus.* Lessi. *l.*2. *c.*46. *n. penult.*

45. *Ambitio peccatum semper est.*

Iam veniam ad duo illa vitia, quæ ex vana gloria assolent prouenire, non quidem velut septem præfatæ filiæ in genere causæ finalis, & secundum ordinem intentionis; sed potius in genere causæ efficientis & secundum ordinem executionis; socias vocitaro. Horum vitiorum primum est *Ambitio*, seu appetitus inordinatus honoris. Quæ quidem peccatum est. Quia contraria charitati, quam Paulus asserit non esse ambitiosam. 1. *Cor.*13. Nauar. *c.*23. *num.*11. Reginald. *l.*17. *cap.*27. *num.*209.

Tripliciter potest ambitio contingere. Primo, quando aliquis appetit honorem suprà proportionem, ac merita, quod est quærere testimonium de excellētia, quam non habet. Secundò, quando talem honorem in Deum non refert. Tertiò, quando non refert eum in proximi vtilitatem. Quia nomine honoris intelligitur reuerentia quæ alicui exhibetur in signum excellentiæ, quæ debet meritis commensurari; & quia excellentia, quā aliquis habet, est aliquid quasi diuinum, & à Deo, est in Deum dirigendus honor ex ea acceptus; & quia hæc excellentia ad eum finem à Deo homini tribuitur, vt cedat aliquo modo in aliorum vtilitatem, ideò & testimonium talis excellentiæ, quod ab aliis exhibetur, in tantum debet placere, in quantum ex illo via, vt aliis prosit, apparatur. D. Thom. 2.2. *q.*131. *a.*1.

46. *Tripliciter potest ambitio contingere.*

Peccat mortaliter, qui quærit honorem ex re mala mortaliter, & qui illum ordinat ad peccatum mortale, vel in eo constituit vltimum finem; vel ita honorem quærit, vt potius eligat peccare mortaliter, quam honorem non assequi, vel amittere; v. gr. si non timeat simoniæ vitium, quando per illam aliqua Ecclesiastica dignitas est assequenda. Delinquit mortaliter, qui positiue honorem illum refert ad malum: v.gr. si velit esse in magno honoris gradu, vt possit de inimicis sumere vindictam, diripere, vel sibi acquirere bona aliorum; & qui aduertit, se minimè idoneum, ad procurandum aliis illud bonum, quod gradus honoris requirit: v.gr. si velit esse Episcopus, neque tamen sufficiat, ad ea præstanda pro salute animarum, quæ Episcopale munus requirit. Nauar. *cap.*23. *n.*13. Reginal. *l.*17. *c.*22. *num.*211.

47. *Qui nam mortaliter ex ambitione delinquant.*

Arrogantia siue præsumptio est appetitus inordinatus eorum, quæ sunt supra vires, & supra virtutem. Hic appetitus semper est vitiosus. Quia quemadmodum in naturalibus semper actio virtuti agentis commensuratur: neque vllum est agens, quod nitatur ad actionem suprà suam virtutem actiuam, & magna esset inordinatio in natura, si hoc contingeret: ita & in moralibus non potest non esse inordinatum, & peccatum, quòd aliquis illa assumat ad agendum, quæ suæ virtuti præferuntur. D. Thom. 2.2. *q.*130. *a.*1.

48. *Arrogantia appetitus semper est vitiosus.*

Mortalis est arrogantia, quando est cum notabili proximi damno coniuncta: vel cum notabilis damni periculo: v. gr. si quis assumat sibi artis medendi exercitium, aut causis patrocinandi, quod non tenet;

49. *Quando nam est peccatum mortale.*

tenet, vel vsurpet sibi munus audiendi confessiones, & absoluendi sacramentaliter, cum sacerdos non sit, vel ab Episcopo non approbatus. Antonin. *p.2.tit.3.c.5.* §.5. Tolet. *l.8.c.22.*

CAPVT V.

De Auaritia.

50. *Auaritia est peccatum cõtra iustitiam, vel contra liberalitatem.*

AVaritia, quæ propriè circa diuitias acquirendas versatur, sic potest apte definiri: Est immoderatus amor habendi. Est speciale peccatum contra iustitiam, si immoderatus hic amor sit circa alienum; vel contra liberalitatem, si sit circa suum. D. Thom. 2. 2. *q.*118. *art.*1.2.& 3. Alen.2.*p. q.* 14.

51. *Si contra iustitiam, est mortale peccatum ex genere; si contra charitatem, aliquando.*

Si auaritia sit contra iustitiam, & circà alienum, ex suo genere est peccatum mortale; & solum potest esse veniale ex imperfectione actus quoad deliberationem, vel quoad paruitatem, seu leuitatem materiæ. Si vero sit contra liberalitatem, tunc solum est mortale, quando diuitiarum amor charitati præfertur. v. gr. si quis ex diuitiarum amore, facere aliquid contra Dei amorem non vereatur, aut proximi iura despiciat. Vnde non solum peccat mortaliter, qui ex amore pecuniarum paratus est aliquid gerere contra legem Dei in materia iustitiæ, v. gr. dare ad vsuram, furari: sed etiam qui paratus est illam violare in materia charitatis, vel alia quacumque, v. gr. non succurrendo extremè indigenti. Nauar. *c.23.à n.69.* Azor. *p.1.l.4.c.15.*

52 *Idem de prodigalitate affirmo.*

Idem de Prodigalitate asseruerim. Delinquit ex illa lethaliter non solum qui Dei legem in materia iustitiæ transgreditur prodige res insumendo alienas; v.gr. si tutor, vel curator pupillorum substantiam absumat; sed etiam quia legem in materia charitatis, vel alia quacumque violat: v.g. si quis ex prodigalitate nõ possit vxori, ac filiis prouidere; vel nolit extremè, vel grauiter egenti succurrere; vel graue aliis exhibeat scandalum; vel paratus sit, quodlibet aliud peccatum lethale committere potius, quam à tali prodigalitate desistere. Tolet. *l.8.c.25.*

53. *Auaritia vel prodigalitas pura venialis est.*

Certè si auaritia, vel prodigalitas sit pura, non admixta alicui alteri vitio, v.gr. iniustitiæ, intemperantiæ, impietati erga filios, scilicet nec charitati proximi contraria: ex se solum est veniale piaculum. Caietanus. *in sum ver. Prodigalitas.*

CAPVT VI.

De Auaritiæ septem filiabus, Duritia cordis, Inquietudine, Violentia, Fallacia, Fraude, Periurio, Proditione.

54. *Septem filiæ auaritiæ.*

SEptem vitia enumerantur, quæ tanquam filiæ ex auaritia oriuntur, ratione quarum ipsa dicitur esse vitium Capitale. Sunt autem, obduratio cordis contra misericordiam, Inquietudo, Violentia, Fallacia, Fraus, Periurium, Proditio. Inordinatio enim auaritiæ potest esse potissimum in duobus, nempe in diuitiis retinendis, & in diuitiis acquirendis. Certè si auarus inordinatè illas retineat, facile cor eius contra misericordiam obduratur, dum non emollitur, vt de suis diuitiis succurrat egentibus. At si inordinatè cupiat illas acquirere, patitur primò quoad affectum inquietudinem dùm auaritia ingerit sollicitudines, & curas superfluas; quia numquam auarus diuitiis oppletur. *Ecclesiast.* 5. Deinde quoad affectum si ad illas acquirendas, vi vtatur, incidet in Violentiam: & si vtatur dolo, eumque verbis committat: vel erit fallacia, si dolosa locutio fuerit simplex; vel erit periurium, si fuerit iuramento firmata; & si dolus non committatur verbis, sed factis, & operibus ipsis: vel erit fraus, si consideretur prout respicit res; vel erit proditio, si consideretur prout respicit personas Diuus Gregor. *l.*31. *Moral. cap.*31. D. Thom. 2. 2. *q.*118. *art.* 8.

55. *Quando nam per duritiam cordis lethaliter delinquatur.*

Per *Duritiam cordis* tunc mortaliter delinquitur, quando vrget præceptum pauperi subueniendi, eique ex huiusmodi obduratione minimè subuenitur. Nauar. *c.23.n.76.* Tolet. *l.8.c.26.*

56. *Quando per inquietudinẽ mẽtis mortaliter delinquatur.*

Inquietudo, seu sollicitudo mentis est vehemens & inordinata applicatio animi ad acquirendas, vel conseruandas, diuitias cum inani aliquo aut vano timore, ne acquirantur, aut nè conseruentur. Tunc per inquietudinem huiusmodi peccas mortaliter, cum in diuitiis finis vltimus constituitur: & paratus es potius peccare mortaliter, quam diuitias non acquirere aut acquisitas amittere; vel quando hæc sollicitudo te retrahit à spiritualibus, quibus ex præcepto aliquo vacare teneris; vel quando de Dei prouidentia diffidis. Quia quamuis sollicitudo possit esse laudabilis,

dabilis, *sollicitudine non pigri*, *Ephes.* 4. imo & Deo tribuitur. *Dominus sollicitus est mei.* Psal. 39. tamen si inordinata sit vel quoad obiectum, vel quoad circunstantias, vel quoad modum, mala est & pro grauitate, aut leuitate materiæ est mortalis, aut venialis. Exempli gratia si sollicitus sis de occidendo inimico, de rapienda vxore mortaliter peccas; si sollicitus sis de mendaciis officiosis excogitandis aut de prodigalitate in conuiuio facienda (non grauiter læsa iustitia aut charitate) venialiter delinquis. Reginal. *l.* 23. *c.* 2. *q.* 3. *n.* 29. Antonin. 2. *p. tit.* 1. *c.* 25. Tolet. *l.* 8. *c.* 43.

57. *Quando violentia sit mortalis.* *Violentia* circà præsens de auaritia negotium tunc est mortale peccatum quando est iniusta & in graui materia; v. gr. si quis priuata auctoritate per vim res alienas abripiat, Dixi *Quando est iniusta*: quia tunc infert proximo grauem iniuriam tam in rebus, ac bonis, quæ sibi accipit, quam in ipsa persona, à qua tali accipit modo, id est, per vim. Et contra si alteri violentiam iustam inferas, vt recuperes tibi iniustè ablata, vel vt in bello iusto prædam ab hostibus capias, peccatum non committis. Diuus Thom. 2. 2. *quæst.* 118. *artic.* 8. Caiet. *in sum. ver. Rapina.*

58. *Quid fallacia.* Fallacia siue deceptio facta verbis, est species doli, & pertinet ad astutiam, cuius executionem dolus importat, quoad ea media, quæ ad malum finem sunt aptè excogitata. Tolet. *libro* 8. *capit.* 46. Nauar. *capit.* 17. *n.* 177. ex D. Tho. 2. 2. *q.* 55. *artic.* 4.

59. *Quando est mortalis.* Ideo quemadmodum astutia tunc est peccatum mortale, quando media quæ, assumuntur ad finem, vel finis ipse, ad quem assumuntur, est mortalis: ita & dolus, & fallacia. Et magis in particulari pro re auaritiæ, tunc fallacia eius filia. erit mortalis, quando finis ipse auaritiæ, ad quem assumitur, mortalis fuerit: vel media, quæ ex dolo verbis adhibito assumuntur, erunt mortalia. Doctor. præfati.

60. *Semper periurium est peccatum mortale.* De *Periurio* non est, quod probetur esse mortale, cum superaddat fallaciæ specialem malitiam contra virtutem Religionis: quæ siuè sit in materia auaritiæ siue in quacumque alia semper est mortalis, siquidem nec à materiæ leuitate periurium excusatur. Cuncti Doctor.

61. *Quid Fraus.* *Fraus* est dolus factus in opere, ex suo quidem genere peccatum mortale, si actus excuset imperfectio, aut materiæ leuitas. Nauar. *c.* 23. *n.* 77.

62. *Multipliciter contingit.* Potest multipliciter contingere in contractibus præsertim emptionis, & venditionis, tam ratione rerum, quæ sunt materia contractuum: v. gr. si vitium habent: vel tales non sint, quales existimantur, quam ratione pretij. Tolet *lib.* 8. *cap.* 47.

63. *Quid sit in præsenti proditio?* Proditio assolet diffiniri, manifestatio occulti illatiua nocumenti. Plenius ita describo. Est manifestatio occulti contra fidelitatem alicui debitam, & nocumenti illatiua. Quia licet, vi vocabuli spectata, idem videtur proditio significare, ac manifestatio (prodere enim idem est ac manifestare,) communiter tamen non videtur appellari proditio, nisi aliquomodo sit contra fidelitatem alicui debitam, neque enim qui detrahendo de fama alicuius, de eo aliquod crimen occultum manifestat, eique damnum infert in fama; dicitur proditor; sicut nec qui crimen occultum fert ad iudicium, nisi forte secretum promiserit, ex infidelitate frangendum. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 44. D. Thom. 2. 2. *q.* 118. *artic.* 8.

64. *Potest quadrupliciter accidere.* Proditio potest contingere quadrupliciter. Primo, circa personas, quas aliquis manifestat contra fidelitatem, & cum earum nocumento: v. gr. quum Iudas Christum Iudæis manifestauit. Secundo, circa res immobiles: v. gr. si quis ex militibus, qui castrum pro aliquo Principe defendunt, hostibus manifestet, quonammodo possint illud capere. Tertio, circa res mobiles: v. gr. si quis absconditam alicuius pecuniam, aut vestes latroni ostendat, vt eas furetur. Quarto, circa secretum; v. gr. si quis alicuius secretum in ipsius detrimentum manifestet. In quibus casibus non solum proditio est peccatum mortale; sed etiamsi fiat propter auaritiæ finem filia auaritiæ debet appellari. Tolet. *l.* 8. *c.* 44.

65. *Si vi extorqueas alicuius delictum, non potes illud alij aperire.* Si vi aut dolo delictum secretum alicuius extorqueas, non potes illud vlli manifestare. Quia illum duplicata afficies iniuria, vna per vim extorquendo, altera manifestando. Secus vero si delicti secreti manifestatio delinquentis vergat in bonum: v. gr. si extorsisti actum copulæ cum matre aut sorore illius, quam vult ducere vxorem, & Ecclesia per publicas denunciationes à te requirat, si quodnam calleas impedimentum, debes manifestare. Nauar. *c.* 18. *n.* 56. *cap. præterea* 2. *de sponsal.*

66. *Peccat mortaliter literas aperiens.* Si quis aperiat literas alterius, vt sciat secreta illius curiositas est: & si sit in re

graui peccatum mortale. Et quia communiter ante apertionem non potest sciri, vtrum sint de re graui, nec ne ; communiter est mortale. Tolet.*lib.*8.*cap.* 45. *num.* 3. Petr. Nauar. *de restit. lib.* 2. *cap.*4. *num.*450.

67. *Non peccat, qui ad proprium damnum pellendum aperit.* Qui aperit literas alienas,quia scit probabiliter, eas in damnum proprium esse conscriptas, vel in damnum tertij, non peccat. Quia vnusquisque potest sibi, & alteri ex charitate consulere, & quauis ratione mala omnia, quæ iniustè ab aliquo inferuntur, auertere. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 45.

68. *Superior potest subditi literas aperire.* Superior potest litteras subditorum aperire. Imo & non superior si aperit ex ratihabitione. Quia sperat rationabiliter, eum, qui scripsit, ratum id habiturum. Ex. gr. princeps, aut respublica tempore belli aperit literas ex locis finitimis hostium. Nauar.*c.* 18.*n.* 53.Reginal. *l.* 24. *c.* 60. *n.* 120.

69. *Scripta alterius non possunt, illo inuito,legi.* Scripta alterius secreta non possunt licitè legi, illo inuito. Quia qui furtiue ingreditur cubiculum alterius vt scripturas euoluat, quas ille vult esse secretas, peccat ex curiositate, & ex iniustitia;quia vnusquisque habet ius secreti. Porro peccatum hoc erit mortale, si damnum notabile alij fiat; vel si is ad quem pertinent huiusmodi scripta, multum cupiat esse secreta, & grauiter sit laturus ab alieno videri. Syuest. *ver. curiositas*, *n.* 4. Nauar.*c.*18.*n.*53.Moli.*to.*5.*de Iust.disp.*36. *n.*2. Reginal.*l.*24.*c.*6.*n.*119.

CAPVT VII.

De Luxuria.

70. *Quid luxuria?* LVxuria, vel luxuries apud Latinos latius sumitur pro qualibet superfluitate vel abundantia. De segetibus, ac plantis cum ex copia succi saginatæ exponuntur, dicimus quasi lasciuire, ac luxuriari. In moralibus peccatum luxuriæ hoc modo acceptæ dicitur omnis vsus immodicus quarumcumque deliciarum : & non modo in rem veneream, sed etiam in epulas,vestes, vnguenta, & alia huiusmodi nimia & immoderata profusio luxuries appellatur. Presse autem solum accipitur prout in re venerea importat excessum ; & peccatum luxuriæ absolutè prolatum illud solum innuit, quod circa venereas contingit voluptates. Sic igitur describo vitium capitale luxuriæ : Est amor inordinatus per excessum circa venereas voluptates. Caiet. 2.2. *q.*153. *a.*1. ex D. Thom. Lessi. *lib.*4. *cap.*3. *num.*39. Isidor. *l.*10. *etymolog. cap.*11.

71. *Semper est peccatum.* Haud dubium, quin luxuria peccatum sit. Quia si contingat inordinatio circa ciborum vsum, qui à natura sunt instituti ad indiuidui conseruationem, est peccatum : ita etiamsi contingat circa vsum venereorum, quæ similiter sunt ad speciei conseruationem instituta. D.Thom. 2.2.*q.*153.*a.*2. *& quæst.*15.*de malo art.* 1.

72. *Graue ex suo genere.* Peccatum autem luxuriæ ex suo genere est mortale. Quia cum vsus rei venereæ à natura sit institutus ad procreationem prolis & speciei conseruationem, omninò est censendus res grauis, magnique momenti : & ideo inordinatio, peccatumve, quod circa illum vsum contingit, ex suo genere est censendum graue. D. Thom. 2.2.*q.* 153. *a.* 3.

73. *Opponitur castitati.* Vitium luxuriæ opponitur castitati per excessum : intelligendo hoc nomine virtutem illam specialem, quæ moderatur affectus circà delectationes, ac voluptates venereorum, ne aliter assumantur, vel appetantur, quàm iuxtà præscriptum rationis. D. Thom.2.2.*quæst.*151 *art.* 2. Quia amor inordinatus venereorum, in quo propriè consistit ratio luxuriæ, nulli habitui magis opponitur, quam illi,qui in eisdem venereis modum imponit, eaque facit non aliter appeti, aut assumi, quam ex rectæ rationis præscripto. Certe castitas à *castigando* dicitur, quod apud Latinos idem est, ac verbis reprehendere, & quasi castum, ac purum, agere, in quantum scilicet excessus turpitudinis reprehendit. D.Thom.citat.*a.*1. & 3.

74. *Non datur in delectatione venerea materia leuitas.* In delectatione venerea non potest dari leuitas ex parte materiæ : sed solum ex indeliberatione, & imperfectione actus. Quia si actus libidinosus est, qui fit propter delectationem, & hæc ex obiectis tangibilibus solum causatur per diffusionem spirituum animalium calefacientium, ac terentium certos neruos, & sic disponentium ad resolutionem, & fluxum seminis ; quemadmodum hæc resolutio & fluxus non potest esse res leuis, sed ex intrinseca sua ratione est maximè grauis; ità & dispositio per se ad illam, quæ est huiusmodi excalefactio, & attritio. Baldel. *tom.*1.*l.*3.*disp.*14.

75. Amplexus, tactus,& oscula libidinosa, quæ

Tactus, amplexus, oscula per delectationem venereã semper sunt peccata.

quæ fiunt propter delectationem, veneream semper sunt peccata mortalia. Quia eo ipso, qnod fiunt propter delectationem veneream, & includunt consensum in illam: consensum etiam in ipsam delectationem fornicationis implicite voluerunt, qui consensus non potest non esse mortalis. Caiet. *in sum. ver. Impudicitia.* D. Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 4. Ideo autem oscula, & tactus libidinosi sunt peccata mortalia, quia ex ipsa naturæ institutione sunt actus quidam quasi præambuli ad actum copulæ. Et quemadmodum huiusmodi actus sunt actus præambuli, ita & eorum delectatio est delectatio præambula ad delectationem vltimam copulæ, & ex illa participat malitiæ grauitatem. Sanch. *l.* 9. *de Matr. disp* 46 *n.* 5. Caiet. *in sum. ver. Impudicitia.*

76. *Secus tactus, qui non sunt libidinosi.*

Hæc quidem intelligo de actibus vere luxuriosis, & libidinosis, id est, quandó fiunt propter delectationem veneream. Quia malitia, quam habent, solum est ex fine propter quem sunt, id est, ex copula, cuius sunt dispositio, & inchoatio. Vnde tactus & oscula si non fiant ex affectu luxuriæ sed ex bono fine, non sunt peccatum. Fiunt autem ex bono fine, quum ex consuetudine patriæ, ex bonæ amicitiæ affectu, vel ex necessitate, quando Medicus ad morbum deprehendendum tangit fœminam, &c. Lessi. *l.* 4. *cap.* 3. *dub.* 8. *num.* 60.

77. *Qui fiunt ob finem veniaaliter malum sunt venialis.*

Porrò si tactus, & oscula fiant ex fine solum venialiter malo extra genus luxuriæ, solum venialiter extra idem genus erunt mali: v. g. si iuuenis in choreis solum ex leuitate, & ioco fœminæ digitos torqueat. Caiet. 2. 2. *q.* 154. *a.* 4. §. *In responsione ad* 2.

78. *Exemplum tactus libidinosi.*

Vt autem distinctius constet, quando luxuriæ peccatum mortale. Hæc exempla accipito. Tactus partium verendarum ex affectu libidinis, & delectationis, semper sunt peccatum mortale. Quia cum partes verendæ sint à natura institutæ ad prolis procreationem, etiam delectatio, quæ ex illis potest haberi, ex sua natura est ordinata ad copulam, & est venerea; & ideo consensus in illam, qui certè includitur in tactu huiusmodi partium est semper mortalis. Azor. *tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 25. Lessi. *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 8. *num.* 6. Sanch. *de Matrim. lib.* 9. *disput.* 46. *num.* 10. 11. Ideo sponsis de futuro non permittuntur hi partium verendarum tactus, sicut nec permittitur ipsa copula, ad quam pertinent de proximo Sanch. *de Matr. l.* 9. *disp.* 46. *n.* 11. *&* 52.

79. *Eius malitia diuersa est pro persona diuersitate.*

Huius contactus libidinosi malitia diuersa est pro diuersitate personæ, ad quam refertur. Si fiat inter personas diuersi sexus, refertur ad fornicationem, adulterium, stuprum, incestum, sacrilegium, provt se habuerit personæ qualitas. Si fiat inter personas eiusdem sexus, refertur ad sodomiam. Si fiat secum ab vnoquoque refertur ad mollitiem. Si fiat cum brutis, & similiter libido intendatur, ac delectatió, refertur ad bestialitatem. Azor. *tom.* 3. *l.* 3. *cap.* 25. *q.* 3. Sayr. *l.* 8. Clauis *c.* 6. *n.* 1. Sanch. *de Matr. l.* 9. *disp.* 46. *num.* 18. Graff. *p.* 1. *dec. l.* 2. *c.* 75. *n.* 10.

80. *Exemplum tactus non libidinosi.*

Si tactus præfati non fiant ex libidine, sed ex alio motiuo, vel simpliciter sunt nullum peccatum, vel solùm veniale pro ipsius motiui qualitate. Si fiant ex necessitate (vt innuimus) v. gr. ad effectum medendi à Medico, seu Chirurgo, nullum peccatum est; etiam si illi suboriatur aliqua delectatio, aut motus turpis contrà voluntatem. Lessi. *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 8. *num.* 60. Sayr. *lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 1. Nau. *in cap. si cui, num.* 12. *&* 13. *de pœnit. dub.* 1. Huc equidem referendà contrectatio partium verendarum infantis non est necessario peccatum mortale. Vnde excusandi illi, qui non ex libidine, aut concupiscentia: sed ex teneritudine amoris ergà infantem contrectant, & exosculantur totos infantes, & à nullis eorum membris abstinent. Neque enim hic amor, aut contrectatio ad copulam pertinet, aut ad rem veneream spectat; sed solum ad affectum & amorem naturalem. Sanch. *lib.* 9. *disp.* 46. *n.* 13. Nauar. *in sum. Hisp. c.* 16. *n.* 11.

CAPVT VIII.

De filiabus luxuriæ octo, cæcitate mentis, Præcipitatione, Inconsideratione, Inconstantia, Amore sui, Odio Dei, Affectu præsentis sæculi, Horrore futuri: & aliis quatuor, quæ ei attribuuntur.

81. *Luxuria capitale vitiũ.*

LVxuria est vitium capitale, quia multa alia ex illo exoriuntur, tum propter delectationis vehementiam venereæ, tum etiam propter connaturalitatem huiusmodi concupiscentiæ. Luxuriæ enim finis cum sit venerea delectatio, quæ maximè appetibilis est, vt sensus absorbeat, & rationem

impediat: ideò ad eam assequendam, & nutriendam, multa alia ab homine pericula perpetrantur. Sylui. 2. 2. *quæst.* 153. *artic.* 5. Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 5. *num.* 59.

82. *Viperea luxuriei progenies ex intellectu, & voluntate.* Intellectus quidem quatuor habet actus, simplicem considerationem, qua apprehendit finem bonum & secundum rationem; consilium, quo disquirit media, quibus consequendus est finis; Iudicium, quo iudicat de vnoquoque qualis sit; imperium, quo voluntati ea, quæ facienda sunt, proponit, vt ipsa præcipiat potentiis executiuis, vt faciant. Omnes hi quatuor actus ex ipso raptu potentiarum inferiorum turbantur. En quatuor filiarum scaturigo. Ex parte vero voluntatis alia proles exsurgit. In voluntate enim sunt duo actus, volitio, qua homo vult bonum finem; & volitio, qua vult media ad talem finem assequendum. Porrò hæ volitiones ex venere perturbantur. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 55.

83. *Octo horum vitiorũ grauitas.* Quatuor priora vitia ex intellectu profluentia tunc sunt mortalia, aut quando finis vltimus in creatura ponitur, aut quando prætermittitur ex inconsideratione, aut præcipitatione, aut aliis aliquod diuinum mandatum. Certe quatuor posteriora ex voluntate promanantia si plenus consensus voluntatis sint, sunt mortalia peccata: si vero imperfecti quidam actus & indeliberati, sunt venialia. Tolet. *l.* 8. *c.* 55.

84. *Prima filia luxuriæ Cæcitas mentis.* Ex luxuria *Cæcitas mentis* profluit; quia luxuriosus non apprehendit bonum, & malum vt sunt. Video, huiusmodi voluptatum mancipia bona temporalia dissipare viuendo luxuriosè, honorem parui pendere, & multa alia incommoda deglutire. Vnde in eis primus actus rationis impeditur, videlicet simplex intelligentia, quæ aliquem finem vt bonum apprehendit. Antonin. *part.* 2. *tit.* 5. *cap.* 9.

85. *Secunda filia Præcipitatio.* Secunda filia est *Præcipitatio*, qua per concupiscentiam luxuriæ secundus rationis actus impeditur, qui est consilium circa ea, quæ propter finem agenda sunt. Nam qui amore sunt impudico capti, de rebus agendis sibi non valent consulere, vt eas ad debitum dirigant finem; hinc in multa labuntur incommoda propter consilij defectum.

86. *Tertia filia Inconsideratio.* Tertia filia est *Inconsideratio*, quia per luxuriam tertius intellectus actus impeditur, scilicet iudicium de agendis. Qui enim hac pice maculantur, iudicium amittunt, multis periculis se exponunt, vt suam assequantur voluptatem.

87. *Quarta filia Inconstantia.* Quarta luxuriei filia est *Inconstantia*; quia per luxuriam impeditur quartus rationis actus, qui est præceptum de agendis: in quantum homo ex concupiscentiæ impetu impeditur, ne id exequatur, quod ratio faciendum esse decreuit. Nam qui curis venereis implicatur, ita ab impetu ebullientis libidinis impeditur, vt sæpe retractet, quod proposuerat, vnde in omnibus suis decretis inconstans apparet.

88. *Quinta filia Amor sui.* Quinta filia *Amor sui*: quia cum in rei venereæ delectatione homo inebrietur, amat se inordinate amore concupiscentiæ adeò, vt vxorem, ac filios contemnat sibi vni complacere studendo.

89. *Sexta filia Dei odium.* Sexta filia est *Dei odium* in quantum delectationem prohibet concupitam. Nollet enim leges, ac præcepta voluptates prohibentia inueniri, vt magis desidiosè his posset studere.

90. *Septima filia Affectus sæculi huius.* Septima est *Affectus sæculi præsentis*; quia luxuriari sibi bonum esse videtur, & vt permaneat voluptatibus addictus, nunquam vellet confici senio, nec morte consummari. At qui conscius est, id minimè posse fieri, statutum enim est cuilibet homini semel mori, gemello fœtu luxuriæ dissoluitur.

91. *Octaua filia Horror sæculi futuri.* Parit enim simul cum affectu sæculi præsentis, *Horrorem sæculi futuri*; quia dum nimis carnalibus delectationibus detinetur, contemnit spirituales.

92. *Quatuor aliæ filiæ luxuriæ attribuuntur, Turpiloquium scurrilitas, Iuditritas, Stultiloquium.* Porro præter hasce luxuriæ filias quæ ab intellectu, à voluntate suam trahunt originem, ab Isidoro quatuor externæ excogitantur. *Turpiloquium*, siue turpis sermo. *Scurrilitas* ea, qua in iocis & facetiis ita exceditur vt lasciua ad risum excitantia misceantur. *Ludicritas*, qua quis quasi ludit, & oblectatur verbis ludicris, ea in carnalem delectationem ordinando. *Stultiloquium* quo quis fatuas & ineptas fabulas ad obscœnitatem pertinentes exponit. Ecce in quot laqueos incidunt qui castitatis iura lædentes, obscœnis voluptatibus curam impendunt. Azor. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 16. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 55.

CAPVT IX.

De Ira.

93. *Ira est quid indifferens.* IRa in materia morali nihil aliud est, quam vitium animi ad appetitum

tum vindictæ inclinans. Certè ira nec bona nec mala est, sed quiddam indifferens quo bene ac male vti possumus. D. Tho. 2.2.q. 158. a. 1. Sylui. *ibi concl.* 1.

94. *Aliquando est virtus.* Ira aliquando est virtus cum secundum rectam rationem irascimur contra dæmonem, à quo malum accepimus. Irascimur autem inferendo ei malum, dū in nullo ei acquiescere decernimus. Irascimur etiam contra peccatum, ipsum à nobis relegare conantes. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 57.

95. *Aliquando est peccatum.* Aliquando est peccatum quod in quinque casibus solet accidere. Primo, ex parte eius, cui irascimur, cum non est dignus illo malo, quod per iram volumus ipsi inferri. Secundò, cum, etsi dignus est malo, tamen non tanto. Tertio, cum etiamsi tanto dignus sit, tamen præter ordinem inferri volumus, vt qui per se ipsū vult occisori fratris sui inferre. Quartò, quando etiamsi omnia ista seruentur, tamen non est debitus finis. Non enim ex iustitiæ zelo, vel amore virtutis, sed potius ex odio personæ id expetimus. Tolet. *l.*8.*c.*57.

96. *Ex genere mortale.* Ex genere suo est peccatum mortale. Quia est contra proximi charitatem, & iustitiam. Potest tamen esse veniale ob imperfectionem actus, quæ expectatur vel ex parte voluntarij, vt cum motus iræ perfectum rationis iudicium præuertit: vel ex parte obiecti, seu materiæ, vt cum quis modicam appetit vindictam. Tolet. *l.* 8. *cap.*57.

97. *Tres iræ species.* Iræ assolent tres assignari species: ira scilicet, iracundia, & furor. Ira dicitur appetitus vindictæ cito insurgens, & citò excidens: sunt enim homines qui facili ex causa vehementer irascuntur,& citò sedantur. Iracundia vero est ira permanens, vnde à Damaso Mania id est, quasi insania qua homo affectus diù permanet, in mali illati apprehensione & vindictæ appetitu. Furor denique est, quando manet quidem mali illati memoria, sed appetitus vindictæ nequaquam insurgit nisi tempore conuenienti,quo se potest homo vindicare. Tolet.*l.*8.*c.*56.

CAPVT X.

De Iræ sex filiabus indignatione, tumore, clamore, contumelia, blasphemia, rixa.

98. *Ira est vitium capitale.* IRa vitium est Capitale, quia plura alia ex eo prodire consueuerunt, id-

que duplici ratione. Prima ex parte obiecti, quod est vindicta habens speciem iustitiæ, ratione cuius homines multa facere consueuerunt. Secundò, ratione illius impetus, quo mentem ad multa inordinate agenda, & ad quiduis audendum vindictæ desiderio præcipitat. Nauar. *cap.* 23. *numer.* 115. Tolet. *libr.* 8. *capit.* 58. Sylui. 2. 2. *quæstio.* 158. *artic.* 1. *&c.*

99. *Sex eius filiæ.* Sex præcipuæ Iræ filiæ annumerantur, Indignatio, Tumor, Clamor, Contumelia, Blasphemia, seu maledictio, Rixa. In quarum declarationem præmitto, iram tres obtinere status, Primus concipitur interius tantum. Secundus exterius aliquo signo manifestatur. Tertius ad opus pertinet, in quo vindicta consistit. Hi status illa Christi sententia signantur: *Qui irascitur fratri suo, qui dixerit* Racha, *qui dixerit*, Fatue Mat. 5. τὸ *Qui irascitur*, iram interius conceptam exponit. *Qui dixerit* Racha, iram manifestari signat: *Qui dixerit* Fatue, iam iniuria affectum proximum manifestat. Ira interior opponitur mansuetudini. Hæc enim virtus frænat motus,concitationes, & appetitus interiores ad vindictam ne insurgant,aut ne insurgant immoderatè. Ira exterior opponitur clementiæ. Clementia enim animum iam concitatum cohibet, ne exterius procedat ad vindictam. Qua parte igitur ira interius consistit, duas habet filias indignationem, ac mentis tumorem. Qua parte vero ira in signo exteriori consistit tres alias enititur, clamorem, contumeliam, blasphemiam. Qua parte autem ira est in opere Rixam parit. Tolet. *lib.*8. *cap.* 58.

100. *Prima iræ filia indignatio.* Profecto prima iræ filia est *indignatio*, qua homo indignum reputat sua familiaritate & colloquio eum, à quo malum accepit. Hæc autem mortale piaculum est, in tribus casibus. Primò cum adeo ferues-cit, vt homo paratus sit illum proximum non iuuare etiam in iis, in quibus de præcepto tenetur. Secundo, cum adest interior personæ contemptus. Tertio, cum scandalum notabile sequitur ex huiusmodi ab amicitia subtractione. Extra hosce casus venialem solummodo asseruerim. Tolet. *l.*8. *cap.* 58.

101. *Secunda, tumor mentis.* Secunda est *Tumor mentis*, seu audacia quædam, qua homo ad vindictam sumendam audet insurgere: ex qua variæ cogitationes in mente sequuntur, quibus homo modum vindictæ cogitat. Certè quanta grauitas

ipsa aderit in vindicta, tanta erit hoc in mentis Tumore. Tolet. *l.*8. *c.*58.

102. *Tertia, Clamor.* Tertia est *Clamor*, siue inordinata, & confusa locutio. Quæ quidem ex se veniale est piaculum nisi ex scandalo mortale fiat. Tolet. *l.*8.*c.*58.

103. *Quarta, contumelia.* Quarta est *Contumelia* cum conuitia verborum iactamus in proximum. Hæc quidem ex materiæ grauitate, vel personæ affectæ conuitio qualitate, grauis, aut leuis est iudicanda.

104. *Quinta, Blasphemia.* Quinta est *Blasphemia*, id est, maledictio in Deum, vel proximum. De qua alibi.

105. *Sexta, Rixa.* Sexta denique est *Rixa* sub qua bellum, vulnera, contentiones, & alia huiusmodi. Lessi. *l.* 4. *c.* 4. *dub.* 4. *n.* 24. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 4. *punct. vlt.* §. 1. *n.*8. Filliuc. *tr.*29.*c.*10.*q.*3. Tolet. *l.*8.*c.*58.

CAPVT XI.

De Gula.

106. *Quid Gula?* GVla est appetitus inordinatus cibi, & potus. Cibus quippe & potus ad sustentationem corporis ordinantur: quando igitur sumuntur ob hunc finem modo ac circunstantia debitis, non est vitium, sed virtus. Quando vero aliquid horum prætermittimus, tunc inordinatio fit, & gulæ vitium excitatur. Tolet. *l.*8.*c.*59.

107. *Quinque modis potest Gulæ vitium perpetrari.* Quinque modis potest gulæ vitium perpetrari. Primò, circa substantiam cibi, ac potus, cum præter modum sunt pretiosa, & lauta. Secundo, circa quantitatem, cum quis vescitur, aut bibit supra id, quo indiget. Tertiò, circa qualitatem, cum cibos delicatos nimis, ac exquisitos quærit. Quartò, circà ipsam gustus delectationem, cum nimia ex cibo ac potu complacentia afficeris. Quintò circà tempus, cum indebito tempore cibus, ac potus assumuntur. D. Greg. *l.* 30. *Moral. c.* 27. D. Thom. 2. 2. *q.* 148. *art.* 1. & 4. Sylui. *ibid.*

108. *Duæ species Gulæ, Crapula, ebrietas.* Gulæ duæ sunt species. Altera quæ in cibo immoderato consistit, & dicitur commessatio, & crapula. Altera, quæ in immoderato potu; & dicitur ebrietas. De quibus Paulus meminit *ad Gal.* 5. Tolet. *l.*8.*c.*59.

109. *In sex casibus Gula est peccatum mortale.* Gula quidem in sex casibus est peccatum mortale. Primò, quando aliquis in cibo ac potu ponit vltimum finem, iuxta illud Pauli; *Quorum Deus venter est*; nimirum quando homo nihil quærit, quam comedere, ac bibere: ita vt potius sit paratus quodcumque piaculum perpetrare, quam pati in cibo, ac potu defectum. Secundò, quando ex appetitu cibi, & potus homo prætermittit id, quod ex aliquo præcepto præstare tenetur: v. gr. qui diebus prohibitis carnibus vescitur, & diebus ieiunij non abstinet; & qui vt cibis lautis ac pretiosis fruatur, se efficit impotentem ad debita creditoribus soluenda; aut grauibus proximorum necessitatibus nō succurrit; aut filias in debito statu non collocat. Tertiò, cum damnū notabile corporis sibi infert: v. gr. qui ob nimium cibum & potum incidit in febrim vel aliquid alteri ministrat, quod causa sit morbi, aduertenter id gerens, saltē cum aduertere debuisset. Nam si experientia edoctus sit huiusmodi cibum sibi aut alteri grauiter nocere, quamuis non aduertat, minime excusatur à crimine. Quando vero damnum non est graue, tunc erit veniale: v. gr. cum infirmus æstuans febri aqua reficiatur, quam scit futuram causam alicuius solummodo augmenti. Quartò, quando graue scandalum datur proximo. Vnde si alij grauiter scandalizentur ex tua cibi ac potus intemperantia teneris sub mortali ab eiusmodi gula abstinere. De quo scandalo aiebat Apostolus, se non manducaturum carnes in æternum si sciret inde fratrem suum scandalo afficiendum. Quintò quando cibus vel potus est contra naturam. Sextò denique, quando timetur probabiliter, ex nimio cibo aut potu aliquod mortale peccatum profluxurum. v. gr. qui se scit, nimium in luxuria procliuem, & peccare cum modum non seruat, tunc peccatum lethale esset gula. Lessi. *l.*4. *c.* 3. *dub.* 1. *n.*6. & 7. Sylui 2.2.*q.*148. *a.* 2. Tolet. *l.*8.*c.*60.

110. *Præter hos casus regulariter est veniale.* Præter hosce casus gula regulariter est veniale piaculum, etiam si absque vtilitate vsque ad vomitum intentum se quis cibo potuque ingurgitet. Liceret autem de consilio Medicorum ob vtilitatem sumere ad vomendum amplius quam par est. Nauar. *c.*23. *n.*119. Dian. *p.*5. *tr.*13. *resol.* 40. Caiet. *sum. ver. Gula.*

111. *Licet ob infirmitatem, & necessitatem occisi hominis vesci carnibus.* Licet carnibus humanis vesci ob infirmitatem, cui hoc cibo possit adhiberi medicamen: & ob necessitatem, cum tamen iam homo occisus inueniretur: in nullo enim casu licebit vel propter hoc occidere. Caiet. 2. 2. *q.* 148. *a.* 2. Nauar. *cap.* 23. *n.*130. Tolet. *l.* 8. *c.* 60.

112. *Vesci cibis insolitis, sale,* Vesci alimentis, ad vsum communem non destinatis, peccatum est contra charitatem

cinere, terra, &c. peccatum est contra charitatem in teipsum: graue, aut leue ex damno illato.

ritatem erga te ipsum graue, vel leue, prout graue vel leue est damnum quod infertur. Ex obiecto autem, præciso quocumque damno ob inordinationem, quam habet in se ipso, est peccatum veniale. Quia in hoc casu interuenit tantum inordinata quædam obsequentia appetitus, quæ non dicit grauem deordinationem: maximè quando ad est concupiscentia horum ciborum, quæ assolet ex infirmitate aliqua, vel ex muliebri leuitate excitari. Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 22. *q.* 148. Caiet. 2. 2. *q.* 148. *a.* 2. Si tamen cesset concupiscentia, harum rerum, & consequenter in materia mutatio non fiat, nec interueniat rationabilis causa, posset esse peccatum mortale comedere de cinere, sale, pipere indico, carbone, cera, terra rubra, &c. in notabili quantitate propter iniuriam grauem propriæ personæ contra ordinem præscriptum à natura factam. Elig. Bas. *ver. Gula, n.* 4.

113. *Lethale est, crudis carnibus vesci, si damnum graue prouenit: nullum peccatum si nullum damnũ.*

Comedere carnes crudas belluinum est, & ij, apud quos hoc est in vsu sunt homines barbari; & in quibus humanæ naturæ dignitas læsa admodum ostentatur, imo omnino quodammodo interempta. Peccatum mortale est hisce inconditis cibis vti, quando inde prouenit graue damnum valetudini. Quia contrariatur charitati, qua sub mortali tenemur propriam tueri vitam. Nullum tamen esset peccatum illis ex rationabili causa vesci v. gr. si non adesset commoditas coquẽdi, aut quia complexio aliquid tale exigeret, aut medicinæ causa. Quia tunc comestio huiusmodi fit conformis rationis regulis, & rationabili causa videtur inducta. Pasqual. *in praxi ieiun. Eccles. decis.* 15.

Caput XII.

De Ebrietate.

114. *Dupliciter accipitur ebrietas.*

Ebrietas dupliciter accipitur. Primo, pro defectu vsus rationis nimio ex potu inducto, & sic non est peccatum propriè, sed peccati effectus. Secundo, pro ipsa potatione, quæ hunc effectum efficit: Sic est peccatum, & hoc modo potest definiri: Ebrietas est excessus in potando causa voluptatis vsque ad violentam vsus rationis priuationem. Dixi *causa voluptatis*, quia si causa medicinæ ex præscripto Medicorum (de quo sect. 2.) quis vsu rationis priuetur, non esset ebrietas. Dupliciter quidem vsus rationis aufertur, scilicet modo naturali; & violento: naturali per somnum, violento autem, quãdo tanta vaporum copia cerebrum opplet, vt etiam in vigilia ratione vti non valeat. Caiet. *ver. Ebrietas.* Lessi. *l.* 4. *c.* 3. *dub.* 1. *n.* 13. Sylu. 2. 2. *q.* 150. *a.* 1.

115. *Voluntaria ebrietas peccatum mortale.*

Ebrietas voluntaria est peccatum mortale, quando quis scilicet directè ebrietatẽ intendit, vel indirecte quidem tantum potionis adhibendo, quantum potest, non curans an sequatur ebrietas, an non. Et quãdo aduertit, se ebriandum si pergat potare nihilominus non desistit. Quia licet ebrietas non sequatur, deliquit tamen se periculo vltroneus exponens. Ratio plane totius assertionis est, quia damnum notabile sibi infert, nempe rationis amissionem. Tolet. *l.* 8. *cap.* 61. Lessi *l.* 4. *c.* 3. *dub.* 1. *n.* 15. Nauar. *c.* 23. *n.* 121.

116. *Peccat mortaliter, qui alij ebriando dat operam.*

Peccat mortaliter, qui scienter, alium ebriari procurat: vel eum cuius ingenium nosci, & iam ad ebrietatem pergentem videt, vinum vlterius propinat, eum ebrietatis afferens ad discrimen. Quia notabiliter vult proximo nocere. D. Thom. 2. 2. *q.* 150. *a.* 1. Syluius. *ibid.* Fernand. *pag.* 4. *c.* 2. §. 6. *numero.* 6. Tolet. *libr.* 8. *c.* 61.

117. *Qui ebriatur ignorans potus qualitatem, non delinquit.*

Nullum perpetrat piaculum, aut solum veniale, qui ignorans qualitatem potus ebrietatur; aut inaduertentia nimietatis eius. Quia tunc ebrietas non ex graui malitia, sed ex accidenti prouenire censenda. Doctores proximè citati.

118. *Imperfecta ebrietas est venialis.*

Quando ebrietas non est perfecta, sed imperfecta, quæ scilicet turbat aliquomodo rationem, non autem omnino: tunc est graue veniale. Quia leuiter lædere rationem, venialis est culpa, sed grauis venialis ex mentis læsæ dignitate. Toletus *l.* 8. *cap.* 61.

119. *Peccata in ebrietate commissa imputantur ad culpam ex voluntaria præuisione.*

Peccata commissa in ebrietate imputãtur ad culpam, quando ebrietas est voluntaria, seu culpabilis, & malum poterat prouideri. Certe si solum venialiter quis deliquit se inebriando, malum inde secutum solum erit veniale; si vero mortaliter, mortale. Quia illud malum non est voluntarium seu liberum in se ipso, cum ab eo patretur, qui iam vsu rationis caret; sed solum est voluntarium in causa. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 150. *artic.* 4. Sylui. *ibid.* Caiet. *ibid.* Bonac. *in* 2. *distin.* 22. *art.* 2. *q.* 3.

120. *Fieri potest, vt ebrietas sit mortalis, & tamen malum secutum ei non imputetur.*

Fieri potest vt ebrietas sit mortifera, & tamen malum ex ea secutum etiam per se grauissimum, non imputetur ad culpam, vel saltem non nisi ad venialem. Ad nullam culpam, si malum nulla ratione

tione poterat præuideri; ad venialem tantum, si aliquo modo præuideri poterat & per venialem negligentiam maior consideratio fuit prætermissa. Ratio est, quia effectus hi omnes solum sunt voluntarij in causa & ex maiori aut minori huius malitia suam trahunt iniquitatem. Tanner. 1. 2. *disput. 4. quæst. 3. dub. 3. num. 65.* Tolet. *l. 8. cap. 61.*

121. *Voluntas dicendæ in ebrietate contumeliæ non est contra iustitiam.* Hinc contumeliæ in ebrietate dicendæ voluntas non est peccatum contra iustitiam, sed peccatum odij in proximum. Quia contumelia in dedecus affecti non cedit, nisi à rationis compote dicatur. Proinde multa dicta, vel facta ebriorum, non reputantur peccata, quæ alioquin essent. Id quod verum est etiam si præuideantur. Quia in hominum æstimatione iniurioſa minimè censentur, quæ aliàs in sana mente iniurioſa admodum extitissent. Vasq. 1. 2. *tom. 1. disp. 127. c. 3. n.* 11. Sanctius *in select. disp. 20. n. 5.*

122. *Non sunt validi ebrij contractus.* Non sunt validi ebrij contractus. Vnde nec valet matrimonium, sic nec qui in ludo lucrantur, possunt lucrum retinere, sed tenentur ad restitutionem. Ebrius enim ebrietatis tempore, vt amens reputatur. Tolet. *l. 8. c. 61.*

Caput XIII.

De quinque Gulæ filiabus Hebetudine mentis, lætitia inepta, Multiloquio, scurrilitate, Immunditia.

123. *Gula est vitium capitale.* Gvla dicitur Capitale vitium, quia quinque enititur filias, nempe Hebetudinem mentis, quam quidem potius pœnam dixerim, quam peccatum: fit enim ex Gula ingenium hebes, & ineptum ad percipiendum, & iudicandum lætitiam immoderatam mentis insaniam exponentem, Multiloquium, ad quod saturitas assolet excitare, scurrilitatem, nimietas enim cibi ac potus verborum turpium, facetiarum inhonestarum solet esse officina; Immunditiam denique ex vomitu, aut fœditate singultus. Nauar. *c. 23. n. 123.* Antonin. *part. 2. titul. 6. cap. 4. §. 1.* Caiet. 2. 2. *quæst. 148. a. 6.*

124. *Prima eius filia Hebetudo mentis.* Prima itaque Gulæ filia est *Hebetudo mentis*, quæ potest esse peccatum, quando homo aduertenter ita ineptus fieret, vt non posset his, quæ præcepto debet gerere, operam exhibere. v. gr. si medicus deberet tali tempore pro aliquo morbo graui studere, ægroto quidem necessaria, & ipse se adeò oppleret cibo ac potu, vt non posset attendere. Similiter de Aduocato in hisce casibus asserendum. Angel. *ver. Hebetudo.*

125. *Secunda lætitia inepta.* Secunda filia est *inepta lætitia*, qua homo congaudet in his, quæ nullam delectationem ex se sunt apta facere. Hæc plane ex se veniale est peccatum, nisi sit materia mala, & quæ mortale efficiat. Tolet. l. 8. *c. 62.*

126. *Tertia Multiloquium.* Tertia est *Multiloquium*, seu loquacitas, quæ ex se veniale piaculum est, nisi sit cum contumeliis & infamiis contra proximum admixta, vel contra Deum prorumpat in blasphemias. Tolet. *l. 8. c. 62.*

127. *Quarta scurrilitas.* Quarta *Scurrilitas*, nempe verba, vel facta inhonesta, seu ad risum immodestè prouocantia. Hæc si venereæ delectationis causa fiant, mortale peccatum est. Si vero solummodo ad risum prouocandi, veniale graue est. Tolet. *l. 8. c. 62.*

128. *Quinta immunditia.* Quinta demum est *Immunditia*, qua quis vsque ad vomitum vescitur, & hæc est veniale piaculum. Quamuis enim aliquis vsque ad vomitum vescatur & bibat nisi aliquod notabile damnum corporis sequatur, vel graue scandalum excitetur, mortale non est. Imo quamuis aduertenter id faciat, vt euomat. Caiet. *ver. Regula*, Nauar. *cap. 23. n. 227.* Tolet. *lib. 8. cap. 62.*

Caput XIV.

De inuidia

129. *Inuidia describitur.* Sic Inuidia describitur: Tristitia de alieno bono, in quantum propriæ excellentiæ est diminutiuum. Certe Inuidia est vitium, quo bonum proximi nobis displicet, & de ipso tristamur, volentes non esse tale bonum Non tamen quæcumque huiusmodi tristitia est inuidia, sed quæ ex hac causa ac motiuo procedit; nimirum quia nobis videtur, per bonum alterius nostram gloriam, & excellentiam minui, dum qui nobis æqualis est, maior nobis per tale bonum ostentatur. Ideo additur, *vt propriæ excellentiæ est diminutiuum.* Est enim inuidia inter æquales, vel eos, qui fere æquales reputantur, ob id dicitur Inuidia, quasi *non videat.* Inuidus enim non vult alterius bonum, nec ipsum coram se videre. D. Tho. 2. 2. *q. 36. a. 1.* Valent. *tom. 3. disp. 3. q. 13. punct. 1. & 2.* Tolet. *l. 8. c. 63.*

Multipliciter

130. *Multipliciter possumus de proximi bono tristari.*

Multipliciter possumus de bono proximi tristari. Primò, quia aliquod malum nobis inde prouenturum esse putamus: v. gr. qui dolet de electione alicuius in Magistratum, quia sibi mors, vel damnum aliquod inde existimat inferendum: & hæc tristitia est affectus vel *effectus timoris*. Secundò, de alterius bono tristamur, quia ipsi eo caremus: v. gr. quia videt quis hominem doctum de illo bono tristatur, non quia ille polleat doctrina, sed quia ipse reperiatur indoctus; & hæc tristitia dicitur *æmulatio*. Tertio, tristamur de bono alterius, quia eum tali bono indignum iudicamus; v. gr. qui tristatur de malorum prosperitate temporaria, eo quod sint indigni, secunda fortuna potiri; & hæc est *indignatio*. Quartò tristitia afficimur de alterius bono quia malum ei expetimus. Displicet enim nobis bono frui illum, quem malo affici volumus: & hoc est *Odium*. Quintò, tristari possumus, quia alicui maius bonum volumus: v. gr. cum tristantur iusti de bonis temporalibus impiorum, cum vident illis ad patranda grauiora crimina ministratura fomitem; & hæc tristitia *ex charitate est*. Sexto possumus tristari ex iustitia: v. gr. quum dolemus de beneficio collato indigno, quia iniusta collatio; & huiusmodi tristitia ex *zelo* est. Septimò denique tristari possumus de bono alterius, quia propriæ excellentiæ nostræ est diminutiuum; & hæc sola tristia ex septem præfatis *inuidia* est. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 63.

131. *De tristitia ex timore.*

Profecto tristitia ex affectu timoris aliquando est peccatum, aliquando non. Quando timemus malum nobis iniuste inferendum ab alio ob munus ipsi collatum, & nobis est certum huiusmodi malum prouenturum: iustum est contristari. Ex. gr. in Magistratum eligitur homo, quem scio multas perpetrasse iniustitias, & probabile est mihi eum adhuc iniuste operaturum muneris occasione; licet procul dubio tristari de potestate ei data ad perniciem subditorum. At quando malum quod timemus, iustè ab illo inferendum est; tunc malum est, de illius bono tristari. Ex. gr. in Magistratum eligitur vir rectus, qui vitia exterminabit, & iusta pœna impios afficiet: delinquet certè qui ob timorem de potestate illi tradita contristatur. Huiusmodi autem tristitia si sit ex pleno voluntatis consensu, & de magno bono, mortale erit peccatum. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 63.

132. Circà tristitiam æmulationis certum est, cum bona quæ æmulamur spiritualia sint, & ad animi salutem pertinentia, æmulationem esse iustam & sanctam. Ex. gr. video hominem pœnitentem, deuotum, religiosum, ex eo bono contristor, non quia in illo adsit, sed quia in me non sit: id laudatur à Paulo, *Æmulamini charismata meliora*. 1. Cor. 12. At quando bona, de quibus tristamur, sunt temporaria, si nobis sunt proportionata licitum est tristari, sicut licitum esse concupiscere. Ex. gr. non habes quo possis alere familiam, vides alios tibi æquales abundanter habere: iustè potes tristari qui simili priuaris abundantia. Quando verò bona sunt temporaria, sed nobis improportionata, bonum non est tristari, sicut neque desiderare: v. gr. si mediocris homo tristetur, quia non est Rex. Attamen hoc piaculum solummodo ex se veniale iudicarim. Porro quando temporalia in malum finem appetuntur, tunc tristitia omnis mala est, & tantum peccatum, quantum est horum bonorum ob illum finem desiderium. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 65.

De tristitia ex æmulatione.

133. *De tristitia ex indignatione.*

De tristitia autem indignationis, id est, de eo præcisè qui dolet, dum videt bona temporaria collata esse hominibus indignis, & non ob alium finem dolet: asseruerim malam esse venialiter. Quia cum id, de quo dolet non sit malum culpæ nec pœnæ: dolere videtur de superabundantia largitoris, cuius iudiciis gerere morem debuisset. At si huiusmodi indignatio prorumpat, & Deum arguat quod sit iniustus, & male distribuat, est grauissimum mortale peccatum, & blasphemia. D. Thom. & Caiet. citati à Tolet. *l.* 8. *c.* 65.

134. *De tristitia ex odio.*

Tristitia ex odio, ex ipso odio est iudicanda. Cum enim malum alicui expetimus propter ipsum subiectum & personam, quæ inimica est nobis, tunc peccatum plane est: & si malum est graue, odiumque ex libera voluntate, mortale est: secus autem veniale. Simili modo se habet ipsa ex odio tristitia, quæ si de bono graui, & ex libera voluntate sit, mortale est: secus autem veniale. Tolet. *l.* 8. *c.* 66.

135. *De tristitia ex charitate, & zelo.*

Tristitiæ vero ex charitate, & zelo, bonę sunt. Licet enim affici tristitia de robusta alicuius valetudine, quia est illi mortaliter delinquendi vberius occasio. Quo in casu licitum est, illi expetere ægritudinem. Licet tristar, quod dignitates obtineat indignus, iustitia violata

violata licet triſtari, quia hæreſiarchæ, & fidelium corruptores viuunt, & ſanctum eſt illis mortem optare ne alios inficiant. Tolet. *l.*8.*c.*66.

136. *De triſtitia propriè ex Inuidia.*

Triſtitia denique illa, quæ propriè ex Inuidia procedit, ex genere ſuo peccatum mortale eſt: & de facto erit mortale, ſi duæ adſint conditiones. Vna eſt, quòd bonum, de quo triſtatur inuidus, ſit graue; cum enim leue eſt, vt pueris ſolet accidere, qui in leuibus ſociis inuident, veniale eſt piaculum. Altera autem, quod adſit voluntatis conſenſus. Sæpe enim eſt quidam motus in parte ſenſitiua, aut voluntate, ſed ſubitus, ac ferè naturalis, quo homo triſtatur de bono æqualis, & tunc ſolum eſt veniale; quia ad lethale piaculum plenus requiritur voluntatis conſenſus. Tolet. *l.*8.*c.*66. Nauar. *c.* 23. *n.*118. Reginal. *l.*17.*num.*129. Filliu. *tr.* 28. *c.*8.*q.*5.

CAPVT XV.

De quinque Inuidiæ filiabus, Odio, Suſurratione, Detractione, Gaudio in aduerſis proximi, & in proſperis Afflictione.

137. *Inuidia eſt Capitale vitium.*

INuidia inter Capitalia vitia annumeratur, quia ex ipſa tanquam ex capite multa alia vitia ducunt originem, Odium ſcilicet proximi, ſuſurratio, Detractio, Gaudium in aduerſis proximi, in proſperis Afflictio. Inuidus namque ſentiens ex triſtitia concepta internam perſecutionem, incipit ſuo conatu alterius gloriam diminuere ex odio, id que vel occultè, & tunc ſequitur ſuſurratio: vel manifeſtè, ex quo Detractio exponitur. Quod ſi ſuam intentionem conſequatur, gaudet de illius aduerſitate; ſi conſequi non poteſt, de illius proſperitate affligitur. D.Thom.2.2.*q.*36.*ar.*2.*&*3. Nider. *in Decal. præc.*5.*c.*6.

138. *Prima Inuidiæ filia, Odium.*

Profectò prima Inuidiæ proles *odium* eſt, quo alicui malum volumus ob malum quidem ipſius, & non ob bonum aliquod eius, vel alterius. Peccatum eſt graue, vel leue iuxta affectus malitiam, & materiæ qualitatem. Tolet. *lib.* 8.*cap.*67.

139. *Secũda ſuſurratio.*

Secunda filia eſt *ſuſurratio*, qua inuiſi proximi famam rodimus in occulto. Peccatum lethale ex ſuo genere, leue redditur ex materiæ leuitate. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 67.

140. *Tertia, detractio.*

Tertia eſt *Detractio*, qua inuiſi proximi famam manifeſto atterimus. Peccatum ex ſuo genere lethale eſt, ex materiæ autem leuitate veniale. Plura de Detractione alibi Tolet. *l.*8.*c.*67.

141. *Quarta, Gaudium in aduerſis proximi.*

Quarta eſt *Gaudium in aduerſis* proximi, quod quidem peccatum eſt; & ſi malum proximi, de quo gaudemus, graue eſt, & gaudium ſit ex rationis conſenſu, mortale eſt peccatum. Tolet. *lib.* 8.*cap.*67.

142. *Quinta Afflictio in proſperis.*

Quinta demum eſt *Afflictio in proſperis* proximi inuiſi, Inuidus enim duplici afficitur triſtitia. Altera de bono proximi, prout videt, propriam excellentiam imminui; & hæc eſt ipſa inuidia. Altera eſt conſequens. Inuidus namque nihil proſperitatis vellet accidere inuiſo, & bonum eius impedire conatur, ſaltem deſiderio profuſo. Quando ergò ei tale bonum euenit, quia contra inuidi voluntatem euenit, affligitur, & triſtatur. Eſt autem peccatum hæc triſtitia eo modo, quo gaudium in aduerſis. Ex D.Thom. citato Tolet. *l.*8.*c.*67.

CAPVT XVI.

De Acedia.

143. *Quid Acedia? In cuius expoſitionem triplicis gaudij, & triſtitiæ exprimo proprietates.*

ACedia vitium ſic aptè deſcripſerim; Triſtitia de bono ſpirituali, vt ad ipſum hominem attinet. In cuius expoſitionem adnoto, bonum ſpirituale vocari hominis beatitudinem, quæ in fruitione Dei conſiſtit: & ea bona quæ ad ipſam conſequendam ordinantur ſcilicet charitatem, virtutum opera, diuina præcepta, ſacramenta & alia huiuſmodi. Certe hæc ſpiritualia bona poſſunt tripliciter conſiderari. Primò, vt à Deo procedunt, vt ab omnium bonorum principio, & authore. Secundò, vt in proximis noſtris adſunt. Tertiò, vt ad nos ipſos etiam pertinent. Cum autem per charitatem non ſolum diligamus Deum, ſed etiam proximos & nos ipſos: & charitatis ſit gaudere de bono illius quem diligimus: fit, vt charitas alliciat nos ad gaudium de huiuſmodi bonis iuxtà illam triplicem conſiderationem. Primo quidem vt à Deo ſunt; nam qui diligit Deum de bono opere ab ipſo procedente gaudet, quatenus eius potentia, iuſtitia, ac bonitas manifeſtantur. Deinde qui diligit proximum, gaudet de bono ſpirituali ipſius, quatenus per ipſum diſponitur ad ſuum finem

vel quia iam illum est consecutus. Denique qui se diligit propter Deum gaudet consequenter de tali spirituali bono,quod ad ipsum pertinet, & gaudet, se ad Deum per huiusmodi bonum ordinari. Addo iuxta triplicem eandem boni spiritualis considerationem triplicem posse esse in homine de tali bono tristitiam , contra charitatem plane, vel qua diligendus est Deus , vel qua diligendus est proximus , vel qua ipse se debet diligere propter Deum. Prim- tristitia est , qua homo tristatur de bono spirituali vt à Deo est,quasi nolens ipsius manifestationem,& gloriam : pessima sanè tristitia ex odio Dei procedens,quod est peccatorum grauissimum pertinens ad damnatos. Secunda tristitia est, cum homo tristatur de spirituali bono, vt est in proximo , quasi nolens proximum huiusmodi bono potiri: graue quidem peccatum , quod inuidentia gratiæ fraternæ vocitatur. Tertia tristitia est , qua homini displicet bonum spirituale proprium quasi nolens , & fastidiens , se talis boni esse capacem , & ad id ordinari. Tristatur enim , de beatitudine , de diuinis præceptis , de sacramentis de bonis aliis spiritualibus , quasi vellet ad se minimè pertinere.Porro tristitia hæc dicitur Acedia, qua homo velut nauseam habet rerum spiritualium. Tolet. ex Diuo Thom. & aliis *l.8.c.68.*

144. *Vndenam oriatur Acedia.*

Acedia præsertim ex duplici capite nascitur. Vno quidem ex nimio ad res temporales affectu: altero ex laborum ac studiorum,quibus spiritualia bona sunt consequenda , terrore. Ex affectu illo gustus spiritualis perditur , quo ex animo recedente, statim spirituale negotium fit labore , ac difficultate plenum. Tolet.citat.

145. *Est Acedia alia, quæ per omnia vitiorum genera diuagatur.*

Est & Acedia alia , quæ per omnia vitiorum genera diuagatur ; illa nempe tristitia , quæ refugit honestatem ac pulchritudinem virtutis oppositæ eaque contristatur v. gr. gulosus dolet actibus temperantiæ , & contrariis delectatur : ignauus dolet actibus fortitudinis , &c. Eius autem grauitas ex necessitate , & virtute cui opponitur , expendenda est; eo enim peior erit , quo de meliori bono doluerit.Filliuc.*tr.*28.*c.*8.*q.*9.*n.*186.Laym. *l.2.tr.3.c.9.n.*1.

146. *Acedia mortale ex genere.*

Acedia est peccatum mortale ex suo genere. Quia est contra charitatem. De huiusmodi Acedia seu tristitia Paulus profatur , *Tristitia huius sæculi mortem operatur. 2. Cor.7.* Ex D. Thom. Tolet. *l.8.c.69.*

147. *Fit veniale dupliciter.*

Fit Acedia veniale piaculum dupliciter. Vno modo , quando non accedit plenus rationis consensus , sed sistit solum in parte sensitiua , aut in imperfecta ratione. Suboriuntur enim aliquando quidam metus & internæ tristitiæ , quibus homo plenum non adhibet consensum ; in his ad summum est veniale piaculum. Altero modo , quando , etsi ratio consentiat , tamen materia est leuis. Tunc autem dicitur leuis materia , quando homo non vere tristatur de bono spirituali secundum se , sed de eo ratione alicuius circunstantiæ loci , & temporis; v. gr. qui contristatur de ieiunio , quia tali die obseruandum est ; qui tristatur de concione , quæ tali ac tanto tempore perficitur : tamen absolute non contristatur de iis, quasi absolutè nolit esse ieiunium, aut concionem. Frequenter in his est tantum veniale. Tolet. *l.* 8. *c.* 69. Laym. *l.*2. *tr.* 3. *c.*9. *n.* 1.

Caput XVII.

De sex acediæ filiabus, desperatione, pusillanimitate , torpore , malitia, rancore, euagatione mentis.

148. *Acedia est capitale vitium.*

Acedia vitium est capitale , quia sex parens filiarum , desperationis scilicet,pusillanimitatis,Torporis, malitiæ , Rancoris , & mentis Euagationis. D. Thom. 2. 2. *q.* 35. *a.* 1.Sylui. *ibi.* Malder. Bannes *ibi.*

149. *Prima eius filia desperatio.*

Prima Acediæ filia est *Desperatio* , qua homo diffidit, se finem consecuturum supremum.Hæc autem facile oritur ex Acedia, qua homo velut à se reiicit talem finem. Est desperatio peccatum mortale graue admodum cum ex consensu pleno rationis fit. Quando vero est quidam motus imperfectus , veniale iudicandum. Nauar. *c.* 23. *n.* 124. 125.

150. *Secunda, Pusillanimitas.*

Secunda est *Pusillanimitas* , qua homo non audet diuina consilia , quæ ad perfectionem alliciunt exequi. Et quidem hæc ex se solummodo veniale. Tolet. *lib.* 8. *cap.*70.

151. *Tertia Torpor.*

Tertia , est *Torpor*, quo negligit homo se, & gerere omittit, quæ ex præcepto tenetur. Et hic plane est mortale peccatum Tolet. *l.*8. *c.*70.

152. *Quarta, Malitia.*

Quarta est *malitia*, qua homo habet odio ipsa bona spiritualia in se; qua vellet , ea non esse : qua pœnitet hominem, bene feciſſe, & impleuiſſe, quæ gerere tenebatur: quo contemnit Dei beneficium, deside-

desiderando non fuisse natum, & dolendo, Christum cognouisse, &c. Est quidem mortale. Filliuc. *tract.* 28. *cap.* 8. *quæst.* 9. *num.* 186.

153. *Quinta Rancor.* Quinta filia est *Rancor*, quo homines, quorum munus est alios ad spiritualia allicere, sunt illi fastidio, & eos auersatur. Et hic est veniale piaculum, nisi colligetur cum odio, quo eis malum deliberatè desideret. Tolet. *l.*8.*c.*70.

154. *Sexta euagatio mentis.* Sexta denique est *Euagatio mentis*, seu defectus attentionis, quæ rebus spiritualibus exequendis, & exercendis est adhibenda. Hæc ex se veniale est, cum ex præcepto talis attentio exigitur: v.gr. in Horis canonicis recitandis, quando homo tenetur recitare: & in audiendo sacrum diebus festis. In his enim rebus voluntaria notabilis mentis distractio mortalis erit. Tolet. *l.*8. *c.*70. lege Reginal. *l.*17. *n.*107. Laym. *lib.*2. *tract.*3. *cap.*9. *à numer.*1. Bonacina *tom.* 2. *disput.*3. *quæst.* 4. *punct. vlt.* §. 3. *à num.*1. Filliuc. *tract.* 28. *cap.*8. *q.*9. *à num.*186.

SECTIO SECVNDA.

De Vitiis Capitalibus Problemata.

CAPVT XVIII.

Circa superbiam, aut vanam gloriam.

PROBL. I.

Iactantia de aliquo peccato habet, & non habet eandem malitiam, ac ipsum peccatum: ideo teneris, & non teneris explicare peccatum de quo iactantia fuit, in confessione.

155. *Eandem malitiam habet. & necessario exponendum. peccatum, de quo fuit iactantia.* LIcet iactantia non sit de peccato, commisso cum gaudio perpetrationis illius coniuncta, eandem malitiam habet ac ipsum peccatum, & necessario est in confessione aperienda. Quia iactantia de fornicatione diuersæ est speciei ac iactantia ex furto, & ei hæresci t ex fornicationis malitia distincta aliqua piaculi nota. Adde audientes de homicidio iactantiam grauiori scandalo affici, quam qui fornicationis communioris vitij iactantiam exaudiunt. Sic Doctus quidam, quem suppresso nomine innuit Dian. *p.*3. *tr.*4. *resol.* 44. Cast. Pal. *tom.*1. *tract.*2. *disp.*2. *punct.*11. *num.*5. sententiam hanc probabilem vocitauit.

156. *Nec habet eandem malitiam nec explicandum peccatum.* Si gaudium excludas, & solum peccatum iactantiæ committas, non variatur eius malitia ex varietate peccati, circa quod versatur: vnde non teneris, peccatum, cuius fuit iactantia, in confessione aperire sed te sufficienter expedire ab obligatione, si aperias; te de mortali culpa iactasse. Quia tota iactantiæ malitia consistit in captanda gloria, & honore ex malefactis; quod vero malefacta sint latrocinia, homicidia, aut fornicationes, materiale quid est, & per accidens ad iactantiæ malitiam. Ita Castr. Pal. citat. & Dian. *vbi sup.* Nauarrum allegans.

157. *Hanc sententiam probabiliorem puto & confirmo.* Hanc probabiliorem reor mentem, dum video, eum qui iurauit, a ut vouit castitatem aut paupertatem, præcepto posse satisfacere confessionis, si separatim aperiat fornicationem, & furtum, addatque se bis iuramentum in re graui violasse. Ad violationem enim voti, seu iuramenti materiale quid est, quod violatio sit in castitate, aut in paupertate. Obiter moneo vt te à delinquendi occasione submoueam, dum de dexteritate, ingenio, virilitate in perpetrando crimine iacteris sine criminis ipsius complacentia, non peccare mortaliter, si audientes intelligant te nec de peccato complacere, nec de illo laudare: sed solum de modo, qui in perpetratione ipsius adfuit. At hoc in casu debes animum tuum audientibus reserare. Didici ex Lessi. *l.* 2. *c.* 47. *dub.* 6. *numer.* 42. Sanctio *tom.* 1. *sum. lib.* 1. *c.* 3. *num.* 4.

PROBL. II.

Alius te de peccato perpetrato laudat, nec placet interius, non tamen exterius tuam exprimis displicentiam: peccas, & non peccas mortaliter.

158. *Mortaliter non peccas.* DIsplicet quidem tibi laus expressa ab alio de peccato à te commisso, v.gr. de vindicta perfecta, de adulterio patrato: at quasi placeret interius, præ verecundia taces; mortaliter non delinquis. Quia tacitur

taciturnitas illa indicat plane te laudem acceptare, non autem probat te interius iactari de crimine. Sic Sanch. *l.*1. *decal.c.* 3.*n.* 4. & alij apud ipsum.

159. *Peccas mortaliter.* Peccas mortaliter, licet interius displiceat de crimine, dum exterius non displicere manifestas. Quia necessarium est semper in tali casu, aliquo modo displicentiam exterius manifestari,ne videaris internè te iactare de crimine. Ita Castro Pal. cit.

160. *Idem sentio.* Idem existimo, credens,nunquam non ex tua taciturnitate scandalum in audientibus esse generandum. Id quod ipse Sanctius aduertit,dum addidit, *Nisi talis esses, vt tacendo, astantibus scandalum præberes.*

PROBL. III.

Hypocrisi quis simulat paupertatem, & eleemosynas recipit,quibus veri inopes erant subleuandi tenetur, & non tenetur ad restitutionem.

161. *Non tenetur ad restitutionem.* NOn tenetur. Quia in eleemosynis (speciatim paruis,quæ ostiatim mendicanti erogantur) non habetur vt plurimum ratio paupertatis, sed tantum charitatis,pietatis,& misericordiæ. Dantes illa subsidia verè & absolutè id gerunt sine vlla conditione:& consequenter videntur transferre dominium in ipsos recipientes: quando aliud de mente donantis non constaret. Ita Sotus & alij apud Dian. *pag.*5.*tract.*8. *reso!.*21.

162. *Tenetur ad restitutionem.* Qui recipit eleemosynam simulans paupertatem, tenetur ad restitutionem. Quia qui decipitur circà conditionem, propter quam donat,non omnino liberaliter donat; ideò qui donat alicui, quia putat illum esse pauperem, qui revera pauper non est,non verè liberaliter donat: sicut qui donat alicui, quem putat propinquum, si non est propinquus, nulla est donatio. Certè quemadmodum in contractibus,causa finali deficiente, contractus est nullus: sic in eleemosynæ largitione. At paupertas est causa finalis, non impulsiua tantum.Ergo.Sic Scotus, Alens. Gabri. quos citat.& sequitur Phil. Faber. *de pœnit.in* 4.*dist.*15.*disp.*50.*c.*4.*n.*120.Sylui.2.2.*q.*66.*a.*2.*quæst.*5.*concl.* 4. citans Caiet.Lorc.Nauar.Turrian.ac Ioan.Medin.

163. *Hanc sententiam magis approbo.* Hoc probabilius puto. Esto charitas,& amor Dei sit causa finalis eleemosynæ gerendæ in communi: at causa finalis, ob quam huic determinatæ personæ fit, non est charitas Dei,sed paupertas ipsa ficta: ergo si quis decipiatur circà hanc conditionem, & rationem,propter quam subsidium accepit simulator: non est voluntaria donatio, & ideo tenetur ad restitutionem.Non dubium, quin maxima sit fraus simulare paupertatem, & subsidia veris pauperibus præparata huiusmodi iniqua simulatione auferre. Fraus quidem nemini patrocinari debet Cap. *Sedes*, & cap. *Ex tenore,de rescrip.* at patrocinaretur, si huiusmodi hypocrita, graui materia posita, ad restitutionem non teneretur. Rogas, cui nam facienda hæc restitutio? Crediderim ex mente dominorum faciendam bursæ communi pauperum illius loci, quando ex paruis ac quotidianis eleemosynis factus est quis diues; si vero magnum aliquod subsidium alicui donaretur,tunc domino, non aliis pauperibus est restituendum.

PROBL. IV.

Tactus facta ex curiositate (vanæ gloriæ filia) sunt, & non sunt peccata mortalia.

CVriositas non est proprie vanæ gloriæ filia, quamuis quodam modo ad ipsam reducatur authore Tolet.*lib.*8.*cap.*12. Sic eam descripserim: Appetitus sciendi inordinatus. Per scientiam autem hic intelligi volumus non solum cognitionem, quæ fit per intellectum, sed etiam quæ fit per imaginationem, & per sensus exteriores visus, auditus,&c. Cum ergo res, quæ desiderantur sciri sunt inutiles scienti,quæ nec ad propriam nec proximi vtilitatem, nec ad Dei honorem faciunt, talis curiositas veniale peccatum est. At si res sunt noxiæ, nimirum occasio peccandi probabilis, velle eam scire aduertendo periculum, peccatum est:& si occasio vel periculum peccati mortalis, tunc curiositas etiam erit mortale. Si vero periculum est venialis peccati, erit veniale. Hoc præmisso, quæsierim,num tactus,ex curiositate sint peccata mortalia? Non excedunt culpam venialem, sublato scandalo,& periculo,quod in libidinosos transferatur.Quia tunc huiusmodi tactus apprehenduntur sub alia ratione magis eleuata,& spirituali,& consequenter non habent tantam vim ad commouendam naturam; affectus enim in his non quærit libidinosam voluptatem ac sensibilem:Sed tantum curiosæ cognitionis, vt ex tactu aliarum rerum mollium. Addunt huius sententiæ auctores idem asserendum, etiam si tactus fiant in partibus impudicis.

164. *Non sunt mortalia peccata tactus impudici ex mera curiositate.*

dicis. Quia quando Doctores dicũt tactus esse peccata mortalia, si libidinosi sint, vel fiant causa voluptatis: eam non adiicerent restrictionem, si putassent, etiam ob curiositatem esse peccata. Sic Nauar. *cap. sicut de pœnit. dis.* 1. *num.* 11. *& in Man. cap.* 14. *num.* 42. Laym. *l.* 3. *sect.* 4. *num.* 10. Caiet. *ver. Impudicitia.* Bonac. *de Matr. q.* 4. *pun.* 9. *n.* 5.

167. *Sunt peccata mortalia.* Hi impudici attactus ob curiositatem præcisè sunt peccatum mortale. Quia moraliter loquendo vix possunt geri sine notabili commotione, ex qua periculum graue sit subeundum. Ita Elig. Bassæus, *ver. Impudicitia. num.* 8. Tolet. *l.* 8. *cap.* 12. & alij.

168. *Idem asſero, & ſententiam primam non omnino reiicio.* Certè si tactus sint in partibus honestis, seu non omnino impudicis, probabilissimam primam sententiam iudicarim: in partibus verò impudicis vix vnquam tactus veniales iudicabo. Facillime enim assolet curiositas in libidinem transferri. Res est plena periculi, ideo diligentissimè abstinendum. Non tamen omnino damnarim eum qui cum non sit procliuis ad luxuriam simplici attactu ex curiositate secretiores alterius partes contrectaret; vel qui animantia coëuntia ex eadem curiositate attentius aspiceret; vel qui libros inhonestos legeret. Didici ex Nauarro citato. Toleto *l.* 8. *cap.* 12. Syluio. 2. 2. *q.* 154 *a.* 4. *concl.* 3.

PROBL. V.

Subditus, qui dubitans, an quod à Præsule præcipitur, sit licitum; non curat executioni mandare inobediens est, & non est inobediens.

INobedientiæ (vanæ gloriæ filiæ) non inficitur piaculo, qui dubitans, an licitum sit imperium, Præsuli non obtemperat. Quia si obediret potius ageret contra conscientiam, quod minimè licet. Sic Rodrig. *p.* 2. *sum. c.* 9 *num.* 4. Vasq. 1. 2. *q.* 19. *a.* 6. *disp.* 66. *num.* 51.

170. *Inobedientiæ est reus, qui non obedit.* Inobedientiæ est reus, qui in re dubia Præsuli non obedit. Quia in dubio, an res sit licita, necne, melior est possidentis conditio. At Præsul est in possessione iuris imperandi; ergo in dubio potest ille suo iure vti, & subditus tenetur obedire. Nec dici potest, etiam subditum esse in suæ libertatis possessione: pro illo enim est vera possessio, pro quo est iuris præsumptio: & in alterum, contra quem est ea præsumptio, probandæ exẽptionis suæ onus transfertur. At præceptum superioris in dubio præsumitur iustum, vt potè cui subditus vice Dei gubernandum se tradidit. Ita D. Th. *in* 4. *dist.* 19. *q.* 4. Nauar. *c.* 23. *n.* 37. Caiet. *ver. Bellum.* Azor. *to.* 1. *l.* 12. *c.* 19. *quæst.* 9. Faust. *in thesaur. Relig. l.* 6. *q.* 59.

His applaudo; aliàs enim Præsul, quoties aliquid fieri præciperet, teneretur subditis rationem reddere eorum, quæ iubet, quod in graue Religionis vergeret detrimentum. Definitam lege hanc conclusionem in Cap. Quid culpatur, 23. q. 1. vbi sic: *Vir iustus si fortè etiam sub Rege, & homine sacrilego militet, rectè potest, illo iubente, bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contrà Dei præceptum certum est: vel vtrum sit certum non est, ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi: innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.* Vnde sequitur, vt teneatur subditus Præsuli obedire, necessarium non esse, vt ipse subditus videat, esse bonum, quod præcipitur: sed satis esse, vt ipse euidenter non intelligat, esse malum. Profectò subditus non tenetur priusquam obediat, vestigare, an sit licitum imperium: quia vt appositè monet Doctor Angelicus *de veritate q.* 17. *art.* 5. *ad* 4. ad officium subditi non pertinet inquirere, sit ne bonum, ac expediens, quod præcipitur: sed rem præceptam exequi, dum ei euidenter non constat, esse malam.

171. *Idem sentio, & confirmo.*

CAPVT VI.

Milites exteri stipendio ad bellum conducti, si dubitent de iure belli, possunt & non possunt, tuta conscientia militare.

VIdimus superius, subditos ad bellum à Principe vocatos, quoties illis non constat de belli iniustitia, posse, ac teneri suo Principi obedire, vt habetur in cap. *Quid culpatur* citato: quia tenentur de superiore meliora cogitare, & nisi sit euidens iniustitia, non diiudicare Principem: imo licet reipsa postea constet eis de iniustitia belli, propter obedientiam tamen non peccarent, nec restituere tenerentur: quia ipsi causas & rationes belli non debent examinare. Quæsierim in præsenti, an idem dicendum sit de militibus exteris stipendio ad bellum conductis; Si de iure belli hi dubitent, non tenentur, nec possunt obedire. Quia nouam iniens regionem, non debet cœco impetu procedere ad campum, sed de iure belli requirere. Sic Caiet. 2. 2. *q.* 169. *a.* 2. Nauar. *c.* 15. *n.* 15. Valent. 2. 2. *disp.* 3. *q.* 16. *punct.* 2.

172. *Non tenentur, nec possunt dimicare.*

Licet

Licet de iure belli dubitent, si aliunde
173. sciunt, principem, à quo sunt stipendio
Possunt dimicare. conducti, virum esse catholicum, & pium, & qui bellum nisi iustum suscipere non assolet; tuta conscientia possunt probabiliter existimare, bellum illud esse iustum. Sic Nauar. *l. 2. de restit. c. 3. n. 261. & 266.* Faust. *in thesau. Relig. l. 6. q. 61.*

174. Subscribo, & addo non solum posse, sed
Existimo, posse, & teneri. teneri in re dubia circa ius belli obedire; quia etiam alienigenæ, qui sub stipendiis Regis alicuius degunt tam pacis, quam belli tempore, tanquam famuli iam censentur, seu subditi, qui in dubio suis dominis obedire tenentur. Vnde inobdientiæ rei aliter gerentes, sunt iudicandi.

PROBL. VII.

Religiosus violans passim suæ Religionis statuta ad culpam non obligantia: est & non est lethaliter inobediens.

175. Est quidem. Quia illa tantæ irreli-
Est inobediens lethaliter. giositatis consuetudo est quidam legis contemptus mortali planè piaculo obnoxius. Sic Angel. *ver. Inobedientia.* Vasq. *1. 2. q. 96. a. 4. disp. 158. c. 6. n. 60.*

176. Non est lethaliter inobediens. Quia
Non est lethaliter inobediens. actus replicati sunt eiusdem speciei cum primo, ac proinde eiusdem malitiæ; si ergo primus venialis est, & cæteri veniales erunt. Adde, quia nullus ex his actibus in consuetudinem ductis assignari potest, qui culpam lethalem constituat: nec enim illi actus vniuntur, vt contingit in minimis furtis. Ita Caiet. *ver. Præcepti transgressio.* Valen. *1. 2. disp. 7. q. 5. pun. 6.* Sanch. *l. 6. Mor. num. 21. & 22.*

177. Hisce adhæreo sciens prauam consue-
Cum his sentio. tudinem agendi contra legem minime legis dici contemptum, vt docet D. Tho. *2. 2. q. 186. a. 9. ad 3.* Quia contemptus in solo actu interiori voluntatis perficitur, ac proinde ob solam externi operis multiplicationem contemptus nequit induci. Fateor tamen, ob venialium frequentiam (quando statuta obligant ad solam culpam venialem) consurgere mortalem culpam, non quidem ratione frequentiæ, sed ratione periculi proximi transgressionis votorum grauisque aliorum offensionis.

* * *

PROBL. VIII.

Religiosus habet propositum agendi contra omnes suæ Religionis regulas ad culpam non obligantes, vno statuto solummodo obseruato: hic est & non est lethaliter inobediens.

178. NOn est mortaliter inobdiens, nec in
Non est mortaliter inobediens. statu damnationis existit. Quia volens seruare vnum ex statutis, licet nolit seruare alia, potest cum votorum obseruantia tendere ad perfectionem. Sic Valent. *2. 2. disp. 10. q. 4. punct. 5.* Sylvest. *ver. Religio 1. q. 12.*

179. Est moraliter inobediens, & in dam-
Est mortaliter inobediens. nationis statu. Tum quia Religiosus tenetur sub mortali sic viuere, vt non sit notabiliter aliis scandalo, & offensioni, causaque Religionis ruinæ: alios scilicet inducendo suo prauo exemplo ad nimis laxam vitam; tum etiam quia hic probabilissimo contemnendi regulas si periculo exponeret. Ita Cordub. *in Regul. D. Franc. c. 1. q. 3. post 3. dict.* Sotus *in 4. dist. 15. q. 2. a. 1.* Sanch. *l. 6. Mor. c. 4. n. 18.*

180. Idem dixerim; quia obseruantia vnius
Idem existimo. statui etiam principalis non impediret grauem Religionis ruinam, graueque periculum regulam spernendi, & transgrediendi vota: & licet non teneatur Religiosus ad perfectionem currere, tamen sub mortali, ita suos mores corrigere tenetur, vt aliis Religiosis non præbeat scandalum, quod non vitatur ex vnius vel alterius statuti obseruantia.

CAPVT XIX.

Circa Auaritiam.

PROBL. XIX.

Ignoranter quis accipit monetam falsam, & bona fide expendit: tenetur autem, & non tenetur restituere.

181. TEnetur damnificato veram
Restituere non tenetur. si accepit bona fide. monetam valoris eiusdem restituere. Quia furti planè reus. At si bona fide accepit, & eadem expendit, non tenetur. Quia bona fides eum à piaculo liberans, & ab obligatione restituendi liberabit, præcipue cum fallacia illa nõ sit filia auaritiæ, sed accidens nulli speciatim nocens, si quidẽ qui à primo expendente monetam accepit, bona fide eandẽ expendet

expendet in alios. Sic Sylueſt. *ver. Falſarij. q. 6.* Angel. *eodem verbo*, §. 4.

182 *Reſtituere tenetur, etiamſi bona fide acceperit.* Tenetur reſtituere, licet expenderit bona fide. Quia error nulli nocere debet, ſed ſuos tenere debet auctores. Ita Nauar. *de reſt. l. 3. c. 1. n. 312.* Nauar. *in man. c. 17. n. 167.* Leſſi. *l. 2. c. 14. n. 26.*

183. *Idem eſſera.* Exiſtimo teneri hunc reſtitutionem facere damnificato priori, qui ſi expendit pecuniam alteri, recuperabit priori reddendam, & reſtituet, &c. Quia me ab alio fuiſſe deceptum nullum mihi ius tribuit alterum decipiendi. An bona fide emens rem maiori iuſto pretio, atque eodem vendens non tenetur ſuo emptori illum pretij exceſſum reſtituere? Porro ſi bona fide decipiam, excuſabor à culpa, at non à damno reſarciendo, cum fraudis conſcius fuero.

PROBL. X.

Veram aliquam ſcripturam amiſiſti, aliam cõfinxiſti ſimilem: debes dici, & non debes dici, fallaciam perpetraſſe.

184. *Non es grauis fallaciæ reus.* NOn es grauis ſaltem fallaciæ reus. Quia nemini ea in re iniuriam intuliſti; & *ex leg. cum filius §. Hæres meus ff. de legat. 2.* illud non poteſt dici falſum, quod iuuatur primordio veritatis. Sic Iulius Clar. *l. 4. §. falſum. n. 34.* Crauetta *conſ. 46. n. 8.* Alciat. *conſ. 461. n. 6.* Menoch. *de præſump. l. 5. præſump. 20. n. 53.* Saa *ver. Falſarius, n. 2. in genuina editione.*

185. *Reus es grauis fallaciæ.* Reus es grauis in re grauis momenti fallaciæ. Quia huiuſmodi falſificationes ſunt reipublicæ pernicioſæ, quamobrem à legibus ſeuere prohibentur: & cum prohibitio iuſta ſit, obligat in conſcientia. Ita Couarru. *var. reſol. l. 1. c. 2. n. 2.* Tanner. 2. 2. *diſp. 4. q. 6. dub. 12. n. 331.* Laym. *l. 3. ſect. 5. tr. 3. p. 1. c. 4. n. 4.* Saa expurgatus.

186. *His adhæreo.* Idem exiſtimo; quia licet per huiuſmodi falſificationes non violetur particularis iuſtitia, nemini enim ſuum ius læditur, & ideò neque reſtituendi obligatio aliqua oritur; attamen delinquitur contra veritatis virtutem, & quidem cum reipublicæ pernicie; graue etenim eſt publicorum inſtrumentorum conficiendorum, aliquo quouis damno ſecluſo, ius aliquem ſibi vendicare. Igitur illicitum erit & peccatum mortale, amiſſa ſcriptura de hereditate, nobilitate, debito, aliam ſimilem confingere.

PROBL. XI.

Cum tyrannus iniuſte capit caſtrum alicuius Principis, licet, & non licet priuatæ perſonæ, quæ ſub tyranni poteſtate eſt, & cui commiſſa cura caſtri fuit, inſcio tyranno, illud vero Domino accepta ab eo pecunia, reſtituere.

LIcet quidem. Quia proditio hæc licet auaritiæ filia ex quo capite traditor caſtri præmio à vero Domino donatur: attamen zelo iuſtitiæ poteſt id præſtari. Sic Antonin. *2. p. tit. 2. c. 22. §. 7.* Armil. citatus à Toleto *l. 8. c. 45.* 187. *Licitum eſt ei, reſtituere vero Domino caſtrum.*

Non licet, quia vt ſit licita huiuſmodi proditio ne, an reſtitutio? neceſſum eſt, id fieri iuſtitiæ zelo; & quando cum pecuniæ ſpe zelus verus iuſtitiæ vna in ſede moratur? Aſſolent cædes huiuſmodi caſtrorum traditiones comitari, grauia ſcandala ſuboriuntur, rarò verus Dominus non poteſt alia via recuperare. Ergo cum nullum horum incommodum permittendum ſit, vt licitè poſſit caſtrum reſtitui, grauiter delinquet qui huiuſmodi reſtitutioni operam geſſerit. Innuit Toletus dum aſſerit fere ſemper vnam ex hiſce conditionibus defuturam. 188. *Non eſt licitum.*

Exiſtimo omnino licere, ſi conditiones adſint ſimul, ſcilicet non accidere ſtrages, aut cædes, grauiaque ſcandala, & verus caſtri Dominus nequeat id alia via recuperare. At ex hiſce tribus conditionibus qualibet deficiente, nullomodo licebit caſtrum ſuo Domino reſtituere. Addiderim tamen eum, qui tribus ſimul deficientibus conditionibus caſtrum tradiderit. mortaliter quidem ex proditione delicturum, ſed ad reſtitutionem non teneri; quia à vero Domino non rapit alienum, ſed vero reddit Domino, licet modo prohibito. 189. *Puto licere hiſce conditionibus concurrentibus.*

PROBL. XII.

Deliberat quis per proditionem tyrannum iniuſtè quidem occidere: licebit, & non licebit alteri, ei qui intendit tyrannum occidere, promittere pecunias, ſi perficiat intentum.

SVppono, nulli priuato ſubdito illius licere per proditionẽ occidere tyrannũ qui habet iniuſtè ciuitatẽ obſeſſam. Quia ſeruare fidẽ eſt ius naturale, quod quidẽ cũ omnibus eſt ſeruandũ etiã tyrannis Dominis. Quæſierim (hoc præmiſſo) an ſi quis 190. *Licebit promittere pecunias ei, qui occidere intendit.*

tyranni

tyranni ſubditus deliberaſſet iam tyrannum dominum per proditionem occidere, liceat mihi promittere ei pecunias ſi intentum tradiderit executioni? Licet omnino. Quia qui promittit pecuniam occiſori, non occidit tyrannum, nec eſt cauſa vt ab illo occidatur, animo enim ille iam decreuit occidere. Sic D. Antonin. citatus à Toleto *l.8.c.45.*

191. *Non licebit.* Profecto non licet. Quia ſaltem in crimine patrando ab occiſore illo conſentit, & hoc ſufficit ad peccandum. Ita Armil. *ver. Proditio.*

192. *Idem puto.* Idem ſentio aſſerens, eum qui pecuniam promittit, vere occidere tyrannum; nam promiſſione pecuniæ magis confirmatur illius animus ad occidendum. Certè fortaſſe ex metu poſſet occiſor à facinore retardari, ab eoque remoueri, ſpe tamen pecuniæ audentior inſurget. Mecum ſentit Toletus citatus.

PROBL. XIII.

Aperiens, & legens literas ſigillo munitas, peccat, & non peccat lethaliter.

193. *Mortaliter non peccat ſi ex mera curioſitate aperiat.* PEccat quidem, ſi faciat id præuidens inde aliquod notabile damnum oriturum; aut ille, qui literas clauſas mittit, valde cupiat, ea, quæ continentur in literis, occulta retineri. Nam in hiſce caſibus fieri poteſt, vt quamuis non adſit notabile detrimentum, nihilominus tanta fiat iniuria, quæ lethalis ſit iudicanda. Qui vero aperit, ac legit ſine periculo grauis iniuriæ, aut notabilis damni: ſed ob curioſitatem, cauſa ſciendi noua, aut ridendi ob inelegantiam, ac barbaram compoſitionem, non peccat mortaliter. Quia nulli grauem facit iniuriam. Ita Nauarr. *cap.* 18. *n.* 53. Molin. *tr.* 4. *diſp.* 36. *n.* 2. Saa *ver. literæ*, Rodrig. *in ſum. tom.* 2. *c.* 55. *n.* 2.

194. *Peccat mortaliter, licet aperiat ex curioſitate.* Etiam qui ob meram id gerit curioſitatem, mortaliter peccat. Quia ſe euidenti periculo exponit ediſcendi, quæ oportebat ſub ſigillo ſecreti reſeruari. Quomodo enim poterit quis dignoſcere an in literis ſigillo clauſis aliquid contineatur quod oporteat lateſcere, necne. Ideo aperiens ſub huiuſmodi diſcrimine literas, mortaliter delinquit. Sic Tolet. *l.* 8. *c.* 45. Nauarr. *de reſtit. l.* 2. *c.* 4. *n.* 45.

195. *His conſentio.* Hiſce hæreſco credens non licere clauſas literas aperire niſi quando ratione amicitiæ, vel alia de cauſa credas, adeſſe interpretatiuam voluntatem eius, qui ſcripſit, aut eius ad quem litteræ immittuntur, vel niſi id præſtes ex auctoritate legitima quemadmodum Prælatus Monaſterij gerere aſſolet. Vel ſi aperias, ad præcauendum proprium periculum, quod tibi times; qua de cauſa literæ hoſtium licitè intercipiuntur à contrario exercitu, & leguntur; & à te licitè etiam capiuntur, & leguntur literæ tui capitalis aduerſarij.

PROBL. XIV.

Si quis literas ad ſe immiſſas in publicum laceratas abiicit, poteſt alter, & non poteſt ſine peccato eas, collectis fragmentis, legere.

196. *Poteſt legere ſine graui piaculo.* POteſt quidem ſine piaculo graui legere. Quia ſi recolligit, ac legit, vt ſciat, curioſitas eſt; ſi vt ſibi prouideat, commodiſque ſuis ſtudium impendat, humana, non vitioſa eſt prudentia; ſi autem aliquid ediſcit, quod ſecreti oporteret ſigillo operiri, iam qui literas ſuas proiecit in publicum, iuri ſuo ceſſiſſe videtur. Sic Sylueſt. *ver. emptio, q.* 17. citans Archidiac. Laym. *l.* 3. *ſect.* 5. *tr.* 3. *p.* 1. *c.* 4 *n.* 4.

197. *Non poteſt ſine graui piaculo legere.* Non poteſt ſine graui peccato recolligere fragmenta, ac legere literas. Quia ius apud literarum Dominum ſecreta in ipſis recluſa adhuc poſt lacerationem operiri, imo qui laceratas proiecit in publicum oſtendit ſe velle, lacerationem illam, ac minutam partium diuiſionem vices ſigilli gerere. Ita Rebel. *p.* 2. *l.* 9. *q.* 9. *n.* 9.

198. *Sequor primam ſententiam.* Sequor primam ſententiam; ſed moneo cum Laymano citato, eum qui fragmenta ex ſola curioſitate collegit, & mortaliter ſaltem non deliquit, teneri accidentaliter ſecretum inuentum minime alicui manifeſtare, ſi in alicuius proueniret incommodum.

CAPVT XV.

Circa Luxuriam.

PROBL. XV.

Oſcula & amplexus, qui fiunt ex delectatione ſenſibili ex illis conſurgente, abſque alia ſiniſtra intentione, ſunt, & non ſunt peccata lethalia.

199. *Non ſunt peccata lethalia.* SI delectatio, quæ ex amplexibus ac oſculis percipitur, eſt mere ſenſualis conſiſtens in quadam proportione ac conformatione rei tactæ cum

cum organo tactus: ver. gr. non sit aliud, quam oblectatio de re blanda, leni, ac molli, absque alia rei turpis delectatione: non est libidinosa, ac per consequens nec peccata mortalia. Quia non videtur adesse libido venerea, quando in actu secundum suam speciem libidinoso, abest omnis intentio etiam implicita venereæ voluptatis; atqui amplexus & oscula non sunt secundum speciem suam libidinosa, D. Thom. asserente, cum ab eis absit omnis venereæ voluptatis, vel implicita intentio. Ita Sylui. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 4. *concl.* 4. Comitol. *in resp. moral. lib.* 4. *quæst.* 20. *numer.* 6. Salas 1. 2. *quæst.* 74. *tract.*13.*disp.*6.*sect.*20.*n.*139. Villalob *to.*2. *tr.*40.*diffic.*9.*n.* 4.

200. *Sunt peccata lethalia.* Amplexus, & oscula ob solam delectationem sensibilem assumpta sub peccato mortali vitanda sunt. Quia euidens planè adducendi delectationem concubitus vel alterius actus luxurioſi periculum. Sic Filliuc. *tom.* 2. *tr.*30. *c.*9.*n.*179. Sanch. *l.* 5. *Moral. c.* 6. *n.*12. Rebel. *p.*2.*l.*3.*q.*16. *sect.* 3.

201. *Auctoris sententia ferè hæret secundæ.* Fateor quidem delectationem non esse mortalem, nisi mortale sit eius obiectum; fateor perceptionem illius suauis temperamenri aut proportionati tangibilis non esse mortalem, fateor consequenter, delectationem, quæ de illo tanquam de obiecto percipitur non esse mortalem. Attamen assero tactus huiuscemodi nempe amplexus & oscula si mortalia non sint propter præfatam delectationem, mortalia planè esse propter aliam delectationem quæ ex illis attactibus sequitur plerumque, quæ quidem sub mortali vitanda est. Fateantur iam illi, qui probabilitati primæ sententiæ hærentes, huiusmodi voluptati dedere operam, an sine punctione conscientiæ gesserint? Igitur primam sententiam speculatiue vix probabilem puto, practice vero omnino assero vti improbabilem esse relegandam.

PROBL. XVI.

Tactus coniugis in alterius coniugis absentia ob delectationem est, & non est lethale piaculum.

202. *Non esse peccatum mortale.* NOn est mortale peccatum si absit pollutionis periculum. Quia cum tactus ille suapte natura indifferens sit ad copulam coniugalem vel illicitam, possitque ad vnam vel alteram referri, nec ex intentione tangentis se à sua natura, & ab hoc ordine distrahatur, vt ad copulam illicitam ordinetur: non est; quod de lethali culpa sit damnandus. Nec dici potest, huiusmodi actum non esse actum coniugis, quod non desideretur cum coniuge fieri; sed satis est, vt ad coniugem præsentem suapte natura possit ordinari, nec ab hac natura ex intentione coniugis se ipsum tangentis deuiet. Ita Sanch. *de matr. tom.* 3. *lib.* 9. *disp.* 44. *n.* 16. Gasp. Hurt. *de matr. disp.* 10. *diffic.* 10. *n.*47. Ochagau. *de sacram. tr.* 5. *de matr. q.* 12. *num.* 9. Præpositt 3. *p. quæst.* 6. *dub.* 26. *num.*188.

203. *Est peccatum mortale.* Mortale peccatum est. Quia coniux non habet proprij corporis in ordine ad veneris vsum secum explendum dominiũ quapropter vtens proprio corpore, in ordine ad venerem secum, vtitur. Sic Vasq. 1.2.*to.*1.*q.*78.*a.*8.*disp.*113.*n.*4. Salas 1.2.*to.*2. *tr.*13.*dis.*6.*sect.*14.*n.*129. Ioan. Sanct. *in select.disp.*21.*n.*26. Montes. 1.2. *tom.*2. *q.*74 *a.* 8. *quæsit.* 5.

204. *His hæreo.* His hæresco; quia licet actus ille indifferens dicatur in eo sensu, quod ordinabilis est ad fornicationem, vel copulam coniugalem; tamen intrinsece malus est quatenus per illum vtitur coniux proprio corpore in ordine ad venerem secum explendam, quod illi est prohibitum; & non in ordine ad explendam cum coniuge, qui absens reperitur.

PROBL. XVII.

Licet, & non licet fricationibus vti, ad semen corruptum expellendum, ex quibus causanda sit vera aliqua seminis emissio.

205. *Licitum est.* LIcet plane, dummodo certum sit corruptum esse semen, & noxium esse sanitati, & non adsit consensus in delectationem periculum. Quia illa veri seminis simul profluxio per accidens sequitur ad noxij seminis expulsionem. Sic Sanch. *de matr. to.* 3. *l.* 9. *disp.* 17. *n.* 18. Bonac. *de matr. q.*4. *punct.* 10. *n.* 11. Villalob. *to.* 2. *tract.* 40. *difficul.* 16. *n.* 4. Sancti. *in select. disp.* 21. *n.* 30.

206. *Non est licitum.* Illicitum est semen quantumuis corruptum cum venerea voluptate emittere, etiamsi de corruptione adsit certitudo. Quia euidens subest consensus in delectationem periculum. Ita Rebel. *p.*2.*l.*3.*q.*19. *sect.*3. Salas 1.2.*to.*2.*q.*74.*tr.*3.*disp.*6.*sect.*15. *n.*90. & Sanch. *tom.*2.*sum.lib.*5. *cap.*6. *n.*12. prudentissimus mutauit sententiam.

207. *Hoc puto probabilius.* Hanc mentem probabiliorem puto, concedo tamen id posse geri medicamen-

tis

tis à quorum vi remotior adest veri seminis profluxio, & accidentaliter magis accidet delectatio.

PROBL. XVIII.

Desiderare in somnis pollutionem, aut de illa sic accidenti gaudere ob finem honestum, est, & non est mortale piaculum.

208. *Est peccatum mortale.* ESt peccatum mortale. Quia pollutio ex se, & ex obiecto, & ex natura sua est mala; ergo quemadmodum cuiquam propter valetudinem, vel aliam rationem non licet desiderare, vt fornicatio sibi eueniat in somnis neque etiam licebit pollutionem desiderare. Probo consequentiam; nam quod est per se siuè ex obiecto malum non potest voluntariè desiderari propter quemcumque bonum finem; quia consensus in tale malum non potest non malus esse: alioquin licitum esset desiderare vt adulterium, homicidium ob bonum aliquem finem tibi acciderent dormienti. Sic Sylui.2.2.*q*.154.*a*.5. *concl*.5. Azor.*p*.3.*l*.3.*c*.24.*q*.3. Zumel.1.2. *q*.74.*a*.8.*disp*.4.*dub*.4. Rodr.*to*.1.*c*.211.*n*.3.

209. *Non est peccatum mortale.* Non est peccatum mortale. Quia talis pollutio solum via naturali consequens nec mortale peccatum est, nec habet malitiam obiectiuam: sed eam habet certo solum modo (via scilicet naturali) causatam. Ita Sanch. *l*.1. *Decal. c*.2. *num*.18. Sanctius *in select. dusp*.21.*n*.35. Tanner. 1.2.*disp*.4.*q*.8.*dub*.7.*n*.145. Reginal.*tom*.2. *l*.22.*c*.3.*n*.41. Laym. *l*.3.*sect*.4.*num*.17.

210. *Idem sentio.* Idem putarim; neque enim infrequens est, quod ob honestum finem liceat desiderare affectum aliquem per causas naturales euenire, & de obueniente gaudere: quem tamen efficaciter intendere, aut procurare nunquam liceret. Vnde si legitimus Rex cum multorum ruina Rempublicam administrat, licitum est boni communis causa simplici affectu optare, vt è viuis excedat: & eo functo vita, gaudio affici, cum tamen mortem illi procurare non liceat.

PROBL. XIX.

Licet, & non licet desiderare, vt pollutio extra somnum eueniat ob finem quidem honestum siue causa sanitatis, siue vt tentamina deferuescant.

211. *Non licet.* NOn equidem licet desiderare, nec gaudere. Quia quod desiderare licet, fas etiam est procurare, vt fiat; atqui nullo modo possumus procurare, vt pollutio eueniat: ergo non licet eam desiderare. Non certè procurare licet euenire id tibi vigilanti, è quo voluptas excitetur, cui vigilans difficile abnegabis consensum, quem vix obdormiens vi delectationis inculpabilis excitatus poteris abnegare. Ita Sylui. 2.2.*q*.154.*a*.5. Valent.*tom*.3.*disp*.9. *quæst*.3.*punct*.3. Lopez *p*.1.*c*.74. Sotus *in* 4. *dist*.12.*q*.1.*a*.7.

212. *Licitum est.* Licitum est illam desiderare simplici affectu, alicuius boni effectus causa, vt sanitatis, aut sedandi tentaminis. Quia quod hic desideratur non est peccatum, sed per se indifferens, desideratur enim vt eueniat naturali via per causas à natura constitutas sine omni libera cooperatione. Ob eandem rationem licitum est de illa iam perfecta gaudere. Quia quod licitum est desiderari, vt fiat, licitum etiam est gaudere de facto. Ita Sãcti. *in select. disp*.21. *n*.35. Fernãd.*p*.4.*c*.2. §.4.*n*.3. Io. de la Cruz *in direct. p*.1.*præcep*.6.*a*.8.*dub*.10.*concl*.2.

213. *Auctoris expositio vt hæreat secundæ sententiæ.* Nullo modo licitum est pollutionem desiderare, aut de ea iam facta gaudere ratione voluptatis, etiam si sine culpa acciderit; consensus enim in illam delectationem est mortale peccatum; sicut nec licet illam procurare, aut aliquo modo ad illam cooperari aut aliquid eo fine, vt eueniat, gerere; nec vlla rarione potest quis ideo eam desiderare, vt ex vi desiderij illius disponatur, aut incitetur ad illam: vnde debet hoc desiderium esse omnino inefficax. Porro huiusmodi inefficaci desiderio potest quis licitè expetere vt eueniat pollutio, & de euentu gaudere. Sed mihi credite, latet anguis in herba: difficile enim præfatum desiderium sequetur pollutio sine ipsius adminiculo desiderij. Plura circa luxuriæ materiam & dogmata certa, & problematicas assertiones volumine 3 exponam.

CAPVT XXI.

Circa Iram.

PROBL. XX.

Omnes blasphemiæ (Iræ quidem filiæ) sunt, & non sunt eiusdem speciei.

214. *Non sunt eiusdem speciei.* NOn sunt planè. Quia blasphemia est peccatum propter contumeliam in Deum; sed contumeliæ differunt specie; ergo & voluntas de

illis. Probo minorem quia mala, quæ possumus Deo per blasphemiam adscribere sunt specie diuersa, quemadmodum enim apud homines diuersa iniuria est, aliquem appellare latronem, sodomiticum, aut adulterum: ita apud Deum: quia vti omnia hæc crimina inter homines sunt contumeliæ distinctæ ob diuersam peccatorum turpitudinem: sic cum iactitantur in Deum. Sic Hurtado de Mend. 2.2. *disput.* 91. *sect.* 12. §. 54. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 25. *cap.* 1. *num.* 26. Turrian. 2.2. *disp.* 58. *dub.* 3. Reginal. *to.* 2. *l.* 18. *c.* 14. *n.* 201.

215. *Sunt eiusdem speciei.* Sunt eiusdem speciei. Quia nisi blasphemia sit hæreticalis, aut ex odio Dei procedens, non videtur Deum aut Diuos specie distincta afficere contumelia. Non valet autem respectus maioris aut minoris contumeliæ ab hominibus ad Deum argumentum; quia hominum fama magis ex contumelia vna quam ex alia deturpatur; ob delicti impositi quod credi potest ab hominibus fœditatem. Ita Faust. *de sacr. Pœnit. l.* 4. *q.* 137. Duali. 2. 2. *tr. de fide. q.* 9. *art.* 2. Homobon. *de casib. reser. p.* 2. *c.* 1. Caiet. 2. 2. *q.* 13. *a.* 1. Dian. *p.* 1. *tr.* 7. *resol.* 50.

216. *Primam teneo sententiam.* Magistri mei Hurtado de Mendoza hæresco resolutioni; quia non dubium quin hæreticales blasphemiæ differant specie ab imprecatiuis, non solum ob oppositionem cum fidei confessione; sed quia intra blasphemiæ limites est diuersũ conuitium assertio rei turpis, ac imprecatio: & inter hæreticales distinctæ sunt species contumeliarum, quæ actæ sunt in Deum: & inter imprecatiuas, quæ grauiora mala significant: item & quæ sunt in Deum, & in diuos: quia habent duas malitias specie distinctas irreligionis & irreuerentiæ diuis debitæ; violatur enim Religio, & dulia; & inter diuos distincta est blasphemia in Deiparam; quia est contra hyperduliam, quæ virtus specie differt à dulia iuxta probabilem aliquorum sententiam.

PROBL. XXI.

Blasphemus est, & non est blasphemus qui amasiam suam deam, aut idolum apellat.

217. *Est blasphemus.* CÆcus & stultus ex bruteſcente luxurie amans amasiam Deam suam, suum vocitat idolum: an sit blasphemiæ reus appellandus? Ita plane. Quia sunt nonnulli adeo luxuriei addicti, vt quemadmodum gulosis aliquibus *Deus venter est*, dea sit eis proculdubio voluptas. Fateor, sine interno id dictamine proferunt: sed tamen audientes ignorant, num verba illa assertiue proferantur. Asserit Diana *p.* 5. *tract.* 13. *resol.* 20. quendam confessarium scrupulosum, & parum scientem hoc olim docuisse: sed hoc ex capite minime indoctum reputarim: doctum enim admodum virum audiui affirmantem, scrupulosum circa blasphemiam esse hunc morem loquendi.

218. *Non est blasphemus.* Huiusmodi verba blasphema non sunt. Quia nec proferuntur, nec accipiuntur in propria significatione; sed in locutione hyperbolica, plane stultissima. Ita Petr. Hurt. de Mend. 2.2. *disp.* 91. *sect.* 4. §. 16. Lorca 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 3. *numer.* 9. Diana citatus.

219. *Plerumque blasphemus non est.* Si coram mediocriter prudentibus obloquatur nullatenus blasphemiiæ nota afficiendus est huiusmodi vtens locutionibus; quia amanti aperta est adulatio; at coram rusticis haud eum omnino à graui materialis blasphemiæ piaculo liberarim.

PROBL. XXII.

Blasphemiæ contra Deum semper sunt, & non semper sunt peccata mortalia.

220. *Non sunt semper lethalia.* NOn sunt semper lethalia. Quia non est maior ratio, cur in aliis peccatis, quæ grauissimam in Deum offensam perpetrant dentur casus innumeri, quibus ex materiæ verbi gratia paruitate veniale solummodo peccatum exsurgat, & in blasphemia in Deum minime in aliquo venialiter casu delinquendum. Ita Villal. *to.* 2. *tr.* 1. *diffic.* 15. *n.* 5.

221. *Sunt semper lethalia.* Sunt lethalia semper. Quia quælibet blasphemia grauem Deo infert iniuriam, eiusque honorem, & cultum valde quidem imminuit; nam si grauis iniuria dicitur esse illa, quæ à vili persona Magistratui profertur, licet illa sit per se admodum leuis verbi gratia sine intentione maledictio, *leg. Prætor*, §. *Attrocem ff. eodem.* quanto magis erit grauis iniuria quæ per blasphemiam (licet in se leuem) Deo ab homine infertur? Ita Hurtad. de Mend. 2.2. *tom.* 1. *disp.* 91. *sect.* 11. §. 48. Suar. *de Relig. tom.* 1. *tr.* 3. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 2. Gordon. *tom.* 2. *l.* 6. *q.* 8. *c.* 2. *n.* 4. Caiet. *ver. Blasphemia.*

222. *Idem teneo.* Idem existimo hac nitens ratione: Blasphemia ideo est peccatum, quia in Deum verbum contumelioſum profertur cum animo eum inhonorandi, vel directè, vel

vel indirectè, seu interpretatiue seu virtute; at Deus inhonoratur, non solùm cum blasphemus Deo tribuit falso res magnas: sed etiam cum minimas; ergo blasphemia semper grauis existet.

PROBL. XXIII.

Blasphemiæ in Diuos semper sunt, & non semper sunt peccata lethalia.

223. *Non semper sunt lethalia.* NOn semper sunt lethalia, si conuitium in Diuos non proferatur ex quo capite sunt Diui, sed ex alio respectu. Quia qui per iocum diceret Crispinum & Crispinianum fuisse sutores: Ioannem & Paulum fuisse Eunuchos, graui piaculo non inficeretur, constat enim de mente proloquentis. Sic Duali. 2.2. *tr. de fide, q. 9. a. 2.* Sanch. *l. 2. Mor. c. 32. n. 42.* Sayr. *in Clau. l. 6. c. 13. n. 5.* qui cita Bannez & Aragon.

224. *Semper sunt lethalia.* Sunt semper lethalia peccata blasphemiæ licet non serio, sed ioco proferantur. Quia illicitus est iocus, in quo Diuorum inuoluitur iniuria, nec enim propter iocum ratio iniuriæ deficit. Ita Lorca 2. 2. *q.* 13. *art. 2. n. 9.*

225. *Distinguendum puto.* Crediderim, dare circunstantibus occasionem plausus prophani, ac risus stulti huiuscemodi verborum iocis graue esse peccatum, nisi tam prudentes essent auditores, vt eorum risus ex verbis solummodo excitetur, nec vllus ad Diuos respectus innuatur, quod in eorum dedecus vel à longè resultet.

CAPVT XXII.

Circa Gulam.

PROBL. XXIV

Edens, aut bibens vsque ad vomitum peccat, & non peccat mortaliter.

226. *Est mortale.* PEccatum mortale est. Quia fœdamodum temperantiæ virtuti irrogatur iniuria, & non leue aspectantibus ministratur scandalum. Ita aliqui viri docti, quos presso nomine memorat Ioannes Henriq. *in Comp. casuum moral. c. 19. n. 9.* & Dominicanus quidam vir doctus, cuius memoriam gerit Diana *p. 5. tract. 13. resol. 40.*

227. Non est peccatum mortale. Quia nec speciali præcepto Dei, seu Ecclesiæ prohibetur, nec in corporis graue incommodum cedit, nec vltimus in eo finis collocatur. Ita Diana, & Henriquez citati, Elig. Bas. *ver. Gula, n. 2.* *Non est mortale.*

228. *Cum hic sentio.* Lubet hic adhærescere adiiciens nec peccatum veniale futurum, si de Medicorum consilio ad valetudinem de cibo aut potu amplius quam par est, absumeretur, ad vomitum facilius eliciendum.

PROBL. XXV.

Comedens, aut bibens absque necessitate ob voluptatem solummodò captandam, peccas, & non peccas venialiter.

229. *Non peccat venialiter.* DEficiente corporis, seu valetudinis nocumento, comedere, vel bibere, ob frigiditatem potus captandam, vel cibi suauitatem, veniale peccatum non est. Quia non est contra rationem, naturalem appetitum suis actionibus potiri. At velle appetitum suis delectari operationibus, quæ contra rationem non sunt, nullatenus piaculum est, cum reperire scelus sit impossibile, nisi operans contra rationem deferatur. Porrò si ob solam delectationem absumpto cibo aut potu Gula committeretur, deficiente etiam corporis nocumento, peccatum etiam esset flores ob solam capiendam delectationem odorari: & scelus esset res pulchras ob delectationem solam inspectare; & esset crimen musicam ob capiendam auditus delectationem exaudire. Sic Sancti. *in select. disp. 2. n. 14.*

230. *Venialiter delinquis.* Comedens, aut bibens sine necessitate ob solam delectationem, venialiter delinquis. Quia vix potest separari leue saltem nocumentum à comestione aut potatione sine necessitate: nam si cibus non est necessarius saltem ad optime nutriendum corpus, est superfluus in ordine ad nutritionem & ideo aggrauat naturam quæ solum congruentem requirit alimentationem, & ideo aliquod infert leue nocumentum. Ita Pasqualig. *in prax. ieiu. Eccles. decis. 16.* Elig. Bassæ. *ver. Gula num. 2.*

231. *Idem opinor, & confirmo.* Ego quidem primam opinionem magis auctoris sui ingenio, quam practica puto inniti veritate. Falsum enim est, quod comedere, ac bibere ob solam delectationem, ita vt cibus ad corporis nutritionem non ordinetur, non sit contrà rationem: Nam potus ac cibus debet per temperantiæ

temperantiæ virtute adeo frænari, vt nisi sint iuxta eius mensuram inordinatè se habeant, atque adeo sint contra rationem. Præterea cibus & potus non est ob solam delectationem gustus: sed mediante ipsa propter sustentationem corporis, vnde delectatio est finis subordinatus sustentationi: quod non contingit in auditu ac visu, & olfactu, quorum delectationes immediatè sunt ad animum recreandum. Sistere autem in fine subordinato, & non ordinare ipsum ad subordinantem est contra rationem exigentem, vt finis ex natura sua intermedius ordinetur ad vltimum. Hanc sequor.

PROBL. XXVI.

Est, & non est licitum, carne humana vesci in extrema necessitate.

232. *Non est licitum.* NOn est licitum. Quia est intrinsecè, & ex obiecto malum, & ideo nunquam licet, sicut nunquam licitum erit mentiri. Sic Valent. *to.* 3. *disp.* 9. *q.* 3. *punct.* 1. Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 22. Victor. *relect.* 9. Sylui. 2. 2. *q.* 142. *a.* 4.

233. *Licitum est.* Non est licitum occidere hominem ad eius vel in extrema necessitate carnes absumendas: sed licitum erit occisi hominis cadauere vesci in extrema necessitate. Quia non est intrinsece malum excluso homicidio, extreme indigentem hoc vti alimento & quamuis eius prohibitio sit iuris naturæ, tamen iuris naturalis prohibitio in vitæ discrimine non obligat. Ita Sanchez *lib.* 1. *Mor. cap.* 18. *numer.* 12. Saa, *ver. comedere*, *num.* 1. Lessi. *l.* 4. *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 10. Tolet. *l.* 8. *c.* 60. Mald. *ver. Medicus*, *n.* 7. Abul. *ad* 4. *Reg.* 6. *q.* 32.

234. *His hæresco.* Fateor quidem alimentum debere esse ignobilius alito secundum rectum ordinem, vt ex inferiori gradu ad superiorem euehatur: sed in extrema necessitate vti cadaueris humani cibo licebit: carnem enim mortuam quis non videat esse viuenti homini alendo inferiorem, quam licet feris, & auibus dilaniandam exponere, quando viui ob crimina sunt commeriti.

PROBL. XXVII.

Licet, & non licet extra famem extremam appositis carnibus humanis vesci ob necis inferendæ periculum.

235. *Licitum est.* LIcitum est. Quia si licet comedere in extrema necessitate ad conseruandam vitam fame premente extrema, licebit etiam ad eandem tuendam, periculo exterius imminente. Sic Nauar. *capit.* 23. *num.* 122.

236. *Non est licitum.* Non est licitum, sed potius est nex subeunda. Quia non licet vti mediis ad conseruandam vitam, quæ à natura in hunc finem concessa non sunt, atqui cibus carnis humanæ non est medium ordinatum, neque concessum à natura ad vitam sustentandam, & ideo nunquam licet ad finem hunc illum adhibere. Ita Victoria *relect. de temperan.* & alij.

237. *Primam sententiam magis approbo.* Probabilem hanc sententiam puto, sed primam probabiliorem reor; quia parum refert quod metus amittendæ vitæ sit ab intrinseco aut ab extrinseco. Si autem licet nè vita prioris famis gladio, carnibus humanis vesci: cur non licebit, ne vita prioris hostis vulnere?

PROBL. XXVIII.

Opera in ebrietate contingentia etiam ante ebrietatem præuisa sunt & non sunt peccata, cum iam non manent in hominis potestate.

238. *Sunt peccata.* SCio, aliqua dicta, vel facta ebriorum à nullo Doctore peccata censeri etiam si præuideantur; v. gr. verba contumeliosa quia in hominum æstimatione iniuriosa minime censentur. De aliis autem operibus, quæ ab hominum æstimatione non pendent, nempe pollutione, fornicatione, nece, aut vulnere præuiso quæsierim, an huiusmodi opera in ebrietate contingentia sint peccata? sunt quidem. Quia sua in causa voluntariè admittuntur, & mala sunt independenter ab hominum æstimatione. Sic Henriq. *l.* 8. *c.* 51. *n.* 2. Glos. *lit. F.* Sanch. *de Matr. to.* 3. *l.* 9. *disp.* 45. *n.* 28. Salas 1. 2. *tr.* 13. *disp.* 2. *sect.* 9. Tanner. 1. 2. *disp.* 4. *dub.* 3. *n.* 35.

239. *Non sunt peccata.* Opera in ebrietate contingentia, non sunt peccata, nec denominatione extrinseca à malitia causæ, sed sunt quidam peccati præcedentis effectus. Quia etiamsi antè ebrietatem fuerint præuisa, tamen post ebrietatem iam non manent amplius in potestate operantis. Ita Vasquez 1. 2. *tom.* 1. *disp.* 94. *c.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *quæst.* 1. Sayr. *in Claui l.* 2. *cap.* 6. *num.* 15.

240. *His applaudo* Profecto qui antè ebrietatem præuidet futurum fornicationis, aut pollutionis excessum, peccat, eique crimen illud imputatur; attamen actus ipse post ebrietatem nulla malitia morali informatur,

&

& per consequens non est peccatum, sed peccati præcedentis effectus. Quemadmodum quando quis hominem occidit, mors non est peccatum. Sed peccati effectus. Imò primæ sententiæ etsi hæreas existimo, si te post haustum merum è quo scis ebriandum, antequam peccata, seu actiones externæ illæ subsequantur, datæ causæ pœniteat, tunc actiones illas culpa vacare, & per consequens non esse vocanda formaliter & in se peccata. Quia per pœnitentiam causa eorum fuit intercisa, & ideo sunt postea inuoluntaria. Didici à Becano. 1.2.*tr.*2.*c.*3.

PROBL. XXIX.

Peccata in ebrietate perpetrata si prior voluntas est per pœnitentiam interrupta, inducunt, & non inducunt censuras.

241. *Incurrit censuras.* EXcommunicationi obnoxius est, qui Clericum percutit, irregularitatis autem pœna punitur, qui hominem occidit: qui ebrietati dat operam, nimio potui indulgens è quo, experimento magistro, scit se ebrietate afficiendum: Porrò per pœnitentiam prior voluntas interrumpitur, ebrietate tamen instante aut Clericum percutit, aut hominem occidit; quæsierim, an censuras incurrat? Incurrit planè. Quia censuræ externas flagellant actiones, actus internos non respiciunt. Sic Vasq. 1.2.*disp.*94.*c.* 4. Azor. *to.*1.*l.*1.*c.*7.*q.*1.

242. *Non incurrit.* Non quidem incurrit. Quia censuræ in contumaciæ feruntur supplicium, irregularitas ex delicto delicti vulnerat actiones: atqui vbi adest primi actus pœnitudo, nec contumacia est in animo, nec peccatum existit in opere. Ita Sanch. *de Matr.to.*3.*l.*9.*disp.* 45.*n.*29. Salas 1.2.*disp.* 6.*sect.*8.*n.*59.

243. *Idem puto.* Existimo, siante ebrietatem, vel antequam subsequantur peccata illa externa, de causa data confitearis, non teneri postea confiteri etiam si præfatæ subsequantur actiones; quia in se peccata non sunt. Quonammodo igitur censura, aut irregularitate ad punienda peccata flagellentur actiones, in quibus non adsunt iam crimina, quæ flagellari possint? Didici à Soto *in* 4.*distinct.*12. *quæst.* 1. *art.*7.

***

PROBL. XXX.

Peccatum blasphemiæ, periurij, & infidelitatis in ebrietate perpetratum imputandum, & non imputandum ad culpam.

244. *Non imputandum ad culpam.* NOn quidem imputandum. Quia vt imputetur, debet scienter fieri. Sic Vasq. 1.2.*to.*1.*disp.*127.*c.*3.*num.* Sancti. *in select.disput.*20.*n.*5. Salas, Sayr. Tanner. citati à Diana *p.*3.*tr.*6.*resol.*52.

245. *Imputandum ad culpam.* Imputandum plane. Quia licet blasphemiæ, periurij, aut infidelitatis verba in se non sint voluntaria: attamen in causa voluntaria sunt, cum sint præuisa ante ebrietatem, vel debuerint præuideri. Ita Sanch. *lib.*1.*Mor.tap.*16.*n.*44. Tolet. *l.*8.*de peccat.c.*61.*num.*5. Caiet. 2.2.*quæst.*150.*a.* 4.*dub.*2.

246. *Primam sententiam eligo.* Cogor ex præmissis Problematibus primam sequi sententiam, quam probabilem satis existimo. Assero igitur, dùm aliquis se inebriat animo iactandi blasphemias, iuramenta falsa, hæretica dogmata tempore ebrietatis, si in eo ea iactitet: non teneri Confessario aperire, se illa iactasse; sed satis esse exponere, se animo illo ebrietati dedisse operam. Quia illa proferre tempore ebrietatis peccata non sunt, sed effectus peccati, quos non tenemur profiteri.

PROBL. XXXI.

Licet, & non licet ob sanitatem captandam inebriari.

247. *Non licet.* RArò eueniet casus, quo ad sanitatem sit ebrietas necessaria; tamen si aliquis adsit, quæsierim, an liceat huiusmodi absumere, aut ministrare potum? Non licet, sed mortale piaculum est. Quia intrinsece malum est dare operam mentis ablationi. Sic Angel. *ver. Ebrietas* & alij.

248. *Licet plane.* Licet sumere, ac ministrare potum ad ebrietatem ob valetudinem. Quia non est malum intrinsece velle, ad tempus vsum rationis amittere, vt postea melius, ac diuturnius possit recuperari. Sic Tolet. *de peccat.cap.*61. Sylues. *ver. Ebrietas.* Caiet. 2.2.*quæst.*150.*a.* 2. Lessi. *lib.*4.*c.* 3. *dub.* 4.*num.*41.

249. *Idē teneo duplici adhibita conditione.* Idem teneo, duplici adhibita conditione; vna quidem, vt alia via vel medicamine non possit recuperari Salus; altera, vt in illa ebrietate aliquod malum

malum non timeatur, puta, homicidium, aut aliud in damnum proximi quod vergat incommodum.

PROBL. XXXII.

Si quis tibi necem minitetur, nisi des operam ebrietati, licitum est, & non est tibi, ebrietati indulgere.

250. *Non est licitum.* NOn licet. Quia non sunt gerenda mala, vt eueniant bona. Sic Azor. *to. 1. l. 7. c. 33. q. 5.* Caiet. *2. 2. q. 150. a. 2.* Vvigers *de Iust. & Iure tr. de Temper. c. 2. dub. 5. n. 26.* & Augusti. *ser. 232. de temp.* vbi profatur: *Etiam si ad hoc veniretur, vt tibi diceretur, Aut bibas, aut morieris: melius erat, vt caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.*

251. *Est licitum.* Licet quidem. Quia si id licitum est, ad pellendum, aut arcendum morbum, cur non etiam ad vitandam mortem ab alio intentatam. Licet mihi, amputare digitum, vel manum tyranno iubente (si non adsit Fidei contemptus,) ad mortem redimendam, quod extra illud periculum est graue piaculum. Possum vesci rebus noxiis, bibere copiam vini eliquati etiam cum periculo febris, quæ tamen extra necessitatem tuendi vitam, nullo modo licerent. Ergo quemadmodum hæc non sunt contra virtutem quando sunt necessaria ad mortem vitandam; ita nec immoderatus potus contra virtutem erit; quia cum omnibus illis circumstantiis in ordine ad vitam corporis reuera immoderatus non est; sicut enim est licitum lædere sanitatem, & corporis integritatem ad vitandam mortem ex alterius malignitate impendentem; ita etiam est licitum lædere rationis vsum ad breue tempus ob causam eandem. Ita Lessi. *l. 4. c. 3. dub. 4. n. 31.* Laym. *l. 3. section. 4. n. 5.* Villalob. *to. 2. tr. 60. diffic. 6. n. 5.* Dian. *p. 6. tr. 7. resol. 44.*

252. *Licet planè, si absit scandalum.* Siquis prouocet te ad duellum, vel inuadat gladio, nisi æqualibus ciathis respondeas, poteris cum ebrietatis periculo licitè respondere, modo absit scandalum, neque cedat in virtutis temperantiæ contemptum. Si enim ad redimendam vitam à tyranno, fas est sibi ipsi pedem aut manum amputare, cur non etiam rationis vsum ad breue tempus sibi adimere. Scio Caietanum ad paritatem illam de ebrietate licita ex medicamine, respondere, ebrietatem ad mortem vitandam, quam quis minitaretur, non esse medium ad hoc ordinatum, sicut ebrietas ad valetudinem ex Medicorum consilio; vnde ille potus ob medicinam non censetur immoderatus', hic censetur. Non satisfacit, quia (vt vidisti) licitum est ad vitandam mortem multa facere, quæ ad hoc non sunt ordinata per se, sed solum ex alterius malitia. Augustino verò vrgenti respondeo, id dixisse propter ea, quæ per accidens assolent esse cum ebrietate coniuncta, nempe scandalo, aut virtutis temperantiæ contemptu.

PROBL. XXXIII.

Aliquod grande malum quis machinatur, quod non potes alia ratione impedire, nisi eum facias ebriari: licitum est, & non est tibi illum ad ebrietatem prouocare.

253. *Non est licitum.* NOn est licitum. Quia numquam licet inducere aliquem ad actionem, quæ ita est mala intrinsece, vt sine peccato fieri nequeat: talis autem est voluntaria ebrietas, solius voluptatis causa suscepta; non enim est minus intrinsece mala, nec minus absque peccato fieri potest; quam sit mentiri, aut blasphemare. Falsumque est licere inducere hominem ad peccatum minus committendum, quod ille committere nec formaliter nec virtualiter decreuerat. Sic Carol. Lambertus Societat. nostræ citatus à Diana *part. 6. tract. 7. resol. 43.* Vvigers *de Iust. tract. de temper. cap. 2. dub. 7 n. 11.*

254. *Licitum est.* Licitum est. Quia licitum est, suadere, & inducere ad minus malum, vt maius impediatur; atqui hic nihil aliud geritur: ergo est licitum. Ita Lessi. *l. 4. c. 3. dub. 4. n. 33.* Villalob. *to. 2. tract. 60. diffic. 6. num. 9.*

255. *Idem sentio.* Grande aliquod malum Reipublicæ impendet, v. gr. aliqui meditantur Oppidi in certam horam proditionem: vel curant impedire, ne Oppidum, quod est in rebellium potestate, suo Principi condicto tempore restituatur: nec suppetit tibi vlla facultas id auertendi, nisi eos lautè excipiendo & sopiendo per potum: licitum planè tibi potu exhibito consopire.

* * *

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Circà Inuidiam.

PROBL. XXXIV.

Triſtari de bono alterius, quia tibi bonum proprium diminuit, eſt & non eſt peccatum mortale inuidiæ ex genere ſuo.

256. *Eſt mortale ex genere.* ESt mortale ex genere ſeu ex ſua natura. Quia abſolute triſtitia mea ad bonum proximi terminatur, quæ quidem circa rem magni momenti mortalis erit. Ità Coninch. *de act. ſupern. diſp. 3. dub. 2. n. 20.* Valent. *to. 3. diſp. 3. q. 13. punct. 2.* Suar. *de charit. diſput. 6. ſect. 4. n. 4.* Reginal. *tom. 2. lib. 7. num. 129.*

257. *Non eſt mortale ex genere.* Non eſt mortale ex genere, ſed tunc ſolummodo, quando ita vehementer triſtaris de bono proximi, proprij diminutiuo, vt ex illo affectu mouearis ad malum graue proximo inferendum. Quia dolere de bono proximi, vt diminutiuum eſt proprij, non eſt dolere de illo, vt eſt bonum proximi, ſed ratione illius effectus, quem reuera cauſat, cum ſingularem auferat inuidentis honorem; vnde non videtur adeò inordinatum, vt ex genere ſit mortale. Ita Lorca 2. 2. *q.* 36. *in addit. ad a.* 3.

258. *Crediderim, ex genere eſſe mortale.* Ex genere putarim eſſe mortale, ſed ex leuitate materiæ plerumque veniale exiſtere. v.gr. ſi quis doleat de aliquo bono leui proximi in quo illo eſſet minor quod ſi ab eo auferret, haud graui eum detrimento afficeret.

LIBER QVINTVS.

LEGES.

EXPLICO quidnam lex, quotuplex, quinam legem ferre valeant, materiam & conditiones legum adnoto, quinam debeant ſubiacere legibus exprimo. Obligationem legis humanæ, & legis pœnalis digero, cauſaſque, quibus legis ceſſat obligatio, recenſeo.

SECTIO PRIMA.

De legibus Receptiores abſque lite ſententiæ.

CAPVT I.

Quidnam lex, quotuplex.

1. *Quid ſit lex.* *LEx eſt ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata.* Igitur lex eſt intellectus actus, cui adiungitur actus voluntatis antecedens, quatenus id legiſlator præcipit, quod fieri vult, non eſt autem qualiſcumque actus intellectus, ſed tantum rationis practicæ, non ſpeculatiuæ. Finis legis exprimitur, qui eſt bonum commune nec enim in priuatum cõmodum lex inſtituitur. Licet enim aliquæ leges immediatè feruntur in bonum viduarum, pupillorum, nihilominus in bonum commune cedunt. Debet ferri lex ab eo qui communitatis curam habet, & poteſtatem obligandi Lex autem vim legis non habet, niſi ſit ſufficien

sufficienter promulgata aut voce, aut scripto. Quia contra rationem est, vt quis possit obligari ad gerendum, aut vitandum id, quod nullo modo potest implere; nemo enim potest velle, id quod prorsus ignorat. Valent. 1.2. *disp.7.q.1.punct.2.* Azor. 1.*part.lib.5.cap.2.qu.1.* Becan. 1.2. *tract.3. cap.1.quæst.1.*

2. *Lex diuiditur in æternam naturalem, humanam diuinam.* Lex diuiditur in æternam, naturalem, humanam, diuinam. Communior quidem hæc legis diuisio. D. Thom. 1.2.*q.91. a.1.* Suar. *de legib.l.2.c.1.2.& 3. & l.10. cap.8.* Azor. *p.1.l.5.cap.1.q.5.* Valentia 1.2. *disp.7. q.1.punct.2.*

3. *De lege æterna.* Lex æterna latè accepta est ipsa mens diuina, quæ ab æterno omnia ordinauit: strictius verò accepta est mens & ratio Dei bona præcipiens, & mala prohibens; vnde peccatum definitur dictum, factum, concupitum contra legem Dei æternam Bonac. *de leg.disp.1.q.1.punct.1.* Becan. 1.2. *tract.3.c.1.q.2.*

4. *De lege Diuina.* Lex Diuina est illa, quæ vim habet quatenus à Deo proficiscitur, & hæc est duplex, vetus qualis erat Mosaica, & Noua, nempe lex Euangelica, qualis est lex Baptismi, &c. subdiuidi potest lex Diuina in Diuinam naturalem, & Diuinam positiuam. Diuina naturalis est illa, qua præcipitur illud, quod præcipitur à lege naturali: Diuina positiua est illa, qua præcipitur aliquid, quod lege naturali non est sancitum; v.gr. præmittendam esse confessionem antè sumptionem Eucharistiæ ab habente peccati lethalis conscientiam. Lege *num. præced.* Doctores.

5. *De lege Humana.* Lex humana est illa, quæ auctoritate humana, dependenter tamen à Deo fertur. Hanc autem in Ecclesiasticam, ac sæcularem diuido. Ecclesiastica est illa, quæ Ecclesiastica potestate fertur, vt à Papa, Concilio, &c. Sæcularis est illa, quæ sæcularium fertur potestate, vt à Rege, Imperatore. Eosdem consule Auctores.

6. *De lege Naturali.* Lex naturalis est lumen rationis humanæ, quod Deus naturæ conditor vnà cum natura mentibus hominum impressit, quo cognoscunt, aliquid faciendum, & non faciendum. Duplex Naturalis est lex, vna dicitur per se nota, & indemonstrabilis, vt sunt illa prima legis naturæ principia: Bonum amplectendum, malum fugiendum, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Altera est illa, quæ non est ita clara, ac per se nota; potest enim dari, aliqua lex naturalis adeò ignota, & obscura, vt aliquis ab ipsius transgressione ob inuincibilem ignorantiam excusetur. Vasq. 1.2. *disp.150. c.3.* Suar. *de leg. libr.2. cap.6.* Becan. 1.2. *tract.3. cap.3. quæst.1.*

7. *Lex Naturalis aliquo in casu mutabilis est.* Lex Naturalis non est mutabilis secundum se, sed semper obligat, eisdem manentibus circunstantiis, & materia non mutata. Quia illa consistit in rebus ipsis conuenientiam, aut disconuenientiam cum recta ratione habentibus; si ergo res ipsæ, & circunstantiæ non mutentur, manet eadem conuenientia, aut disconuenientia. Potest tamen in aliquo casu particulari, & quoad aliquem hominem in particulari casu mutari propter aliquas circunstantias, & causas impedientes talium præceptorum obseruantiam; verbi gratia secundum legem naturalem depositum reddendum est petenti, tamen mutatis rebus, & circunstantiis, contraria nascitur veritas; si enim qui gladium deposuit apud aliquem postea insanus factus repetat, non debet ei gladius reddi, ne illo malè vtatur. Molin. *tract.5.de Iurisd. disput.49. numer.3.* Reginald. *l.23. num.43.* Suar. *de leg.l.2.c.15.*

8. *Ius naturæ dispensabile à Deo.* Lex naturalis indispensabilis est, Deus autem dispensare potest circa ius naturæ in iis quæ à Deo ita dependent, & ita mutari possunt, vt posita mutatione licita videantur; verbi gratia, Deus dispensauit cum Hebræis in vxorum pluralitate, quæ est contra ius naturæ: at in odio Dei, mendacio, aut primis principiis iuris naturæ dispensare non potest. Summus autem præsul potest iusta de causa in aliquibus, quæ sunt de iure naturæ, vel diuino, dispensare; qua parte in eis admiscetur aliquid obligationis humanæ. Quia experientia docet concedi dispensationem in voto, & iuramento, quæ sunt adimplenda ex obligatione iuris naturæ, & diuini. Inprimis vero principiis iuris naturæ, aut in iis, quæ proximè deducuntur ex primis principiis, vt in præceptis Decalogi, aut in iis quæ spectant ad substantiam sacramentorum aut in dogmatibus fidei, aut in sacrificio, aut etiam in aliis, quæ sunt instituta à Deo nequit Pontifex dispensare. Quia non est sufficiens causa, inferior enim sine iusta causa non potest in lege superioris dispensare, aliàs est irrita dispensatio. Azor. 1. *part. lib.6. cap.1.* Sanchez, *de Matr. lib.8. disp.6.* Valent. 2.2. *disp.7. quæst.4. punct.6.*

CAPVT

Caput II.

Qui possint legem ferre.

9. *Lex ferenda ab iis, qui publicam habent potestatem,*

EX ferri debet ab iis,qui iurisdictionem,& publicam potestatem habent, vimque cogendi. Quia actus condendi legem vnus est ex præcipuis actibus,quo Respublica gubernatur,& illa gubernatur ab iis qui iurisdictionem, ac publicam habent potestatem, Becan.1.2.*tr.*3.*c.*1.*q.*5.Sylui.1.2.*q.*96. *a.*5.*q.*5.

10. *Pontifex legis lator.*

Leges Ecclesiasticæ ferri possunt à summo Pontifice toto in orbe. Leges ciuiles potest idem Pontifex pro territorio,sibi subdito ferre : imo posset leges ciuiles & politicas saltem indirectè per ordinem ad spiritualem finem , ferre etiam alieno in territorio,quoties id necessarium ad salutem spirituale duxerit. Iidem Auctores.

11. *Et Episcopi, Patriarchæ, Archiepiscopi.*

Episcopi, Patriarchæ, Archiepiscopi possunt ferre leges pro sua diœcesi,modo nihil statuant contra ius commune. Per Ecclesiæ tamen statuta impediuntur , ne leges aut decreta ferant in causis grauioribus. Quia hæ Præsuli summo per regulam generalem sunt reseruatæ. Sanch. *de Matr.l.*8.*disp.*17.*n.*36.Suar. *l.*4.*c.*5.*n.*3.

12. *Et Cardinales*

Cardinales possunt in Ecclesia sui tituli ferre leges suum obligantes territorium : leges vero vniuersales condere non possunt.Suar. *l.*4.*c.*5.*num.*4.*cap. Querelam de elect.*

13. *Et Capitulum Cathedralis Ecclesiæ.*

Capitulum Cathedralis Ecclesiæ potest mortuo Episcopo leges,vel statuta sancire duratura quidem donec à successore Episcopo derogentur. Bonac.*de leg.disp.*1.*q.*1. *q.*1.*pun.*3.*n.*29.

14. *Et Abbates exempti.*

Abbates exempti , aliique similes Prælati habentes iurisdictionem Episcopalem , vel quasi Episcopalem , qualem habent Prælati,qui iure ordinario potestatem habent excommunicandi,suspendẽdi,&c. Possunt leges in suis quasi diœcesibus condere.Salas *de leg.disp.*8.*sect.*10. Suar. *l.*4.*c.* 5.*num.*4.

15. *Et Imperator, Reges, Principes.*

Imperator legitimè electus leges ciuiles ferre potest in Regna , ac Prouincias sibi subditas,non verò in orbem. Quia Imperator solùm potest subditos obligare. Reges ac Principes supremi, qui superiorem in iurisdictione temporali non agnoscunt, possunt pro Regno ac ditione sua leges condere.Valent.1.2. *disp.*7.*q.*5.*pun.*2.Suar. *l.*3.*c.*9.*n.*23. Vasq. 1.2. *disp.*153.*c.*2.*&* 3.

16. *Et Regina hæres Regni.*

Regina cui Regni Dominium iure hæreditario vel alio titulo competit contracto matrimonio potest,& debet leges ferre,nisi vices suas marito committat. Quia ad eum administratio & potestas condendi leges pertinet , ad quem ius & Dominium Regni spectat Salas.*disp.*7.*sect.*9. *n.*63.Suar.*l.*3.*c.*9.*n.*10.

17. *Et Respublica sui iuris.*

Communitates perfectæ seu Respublicæ , quæ per se ipsas gubernantur, qualis Veneta,& Genuensis,&c.Possunt pro territoriis suis leges condere. Ciuitates verò quæ non habent supremæ Reipublicæ potestatem;sed eam in Principem transtulere , haud possunt per se solas ex vi propriæ potestatis ferre leges *leg. Omnes ff. de iust.& iure.leg.*3.*C.de legib.*

18. *Facultas ferendi leges potest alteri delegari.*

Profectò facultas ferendi leges potest alteri delegari. Vnde legati summi Præsulis,seu Nuncij Apostolici possunt in sua Prouincia leges , seu statuta facere , quæ mortuo ipso legato perseuerent , donec à summo Pontifice vel habente ab eo potestatem,v.g. ab alio legato potestatis æqualis reuocentur. *cap.*2.*& vlt.de offi. lega. in* 6.Suar. *l.*4.*c.*6.*n.*4.

19. *Concilia generalia possunt ferre leges.*

Demum Concilia generalia si summi Præsulis authoritate fiant, possunt leges, & statuta generalia facere , iuxta facultatem ipsis à summo Pontifice concessam 1 Molin.*de Iust.tr.*2.*disput.* 21. Suar. *l.*3. *c.*6 *num.*7.

Caput III.

De legis ferendæ conditionibus.

20. *Sex conditiones requiruntur ad condendam legem.*

SEx conditiones requiruntur ad legem condendam. Prima, vt à legitimo superiore feratur. Secunda, vt feratur ob bonum commune. Tertia vt sit iusta. Quarta vt promulgetur. Quinta, vt lapsus temporis seu termini à legislatore præscribantur. Sexta , vt lex vsu sit recepta , aut acceptata. Lex lata ob bonum commune, communitati , in cuius vtilitatem ac commodum fertur debet intimari , quod fit per publicationem seu voce præconis , seu affixione in publico loco, vel alio simili modo, iuxta locorum consuetudines vel decreta. Nec requiritur vt singulis intimetur , sed sufficit , vt publicè promulgetur ita vt ad aures singulorum temporis processu valeat peruentare. Hinc colligo ; Epistolas Pontificias non habere vim

21. *De legis publicatione.*

legis, nisi publicentur eo modo, quo epistolæ assolent publicari: legem reuocatoriam alterius antiquæ legis non obligare antè promulgationem; quia de ratione legis est promulgatio: interpretationem legis factam auctoritatiuè non habere vim legis nisi promulgetur legis promulgatio, quæ fertur ab aliquo populo vel ciuitate, vel Episcopo, vel Archiepiscopo, vel inferiore Principe, in ipso populo, vel ciuitate, vel curia Principis, Episcopi, seu Archiepiscopi promulganda est iuxta morem in singulis locis receptum. Non autem opus est, vt in singulis oppidis, vel ciuitatibus promulgatio fiat, nisi aliter in ipsa lege præscribatur, vel aliter de legislatoris mente constet. Quia lex hoc modo lata sufficienter promulgata censetur, & facta huiusmodi promulgatione, statim incipit obligare. Suar. *l.*3. *cap.* 6. *num.* 2. Moli. *tr.* 5. *de Iurisd. disput.* 70. *n.*1. & 2. Azor. *p.*1. *l.*5. *c.*3. *quæst.*2.

Vbi nam ferenda.

21. Leges ab Imperatore, Rege, vel Principe habente plura Regna, vel Prouincias latæ debent in singulis Prouinciis promulgari. Vndè subditi illius Prouinciæ, vbi non est facta promulgatio, hisce legibus non obligantur. Quia quòd ad leges imperiales spectat, ita definitum est in Authent. *vt nouæ constitut.* Rex verò aliúsve Princeps, qui non est subditus legibus Imperij, potest de sua absoluta potestate vnica publicatione vno in loco facta omnia sua Regna, & Prouincias obligare. Quia hoc contra ius naturæ non erit. Suar. *l.*3. *cap.*16. *num.*14. Sylvest. *verbo, lex. q.*6. Valent. *disp.*7. *q.*5. *pun.*5.

In singulis Prouinciis publicanda lex.

22. Quintam dixi ad legem humanam requisitam esse temporis lapsum, seu terminos à legislatore præscriptos. Si legislator spatium duorum mensium apposuit ad obligandum, hisce mensibus non elapsis, subditi non tenentur. Quia lex non obligat vltra intentionem ac voluntatem legislatoris. Valent. *disp.*7. *q.*5. *pun.*5.

De temporis lapsu.

23. Iam verò quoad sextam legis ferendæ conditionem lex vsu non recepta vi caret, quamuis sit auctoritate Principis constituta, & legitimè promulgata. Lex autem dicitur vsu non recepta quando populus, vel maior pars populi prosequitur facere quod facere consueuerat ante legis promulgationem; & hoc verum siue populus sciat legem promulgatam esse; siue ignoret. Porro lex dicitur vsu recepta, & acceptata, quando non vnus vel duo eam recipiunt, sed maior pars communitatis eam recipit, gerendo quod lex præcipit, aut illam approbando verbo vel scripto, aut illam non reiiciendo. Reginal. *l.*13. *n.*160. Suar. *l.*4 *c.*16. *n.*9. Azor. *l.*5. *c.*4. *q.*1. & 2. Nauar. *c.*23. *n.*41.

De legis receptione.

24. Lex acceptata quoad vnam partem non obligat simpliciter, sed solum quoad eam partem, quæ acceptatur: & acceptata vna in Prouincia, & non in alia, obligat solum in ea Prouincia in qua recepta est. Nauar. *cap.*23. *num.* 62. Reginal. *l.*13. *num.*165.

Lex acceptata quoad vnam partem non obligat simpliciter.

25. Quando lex acceptata est à maiori parte communitatis, minor pars peccat legem non obseruando, & pœnam legis incurrit, nisi fortè per inuincibilem ignorantiam, excusatur. Quando verò maior pars communitatis non acceptauit legem, minor pars non peccat legem non obseruando. Rodrig. *to.*2. *Regul. qq. q.*6. *a.*10. Bonac. *disp.*1. *q.*1. *pun.*4. *n.*34.

Legem acceptatam à maiori parte communitatis minor acceptare debet, non è contrà.

26. Qui absque sufficienti causa legem promulgatam non acceptat, vel in causa est, ne acceptetur, à piaculo non excusatur: quidquid dicat Sylvester asserens, per se loquendo non peccare, nisi graue Reipublicæ, aut communitati indè obueniat incommodum. Suar. *l.*3. *c.*19. *n.* 10. Clauis Reg. *l.*3. *c.*5 *n.*14.

Non excusatur à peccato, qui legem sufficienter promulgatam nõ acceptat.

27. Patet hinc, quidnam discriminis inter desuetudinem siue non vsum legis & consuetudinem legi contrariam. In eo enim differt, quod primi qui consuetudinem contrà legem inducunt, delinquunt, nisi ex aliquo accidenti excusentur; successores autem non peccant, quia bona fide possunt legem negligere primos secuti, qui contra legem gesserunt. At quando lex non est vsu recepta, etiam primi qui frangunt, non delinquunt, id sciente legislatore, & non puniente, cum id commodè possit: Bonac. *disp.*1. *q.*1. *pun.*4. *n.*40. Azor. *l.* 5. *c.*4. *quæst.*5.

Discrimen inter non vsum legis, & consuetudinẽ legi contrariam.

28. Ad substantiam & rationem legis non requiritur scriptura tanquam conditio necessaria; quia lex potest promulgari, & acceptari, etiamsi non sit scriptis expressa: & priuilegium est validum, posito consensu concedentis: & valida est in foro conscientiæ quælibet facultas à summo Pontifice concessa statim ac supplicationem admisit subscripto verbo *Placet*, aut *Fiat*: quamuis in foro externo iudicetur imperfecta, & inualida. Vbi tamen contrarium est vsu receptum, aut sancitum in aliquibus priuilegiis, seu casibus, id obseruandum, sicut de facto decernitur in sententiis, ad quas communiter scriptura requiritur. Suar. *l.*9. *c.*11. *n.*9. Valent. *disp.*6. *q.* 1. *pun.*2. Regin. *l.*13. *n.*66.

Non requiritur scriptura ad rationem legis.

CAPVT

CAPVT IV.

De legis materia.

29. *Materia legis est ea, circa quam lex versatur.*

MAteria legis est illa circa quam lex versatur, seu quæ præcipitur, vel prohibetur à lege. Vnde actiones humanæ sunt legum materia. Quia circa illas lex versatur bonas præcipiendo, prohibendo malas. Hinc patet, actus quarumcumque virtutum posse esse legum materiam. Quia sunt actus humani. Immo actiones ex se indifferentes possunt esse materia legum. Quia sunt humanæ actiones. Azor. *l.5.c.5.quæsit.2.& 3.* Suar. *l.4.c.11.n.2.& 3.*

30. *Lege humana non præcipiuntur omnes actus virtutum.*

Attamen lege humana haud possunt præcipi simpliciter, ac collectiuè omnes actus virtutum. Quia difficillimum esset omnes actus virtutum collectiuè obseruare. Valent. *disp.7.q.5.punct.7.*

31. *Nec omnia vitia.*

Quantum autem ad vitia spectat, lex humana non omnia prohibet, sed ea tantum, quæ Reipublicæ pacem, ac quietem perturbant, qualia sunt ea, quæ iniuriam habent annexam, v. gr. quæ sunt contra iustitiam commutatiuam, aut quæ Deo & Sanctis iniuriam inferunt. Aliqua enim permittit, vt peiora euitentur: v. gr. leges meretricium munus impunè permittunt, vt adulteriis obuietur: & vsuras geri, vt furta caueantur. Clauis Reg. *libr.* 3. *cap.3. num.4. & 5.* Becan. 1.2. *tract.3.c.1. quæst.3.*

32. *Actus interni vt spectant ad actus externi complementum possunt præcipi ab Ecclesia.*

Licet problematicum sit (de quo *sect.2.*) num actus interni secundum se præcisè considerati possint à lege humana de facto præcipi, vel prohiberi: mihi certum, actus internos, vt spectant ad actus externi complementum, vel quatenus sunt necessarij ad esse physicum aut morale actus externi, seu quatenus inuicem connexionem aliquam aut dependentiam habent, posse ab Ecclesia præcipi, aut prohiberi Quia ad rectam Ecclesiæ gubernationem pertinet, vt actus interni tali modo considerati ab Ecclesia præcipi, aut prohiberi possint. Ideo Ecclesia (v. gr.) excommunicat eos qui ex odio vel amore contra hæreticos non procedunt, vel contra eos inquirere omittunt. Azor. 1. *part. lib. 5. cap.* 10. Suar. *l.4.cap.12. & 13.* Nauar. *c.27. num.* 87.

33. *Lex prohibens, aut præcipiens actum externum, prohibet simul, ac præcipit internum illi respondentem.*

Consequenter affero, quandolex prohibet, vel præcipit aliquem actum externum, simul etiam prohibere, vel præcipere actum internum illi respondentem v. gr. prohibet furtum, prohibet etiam voluntatem efficacem, seu absolutum furandi propositum. Præcipit recitationem officij, præcipit etiam intentionem, seu voluntatem recitandi. Quia actus externus est obiectum actus interni, actus autem ab obiecto specificatur, ab eoque bonitatem, & malitiam sumit. Reginal. *l.13. n.21.* Bonac. *de leg. disp.* 1. *q.1.p.5.n.13.* Becan. 1.2. *tr.3.c.6.q.5.*

CAPVT V.

De iis, qui legibus humanis parere tenentur, seu de legis subiecto.

34. *Homo rationis capax est legis subiectum.*

SVbiectum legis est homo subditus capax rationis iuxta tenorem legis. Vnde infidelis, aut Catechumenus legibus Ecclesiasticis non adstringitur. Quia infidelis, aut catechumenus non est subditus Ecclesiæ. Propterea infideles non peccant si die ieiunij carnibus vescantur, nec eis carnes ministrantes. Pueri qui nondum rationis peruenerunt ad vsum, legibus non adstringuntur, quia non sunt vsus rationis capaces. Quid si dubitetur, an rationis habeant vsum, si constat completum esse septennium tenentur legibus ecclesiasticis; quia septennio completo præsumitur vsum rationis adesse; nondum vero septennio exacto Ecclesiasticis legibus non tenentur; quia ante septennium vsus rationis adesse non præsumitur. Suar. *l.3. de leg. c.4. num.4.* Azor. *p.1. l.7. c.28. quæst.3.* Sà *verb. Pueri.*

35. *Amentes, dormientes, ebrij, & absentes promulgatione legis, tenentur eam obseruare post accidentale impedimentum.*

Amentes, dormientes, inuincibiliter ignorantes, ebrij, & absentes promulgationis tempore, tenentur legibus. Quia licet per accidens nequeant leges intelligere, illisque parere, per se possunt, & sunt subditi legislatori, & sunt vsus rationis capaces, quamuis tunc temporis ratione non vtantur. Tamen defectu aduertentiæ & actualis rationis vsus, ac consensus tempore amentiæ, somni, inuincibilisque ignorantiæ à peccato excusantur. Sanch. *lib.1. Decalog. cap.12.* Henriquez *lib.13. capit.42. numer.3.* Dian. *tract.6. miscel. resol.87. & 88.*

36. *Princeps vi coactiua suis legibus non obligatur.*

Princeps per se & directè vt plurimum vi coactiua suis legibus non obligatur. Quia vis legis humanæ eiusque obligatio ex ferendi legem potestate oritur: de iure autem par in parem potestatem non habet,

habet, cum actio, & passio in eodem subiecto esse non possint; ergo multo minus in se ipsum. Azor. *l.* 5. *c.* 11. *quæst.* 1. Suar. *l.* 3. *c.* 35. *n.* 15.

37. *Nec suis pœnis.* Princeps pœnis suis in legibus contentis, & impositis non subiicitur. Quia nullus in se ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat. v. gr. Pontifex summus clericum percutit, haud est excommunicatus. Rex suam legem violat, non incidit in infamiam, nec in pœnam periurij. Porrò licet quoad vim coactiuam & pœnas in foro exteriori sit solutus, ex iure tamen & æquitate naturali, ac diuina quoad vim directiuam Principem ad seruandas suas leges teneri assero habentes vtique rationem ac materiam de se vniuersalem, & accommodatas non solum subditis, verum etiam principi. An non ratio ipsa suadet, caput debere se reliquis membris conformare, taxante Domino eos, qui dicunt, & non faciunt? Si tamen leges non habent materiam vniuersalem, nec sunt principi accommodatæ, Princeps non tenetur suas leges implere. verbi gratia si Princeps lege cauit, ne arma noctu deferantur: secus si legem tulit ieiunium præscribentem. Becan. 1. 2. *tr.* 3. *c.* 6. *q.* 12. Sotus *de Iust. lib.* 1. *q.* 6. *a.* 7. Vasq. 1. 2. *disp.* 167. *cap.* 1. *n.* 33.

38. *Tenetur tamen, si cum populo legem condidit.* Quando princeps non sua auctoritate, sed cum populo legem condit, ad huiusce legis obseruationem tenetur. Quia caput seu præfectus communitatis licet habeat ius populum conuocandi, ac primum suffragium ferendi, tamen toti communitati subditus est. Reginal. *lib.* 13. *n.* 162. Azor. *l.* 5. *c.* 11. *q.* 2. Caspens. *tr. de leg. disp.* 4. *sect.* 1. *n.* 1.

39. *Non peccat suas leges violans, si non iurauit.* Certè Princeps qui suas leges non obseruat non peccat mortaliter, nisi iurasset eas seruare. Quia lex non obligat vltra legislatoris voluntatem, legislator autem non præsumitur velle sibi tantam obligationem imponere, cum suis legibus tantum ex honestate, & æquitate teneatur. Azor. *l.* 5. *cap.* 11. *q.* 1. Lessi. *l.* 2. *cap.* 35. *dub.* 5. Salas 1. 2. *disp.* 20. *sect.* 12. *n.* 104.

40. *Clerici non tenentur ciuilibus legibus ex vi coactiua.* Clerici, aliique Ecclesiastici legibus ciuilibus ex vi coactiua non tenentur: ex vi verò directiua tenentur legibus ciuilibus iis, quæ in commune bonum vergunt, & quæ libertati Ecclesiæ, sacris canonibus, & clericali officio non repugnant. Quia clerici non obstante clericatu, ciues sunt, & membra reipublicæ politicæ; sed respublica politica non nisi legibus ciuilibus principum gubernatur; ideo eas etiam quatenus conducunt ad vtilitatem, & bonum publicum Clerici seruare tenentur. Vnde Clericum expendentem pecuniam vltra taxam seu valorem à Principe præscriptum, aut vendentem frumentum maiori pretio quam sit à Principe constitutum contra iustitiam peccare, & ad restitutionē teneri affirmo. Quia licet Clericus non teneatur ciuili lege, nihilominus directè lege naturali iustitiæ prohibentis triticum vendi aut aliquid aliud vltra taxam, seu pretium, quod iustum communiter æstimatur, adstringitur. Scio tamen aliquos Doctores asseruisse Clericos secluso scandalo non peccare mortaliter, si leges Principum sæcularium non obseruent, posito, quod ad illas directe non teneatur. Sic Bonac. *de leg. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 6. *num.* 53. Salas *de leg. disput.* 14. *sect.* 10. *num.* 11. Primam autem assertionem expressere Nauar. *cap.* 23. *num.* 88. Suar. *l.* 3. *cap.* 34. Rodrig. 1. *p. c.* 196.

41. *Viatores ac peregrini tenentur legibus latis in locis, vbi reperiuntur.* Peregrini ac viatores ligantur legibus generalibus latis à summo præsule, & in locis vbi reperiuntur acceptatis. Et quamuis non teneantur legibus peculiaribus locorum, per quæ transeunt, (de quo proprio in Problemmate) excipiuntur tamen à Doctoribus aliqui casus, in quibus hi tenētur leges locorum particulares obseruare, etiamsi non decreuerint inibi maiore anni parte commorari. Primò, scandalum, ad quod vitandum tenentur locorū legibus subiacere. Secundo, contractus, qui secundum leges ciuiles celebrandus est seruatis solemnitate, ac conditionibus in loco vbi celebratur, receptis: excepto contractu dotis in cuius celebratione non attenditur, statutum loci, in quo vir habet domicilium. Sanch. *de matr. l.* 3. *disp.* 18. *& l.* 1. *Decal. c.* 12. *n.* 25. Suar. *l.* 3. *c.* 33. *n.* 6. Tertio, quando eædem leges, & consuetudines obligant non solum vbi aduena reperitur, verum etiam in proprio ipsius aduenæ territorio, tunc tenetur hasce leges seruare: quia hic vsus communis vnanimi superiorum consensu receptus. Quarto, quando inobseruantia seu violatio legum vergit in illius loci damnum & iniuriam, tunc leges seruare tenetur. Quia par non est, extraneum inibi cum damno existentium eo in loco, commorari. Sanch. *l. Decal. c.* 12. *num.* 38. Suar. *l.* 2. *de Rel. cap.* 14. *num.* 15. *& de leg. lib.* 3. *cap.* 32. *num.* 8. De vagis sermo *sectio.* 2. redibit.

CAPVT

CAPVT VI.

De legis humanæ obligatione.

42. *Potest obligare grauiter lex Ecclesiastica, ac ciuilis.*

OBligare potest in conscientia lex Ecclesiastica & ciuilis adeo, vt illius transgressio sit graue piaculum : sed non omnes leges humanæ obligant in conscientia, præsertim sub mortali. Quia quando legislator exprimit, se nolle in conscientia obligare nisi ad pœnam, certum est solum ad pœnam obligare, lex enim non obligat vltra legislatoris mentem, à qua pendet. Sanch. *l.3. Decal.c.9.num.34.* Suar. *l.4.c.17.* Valent. 1.2. *disp.7.q.5.punct.6.*

43. *Num lex obliget ad mortale, an ad veniale? primam regulam do ex legislatoris intentione.*

Quando autem lex ad mortale obliget quando ad veniale hisce regulis indicabo. Regulam primam ex legislatoris intentione desumo, quæ quidem colligitur ex grauitate materiæ, & ex aliis coniecturis. Quando autē absolute fertur, nec vllo modo verbo aut signo declarat lator se habere intentionem obligandi in conscientia, tunc pro ratione materiæ magis vel minus grauis iudicandum erit legem ex parte legislatoris obligare in conscientia ad culpam mortalem, vel venialem. Reginal. *l.15.n.46.* Beccan. 1.2.*tr.3.c.6. q.3.num.5.* Sylui 1.2.*q.96.a.4.q.5.*

44. *Secundam regulam exhibeo ex verbis præceptiuis.*

Secundam exhibeo regulam ex verbis præceptiuis, quibus lex humana fertur. Modo aliud non constet de mente legislatoris, aut nisi materiæ leuitas excuset, sub lethali obligare credendum est. Quia per se & ex natura sua verba præceptiua important obligationem sub mortali, vt patet in legibus diuinis, in quibus præceptiua verba huiusmodi obligationem arguunt iuxtà propriam vim, & significationem. Vnde colligo legem præsertim Ecclesiasticam sub mortali obligare in materia graui, si sub hisce verbis feratur. *Iubemus, Obligamus, Præcipimus, Præcipiendo mandamus, Prohibemus, Vetamus Interdicimus, Debeant, Teneantur, Obligentur, Non potest, Necesse est, Non liceat,* &c. nisi ex materiæ leuitate contrarium constet. Nauar.*c.23.n.50.* Suar.*l.3.c.26.n.6.* Vasq.1.2.*disp.158.c.3.* Beccan.1.2.*tr.3. c.6. num.7.*

45. *Alia præceptiua verba recensco,*

Alia præceptiua verba recensco indicantia legem sub mortali obligare. Quando in lege adhibetur verbum. *Iniungimus, Mandamus, Præcipio ex vi voti, vel iuramenti, sub pœna præstiti iuramenti, Præcipio in virtute Sanctæ obedientiæ, Strictè præcipio, Arctè iubeo, Mando sub interminatione, aut obtestatione mortis æternæ, Diuini iudicij, sub indignatione Dei, aut sanctorum Petri & Pauli, sub maledictione æterna,* Sub mortali obligare credendum : Quando verò lex fertur adhibito verbo, *Oportet, Caueant, Audiant, faciant, Dicant, Facite, Abstinete, Sancimus, Intendimus, Volumus, Innouamus, statuimus, Decernimus, Stabilimus, Ordinamus,* ex communi sententia leuem importat obligationem, nisi aliud constet de mente legislatoris, aut ex grauitate materiæ, aut ex boni communis detrimento. Scio tamen aliquos Doctores contrarium asseruisse, de quo Clauis Reg.*l.3.c.7.n.26.* Saa *verbo lex, n.5.* Reginal.*l.15.n.48.*

46. *Tertiam regulam exhibeo ex grauitate materiæ.*

Tertiam regulam assigno ex materiæ, quæ præcipitur, grauitate, aut leuitate. Ex grauitate materiæ collige grauem legis obligationem, ex leuitate autem materiæ obligationis leuitatem attende. Quia recta ratio dictat, ad grauem culpam grauem requiri materiam : leuem autem materiam tantæ esse obligationis incapacem. Imò Deus in leui materia sub mortali non obligat, vt modicæ quantitatis patet in furto. Suar. *de leg.l.3.c.25.n.2.4.&c.* Sanch. *l.1. Decal.c.4.n.4.* Vasq.1.2.*disp.158.c.4.&6.*

47. *Quomodo dignoscendum, an materia sit grauis, an leuis.*

Vt autem dignoscas, an materia sit grauis vel leuis, licet certam regulam tradere non possim, hæc verosimilia accipe documenta : In primis finem specta, quo legislator adductus est, ad condendam legem ; vnde si res præcepta valdè ad finem intentum à legislatore conducat, grauis materia censebitur : secus si non multum conducat, aut fini grauiter non repugnat. Deinde prudens adnota circunstantias, quibus ductus est legislator ad leges ferendas, qualis est ratio vitandi scandali, damni communis, periculi vota violandi. Certè materia ex se leuis & incapax obligationis sub mortali, respectu circunstantiarum tantæ fieri potest obligationis capax. Vnde in iure humano difficile existimo ex sola materia præcepta sub mortali discernere : cum lex quæ leuis videtur, (v.gr. de alterius cubiculo non ineundo) sit magni momenti attentis circunstantiis, quas superior spectat, ac subditi ignorant. Sylu. 1.2. *q.96. a.4. q.4.* Caram. *Reg.S.Bened.n.43.* Valent.1.2.*disp.7.q.5.punct.6.*

48. *Quartam regulam reddo ex Ecclesiæ communi consensu.*

Quartam regulam adnoto communem Ecclesiæ sensum, prudentum existimationem, qua quidem indicatur, talem legem ad mortale obligare ; quia consuetudo est optima legum interpres, maximè cum

ipsa per se legis vim habeat. Nauar. *c.* 23. *n.* 58. Valent. 1. 2. *disp.* 7. *q.* 8. *punct.* 6. *dub.* 3.

49. *Quintam regulando ex pœna grauitate, aut leuitate.*

Quintam denique regulam expono grauem aut leuem pœnam. Nam cum grauis pœna corporalis seu temporalis alicui legi iustæ apponitur, quæ ex sua natura mortalem supponit culpam, tunc lex seu mandatum obligat sub mortali. Quia iniqua lex esset, quæ pro re leui tam graui pœna plecteret transgressorem. Suar. *l.* 3. *c.* 26. *n.* 4. Vasq. *disp.* 159. *c.* 3. *n.* 22. Valent. 1. 2. *disp.* 7. *q.* 5. *punct.* 6. *dub.* 3.

CAPVT VII.

De lege pœnali.

50. *Lex ciuilis lata sub pœna capitis, &c. obligat sub mortali.*

EX proxima quinta regula colligo, legem ciuilem latam sub pœna capitis, mutilationis: seruitutis, perpetui carceris, damnationis ad triremes, confiscationis bonorum, aut multorum bonorum amissionis, aut infamiæ, aut officij publici priuationis; aut exilij, sub mortali obligare. Quia grauis hæc pœna reputatur. Scio tamen nonullos haud improbabiliter censuisse, legem pœnalem continentem pœnam etiam amissionis omnium bonorum, aut famæ, aut vitæ, non inducere obligationem sub mortali ex lege humana, inducere vero obligationem sub mortali ex lege naturali, quatenus ius naturæ dictat vitam propriam tueri, nec quisquam potest propriã vitam prodigere. Sic Nauar. *c.* 23. *n.* 57. 58. Reginal. *l.* 15. *n.* 50.

51. *Non obligat lex grauem continens pœnam sub leui culpa.*

Porrò lex grauem continens pœnam sub mortali non obligat, quoties pœna in leui culpa apponitur solummodo ad terrorem. Quia superior non intendit, nec potest obligare, sed tantummodo terrorem incutere, nec talem pœnam exequi curat. Salas *disp.* 10. *n.* 69. Suar. *lib.* 3. *c.* 26. *n.* 4.

52. *Lex Ecclesiastica præcipiens sub graui censura, grauiter obligat.*

Lex Ecclesiastica aliquid præcipiens, aut prohibens sub graui censura, aut pœna Ecclesiastica, nempe excommunicatione maiori, aut graui suspensione, irregularitate ex delicto, reali seu verbali depositione: sub mortali obligare comperitur; & hoc valet non solum in censura lata, verum etiam in ferenda ex sententia communiori. Suar. *l.* 4. *c.* 14. Becan. *tr.* 3. *c.* 6. *q.* 3. *n.* 10. Nauar. *c.* 21. *n.* 53.

53. *Leges quæ non sunt propriè pœnales in conscientia non obligant.*

Leges, quæ non sunt proprie pœnales, & præceptiuæ, sed potius conuentionales, & conditionales, aut modales, quibus legislator aliquid permittit ea conditione, & modo, vt qui tale opus gesserit, vel in tali opere fuerit inuentus, tantum pecuniæ soluat; vel instrumenta, aut merces amittat, in conscientia non obligant. Quia legislator non intendit tales actus prohibere, sed potius illos permittit, grauamine adiecto. Salas *de legib. disp.* 15. *n.* 18. Sotus *l.* 1. *q.* 6. *a.* 5. Bonac. *de legib. p.* 7. §. 2. *n.* 5.

54. *Leges humanæ cum vitæ periculo aliquando possunt obligare.*

Certum est, leges humanas aliquando cum vitæ periculo obligare posse. Quia in Republica debet esse sufficiens potestas ad bonum commune conseruandum: sed aliquando bonum commune postulat, vt aliquis se vitæ periculo exponat. Porrò vt discernas, num lex humana obliget cum vitæ discrimine, hanc regulam accipe. Quando obseruatio legis humanæ plus confert communi bono reipublicæ, aut communitatis, aut religionis, quam propriæ vitæ conseruatio, tunc lex obligat cum vitæ periculo. Eodem modo quando legis humanæ violatio plus communi bono nocet, quam propriæ vitæ amissio, tunc etiam cum vitæ periculo obligat. Quia vero rarò fit vt legis obseruatio plus prosit bono communi, quam vitæ conseruatio ideo non passim, sed rarò fit vt lex humana obliget cum vitæ periculo.

55. *Non incurruntur pœnæ sine sententia Iudicis.*

Pœnæ positiuæ, quæ ad sui executionem aliqua indigent actione, siue imponantur ipso iure, siuè facto, non incurruntur sine sententia Iudicis, & per ipsum executione. Cum enim idem non debeat esse agens, & patiens, oportet, actionem Iudicis sententiam ferentis adesse, qua in illas incidatur. In pœnis autem priuatiuis quæ nullam actionem ad sui executionem desiderant, vt excommunicatio, suspensio, interdictum, irregularitas: aut si lex dicat, sit incapax, seu inhabilis: tunc nulla opus erit ad huiusmodi pœnas incurrendas, iudicis sententia. Scio tamen nonnullos contrarium docuisse, de quo *sect.* 2. Sanch. *de matr. l.* 9. *disp.* 30. *n.* 1. & 2. Saa *verbo Pœna*, *n.* 1. Caiet. 2. 2. *q.* 62. *a.* 3.

CAPVT VIII.

De lege iniusta.

56. *Lex iniusta non obligat in conscientia.*

IEx iniusta non obligat in conscientia, nec peccat, qui legem iniustam non custodit, præsciso scandalo, & Reipublicæ perturbatione. Quia

Quia ratione scandali vitandi, aut perturbationis certum est, homines teneri ad legum obseruantiam, quoties eas sine piaculo possunt custodire. Suar. *de legib. lib.* 1. *c.* 9. Moli. *de iurisdict. t.* 5. *q.* 73. *n.* 1.

57. *Iniusta est lex humana diuinæ repugnans.* Lex autem multis modis dici potest iniusta. Primò, quando legi diuinæ repugnat, & tunc certum est, legem humanam non obligare. Quia vitium præcipi non potest, cum sit inepta præcepti affirmatiui materia. Clauis Regia *l.* 3. *c.* 7. *num.* 1. Suar. *l.* 1 *c.* 9. Moli. *tr.* 5. *q.* 73. *n.* 1.

58. *Et quæ bono communi aduersatur.* Secundo lex iniusta dicitur, quando bono communi aduersatur. Tamen iudicandum est, legem bonum commune respicere, quoties non clarè constat oppositum. Quia possessio stat pro lege, & in foro externo præsumitur in fauorem superiorum facultatem habentium ad leges condendas. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 96. *artic.* 4. Sylu. *verbo lex. quæst.* 5. Angel. *n.* 4.

59. *Et quæ transcedit legislatoris potestatè.* Tertiò dicitur lex iniusta, quando transcendit, seu excedit Legislatoris potestatem: v. gr. si actus merè internus præcipiatur. Castr. *l.* 1. *cap.* 5. Clau. Reg. *l.* 3. *cap.* 7. *num.* 3. Sylu. *verbo lex n.* 5. *&* 9.

60. *Et quæ in falsa præsuptione fundatur.* Quarto dicitur lex iniusta materialiter, quando in falsa præsumptione contra rei veritatem notam illi, contra quem lex fertur, fundatur. Idem reor, de sententia dicendum. Vnde qui in iudicio falsa præsumptione per sententiam conuincitur, debitor alterius, & soluere cogitur, soluere non tenetur; imò facta solutione, potest occultâ compensatione vti, regulis compensationis obseruatis: qui autem iniustam sententiam obtinuit; ad restituendum in foro conscientiæ tenetur, quidquid inde fuerit consecutus. Azor. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 4. Saa *ver. lex. num.* 1. Nauar. *cap.* 17. *num.* 283.

61. *Et quæ subditis onus causæ improportionatum imponit.* Quinto denique, quando subditis imponitur onus causæ improportionatum, vel inæqualiter, non seruata debita proportione. V. gr. si pauper sine rationabili causa, æquali aut maiori onere soluendi grauetur, quam diues. Suar. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 16. Sotus *l.* 1. *q.* 6. *a.* 4. Clau. Reg. *l.* 3. *c.* 7. *n.* 3.

CAPVT IX.

De causis, quibus legis obligatio cessat.

62. *Multæ causæ, quibus legis obligatio cessat annumerantur.* MVltas causas, quibus legis obligatio cessat, annumerare possumus: scilicet vim absolutam, impossibilitatem, inaduertentiam, ignorantiam, metum seu periculum grauis incommodi, legem contrariam, dispensationem, cessationem causæ finalis, ac motiuæ Epiicheiam, consuetudinem contrariam, de quibus alibi, exceptis solummodo lege contraria, cessatione legis finalis, Dispensatione, & Epiicheia, de quibus in præsenti nonnulla adnotabimus.

63. *Lex recepta vim amittit per posteriorē contrariam.* Lex anteà recepta vim ligandi amittit per legem posteriorem contrariam, seu per reuocationem, seu per restrictionem, præcedētis legis, iuxtà correctionis, seu restrictionis qualitatem. Quia posterior Principis voluntas priori præfertur, etiam si in posteriori lege nulla prioris legis mentiò fiat. Suar. *de leg. l.* 5. *c* 27. Azor. 1. *p. l.* 5. *c.* 16. 20. *&* 21.

64. *Secus si fuerit prior lex iuramento firmata.* Attamen si prior lex fuerit iuramento assertorio de præsenti ac de futuro obfirmata, v. gr. si legislator iuret, se legem non reuocaturum, tunc lex prior non reuocatur per posteriorem contrariam, nisi in ipsa fiat mentio prioris. Quia non præsumitur, legislatorem velle sibi laqueum inijcere derogando legi, cui sine periurio nequit derogare. Bonac. *de legib. disp.* 1. *q.* 1. *pun.* 11. §. 1. Saa. *ver. lex. n.* 29. Caspens. *tr. de leg. disp.* 6. *sect.* 2. *n.* 11.

65. *Cessat legis obligatio cessante causa finali legis.* Cessante causa motiua seu finali legis in totum, & respectu totius communitatis, etiamsi non adsit aliud decretum, legis obligatio cessat. Quia res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur. Si tamen ob plures causas motiuas, seu finales lex condita sit, & vna causa cesset, manentibus cæteris: non cessat legis obligatio, sicut nec cessare videtur, si aliqua similis causa superueniat. Castr. *l.* 1. *de leg. pœn. c.* 5. Couar. *cap. cum esses de test. n.* 9. Nauar. *c.* 23. *n.* 43.

66. *Si causa cesset respectu particularis personæ, non cessat obligatio legis.* Porrò si causa cesset tantummodo respectu particularis personæ, seu in casu particulari, non cessat legis obligatio. Quia lex non respicit simpliciter singulares personas, sed communitatem. Quod quidem intelligendum est, modo lex, seu motiuum legis cesset in casu particulari solum negatiue, non verò si cesset contrariè. Tunc autem lex seu legis motiuum contrariè cessat, quando turpe est legem seruare, seu quando legis materia facta est iniqua, siue contraria alteri præcepto magis obliganti, & tunc certum est, legem non obligare: quanquam in dubio, an causa legis cessauerit, præsumendum est minimè cessasse. Suar. *de legib. lib.* 6. *cap.* 8. *numer.* 1. *& cap.* 9. *numer.* 2. Saa. *ver. lex. numer.* 32. Layman. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 21. *num.* 3.

Quando

67. *In dubio præsumendum pro lege.* Quando dubitatur ; num causa legis cessauerit in totum , seu respectu totius communitatis, præsumendum est, non cessasse. Quia in dubio , præsumendum in possidentis fauorem , lex autem possidet; constat enim, legem latam esse , & de ipsius excusatione dubitatur. Salas *de leg. disp.*21.*sect.*10.*n.*24. Caiet. 2.2.*q.*120.*a.* 1. Suar.*l.*6.*c.*9.*n.*3.

68. *Lex per desuetudinem non derogatur pure negatiuam.* Lex non potest per non vsum , seu desuetudinem purè negatiuam derogari. Quia non est hic vllum signum voluntatis mutatæ in legislatore. Nauar. *de consuetud.consi.*2.

69. *Derogatur per desuetudinem.* Potest autem lex per desuetudinem eam , quæ actus contrarios inuoluit , derogari. Quia quando non vsus implicat actum contrarium legi formaliter æquiualentem, paulatim receditur à lege, donec prorsus aboleatur. Cap. Ioan. *de Cleric. coniug.* Nauar. *de Consuet.consil.*2.

CAPVT X.

De Dispensatione legis,

70. *Quid dispensatio.* DIspensatio significat actum iurisdictionis , quo aliquis ab obligatione legis eximitur, aut quo legis obligatio ad laiquod tempus suspenditur. Dicitur totalis , si legis obligatio in totum auferatur : partialis , si in partem. Dispensatio quidem , vt quædam iuris relaxatio, odiosa est , & strictè interpretanda , potestas autem dispensandi alicui commissa vt fauorabile Principis beneficium latè interpretanda est. Azor.*tom.*1.*lib.*5. *c.*15. Sanch. *de Matr.l.*8.*disp.*1. *&* 2.Filliuc.*tr.* 10.*c.*10. *n.*1.

71. *Legislator potest suis in legibus dispensare.* Legislator, superior illius , & successor in iurisdictione potest cum inferiore subdito sua in lege dispensare , illum que ab obligatione legis eximere, respectu tamen aliorum obligatione legis persistente. Quia cum lex vim suam ab intentione legislatoris habeat , sicut potest legem condere, eiusque obligationem simpliciciter abrogare, ita etiam quit legis obligationem ab aliquo actu in particulari remouere. Suar. *de legib.l.*6.*c.* 10.*n.*2. & reliqui.

72. *Ad rectitudinem dispensationis requiritur causa , & authoritas.* Vt dispensatio in humanis legibus rectè ac legitimè fiat , duo præcipuè requiruntur , authoritas , & causa ; quarum si aliqua desit, dispensatio legitima , ac iusta non erit: imo deficiente authoritate nulla, ac inualida foret dispensatio. Sayr. *in Cla.l.*3.*c.*10.*n.*5. *&* 6. Nauar. *Præl.*9. *n.* 15. Sylui.1.2.*q.*97.*a.*4.

73. *Papa in omnibus legibus, & statutis Conciliorum dispensat.* Papa in omnibus legibus & statutis Conciliorum , etiam generalium dispensat. Quia potest ius humanum tollere , & ei data à Deo , non à Concilio potestas. Attamen quando Pontifex in iure Canonico, vel in aliquo Concilio generali nouo, vt in Tridentino, vel antiquis generalibus Conciliis , aut in aliis decretis à se, vel à sede Apostolica factis dispensat, specialiter debet exprimere se tali (v.gr.) Tridentini decreto derogare , aliàs dispensatio sufficiens non censebitur. Bonac. *de dispens.disp.*1.*q.*2.*pun.*1.*n.*8.Sylui.1.2.*q.*97. *a.*4.Couarr.*l.*4.*var.resol.c.*16.*n.*6.

74. *Papa in voto ac iuramento dispensat.* Scio Præsulem summum in præceptis primæ tabulæ, ac secundæ Decalogi in articulis fidei, in Sacramentorum institutione, vel celebratione quo ad ea quæ ad Sacramentorum essentiam pertinent, in præceptis moralibus, quæ sunt de lege naturæ non posse dispensare tamen certissimũ est, in aliis, quæ ita sunt de iure diuino, vt aliquid obligationis misceatur humanæ, v.g. in voto , ac iuramento dispensare valet. Quia licet sit de iure diuino seruare votũ, obligatio tamen ad id faciendum est sibi ab ipso vouente imposita, à qua obligatione eum potest summus Præsul eximere. Sotus *de Iust.l.*1.*q.*7.*a.*3. Sylvest. *ver. Papa q.*16.Angel.*ibid.*

75. *Inferior nõ potest dispensare in lege superioris, cum superior sibi dispensationẽ reseruauit.* Non potest Præsul inferior in lege superioris dispensare , quando superior sibi reseruauit dispensationem.v.gr.Achiepiscopus, aut Episcopus per se loquendo nequit dispensare in lege summi Pontificis, & statutis in Concilio Prouinciali conditis: si dispensatio fuit reseruata , respectu aliquo casu particulari ratione necessitatis dum non est congregata synodus , vel ad sedem Apostolicam recursus non patet. Quando vero dispensatio non est reseruata , cuilibet Episcopo præsumitur data facultas pro Diœcesi sua dispensandi, nisi aliter ex mente Concilij constet.Sanch.*de Matr.l.*8.*disp.*17.*n.*36.Salas. *de leg.disp.*8. *c.*9.*n.*48.Dian.*tr.*5.*Miscel.resol.*23.

76. *Irrita est dispensatio in iure diuino naturali concessa sine causa.* Irrita est dispensatio , cuiuscumque, etiam Pontificis , in iure diuino naturali, v. gr. in voto vel iuramento , absque causa concessa. Quia tunc in alienis bonis dispensatur , & aliena superiori voluntate, & ideo causa requiritur. Vasq. 1.2. *disp.*178.*c.*3.*n.*17.& alij.

77. *Dispensatio inferioris sine iusta causa, est inualida.* Dispensatio in lege superioris ab inferiore sine iusta causa concessa non solum non est licita, verum neque valida. Quia dispensans

dispensans vsurpat sibi iurisdictionem, quam non habet. Ille autem cum quo inferior in lege superioris absque iusta causa dispensauit, non potest dispensatione vti, nec est à legis obligatione exemptus Reginal. *lib.* 13. *num.* 195. Sylvest. 1. 2. *quæstio.* 97. *art.* 4. *quæsi.* 3. *conc.* 3. & Vasq. citatus.

78. *Peccat qui, allegata falsa causa, aliquem ad dispensandum inducit.* Porro qui falsa causa allegata aliquem ad dispensandum inducit, peccat eo piaculo, quo dispensator delinquit. Quia inducit ad peccatum; nisi ob bonam fidem excusetur. Quid si dubium adsit de causæ sufficientia, & fideliter subditus eam superiori exponat, & superior eam iudicet sufficientem? Tutus erit subditus in conscientia petendo dispensationem, illaque vtendo quamuis à parte rei causa non sit iusta. Quia inferior potest dispensantis superioris iudicio acquiescere, sicut licet opinioni viri prudentis adhærere. Sanch. *de matr. l.* 8. *disp.* 18. *n.* 19. Valent. *to.* 2. *disp.* 7. *q.* 5. *pun.* 9.

79. *Causa iusta dispensationis.* Causas iustas dispensandi, seu aliquem à legum obligatione eximendi recenseo. Prima est vtilitas communis, vel etiam priuata. Secunda, necessitas communis vel priuata. Tertia est pietas. Præterea potest concedi dispensatio ob aliquos casus, vel rationes superuenientes, quæ sufficientes & legitimæ arbitrio prudentis, & pro qualitate loci, temporis, & personæ fuerint adiudicatæ; v.gr. quotiens obseruantia legis vergit in malum, seu maius bonum impedit, causa iusta est dispensandi. Azor. *to.* 1. *l.* 5. *c.* 15. *quæsi.* 8. Sylvest. *ver. dispensatio, n.* 3.

80. *Posita iusta causa, aliquando tenetur, aliquando non tenetur superior dispensare.* Posita iusta causa dispensandi, superior aliquandò non tenetur & aliquando tenetur dispensare, vt patet ex communi dispensationis diuisione in prohibitam, debitam, & permissam. Debita autem est dispensatio, quando graues extant causæ. & illa necessaria est ad priuatum seu publicum damnum vitandum, vel quando valde est bono communi, aut priuato vtilis. Certè aliquando in iure dispensatio appellatur indulgentia, aliquando gratia, aliquando misericordia, quæ sunt dona gratuita, ac liberalia. Coninch, *de Matr. disp.* 27. *q.* 6. *num.* 59. Sanch. *de Matr. l.* 3. *disp.* 10. *n.* 3. Salas *de legib. disp.* 20. *sect.* 7.

81. *Princeps admittens aliquem ad actum ad quem habet impedimentum censendus cum illo dispensare.* Princeps supremus scienter admittens aliquem ad actum, ad quod habet impedimentum, cum illo dispensare censetur. Quia ad valorem dispensationis in lege humana non requiritur causæ cognitio: sed satis est voluntas eius ad dispensandum. Azor. *tom. lib.* 5. *quæstio.* 10. Reginal. *lib.* 13. *num.* 195.

Caput. XI.

De Epiicheia.

82. *Epiicheia quid.* Epiicheia est, quando aliquid agitur contra verba legis, eo quod bonum commune, vel ratio virtutis id postulet. Cum enim leges vniuersaliter proponantur, & regulæ vniuersales multas patiantur exceptiones, sæpe casus incidunt, in quibus malum esset verba legis ad vnguem obseruare. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 120. Lessi. *l.* 2. *cap.* 49. *dub.* 9. *n.* 63.

83. *Quando liceat epiicheia vti.* Varios exprimam casus, in quibus non secũdum verba legis, sed secundum Epiicheiã sit iudicandum. Primus est, quando lex aut simpliciter aut ex aliqua loci, temporis, vel personæ circunstãtia iniqua redditur. Secundus quando in aliquo particulari casu verborum legis obseruatio cedit in boni communis detrimentum. Tertius, quando potest prudenter iudicari, legislatorem, si adesset, non secundum verba legis iudicaturum. Quartus, quando corrumpitur animus & mens legislatoris. Quia vt ait Iurisconsultus *leg. Contra, ff. de leg. In legem peccat quicumque verba legis amplexus, contra legislatoris nititur voluntatem.* Reginal. *l.* 13. *n.* 120. Sayr. *in Cla. Reg. l.* 12. *c.* 9. *n.* 5.

84. *Quando excuseris à legis obligatione.* Homo ab obligatione legis excusatur, & quando certo scitur, & quando probabiliter creditur, aliquem casum sub lege non comprehendi. Quia non peccat, qui sequitur opinionem probabilem. In dubio verò, an casus sub lege comprehendatur, superior est consulendus si ad ipsum pateat aditus: si vero superior consuli nequeat, & adsit in mora periculum, iudicandum est casum sub lege non comprehendi, modo talis casus alia non fuerit sub lege comprehensus. Salas, Suarez, Sanch. Laym. apud Bonac. *tom.* 2. *disp.* 1. *q.* 1. *punct. vlt.* §. 2. *n.* 10.

85. *Quonam modo vti debeamus Epiicheia.* Rogas, quonam modo sis vsurus Epiicheia. In dubiis, cæteris paribus, inter duram, & benignam sententiam, seu declarationem præcepti diuini & humani, benigna interpretatio est semper facienda, & acceptanda. Neque Deus nec Ecclesia intendit nos præceptis suis ad nimis difficile in se, ac vix possibile obligare. In dubiis vita, sensusque communis

nis virorum proborum ſumi debet in exemplum, & regulam viuendi. Quia rectum iudicium habere præſumuntur, ſicut rectum habent affectum. In his, quæ ſunt mala quia prohibita iure tantum humano excuſat conſuetudo aut legitima, aut præſcripta; quia tollit legem, aut eſt legis interpres. In quolibet caſu prætermittens facere, quod lex imponit, excuſari poteſt à peccato ſaltem mortali (non ſemper à veniali) ſi hoc faciat virtutis Epiicheiæ animo, ſine contemptu, ratione alicuius periculi, aut circunſtantiæ conſideratæ, aut neceſſitatis, putans ſe non peccare mortaliter, paratus quidem nullo modo id gerere, ſi putaret, eſſe lethale.

SECTIO SECVNDA.

De legibus Problemata.

CAPVT XII.

Circà leges Pontificias.

PROBL. I.

Bullæ Pontificiæ, ſeu Diplomata requirunt, & non requirunt ex iure communi in ſingulis Prouinciis publicationem.

86. *Requirunt duorum menſium ſpatium.* ROmani Præſulis conſtitutiones, quæ Bullæ Pontificiæ, aut Diplomata vocitantur, nec in corpore Iuris continentur requirunt iure communi promulgationem in ſingulis Prouinciis, neque enim ſufficit apud Curiam Romanam publica & ſolemnis promulgatio. Quia ius ciuile vbi iuri canonico non aduerſatur aſſolet ab Eccleſia ſeruari: propterea eadem videtur eſſe ratio de Pontificiis, quæ eſt de Imperatoriis conſtitutionibus. Ita Sotus *l.* 1. *de Iuſt. q.* 1. *a.* 4. Angel. *ver. lex, q.* 12. Medin. 1. 2. *q.* 90. *a.* 4.

87. *Non requirunt.* Iure ipſo communi ſufficit publica in curia Romana promulgatio, niſi aliter exprimatur in lege. Quia nuſquam ius canonicum ſtatuit, vt pontificiæ conſtitutiones in ſingulis Prouinciis promulgentur, nec Pontifices iure ciuili teneantur; vnde Bulla Cœnæ non aſſolet niſi Romæ publicari, & tamen ſecundum illam vbique iudiciales ſententiæ pronunciãtur. ſic Vaſq. 1. 2. *diſp.* 156. *c.* 2. Suar. *l.* 4. *c.* 15. *n.* 3. Reginal. *l.* 13. *n.* 155. Azor. 1. *p. l.* 5. *c.* 3. *q.* 3.

88. *Secundam opinionem ſequor, non improbans primam.* Scio ſecundam opinionem iam per conſuetudinem vſu receptam, eſſe amplectendam. Attamen (vt cum Becano loquar 1. 2. *tr.* 3. *c.* 6. *q.* 6. *n.* 6.) ſiquis habitet in aliqua Prouincia, vbi eiuſmodi leges non ſint promulgatæ, poteſt eſſe liber in conſcientia, etiam ſi non ſeruet. Quia poteſt probabili opinione vti. Porro communiter ab omnibus receptum, & approbatum eſt, vt leges reuocatoriæ priuilegiorum, & indulgentiarum vim obligandi non habeant quo vſque promulgatæ ſint non ſolùm in Prouincia, ſed etiam in Ciuitate, ac Parochia. Mecum Valent. 1. 2. *diſp.* 7. *q.* 5. *pun.* 5. *dub.* 2. Becan 1. 2. *tr.* 3. *c.* 6. *p.* 6. *n.* 7.

PROBL. II.

Leges pontificiæ obligant ſtatim facta promulgatione, & non obligant ſtatim ſed poſt duos menſes.

89. *Obligant ſtatim.* OBligant ſtatim facta promulgatione, nec requiritur duorum menſium interſtitium elabi. Quia nulla id lege ſtatuitur, & lex illa Authentica non obligat pontificem, nec alios Reges imperio non ſubditos. Et licet pontifex in cap. *Nouerit, de ſent. excom.* aſſignet duos menſes pro monitione, vt qui geſſerint ſtatuta contra Eccleſiaſticam libertatem, illa intra duos menſes reuocent, alioquin excommunicatione illigabuntur: haud inde ſequitur neceſſarium eſſe duorum menſium tempus ad promulgationem, vt omnis lex pontificia obliget; aliquæ enim leges ſunt, quæ ex Pontificis voluntate non incipiunt obligare niſi poſt certum tempus facta promulgatione. Sic Tanner. 1. 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 6. *dub.* 1. *num.* 7. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 156. *cap.* 3. *num.* 14. Suar. *de legib. l.* 3. *cap.* 18. *& l.* 4. *cap.* 15. *num.* 11. Salas *de legib. diſp.* 12. *ſect.* 3. *num.* 20.

90. *Non ſtatim obligant.* Leges Pontificiæ, in quibus certum tempus non præſcribitur, non obligant niſi poſt duos menſes à promulgatione. Quia alioquin magna ſequeretur in Republica perturbatio, qui enim ſcirent legem eſſe promulgatam, eam in foro vtroque

que seruare tenerentur, alij tenerentur in neutro. Ita Becan. *p. 2. tract. 3. c. 6. concl. 2. num. 3.* Valent. *tom. 2. disp. 7. q. 5. punct. 5.* Saa *ver. lex. n. 8.* Reginal. *to. 1. l. 13. c. 16. n. 152.* Nauar. *c. 23. n. 24.*

91. *Idem sentio & expono.* Quibus libenter assentior, sciens vt non dedignantur leges sacros canones imitari, ita sacrorum canonum statuta Principum constitutionibus adiuuari. Quod ergo in iure ciuili asseruatur, in canonico æmulari licet, cum in ipso contrarium cautum non sit: præsertim cum Papa dum intendit statim obligare, in sua constitutione id soleat exprimere. Quod si obiicias curiæ Romanæ stylum, dum à iudicibus passim legum transgressores puniuntur etiam antè duorum mensium tempus elapsum: respondeo ideo id gerere iudices, quia priori probabili opinioni hæresciunt, & quia curiæ stylus in externo foro procedit; at subditi possunt tutà conscientia oppositam probabilem etiam sententiam sequi: stylus igitur curiæ (vt cum Nauarro loquar) in externo, & non in interno foro procedit.

PROBL. III.

Eminentissimorum Cardinalium declarationes habent, & non habent vim legis.

92. *Habent vim legis.* CArdinalium declarationes non solum habendæ sunt vt probabiles, ac doctrinales: sed etiam vt auctoritatiuæ & necessariæ quasi à summo Præsule editæ fuissent, ita vt in foro vtroque vim obligandi exerant, non solum pro his, ad quorum instantiam fiunt, seu in illa speciatim quæstione cui congregatio respondet: sed vt leges generales in similibus omnibus. Quia Bulla Sixti V. (*p. 2* Bullar. 7 in ordine) continet dictæ congregationis facultatem, & eadem sacra congregatio cuidam Abbatissæ Nesanensi sic respondet: *Eadem ratio habenda est de his, quæ scribuntur à Cardinalibus sacræ congregationis, ac si à Papa scripta essent.* At Pontifex super declarationibus Cardinalium statim dat Breue & Auditor Cameræ monitorium in earum executionem, & Rota eas absque vlla controuersia suscipit. Ita Salas *de leg. tr. 24. disput. 21. sect. 12.* Garci. *de benef. to. 1. in præfat.* Rodr. *q. 9. regul. to. 1. q. 11. a. 1. & 2.* Narbon. *de appellat. à vicario ad Epis. p. 1. n. 18.*

93. *Non habent vim legis.* Cardinalium declarationes legis vim non habent, vim habent solummodo circa speciale illud quæsitum, cui respondet, vnde illis haud necessario stãdum, quamuis, fateor, magnam habent auctoritatem. Quia vti lex obliget, necesse est, vt promulgetur: sed huiusmodi declarationes non promulgantur; ergo non obligant. Petr. de Ledes. *sum. to. 1. de sacr. Pœn. c. 13. diffic. 7.* Sanch. *de matr to. 3. l. 8. disp. 2. n. 10.* Bonac. *de leg. disp. 1. q. 1. punct. 8. n. 4. &* Villal. *to. 1. c. 62. cas. 41.* hanc sententiam probabilem putat.

94. *Subscribo.* Censeo quidem, Cardinalium eminentissimorum declarationes maximi ponderis esse, ab iisque nulla ratione recedendum sine firmissimo fundamento: attamen vim legis non habere, nec illis necessario standum, nisi aliter per sedem Apostolicam declaretur.

PROBL. IV.

Omnia, quæ habentur in iure canonico habent, & non habent vim legis.

95. *Habet vim legis.* DEcretum Gratiani habet vim legis. Quia Gelasius Papa, & Eugenius illud approbauerunt, & nouissime Gregorius XIII. mandauit corrigi ad instar originalis, & excudi. Adde ex cõmuni iuristarum axiomate: in vtroque iure satis est allegare titulum, & probare possessionem. Porro huius, decreti allegantur tituli & adest antiquissima ab anno 1009. possessio. Sic Molfes. *tom. 1. tract. 1. cap. 195. num. 73.*

96. *Decretum Gratiani non habet vim legis.* Nec decretum Gratiani nec omnia, quæ in Iure canonico habentur, habent vim legis, puta plura desumpta ex Conciliis Prouincialibus, & ex S. Patribus Augustino, Isidoro, &c. Quia Solus Pontifex, & Concilium generale ab eo approbatum habet vim obligandi vniuersam Ecclesiam: præcepta vero Conciliorum Prouincialium Prouinciam obligant, ad quam spectant: testimonia autem Patrum non sunt ex se leges obligatoriæ. Sic Iacob. Granad. *1. 2. contr. 7. tr. 3. p. 1. disp. 3. sect. 7. n. 17.* Suar. *de legib. l. 4. c. 5. n. 5.* Rodrig. *qq. Regul. to. 1. q. 6. a. 2.* Grethse. *defens.* Bellarm. *l. 2. de Rom. Pont. c. vlt.*

97. *Idem sentio.* Profecto cum Gratianus fuerit horum collector, & ipse condendi leges non habuerit auctoritatem, non potuit his Conciliis, ac patribus maiorem vim tribuere, quam ipsi habebant. Vnde censeo minus obligatorium esse quod Gratianus de suo addit. Imo licet aliquid referat tanquam ab aliquo Concilio seu Pontifice expressum, si aliunde constaret non referri fideliter, aut essent res dubiæ

omnino authoritatis, illi parendi nulla esset obligatio.

PROBL. V.

Ad obligationem legis Pontificiæ requiritur, & non requiritur, à maiori populi parte esse acceptam.

98. *Requiritur acceptatio.* REquiritur quidem. Quia videtur benignæ Pontificis menti conforme, vt leges promulgare faciat sub tacita conditione, si à subditis acceptetur, ne nimio onere afficiantur. Sic determinatum in leg. *De quibus, ff. de leg. leges nulla alia ex causa nos tenent, quam quod iudicio populi receptæ sunt.* Ita Lessi. *l.2.c.22.dub.13.n.98.* Becan. *p.2.sum.tr.3.c.6.q.8.n.2.* Putean. *1.2. q.11.a.4.dub.2.*

99. *Non requiritur acceptatio.* Non requiritur populi acceptatio. Quia Papa non habet suam potestatem dependenter à populo, vt suarum legum vis sit à populi consensu petenda. Sic Vasquez *1.2.tom.2. disp.156.c.5.n.36.* Bonac. *tom.3. disp.1.q.15.punct.4.§.5.n.2.* Lorca *1.2.de legib.disp.20.*

100. *Sentio cum primis.* His assentior, sciens à nonnullis Pontificibus contrariam sententiam esse reprobatam. Imo existimans salua fide, hanc propositionem adstrui non posse: Papa *non valet condere legem aliquam independenter à populo, vel ab vsu contrario.* Addo tamen leges Pontificias ab acceptatione populi pendere sed hoc non esse intelligendum, quando Pontifex contrarium id lege expressisset. Quia tali in casu nec deest potestas, nec voluntas. At cum non exprimit, benigne est eius voluntas interpretanda, vt quandiu non est ipsius à populo recepta, velit obligationem eius suspendere, ne delinquendi detur occasio. Nec enim Christus dedit Pontificibus hanc potestatem *in destructionem, sed in ædificationem.* 2. Cor. 13. Denique affirmo omnes canones, ac leges Pontificias in materia immunitatis, Ecclesiasticæ fuisse à Pontificibus independenter ab acceptatione populi latas.

PROBL. VI.

Bulla cœnæ obligat & non obligat in conscientia, vbi non est vsu recepta.

101. *Non obligat Bulla cœnæ.* NOn obligat. Quia leges promulgantur, sub tacita conditione, si à populo acceptentur: & sic determinatum videtur in leg. illa proxime citat. *De quibus ff. de legib. leges nulla alia ratione nos tenent, quam quod iudicio populi receptæ sunt:* quæ ratio legibus queiscumque Pontificiis applicanda ex Azor. *p.1.l.5.c.4. quæst.1.* Ita Becan. *sum.1.2.tr.3.cap.6. q.8.n.2.* Reginal. *to.1.l.13.c.16.n.160.* Putean. *1.2.q.11.a.4.dub.2.*

102. *Obligat Bulla cœnæ.* Obligat planè. Quia licet ab aliquibus Doctoribus concedatur legem Ecclesiasticam non obligare vbi acceptata non est, id tamen minimè admittendum vbi constat superiorem velle independenter ab acceptatione obligare. At summus Præsul vult independenter ab acceptatione Bullæ obligari subditos; ergo. Minorem probo, quia Pontifex in Bulla omnem prætextum, ac prætensionem excludit. Ita Bonac. *in Bul. cœn. tom.3. disp.1. quæst.15. punct.4.§.5.n.2.* Dian. *p.3.tr.1. resol.54.*

103. *Obligare censeo.* Idem censeo sciens, nonnullos Pontifices de hac re interrogatos respondisse, contrariam sententiam, quæ in legibus Pontificiis acceptationem requirit, explodendam, ac reiiciendam esse.

CAPVT XIII.

Circa leges Regias ac Imperatorias.

PROBL. VII.

Reges seu Imperatores tenentur, ac non tenentur, suas leges seruare sub graui piaculo.

104. *Tenetur Rex sub mortali suas seruare leges.* DIximus sect. 1. Reges, seu legislatores, qui superiorem non habent, non teneri legibus non obligantibus ex æquo, vt legibus vestium; &c. teneri tamen legibus obligantibus omnes, vt legibus taxantibus pretia mercium, ad hoc autem non teneri vi coerciua, cum à nullo puniri possint: sed vi directiua; quia sicut ius naturæ præcipit, vt inferiores superioribus obediant, ita præcipit vt superiores proprias leges obseruent, ita subditi suo capiti, ita superiores suis membris conformantur. Attamen vertitur in quæstionem, an, ita vi directiua suas leges seruare teneantur, vt illas frangẽdo lethaliter delinquant? Delinquit Rex planè mortaliter grauem legem propriam violando. Quia directè Princeps leges tenetur hasce custodire. Ita Granad. *1.2.contr.7.tr.3.p.1.disp.6. sect.1.n.6.* Suar. *de legib.l.3.c.35.n.8.& 10.* Malder. *1.2. q.96. tr.5.*

Non

105. *Non tenetur.* Non tenetur sub mortali suas graues leges obseruare. Quia Princeps non tenetur directè sed indirectè seruare legem, & illo iure, quo se tenetur subditis conformare & cum lex non obliget vltra legislatoris voluntatem, non censetur legislator velle sibi tantam imponere obligationem. Sic Azor, *p. 1. l. 3. c. 11. q. 1.* Filliuc. *tom. 2. tr. 21. c. vlt. n. 426.* Lessi. *l. 2. c. 35. dub. 5. n. 34.* Salas *de legib. disp. 14. sect. 2. num. 19.*

106. *Hoc probabilius.* Idem existimans, assero Pontificem semoto scandalo, & aliis circumstantiis, non peccare mortaliter, si in Paschate non communicet, si gerat contractum iure tantùm humano simoniacum: Principem autem mortaliter delinquere, si venderet rem vltra iustum pretium à lege taxatum quia naturalis iustitia postulat, vt iusto pretio contractus fiant, pretium autem fit iustum communi æstimatione quæ melius lege, quam alio declaratur arbitrio: nec non mortaliter peccare si contractibus à se celebratis non steterit, naturali id dictante ratione, ne contractus inæqualitate claudicare videatur.

PROBL. VIII.

Princeps, seu superior circa materiam grauem potest & non potest sub veniali solum obligare subditos.

107. *Potest obligare sub veniali.* POtest quidem. Quia obligatio legis ex legislatoris voluntate dependet, & vltra illius mentem extendi nequit. Sic Suar. *de legib. l. 3. c. 23. n. 7.* Lessi. *l. 2. c. 41. dub. 9. n. 96.* Sanch. *l. 6. Decal. c. 4. n. 25.*

108. *Non potest.* Non potest. Quia voluntas superioris solum requiritur ad imponendam obligationem sed postea qualis obligatio sit, ex grauitate seu leuitate rei præceptæ est assumenda. Ita Vasq. *1. 2. disp. 158. c. 3. & 4.* Becan. *tom. 2. tr. 3. c. 6. q. 3.* Salon. *2. 2. q. 77. a. 1. contr. 8.*

109. *Primam sequor sententiam.* Profecto primæ sententiæ hæresens, assero consequenter vouentem posse se ad venialem culpam in materia graui obligare. Quia sicut omnis obligatio à sua voluntate ortum habuit, ita potuit ortum habere cum limitatione, & non secundum omnem materiæ capacitatem. Deinde colligo, posse Confessarium grauem pœnitentiam sub veniali obligatione imponere. Quia est quædam lex, & præceptum, ideoque conditiones legis ac præcepti debet sortiri.

PROBL. IX.

Princeps, seu legislator potest & non potest in leui materia grauem imponere obligationem.

110. *Potest grauem obligationem imponere.* LEgislator Ecclesiasticus potest in leui materia obligationem grauem imponere (esto nequeat secularis. Quod ex Religionum vsu probatur, in quibus aliquando superiores res leues sub pœna excommunicationis non semel prohibuere: v. gr. nequis aliorum cellas ingrediatur. Ita Sayr. *in Cla. Reg. l. 3. c. 7. n. 17.*

111. *Non potest.* Nullo modo potest legislator sæcularis aut Ecclesiasticus in leui materia grauem imponere obligationem, licet velit, & intendat. Quia talis intentio esset iniqua & iniusta. Sic Sanch. *l. 1. Decal. c. 4. n. 3.* Suar. *de legib. l. 3. c. 25. n. 7.* Dian. *p. 3. tr. 6. miscel. resol. 91.*

112. *Idem sentio.* Consentio plane sciens, superiores Religionum leuem rem aliquam in virtute obedientiæ imperantes, vel sub excommunicatione, eam quidem non leuem sed grauem admodum æstimare; aliquando enim alienum cubiculum ingrediendi leuitas potest grauissima ad vitandum occultum incommodum reputari. Adnotat Bonac. *de legib. disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 4. num. 21.*

CAPVT. XIV.

Circa legis Acceptationem.

PROBL. X.

Vt lex humana Ciuilis obliget, requiritur, & non requiritur populi acceptatio.

113. *Requiritur acceptatio populi.* REquiritur quidem, Quia leges promulgantur sub tacita conditione, si à populo acceptentur; hoc enim videtur benignæ Principum, ac legislatorum voluntati conforme, nè nimium suis subditis oneroſi videantur. Redit applicanda huic sententiæ *Lex, De quibus ff. de legib.* vbi dicitur. *leges nulla alia ex causa nos tenent, quam quod iudicio populi receptæ sunt.* Ita Filliuc. *to. 2. tr. 21. c. vlt. n. 429.* Becan. *sum. 1. 2. tr. 3. c. 6. q. 8. n. 2.* Lessi. *l. 2. c. 22. dub. 13. numer. 98.* Regin. *tom. 1. lib. 13. cap. 16. n. 160.*

114. *Non requiritur.* Non requiritur. quia nisi lex cogeret subditos, & obligationem induceret absque dependentia ab eorum approbatione, subditique dissentire possent, bellum vtrinque iustum daretur, legislatore iustè obedientiam exigente, & iustè resistente subdito, cum legis acceptatio eius arbitrio sit commissa. An non actuale præceptum obligat, nullo expectato assensu eius cui imponitur? ergo & lex haud expectato subditi consensu obligabit, nec enim minor legis quam simplicis præcepti vis. Ita Suar. *de legib. l. 3. c. 19. & l. 4. c. 16.* Vasq. *1. 2. tom. 2. disp. 156. c. 5. n. 36.* Malder. *1. 2. q. 90. a. 3. dub. 2.* & Lorca *1. 2. tr. de legib. disp. 20.* qui hanc sententiam euidentem appellat.

115. *Hoc probabile, illud probabilius.* Non quidem euidentè sed probabilem horum reor opinionem; quia legislatores leges imponunt iure præfecturæ, ac dominij, quod in subditos obtinent: & obligatio legis oritur ex subiectione, qua subditi Prælatis subsunt, & obedientia, quam illis tenentur exhibere; obedientiæ autem vis non oritur ex subditi acceptatione: imo si liberum esset; subdito dissentire, ac leges respuere, non esset subditus; voluntate namque, & non necessitate pareret, & fieret quædam conuentio, ac pactum inter Prælatum ac subditos de lege obseruanda, nec vllum adesset obedientiæ vinculum. Attamen id intelligendum reor quando legislator independenter ab acceptatione populi intendit obligare. Princeps autem, nisi aliter expresserit, solum intendit obligare tacita conditione, si lex acceptetur.

PROBL. XIII.

Peccant, & non peccant subditi sine causa non recipientes legem à Principe legitimè promulgatam.

116. *Peccant non recipientes.* PEccant subditi non recipientes. Quia legislator obligat independenter ab acceptatione populi, nisi aliter exprimat, aut aliter morali certitudine de ipsius mente colligatur: ergo subditi sinè causa legem non recipientes proculdubio delinquunt. Suar. *de legib. l. 13. c. 19. n. 8.* Vasq. *1. 2. tom. 2. disp. 156. c. 5. n. 36.*

117. *Non peccant.* Non peccant. Quia Principes semper promulgant leges dependenter ab acceptatione subditorum, nec illos aliter intẽdunt obligare: vnde qui absque sufficienti causa legem non acceptat aliquam culpam non incurrit, nisi graue inde Reipublicæ proueniat incommodum. Sic Megala *2. 2. l. 2. cap. 6. quæst 3. num. 115.* Dian. *p. 1. tr. 10. resol. 2.* Valentia *to. 2. disp. 7. q. 5. punct. 2.* Filliuc. *to. 2. tr. 21. c. vlt. n. 429.*

118. *Idem puto.* Idem existimo. Quia acceptatio est conditio ad legis obligationem requisita, ergo si lex non acceptetur, non obligat & consequenter non delinquit qui illam non acceptat: nondum enim est purificata conditio, sub qua legislator intendit obligare, obligare autem intendit tacita illa conditione, si lex acceptetur, nisi aliter expresserit, aut si contrarium ex coniecturis non constiterit.

PROBL. XIV.

Subest dubium, an lex sit vsu recepta nec ne: præsumendum est, & non est præsumendum esse acceptatam.

119. *Præsumendum pro lege.* HIusmodi dubio vigente præsumendum est, legem esse vsu receptam. Quia iudicandum in fauorem legis, cum possessio, ac præsumptio pro illa stare videatur, quam constat latam esse, & de illius acceptatione dubitatur. Ita Salas *de legib. q. 96. tr. 14. disp. 13. sect. 5. n. 22.* quasi retractans contrariam sententiam, quam *1. 2. q. 21. tr. 8. disp. vnica, sect. 18. num. 169.* expresserat.

120. *Non præsumendum.* Præsumendum, legem non esse vsu receptam. Quia in odijs in fauorem subditorum est iudicandum. Sic Azor. *p. 1. l. 2. c. 19. q. 12.* Salas citat. *in 1. 2.* Dian. *p. 1. tr. 10. resol. 3.* probabilem esse hanc docet sententiam, licet illam probabiliorem innuat.

121. *Secunda hæreo mentis.* Antonius itaque dubio, ac ancipiti est animo, num lex excommunicationem, seu suspensionem, seu irregularitatem præseferens sit vsu recepta, nec ne? Potest Antonius tuta conscientia eam partem amplecti, quæ negat legem receptam esse Ex. gr. Extrauagantem Pauli II. contra alienantes bona Ecclesiastica dubitas esse receptam, quia aliqui putant quo ad pœnas non tenere: poteris quidem sine pœnæ reatu mitiorem tibi partem eligere.

PROBL. XV.

Vt lex non obliget quia vsu non recipitur, adhuc est necessarius, & non est necessarius tacitus Principis tolerantis consensus.

122. *Necessarius est tacitus Principis consensus.* LEx promulgatur custodienda, & à subditis non recipitur: certe vt non obliget non solùm est necessarium receptam

receptam vsu non esse, sed debet adiici tacitus Principis id tolerantis consensus. Quia aliter violaretur ius dominij, quod legislator habet in subditos. Ita Sylvest. *verbo lex,q.*6. Reginal.*to.*1.*l.*13.*c.*16.*n.*162. Rodr.apud Salas *de legib.d.*13.*sect.*2.*n.*12.

123. *Non est necessarius.* Sufficit, legem non esse vsu receptam, nec necessarius est,vt non obliget, tacitus Principis id tolerantis consensus.Quia leges humanæ feruntur cum illa tacita conditione:si populus recipiat.Sic Filliuc.*to.*2. *tr.* 21. *cap. vlt. n.*429.Salas citat.Azor.1.*p. l.*5.*cap.*4.*q.*2.

124. *Idem existimo.* Satis quidem est, legem non obseruari, etiam nesciente Principe, vt obligare non videatur.

PROBL. XVI.

Licet, & non licet subditis supplicationem super promulgata lege exponere, & interim eam non obseruare.

125. *Licet, supplicare.* LAta, ac promulgata lege licet subditis supplicare, ac interim eius suspendere obligationem. Quia præsumendum de rationabili legislatoris voluntate suspensioni huiusmodi annuere; iusta enim aliqua supplicationis causa incidente, consonum est, subditos aditum ad legislatorem pro lege reuocanda sortiri, & interim ad eius obseruationem non obligari. Sic Salas *de legib.disp.* 13.*sect.*4. *n.*20.Suar.*de legib.l.*4.*c.* 16.*n.* 6. Villalob. *tom.*1.*tr.*2.*dub.*16.*n.*6.

126. *Non licet.* Non licet subditis pro lata lege supplicare. Quia appellatio, seu supplicatio iure quidem concessa est contra sententiam, at contra legem numquam concessa reperitur. Ità Vasq. 1. 2.*tom.*2.*q.*94.*a.*3. *disp.*156.*c.*5.*n.*43.Ioan.de la Cruz *Direct. p.*1.*præcep.*7.*q.*6.*dubit.*3.*cõcl.*2.Addit Lorca.1.2.*tom.*2.*de legib. disp.* 20. dato quod supplicare liceat,interim dum supplicatur & legislator seu Pontifex seu Princeps non respondet legem obligare.

127. *Primam sententiam eligo.* Primam sententiam sequor; quia quamuis propriè non fiant à legibus appellationes, sed à sententiis: potest tamen allegari causa, & peti reformatio legum ab ipso latore, vel ab eius superiore gerenda. Quid si summus Pontifex, aut Princeps, audita communitatis supplicatione taceat? Consentire, ac legis obligationem tollere præsumitur, nisi ex coniecturis constaret Pontificem,aut Principem supplicationi non respondere, non quia nolit legis obligationem tollere, sed quia curat suauiter supplicationem reiicere.

PROBL. XVII.

Vt lex per non vsum authoritate careat, requiritur, & non requiritur certum tempus, quo aliqua præscriptio exponatur

128. *Requiritur certum tempus.* REquiritur spatium decem annorum. Quia minori temporis interstitio non sufficienter innotescet legem vsu non recipi Sic Azor.*p.*1.*l.*5.*c.*4.*q.*4.& alij apud ipsum.

129. *Non requiritur.* Non requiritur certum tempus, sed solummodo repugnantia per actus contrarios numero sufficienti arbitrio prudentum expressos. Quia nullum est ius quod decem annorum tempus præscribat nec ex natura rei est necessarium, vsu contrarium asserente.Ita Henricus de Syno. *a.*2.*n.*43. Felin. *in Cap.*1. *de tregua, & pace* Suar. *de legib.l.*4.*c.*16. *n.*12.

130. *His haresco.* Cum his sentiens puto,sciente Principe,& non puniente,sufficere duos,vel tres actus contra legem expressos; quia ad inducendam consuetudinem binus sufficit, actus. Mecum sentiunt Saa *verbo lex.n.*1 Reginald. *tom.*1.*l.*13.*c.*16. *n.*162. Rodrig. *qq.Regul. tom.*1.*q.*6. *a.*12. addens non esse necessarium actus huiusmodi in præsentia legislatoris, seu eo sciente fieri: sed sufficere,si scientibus Regiis Auditoribus, vel Episcopis fiant.

CAPVT XII.

Circa Regulares, Clericos Peregrinos, ac Viatores.

PROBL. XVIII.

Regulares tenentur, & non tenentur leges Synodales Episcoporum obseruare.

131. *Tenentur quo ad vim directiuam iure naturæ.* TEnentur quidem iure naturæ saltem quoad vim directiuam, quando synodales leges statui Religioso non derogant, & ad communem populi, ac Cleri obseruantiam spectant. Quia pars debet suo toto saltem in iis, in quibus est homogenea,conformari. Ita Becan. *Sum.Theol.*1.2. *tract.*3.*c.*6.*q.*11. *c.*13.Sanch. *tom.*1. *Mor.*4.*c.*15.*n.*21. Vasq. 1.2.*tom.*2.*disp.*167.*c.*4.*n.*32.Villalob.*tom.*1. *tract.*2.*dub.* 31.*n.*4.

132. *Non tenentur,ni ex decentia.* Religiosi non tenentur iure naturæ,sed solum ex decentia, & ratione vitandi scan

scandali ad hasce leges obseruandas, nec illas violando delinquunt. Quia sunt Pontificio Diplomate exempti. Sic Suar. *de legib. l.* 4. *c.*20. *num.*9.Salas *de legib.tr.*14. *sect.*4.*n.*43. Granad.1.2. *Contr.* 7. *tr.* 3.*p.*1. *disp.*6.*sect.*3.*n.*18.Ponti.*de Matr.l.*5.*cap.*7. *num.* 31.

133. *Idem puto.* Haud dubium mihi, Religiosos priuilegiatos exemptos esse ab omnibus synodalibus, ac Prouincialibus ordinationibus, nec Episcoporum legibus illigari nisi quoad festorum obseruationes, interdicta, cæteraque censuras obseruandas, pro quibus ferendis Præsules ius à Tridentino obtinuere : nec ieiunia ab Episcopis imposita obseruare teneri nisi ratione scandali, vel nisi è consuetudine illa ipsi acceptauerint. Scio tamen iure exprimi plures casus in quibus Regulares etiam exempti legibus, ac sententiis Episcoporum subeunt, quorum catalogum Malderus expressit.1.2.*q.*96. *a.*5.

PROBL. XIX.

Clerici non solum vi directiua, sed & vi coactiua subiiciuntur, & non subiiciuntur Principum sæcularium legibus, quæ spectant ad Reipublicæ gubernationem, nec cum Clericorum pugnant statu.

134. *Clerici obligantur.* NOn sola æquitate naturali, seu ratione conformitatis cum aliis hominibus, sed vi coactiua, aut ipsa legum efficacitate Clerici ciuilibus legibus obligantur. Quia licet quoad alia exempti sunt quo ad leges non videntur exempti. Non tamen huiusmodi coactio, punitio, ac executio legum debet per Principes sæculares, sed per Præsules Ecclesiasticos fieri à quibus debent ad legum ciuilium compelli obseruationem. Ita Lorca 1. 2. *to.*2.*tr.de legib. disp.*25.*memb.*4.singularis quidem & singulariter.

135. *Non obligantur.* Clerici legibus ciuilibus bonum commune respicientibus, nec Ecclesiæ immunitati repugnantibus non tenentur ex vi coactiua, sed directiua tantum. Ita Salas *de legib. disp.*14.*sect.*10.*n.*11. Laym.*tr.*4. *c.*13.*n.*6. Azor. *p.*1.*l.*5.*c.*12. *q.*3.*& p.*2.*l.*9. *c.*7.*q.*8. Dian.*p.*1.*tr.*10.*resol.*12. Bonac.*tr. de legib. disp.*1.*q.*1.*punct.*6.*n.*53.

136. *Cum his sentio, & addo vlterius.* Ego quidem adeo improbandam puto Lorcæ sententiam, vt existimem Clericos haud directè legibus sæcularibus subiici, sed ex ratione naturali dictante seruandas esse leges ciuiles propter illam cum personis sæcularibus eiusdem Reipublicæ conformitatem, quæ illis legibus subiiciuntur quemadmodum Principes suis legibus directè non obligantur, sed indirecte, quia ratio naturalis dictat Principes subiici iis oneribus quæ subditorum humeris adiiciunt. Infero Clericos secluso scandalo, non peccare mortaliter Principum secularium leges violando; quia legibus hisce directè non tenentur.

PROBL. XX.

Peregrinus tenetur, & non tenetur seruare festa, ac ieiunia proprij domicilij, quæ in loco, in quo reperitur, non seruantur.

137. *Tenetur peregrinus.* TEnetur quidem, præcipuè si ex industria quis id gereret, vt alio in loco laboraret, vt carnibus vescereturQuia fraudis piaculum perpetraret. Ita D. Antonin. *p.* 3.*tit.* 6.*cap.*2.§.2. Paludan.*in* 4. *dist.*15. *q.*15.*a.*3. Sylvest. *verbo Ieiunium*, *q.*2.*dist.*12. Rosel.*ibi.n.*16.

138. *Non tenetur.* Non tenetur seruare proprij oppidi festa, aut ieiunia colere, etiamsi ex industria quis gereret. Quia non dolus hic, sed fuga quædam obligationis præcepti exponitur, quæ tamen contra præceptum non est, per se quidem non bona, sed nec mala obiicitur. Ita Sanch. *tom.* 1. *sum. l.*1. *c.* 12.*num.* 35. Fagund. *de præcep. Eccl. tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *n.*7. Suar.*de Relig. tom.*1. *l.*2. *cap.* 13.*n.*8.

139. *His assentior.* Certe qui vtitur iure suo haud dicendus fraudem perpetrare. Addiderim,eum qui in die festo propriæ vrbis aut oppidi transit ad alium locum, vbi festum illud non colitur, laborandi causa, non teneri prius missam audire, si in ipso mane diei festi exiit; quia non tenebatur sacrum audire nisi vsque ad meridiem exactum; ergo si intra meridiem exeat sacro non audito, non delinquit. Didici ex Sanch. *de matr. to.*1.*lib.* 3. *disp.* 18. *num.* 21. cuius sententiam approbat Lessius *lib.*4.*c.*2.*dub.*8.*n.*56.

PROBL. XXI.

Peregrini tenentur, & non tenentur leges locorum ad quæ diuertunt, obseruare.

140. *Tenentur, si aliquot diebus persistant.* TEnentur,ad leges,ac cõsuetudines locorum in quibus sunt non transeunter, & permodum hospitij,seu in transitu, prandendo (v.gr.) & pernoctando sed per aliquot dies persistendo.Quia hisce diebus absolutè

absolutè oppidi illius habitatores debent vocitari. Ita Lessi. *l.* 4. *c.* 2. *dub.* 8. *n.* 51. Suar. *de Relig. tom.* 1. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 8. Filliuc. *to.* 1. *tr.* 27. *c.* 7. *n.* 116. Fagund. *de præcep. Eccl. tr.* 2. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 15. *&* 20.

141. *Non tenentur, nisi maiori anni parte sistere intendant.* Peregrini præciso scandalo, non obligantur legibus, ac consuetudinibus particularibus locorum ad quæ diuertunt, nisi habeant intentionem inibi maiore anni interstitio commorandi. Quia requiritur tanti temporis diuturnitas, vt quis possit huiusce oppidi ciuis nuncupari. Sic Granad. 1. 2. *contr.* 7. *tr.* 3. *punct.* 1. *disp.* 6. *sect.* 4. *n.* 23. Villalob *tom.* 1. *tr.* 2. *dub.* 33. *n.* 8. Reginal. *tom.* 1. *l.* 13. *c.* 17. *n.* 172. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 11. *q.* 3.

142. *Eiusdem sum sententiæ.* Igitur si peregrini in oppido aliquo transeunter existunt non tenentur leges, aut consuetudines loci obseruare: nec si per dies aliquot commorentur, nisi intentionem habeant inibi maiori anni portione commorandi. Colligo hinc, regulares suorum priuilegiorum vi posse ad satisfactionem præcepti Euchariſtiæ sumendæ Paschatis tempore hisce peregrinis Euchariſtiam ministrare quia cum ciues oppidi non sint, nec Parochiæ vllius reputantur alumni. Mecum Sanctius *de matr. to.* 1. *l.* 3. *disp.* 23. *n.* 17.

PROBL. XXII.

Vagi tenentur, & non tenentur seruare particulares leges, seu consuetudines locorum, in quibus reperiuntur.

143. *Tenentur obseruare speciales locorũ consuetudines.* TEnentur plane. Quia cum nullum peculiare domiciliũ habeant, illud quoad omnia acquirunt vbicumque reperiuntur: alioquin ab omnibus statutis, ac consuetudinibus dicerentur exempti, quod videtur absurdum. Ita Sanch. *de Matr. to.* 1. *l.* 3. *disp.* 18. *n.* 15. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 27. *c.* 7. *num.* 105. Salas *de legib. disp.* 14. *sect.* 4. *n.* 55. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 11. *q.* 13.

144. *Non tenentur.* Vagi, qui nullibi fixam sedem obtinent, non tenentur leges, aut particulares consuetudines locorum, in quibus reperiuntur, obseruare. Quia non sunt incolæ, & inhabitantes. Doctores autem generaliter loquuntur, nec distinguunt hoc loci inter peregrinos & vagos: sed volunt, omnes alienigenas, qui veniunt animo non manendi, hisce legibus non teneri. Sic Lessi. *l.* 4. *c.* 2. *dub.* 7. *n.* 49. Sayr. *in Cla. l.* 3. *c.* 4. *n.* 9. Ioan. Sanct. *disp.* 52. *num.* 34. Laym. *tract.* 4. *c.* 12. *n.* 6.

145. *Idem puto.* Idem sentio, minime iudicans absurdum, eum, qui nunquam sistit, nullis particularibus locorum statutis teneri. Possunt, ais, percipere Sacramenta vbicumque inueniuntur: ergo veluti ciues reputantur. Non obstat, quia illud est priuilegium, non obligatio; ad nullam enim in particulari parœciam adstringuntur, nisi pro maiori anni parte aliquo in loco consistere decernant.

CAPVT XVI.

Circa legis obligationem.

PROBL. XXIII.

Dubitas, num lex obliget ad mortale, an ad veniale: debes, & non debes iudicare, sub mortali obligare piaculo.

146. *Iudica, sub mortali te obligari.* DEBES quidem iudicare, te sub lethali obligari piaculo. Quia possidentis tunc legis iura seruanda. Ita Valent. *tom.* 2. *disp.* 7. *q.* 5. *pun.* 6. §. 3. Salas *de legib. disp.* 10. *sect.* 2. *n.* 12. Laym. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 6.

147. *Non sub mortali, sed sub veniali.* Debes iudicare, te non sub mortali, sed sub veniali tantùm peccato teneri. Quia in dubio melior est tunc suam possidentis libertatem conditio. Ita Nauar. *in Man. c.* 23. *n.* 50. Mol. *to.* 3. *d.* 674. *n.* 6. *&* 7. Arag. 2. 2. *q.* 62. *a.* 3. Dian. *p.* 1. *tr.* 10. *resol.* 25.

148. *Idem puto.* Existimo quidem in hoc casu non legem, sed libertatem possidere, ideoque eius conditionem meliorem reputandam. Vnde si dubitas de alicuius tributi (exem. gr.) iustitia an obliget sub mortali, an sub sub veniali? sub veniali soluere teneberis.

PROBL. XXIV.

Lex fundata in præsumptione in aliquo casu particulari deficit: tunc obligat, & non obligat in conscientia.

149. *Obligant semper.* LEges humanæ (v.gr. quæ irritant contractum) in præsumptione fundatæ validæ sunt & semper obligant in vtroque foro, interno scilicet, & externo, etiam si contingat, præsumptionem in aliquo casu falsam esse. Quia lex conditur propter commune bonum, vnde licet in casu particulari legis præsumptio cesset, vim obligandi retinebit. Ita Becan. *sum. Theol. p.* 2. *tr.* 3. *c.* 6. *q.* 9. *concl.* 4. *n.* 5. & alij.

150. *In casu illo speciali non obligant.* Cum lex fundatur in præsumptione, si in aliquo casu particulari legis præsum-

ptio ceſſet, tunc in conſcientia non obligabit. Quia legis præſumptio non ſolum obligat in omnibus generatim ſed ſpeciatim in ſingulis caſibus ergo ſicut deficiente ratione apud omnes, omnes deobligati manent, ita deficiente apud vnum. Quia legis præſumptio non ſolum obligat in caſibus omnibus generatim, ſed ſpeciatim in ſingulis; ergo ſicut deficiente in omnibus caſibus legis præſumptione, in omnibus his tollitur obligatio legis, ita deficiente in vno, in hoc vno legis aufertur obligatio. Sic Laym. *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 21. *n.* 4. Homob. *p.* 1. *tract.* 5. *c.* 8. *q.* 53. Fernand. *in exam. p.* 2. *cap.* 4. §. 3. *n.* 4. Dian. *p.* 1. *tr.* 10. *reſol.* 27.

151. *Cum his ſentio.* Idem puto colligens ad materiæ dilucidationem prohibitionem (v. gr.) Clementis VIII. in Bulla *de largit. numer.* ex præſumpta ambitionis cauſa proceſſiſſe, vnde ſi ceſſet ambitionis præſumptio in caſu ſpeciali ceſſabit etiam illa prohibitio in foro conſcientiæ. Bullam addiderim Sixti V. fundari in præſumptione pacti initi inter Dæmonem ac chiromãticos, &c. Vnde ſi aliquis certo ſciat vnum aut alterum nullum cum Dæmone pactum iniiſſe, illo in caſu ceſſante præſumptione, non tenebitur denunciare. Mecum Valent. *de differ. vtriuſque fori ver. Munera differ.* 1. *n.* 82. *& ver. Hæreſis differ.* 1. *num.* 4.

PROBL. XXV.

Finis adæquatus legis in aliquo particulari caſu ceſſat: tunc tollitur, & non tollitur legis obligatio.

152. *Non tollitur legis obligatio.* VT legis obligatio in aliquo caſu ceſſet, requiritur vt eius ratio, & adæquatus finis ceſſet in communi, ac vniuerſaliter; & non ſufficit vt ceſſet particulari in caſu. Quia (vt ſuperius innuimus) lex propter bonum commune conditur; ergo licet in caſu ſpeciali ceſſet adæquatus finis legis, adhuc vim obligandi retinebit. Ita Suar. *de legib. lib.* 6. *cap.* 7. Salas *de legib. tract.* 14. *diſput.* 10. *ſect.* 4. *num.* 19. Molin. *tom.* 1. *diſput.* 81. Reginal. *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 18. *quæſt.* 3. *num.* 180. Sanc. *tom.* 1. *ſum. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 37. Coninch. *de ſacra. diſputat.* 7. *dub.* 9. *n.* 86. Becan. *p.* 2. *tr.* 3. *c.* 6. *concl.* 4. *n.* 5. & alij quam plures.

153. *Tollitur obligatio legis.* Vt legis obligatio in aliquo ſpeciali caſu ceſſet, ſufficit, vt finis adæquatus eius ipſo in ſpeciali ceſſet caſu. Quia ſicut cum ratio adæquata legis ceſſat in generali ſeu comparatiue reſpectu omnium perſonarum ac temporum, ceſſat generaliter legis obligatio: ita cum ratio adæquata legis ceſſat in aliquo ſpeciali caſu, ſeu comparatione alicuius perſonæ, ac temporis, in eo caſu ſpeciali ceſſabit obligatio legis. Ita Gran. 1. 2. *contr.* 7. *tract.* 3. *p.* 1. *diſp.* 15. *ſect.* 2. Comitol. *reſpon. Mor. l.* 7. *q.* 1. *n.* 10. Saa *ver. lex. n.* 1. Henriq. *l.* 11. *c.* 17. *num.* 2. Gloſ. *lit. R.*

154. *Secunda ſententia mihi probabilior.* Certè mihi ſecunda ſententia probabilior, cuius rationem confirmarim. Nam ita ſe habet lex in vniuerſali ad rationem acceptam in generali, ſicut lex in particulari ad rationem acceptam in caſu ſpeciali; ſed quando ratio legis ceſſat comparatione omnium, ceſſat reſpectu omniũ obligatio legis; ergo quando ceſſat comparatione vnius, ceſſabit obligatio legis illius comparatione. Leges, fateor, propter bonum commune conduntur, ſed adhuc ipſæ etiam ſingulos in particulari ſubditos obligant, & in ſingulis vim habet ratio illa propter quam conditæ ſunt, igitur quando in aliquo particulari ceſſat, ceſſabit etiam legis obligatio.

CAPVT XVII.

Circa legem pœnalem.

PROBL. XXVI.

Lex pœnalis in materia graui obligat, & non obligat in conſcientia.

155. *Obligat.* OBligat planè. Quia pœna ſupponit culpam. Porrò ſi hæc ſententia vera non eſſet fere tota humanarum legum vis deperiret, quarum magna pars ſub tali forma fertur. Sic Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæſt.* 4. Suar. *de legib. l.* 3. *c.* 26. Salas *de legib. diſp.* 10. *ſect.* 5. *& diſp.* 15. *ſect.* 1. *n.* 13 Leſſi. *l.* 2 *c.* 33. *dub.* 8. *n.* 59.

156. *Non obligat.* Non quidem obligat. Quia in dubio benignior gerenda eſt interpretatio, & lex debet de minori pœna explicare cap. *In pœnis*, 49. *de regul. iuris in* 6. legiſlator, qui ad pœnam temporalem, & æternam poteſt obligare, ſi ſolius meminit temporalis, non videtur intendiſſe obligare ad æternam. Ex leg. *Cum prætor ff. de iud. cap. Nonne de præſump.* qui ex duobus propoſitis alterum tantum affirmat, alterum videtur abnegare Ita Reginal. *tom.* 2. *libro* 15. *capit.* 6. *ſect.* 5. *num.* 50.

Villalob.

Villalob. *tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 22. *num.* 2. Nauar. *cap.* 23. *n.* 55. & Valent. *to.* 2. *disput.* 7. *q.* 5. *punct.* 6. Filliuc. *tom.* 2. *tr.* 21. *c.* 11. *n.* 420. probabilem hanc sententiam vocitarunt.

157. *Subscribo.* Subscribens non possum non mirari Sotum *de Iust. lib.* 1. *q.* 6. *a.* 5. hanc opinionem vulgi errorem appellasse putantis, cuilibet licere suæ pœnæ reatu transgredi legem. An vulgaris est error, doctissimorum sententia doctorum, quam vel contrariam sectantes probabilem profitentur?

PROBL. XXVIII.

Lex prohibet aliquid sub pœna mortis, mutilationis, perpetui carceris, damnationis ad triremes, confiscationis omnium, aut multorum bonorum: obligat, & non obligat sub mortali.

158. *Obligat sub mortali.* OBligat quidem. Quia lethale est, se obiicere quem probabili vitæ periculo; sed violator legis imponentis capitale supplicium se eiusmodi periculo exponit; ergò lex pœnam capitalem aut grauem indicens obligat sub mortali. Ita Sanch. *sum. tom.* 2. *l.* 6. *c.* 4. *n.* 64. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 6. *q.* 5. Salas *de legib. disp.* 10. *sect.* 9. *n.* 67. Suar. *de legib. l.* 3. *c.* 26. *n.* 4. Vasq. 1. 2. *tom.* 2. *q.* 96. *a.* 4. *disp.* 159. *c.* 3. *n.* 23.

159, *Non obligat.* Non obligat. Quia licet sit lethale, te exponere mortis, aut grauissimi incommodi periculo; violatur enim quintum præceptum Decalogi; sed transgredi legem quæ capitalem pœnam indicit haud est tali obnoxium periculo, quia potest quis tanta vti cautela, ad violandam legem, vt in probabile vitæ aut grauis admodum damni non incurrat periculum. Ita Reginal. *tom.* 1. *l.* 15. *cap.* 6. *sectio.* 5. *num.* 50. Nauar. *man. c.* 23. *n.* 55. & 56. Philiarc. *de offic. sacerd. to.* 1. *p.* 2. *l.* 3. *cap.* 2. *dist.* 4. & alij.

160. *Idem puto.* Hanc approbans mentem reor, ex pœna capitis, mutilationis, perpetui carceris, damnationis ad triremes confiscationisque bonorum, quam lex humana imponit, haud sufficiens duci argumentum ad ostendendum in dubio obligationem illius esse ad peccatum lethale, nisi aliunde ex aliquo certo signo constet, legislatorem voluisse huiusmodi legem pœnalem subditos obligare non modo ad illam pœnam subeundam sed etiam ad lethalis piaculi reatum.

PROBL. XXIX.

Fraudantes vectigalia iusta, (quæ sunt veluti leges humanæ pure pœnales,) peccant, & non peccant lethaliter: tenentur, & non tenentur ad restitutionem.

161. *Non peccant, nec restituere tenentur.* NOn peccant mortaliter, nec ad restitutionem tenentur. Quia probabili ex opinione leges humanæ purè pœnales in conscientia non obligant; sed tributa & vectigalia sunt velut leges humanæ pœnam imponentes; ergo non obligant in conscientia. Quod si obiicias vectigalium defraudationem in præiudicium mentium huiusmodi vectigalia, respondeam, sub tali illa emere conditione, ac onere; nec enim meo incommodo possunt illi suis commodis studere. Ita Nauar. *Man. c.* 17. *n.* 200. & *c.* 23. *n.* 54. Angel. *ver. Pedagium, n.* 6. Beia *in Respons. p.* 1. *cas.* 13. Duard. *in Comment. Bullæ Cœnæ, l.* 2. *can.* 15. *q.* 12. *n.* 9.

162. *Peccant eum restituendi onere.* Vectigalia ita debentur in conscientia, si iusta sint vt lethaliter peccet quisquis ea in materia graui defraudat: Quia sicut Princeps curam, ac vigilantiam Reipublicæ debet, ita, Respublica Principi debet congruum dignitati subsidium; ergo qui vectigalia defraudat, Principi iustum aufert stipendium; peccat igitur grauiter aut leuiter ex materiæ leuitate aut grauitate, & tenetur ad restitutionem. Sic Suar. *de legib. l.* 5. *c.* 18. *num.* 6. Salas *de legib. disp.* 15. *sect.* 16. *n.* 116. Sanch. *l.* 6. *Mor. cap.* 4. *num.* 62. Vasq. 1. 2. *tom.* 2. *q.* 96. *a.* 4. *disp.* 159. *c.* 3. *num.* 23. Lessi. & Bonac. citandi.

163. *Eiusdem sum mentis.* Subscribo, sed monuerim Lessium *l.* 2. *cap.* 33. *dub.* 8. *num.* 55. & Bonacinam *de contract. disp.* 2. *q.* 9. *punct.* 1. *num.* 3. mecum sentientes contrariam sententiam probabilem putare, suam autem (quam sequor) probabiliorem vocitant. Vnde defraudantes vectigalia dubia non sunt à confessariis ad restitutionem vrgendi casu quo nolint restituere; quia opinioni, probabili hærentes licitè possunt à confessario absolui. A nobis Saà *ver. Gabella num.* 6.

***

PROBL.

PROBL. XXX.

Lex non purè pœnalis, sed mixta obligat, & non obligat sub peccati lethalis reatu.

164. *Lex mixta obligat sub lethali.* CVm lex nihil prohibet, aut interdicit, sed solùm pœnam aliquid gerentibus irrogat: v.gr. Qui arma portauerit exilij pœnam subeat: est lex purè pœnalis, de qua superiori Problemate. At cum lex aliquid fieri iubet, vel prohibet, & deinde pœnam transgressoribus imponit, v.gr. Iubemus, ait, vel prohibemus ne quis arma portet, qui autem portauerit, talem subeat pœnam: est lex pœnalis mixta. Igitur lex pœnalis mixta obligat sub peccati lethalis reatu. Quia si lex purè pœnalis obligat eo quod pœna culpam supponat, vt vidimus, quomodo lex pœnalis mixta non efficacius obligabit? Sic Becan. *sum. Theol. p. 2. tr. 3. c. 7. q. 2. num.* 4. Granad. 1. 2. *contr. 7. tr. 3. p. 1. disp. 4. sect. 2. n. 7.* Sanch. *l. 6. Mor. cap. 4. num.* 60. Villalob. *tom. 2. tract. 2. dub. 22.*

165. *Lex mixta non obligat sub lethali.* Omnis lex pure pœnalis, aut mixta in conscientia non obligat, Quia dum præcipiens non exprimit, velle præceptum sub piaculi eadere reatu; odia enim sũt restringenda. Ita Nauar. Gomæ. Sceuola, Decius, & alij apud Villalobos citatum. Azorius autem *p. 1. l. 5. c. 6. q. 5.* non improbandam hanc putat sententiam. Filliucius *tom. 2. tr. 21. cap. 1. n.* 418. probabilem appellat. Valentia autem *to. 2. disp. 7. q. 5. punct. 6. §. 3.* amplectitur.

166. *Idem putarim.* Quem secutus, cum ipso monuerim, cum legislatores Ecclesiastici possint, & soleant spiritualem comminari pœnam, quando in conscientia obligare volunt, si tantum pœnam temporalem statuant, iudicium ferendum esse, ad eam tantum obligare voluisse; quia odia restringenda.

PROBL. XXXI.

Lex pœnalis Ecclesiastica excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis obligant, & non obligant sub mortali semper.

167. *Semper obligant.* SEmper obligant sub mortali. Quia ipsa harum pœnarum grauitas indicium est obligationis sub mortali. Ita Medina apud Valent. *tom. 2. disp. 7. q. 5. pun. 9. §. 13.* Dian. autem *p. 1. tr. 10. resol. 21.* asserit, ad hanc quæstionem affirmatiuè respondere communiter Doctores.

168. *Non semper obligant.* Non semper obligant sub mortali Quia suspensio, interdictum, & irregularitas possunt etiam propter veniale incurri piaculum imo irregularitas interdum absque vllo peccato incurritur. Sic Valent. citat. Salon. 2. 2. *tom. 2. q. 77. a. 1. contr. 8. num. 8.* Et quoad pœnam suspensionis idem docet Azor. *p. 1. l. 5. c. 6. q. 5.* quoad pœnam autem irregularitatis idem expressit Sayr. in Claui *l. 3. c. 7 n. 25.*

169. *His hæreo.* Idem affirmo, monens falli Dianam, asserentem communiter à Doctoribus contratium edoceri, igitur signum mihi, leges Ecclesiasticas sub mortali obligare quando subiungitur excommunicationis pœna latæ sententiæ, non autẽ si ex communicatio sit comminatoria, vt Nauarrus Castrus, Caiet. citati à Valentia expressere. At non est eadem ratio, si subiungatur suspensionis, vel interdicti, vel irregularitatis pœna; quia (vt diximus) possunt hæ pœnæ propter veniale peccatum incurri.

PROBL. XXXII.

Lex pœnalis ipso facto pœnam infert obligans in conscientia: certe tunc delinquens tenetur, & non tenetur antè iudicis sententiam eiusmodi pœnam persoluere.

170. *Reus tenetur soluere.* DVplex pœna, vna quæ aliquam actiuam hominis executionem requirit; altera quæ non requirit talem executionem, sed in sola passione, seu priuatione consistit, v.gr. pœna inhabilitatis, priuationis vocis actiuæ, &c. Igitur reus tenetur ante sententiam declaratoriam Iudicis soluere non solùm pœnam, quæ in passione, aut priuatione consistit (de qua nulla quæstio,) sed & pœnam, quæ non potest executioni mandari hominis operatione. Quia ipso facto incurrenda cum fertur, obligationem iam exigit executionis. Sic multi viri docti, quos presso nomine Diana *p. 1. tr. 10. resol. 23.* memorat. Idem colligo ex Molina *tom. 2. tr. 2. disp. 317. num. 3.* Reginal. *tom. 2. l. 25. c. 12. n. 228.* Rebel. *p. 2. l. 8. q. 9. n. 6.*

171. *Non tenetur.* Reus non tenetur ante Iudicis declaratoriam sententiam soluere pœnam, quæ non potest mandari executioni absque hominis operatione, nisi clarè appareat talem esse legislatoris intentionem. Quia non semel Iudices comminatorias leges ferunt ad subditorum solummodo incutiendum terrorem; vnde oportet eorum expectari sententia, vt intentio valeat reserari.

ferari. Ita Laym. *tract.4.c.15.num.3.* apud quem multi. Malde.*1.2.q.96.art.4.memb.* Dian.*p.1.tr.10.resol.23.*

172. *Sentio cum his, & consequenter addo.* Cum his sentio, & consequenter asseruo, eum qui est causa ne quis condemnetur ad pœnam iustam à lege impositam haud teneri restituere illi, cui esset applicanda? v.gr. si fiscus non accuset, vel si Iudex non condemnet ad pœnam lege præscriptam: si custodes Syluarum ciuitatis non manifestent crimina, propter quæ esset imponenda pœna pecuniaria: si testis vel reus iuridicè interrogatus crimen abneget, ex cuius manifestatione ad pecuniariam mulctam condemnaretur. Quia pœna non debetur ante Iudicis condemnationem. Didici ex Salas *de legib. disp. 13. sect. 8 num. 105.* Lessio.*l. 2. cap. 13. dub. 10. n. 72.* Saa *ver. Restitutio numer. 46.* Monuerim tamen, ab hac doctrina excipiendas pœnas, quæ in testamentis apponuntur; v. gr. fœmina, cui legatum adscribitur, si castè viuat, non potest legato frui si turpiter vitam gerat; quia pœnas huiusmodi potius grauamina, quam pœnas vocitarim.

PROBL. XXXIII.

Priuatur quis per pœnalem legem ipso facto voce actiua, in conscientia tenetur, & non tenetur, hanc pœnam ante Iudicis sententiam subire.

173. *Non tenetur subire pœnam.* DE voce passiua non procedit quæstio, certum est enim eligi non posse eum de quo constat per legem pœnalem ipso facto priuatum fuisse voce passiua, nec opus est Iudicis expectare sententiam. Attamen qui per legem pœnalem ipso facto voce actiua priuatur, non tenetur in foro conscientiæ hanc pœnam ante Iudicis subire sententiam. Quia aliàs omnes electiones redderentur incertæ. Ita Granad. *1.2. controu.7. tract.3. p.1. disput.13. sect.2.num.15.* Molin.*tom.1.tract.2.disp.96. n.8.* Soto *l.1.de Iust. q.6.a.6. & l.4.q.6.a.3.* Malder. *p.2. q.96. art. 4. memb. 4.* lege Laym. *tom.4. c.15.num.5.*

174. *Tenetur subire pœnam.* Cum quis ipso iure priuatus est iure eligendi, aut iure suffragium ferendi, v. gr. scolasticus ob ambitum in cathedris, nec potest eligere, nec suffragium ferre nec opus est Iudicis expectari sententiam. Quia hic eadem ac in censuris ratio. Ità Suar.*de legib.l.5.c. 9. n. 5.* Salas. *de legib. disp.15.sect.2.n.29.* Beccan.*p.2.tr.3.c.7.q.3. concl. 1. num.5.* Villalob. *tom. 1. tract. 2. dub. 25.*

175. *Primam sequor sententiam.* Nisi sententia sequatur, huiusmodi scholasticus potest eligere suffragiumque ferre, idque ex Vniuersitatum consuetudine vt affirmat Sotus. Vnde miror Villalobos asseruisse, solum inuenisse Sotum, qui nostræ hæresceret opinioni, si vel affectans non quærere difficile potuit in Granado, Molinæ, Malderi, aliorumque Doctorum sententiam incidere. Mitto enim Ledesmam *2.2.q.19.a.2.* Sosam *in exp. Bullæ Clem. VIII. de largit. muner. §.9.* Castellanum *de elect. canoni. Præl. 1. §.8.20.* & alios penes ipsum. Monuerim tamen etiam stando secundæ opinioni, eum, qui in vocis actiuæ, & passiuæ incidit priuationem, non teneri se voce actiua, aut passiua eximere quoties nequit id sine infamia gerere, etiam si lex ferat delinquentem huiusmodi pœnam incurrere haud vlla expectata sententia. Quia ius ad propriam famam tuendam iuri humano præponderat. Ita Bona. *de legib. disp. 1. q. 1. pun. 7. n. 10.* Tenetur tamen tali in casu delinquens diligenter inquirere dispensationem.

PROBL. XXXIV.

Lex pœnalis ex rationis similitudine, seu identitate extendenda, & non extendenda, est ad alios casus.

176. *Extendenda est.* EXtendenda est pœna illa ad similes casus alios si in ea sit ratio expressa præcipue cum lex illa sit lata in animi fauorem ad vitanda piacula. Quia si eadem ad vitanda crimina alio in casu ratio militat, legislator aduertens sub pœna eadem aliam illam prohiberet actionem. Sic Sanch. *de Matr. l.3. disp.42.n.4.* Saa *verb. lex. n.9.*

177. *Non est extendenda.* Minime est ad alios casus extendenda. Quia si hæc doctrina vigeret, nullus ferè esset casus qui inflicta pœna cautus non esset, nulla enim praua actio potest excogitari, ad quam vitandam ratio salutis animæ non vigeat. Sic Salas *de legib. tr.14. disp.21.sect.13.num.29.* Portel. *in addit. ad dubia Regul. ver. lex num. 13.* Valerus *in differ. vtriusque fori ver. lex differ. 5.num.2.* Bonacin. *de legib. disput. 1. quæst. 1. punct. 8. num. 23.*

178. *Hos sequor.* His assentiens existimo pœnam vnius legis, & casus vnius non esse ad alium casum extendendam, etiam si in hoc secundo casu eadem, imo maior ratio exponatur, ingentiorque actus malitia in animi maius detrimentum.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Circa legis Dispensationem.

PROBL. XXXV.

Dubitat Præsul, num causa dispensationis sit iusta : licite tunc potest, & non potest dispensare.

179. *Non potest dispensare.* DIspensare licite non potest. Quia potest fieri, vt reipsa non sit sufficiens causa, & qui se periculo exponit sine iusta causa dispensandi, proculdubio delinquit. Ita Bonacin. *de legib. disp. 1. quæst. 2. pun. 3. num. 7.*

180. *Potest dispensare.* Dispensare licitè potest. Quia in dubiis benignior est pars diligenda. Sic Sylvest. *ver. Disputatio. q. 14. n. 10.* Sanch. *l. 4. Mor. c. 45. n. 10.*

181. *Idem existimo.* Idem existimo; credendum enim esse reor, hoc in dubio facultatem superioribus dispensandi adesse : id planè requirit suauis Ecclesiæ gubernatio; esset namque multis scrupulorum offendiculis obnoxia potestas, si ad solas causas certas extenderetur, & vix Præsules auderent dispensare.

PROBL. XXXVI.

Dispensatio Præsulis in propria lege sine causa facta, valida, & non valida est.

182. *Non est valida.* NOn est valida, Quia licet pro libito ad animi salutem subditorum lex fuit lata à Præsule, non potest pro libito ille dispensare sine causa, dum iusta causa, ob quam fuerit lata, viget, ac si ab alio fuisset lex Præsule condita. Ita Vasq. 1. 2. *tom. 2. disp. 178. c. 4.* & alij apud ipsum.

183. *Valida est.* Certè valida est sine causa in propria lege Præsulis dispensatio. Quia cum illa lex propria sit, semper à legislatoris voluntate pendet, quam potest pro libito mutare. Sic Suar. *de legib. disp. 20. sect. 4. n. 37.* Suar. *de legib. l. 6. c. 19. n. 6.* Ponti. *de Matr. l. 8. c. 14. num. 7.* Villalob. *tom. 1. tr. 2. dub. 41. num. 5.*

184. *His hæreo.* Hanc opinionem eligo, quia communiter à Doctoribus edoceri, & rationi consonantiorem, esse puto. Monuerim autem valide posse quem dispensare sed non licitè, ideo proximum consule Problema, vt innotescat tibi Præsuli, num sine piaculo valeas sine causa propriis in legibus dispensare.

PROBL. XXXVII.

Præsul sine causa propria in lege dispensans peccat, & non peccat mortaliter.

185. *Peccat mortaliter.* MOrtaliter delinquit legislator, qui in lege à se lata conferente admodum ad subditorum vtilitatem sine causa dispensat. Quia subditos à salutari onere eximit, quod iam ad Dei gloriam erat eorum humeris addictum. Ita Suar. *de legib. l. 6. c. 18. n. 9.* Valent. *to. 2. disp. 7. q. 5. punct. 9.* Sanch. *de Matr. l. 8. disp. 18. n. 12. & 13.*

186. *Non peccat mortaliter.* Superior dispensans propria in lege sine iusta causa non peccat mortaliter, sed tantum venialiter. Quia vtitur iure suo, licet propter mutati consilij sine causa vlla leuitatem leuis piaculi reus videatur. Sic Laym. *l. 1. tr. 4. c. 22. n. 13.* & alij penes ipsum, Malder. 1. 2. *q. 97. a. 4. dub. 2.* Tanner. 1. 2. *disp. 5. q. 7. dub. 2. n. 29.*

187. *Subscribo.* Subscribo monens, id intelligendum dummodò ex huiusmodi sine causa dispensatione non oriatur scandalum, aut graue proximi spirituale aut temporale incommodum. Addiderim petentem sine causa latæ legis acceptæ iam dispensationem solùm ex immortificatione venialiter delinquere, postea tamen in vsu dispensationis nullum perpetrare piaculum, vt asseruit Azorius *parte 1. libro 5. cap. 15. quæst. 3.*

PROBL. XXXVIII.

Præsul inferior in lege superioris dispensat causa prius non præcognita, sed quæ reuera iusta est, & legitima: tunc est, & non est valida dispensatio.

188. *Non est valida in foro conscientiæ.* NEutro in foro est valida cui dispensandi facultas commissa censetur, præmissa causæ cognitione. Ita Azor. *p. 1. l. 5. c. 15. q. 9. & 10.* & alij.

189. *Valida est in conscientiæ foro.* Dispensatio huiusmodi in foro conscientiæ valida est, donec exteriori reuocetur in foro. Quia nullo iure talis dispensatio irrita exponitur. Sic Sanch. *de Matr. to. 3. l. 8. disp. 17. n. 11.* Salas *de legib. disp. 20. sect. 9. n. 79.* Villalob. *tom. 1. tract. 2. dub. 41. n. 4.*

190. *Idem puto.* Idem puto; licet enim iuris solemnitas non obseruatur, saltem finis custoditur. Quod si subditus tali vtatur dispensa-

tione

190. *Idem puto.* Idem puto; licet enim iuris solemnitas non obseruatur, saltem finis custoditur. Quod si subditus tali vtatur dispensatione, nec venialiter assero delicturum. Salas *ibid. n.* 81.

PROBL. XXXIX.

Præsul inferior bona fide dispensat in causa non iusta: tunc est, & non est valida dispensatio.

191. *Non est valida.* NOn est valida dispensatio, nec subditus potest ea licitè vti. Quia bona fides non solet acta, alioqui nulla rata reddere. Ita Salas *de legib. disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 35. & penes ipsum alij.

192. *Valida est.* Cum bona fide Prælatus inferior iudicat causam esse iustam dispensatio est valida, licet vere causa sufficiens non fuerit. Quia non est credendum, aliam esse Dei circa suas leges, & Pontificis circa suas in quibus inferior dispensare permittitur intentionem. Sic Sanch. *de matr. to.* 3. *l.* 8. *disp.* 17. *n.* 8. Azor. *p.* 1. *lib.* 7. *cap.* 29. *q.* 9.

193. *Hosce sequor.* Hanc mentem amplector. Vnde si præsul inferior bona fide aliquem lege ieiunij (v. gr.) liberet, putans, causam adesse iustam, erit valida relaxatio, licet postea constet causam non fuisse sufficientem.

PROBL. XL.

In dispensatione in nomine diœcesis erratur, Antonius enim asseritur Vallisoletanæ Diœcesis, qui vere est Burgensis: tunc est, & non est valida dispensatio.

194. *Non est valida.* NOn est valida. Quia si Pontifex dispensationem committit Vicario generali Vallisoletano, quonammodo hic poterit Burgensi subdito expedire. Ita Sanch. *de matr. to.* 3. *disp.* 21. *n.* 39. Moneta *de commut. vlt. volunt. c.* 12. *concl.* 9. *n.* 206. Villal. *to.* 1. *tr.* 2. *dub.* 43. *n.* 11.

195. *Valida est.* Valida est non solum quando erratur in nomine personæ, sed & quando in nomine Diœcesis erratur. Quia constat de intentione Præsulis summi esse vt ipse petentis ordinarius cum illo dispenset: & si ordinarius potest dispensare quando erratur in nomine petentis. (vt omnes profitentur) sic etiam poterit, quando in nomine Diœcesis erratur. Ita Salas *de legib. disputat.* 20. *sectio* 16. *num.* 123. Sanctarel. *p.* 1. *variar. q.* 63. Ponti. *de matr. l.* 8. *cap.* 15. §. *vlt. n.* 43.

Idem assero, nunquam enim rescriptum vitiari puto, vt à commissario executioni mandari non possit quando error accidentalis irrepit. 196. *Idem sentio.*

PROBL. XLI.

Accidit causa pauperis, de qua potest Episcopus per literas Pontificem facere certiorem, cum periculum in mora non adsit: tunc Episcopus potest, & non potest dispensare Pontifice non monito.

197. *Non potest dispensare.* NOn potest. Quia huiusmodi in casu non apparet dispensandi necessitas cum non sit in mora periculum & ad Pontificem possit per Episcopi litteras recurri, qui valet, & debet pauperis necessitati subuenire. Sic Vasq. 1. 2. *to.* 2. *disp.* 178. *c.* 2. *n.* 16. Bonac. *de legib. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *n.* 19.

198. *Potest dispensare.* Potest planè. Quia non tenetur adimpetrandas hasce dispensationes suos reditus absumere: hancque esse Pontificis mentem docetur è praxi. Sic Sanch. *l.* 4. *Mor. c.* 40. *n.* 39. Salas *de legib. disp.* 20. *sect.* 3. *n.* 27.

199. *Idem assero.* Profecto nimis Episcopis onerosam reor primæ sententiæ obligationem. Vnde existimo posse Episcopos ob pauperis subditi inopiam dispensare, etiam cum ipsi eam possunt inopiam supplere. Quis credat Papæ paternitatem non annuere egestati filij faciliori remedio, vt Episcopi redditus strictioribus subditorum necessitatibus impendantur.

PROBL. XLII.

Sacerdos occiditur, nec exponitur ad irregularitatis dispensationem obtinendam sacerdotij circunstantia: tunc est, & non est valida dispensatio.

200. *Tutus non manet.* QVi voluntariè Presbyterum occidit, & dispensationem petens solum dicit se hominem occidisse, tutus non manet, nec est valida dispensatio. Quia sacrilegium difficiliorem redderet veniam Pontificis. Sic Suar. *de legib. l.* 6. *c.* 24. *n.* 12. Auila *de censur. p.* 7. *disp.* 10. *dub.* 18. Rodrig. *in sum. tom.* 1. *cap.* 179. *numero* 10. *concl.* 5.

201. *Tutus manet.* Qui occidit Presbyterum & petens dispensationem solum aperuit se interemisse hominem, tutus est, dispensatione valida. Quia talis circunstantia nec iure, nec Curiæ stylo, nec consuetudine appa-

ret exprimenda. Ita Salas *de legib. disp.* 20. *sect.* 15. *n.* 122. Ponti. *de matr. l.* 8. *c.* 15. §. 4. *n.* 24. Laym. *tr.* 4. *c.* 32. *n.* 21. Sanch. *de matr. to.* 3. *l.* 8. *disp.* 21. *n.* 22.

102. *Idem affirmo.* Id quidem asseruerim etiamsi Pontifex non esset dispensationem concessurus circunstantiæ sacerdotij conscius. Communis enim curiæ stylus particularis dictaminis prætextum non respicit. Lege Salas citatum. *n.* 148.

PROBL. XLIII.

Petrus & Maria sunt simul consanguinei, & affines: possunt, & non possunt dispensationem impedimenti affinitatis petere, suppresso impedimento consanguinitatis, pro quo postmodum petant dispensationem.

203. *Non possunt.* NOn possunt. Quia deciperetur Pontifex putans petentem vnico impedimento laborare. Sic Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 19. Sanch. *de matr. tom.* 3. *l.* 8. *disp.* 23. *n.* 3. Suar. *de legib. l.* 6. *c.* 24. *n.* 6.

204. *Possunt planè.* Si qui sunt simul consanguinei & affines poterunt prius rescripto vno consanguinitatem proponere, tacita affinitate: & altero, pressa silentio consanguinitate, affinitatem exprimere. Quia quo ad substantiam Pontifex non decipitur. Ideo passim contingit in curia dispensationem in quodam matrimonij impedimento impetrari, non facta de alio mentione: ac postea circa aliud dispensatio impetratur, & vtraque reputatur valida, teste Nauar. *l.* 4. *consil. tit. de consang. cons.* 4. *n.* 2. An non valet impetratio absolutionis ab vna excommunicatione, non facta mentione de aliis, quibus idem met illigatur? Ergo similiter, &c. Ita Henriq. *l.* 12. *c.* 3. *n.* 6. *in Glos. lit. N.* Salas *de legib. disp.* 20. *sect.* 15. *n.* 122. Saa *ver. dispens. n.* 16. & alij plures, quos refert Sanch. citatus.

205. *His assentior.* Ego quidem vt his hæream ex curiæ vsu conuincor, & hac valde allicior præterea ratione: Aliàs enim cogeretur quis iacturam propriæ famæ ac fœminæ facere, proprium incestum suum cum sorore consanguinæ suæ, quam vult ducere explicando, aut nequiret dispensationem validam impetrare.

***

PROBL. XLIV.

Obtinuit Petrus dispensationem ad contrahendum cum Maria affine, seu consanguinea, sed ea non est vsus, postmodum autem curat aliam dispensationem cum alia consanguinea, seu affine petere: tenetur & non tenetur petens hanc secundam memoriam prioris dispensationis facere.

206. *Est subreptitia posterior dispensatio.* POsterior dispensatio est subreptitia; necessarium enim est priorem dispensationem exprimere, vt vel Pontifex Petri renunciationem acceptet, vel illam irritet, vel vtramque simul validam esse concedat: alioqui sine scientia, ac consensu Pontificis non poterunt hæ duæ dispensationes validæ simul permanere. Quia est indulgentia quædam nimis extraordinaria, ac parum consentanea rationi, & vero similius est, non fuisse Pontificem concessurum, si proponeretur. Ita Suar. *de legib. l.* 6. *c.* 23. *n.* 20.

207. *Non est subreptitia posterior dispensatio.* Mentio prioris dispensationis non est necessaria. Quia vtraque dispensatio est super diuersis matrimoniis, & neutra habet cum altera connexionem. Sic Sanch. *de matr. to.* 3. *l.* 8. *disp.* 22. *num.* 13. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 32. *n.* 20. Gutier. *tr. de matri. c.* 123. *n.* 20.

208. *Idem puto.* Idem existimo credens id geri iuxta Pontificis intentionem, de qua prima dispensatione si ei fuisset facta mētio procul dubio, me authore à secundæ gratiæ concessione eum non remoueret; siquidem hæc subreptitia in causa finali, nec impulsiua non fuit. Nequit (fateor) vtraque dispensatio subsistere; at per impetrationem posterioris impetrans renunciauit priori in manu Pontificis, à quo posteriorem accepit, & ita priori amplius vti nequibit.

PROBL. XLV.

Cessante dispensationis causa, cessat, & non cessat dispensatio.

209. *Cessat dispensatio.* CEssat sanè. Quia facilius tollitur priuilegium, quale est dispensatio, quam ius commune; at ius commune cessat, eius causa finali cessante; ergo à fortiori ius speciale. Ita Sanch. *de Matr. tom.* 3. *lib.* 8. *disp.* 30. *n.* 14. & alij penes ipsum.

210. Antonius dispensationem ob causam suffi

Non ceſſat diſpenſatio.

ſufficientem obtinuit, decurſu autem temporis omnino illa cauſa ceſſauit; non peccat, illa vtens diſpenſatione. Quia per eam vere illa lex fuit relaxata, eiuſque obligatio extincta; ergo non poteſt reuiuiſcere eo quod cauſa ceſſarit. Ita Salas *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 5. *n.* 64. Saa *ver. Gratia num.*6.Granad. 1.2.*contr.*7.*tr.*3.*p.*2. *diſp.*17.*ſect.*4.*n.*36.

211. *Hoc probabilius.*

Probabiliorem hanc puto ſententiam inferens cum Suario *de legib. l.*6. *cap.*20. *num.* 15. irregularem diſpenſatum ad ordines propter propriam inopiam, vel propter miniſtrorum Eccleſiæ penuriam licitè ordinibus initiari, licet poſt acceptam diſpenſationem ante ordinum receptionem cauſa illa ceſſet; quia diſpenſatio fuit abſoluta, nec iniquus reputandus diſpenſator qui probabiliter putauit cauſam fore perpetuam. Itaque ſi diſpenſationis auctor ſciens poſtea cauſam ceſſaſſe, non reuocauit diſpenſationem, poſt ceſſationem cauſæ vel in his quæ pertinent ad ius diuinum, v. gr. in votis, ſeu iuramentis, valida eſt diſpenſatio, & abſque vllo poteſt piaculo exerceri.

PROBL. XLVI.

In narratione facta Pontifici tacetur aliquid quod iuxta curiæ ſtylum erat aperiendum: huiuſmodi taciturnitas reddit, & non reddit ſubreptitiam diſpenſationem.

212. *Reddit ſubreptitiam diſpenſationem.*

REddit quidem. Quia curiæ ſtylus ius efficit, vt multis probat Barboſ. *in collect. tom.* 1. *l.* 1. *tit.* 2. *c.* 11. *n.* 3. Ita Sanch.*to.* 2.*de matr.l.*8.*diſp.*21.*q.*1.Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 22. *n.*18. Salas *de legib. tr.* 14. *diſp.* 20. *ſect.* 15. *n.* 117.

213. *Non reddit.*

Non reddit in foro conſcientiæ huiuſmodi taciturnitas ſubreptitiam diſpenſationem. Quia tunc ſtylus curiæ ius facit, quando conſtat eum eſſe talem, vt prudentis arbitrio etiam in foro conſcientiæ inducat obligationem, quod non ſemper conſtat. Imo probabile eſt, taciturnitatem veri non vitiare diſpenſationem in foro conſcientiæ, ſed ſolum in externo, licet ſtylus curiæ petat, vt non taceatur Ita Granad. 1. 2. *contr.* 7. *tr.* 3. *p.* 2. *diſput.* 17.*ſect.*6. *n.*46.Henriq. *l.*12.*c.* 3. *n.*7. Ceual. *in qq. pract. q.* 737. *n.* 20.

214. *His aſſentior.*

His aſſentior, mihi perſuadens ſtylum Curiæ, niſi certò conſtiterit tale eſſe, vt in foro animæ obliget, & in eo loco vbi traditur diſpenſatio, minimè obligare. Certè curiæ ſtylum non illigare extra curiam Ceuallos citatus, aliique Doctores affirmant. Hinc diſpenſationem huiuſmodi contra Curiæ ſtylum ſubreptitiam non cenſeo maximè poſt contractum (ex.gr.) matrimonium vt docuit Villalob. *tom.*1. *tract.*2.*diffic.*43.*n.*4.

PROBL. XLVII.

Superior, qui condidit legem, expreſsè non prohibuit diſpenſandi facultatem: tunc inferior poteſt, & non poteſt diſpenſare.

215. *Poteſt diſpenſare.*

POteſt quidem. Quia Epiſcopus in ſua Diœceſi (reſeruatis exceptis) poteſt in ſua Diœceſi quidquid Papa tota in Eccleſia, eſt enim Paſtor ordinarius in Diœſi ſua ſicut toto Pontifex in orbe. Ita Sotus, Henriq. Aragon apud Sanch.*de Matrim.l.*1. *diſp.*60.

216. *Non poteſt diſpenſare.*

Non poteſt diſpenſare. Quia inferior non poteſt ſuperioris tollere legem illam abrogando, ſeu diſpenſando. Sic Azor. *tom.*1.*l.*5.*c.*15.Salas *de legib.diſp.*20.*ſect.*3. *num.*22.Saa *ver.Diſpenſatio num.*9.Sylueſt. *ibid.*

217. *His applaudo.*

Idem ſentio, addens tamen, aliquando cenſeri conceſſam eſſe Epiſcopo facultatem diſpenſandi in legibus Pontificiis, quoties lege aliqua conceditur diſpenſandi facultas, non expreſſa perſona, cui conceditur: vel quando vir prudens interpretatur, hanc eſſe Pontificis intentionem, vt Epiſcopus aliquo in caſu diſpenſet; ſicut conſuetudine receptum eſt, omnibus in votis ſimplicibus diſpenſare, exceptis quinque Papæ reſeruatis. Præterea in rebus leuioribus, quæ propriè non præcepto, ſed ſtatuto poſitæ ſunt, & in frequentibus, id eſt, quæ frequenter indigent diſpenſatione, v. gr. ieiunio, feſtis, aliiſque Eccleſiæ præceptis diſpenſat Epiſcopus. Demum quando grauis aliqua neceſſitas, vel vtilitas ſubito aduenit, & commodè non patet Præſulem recurſus ad ſummum, ex tacita ipſius conceſſione poteſt Epiſcopus diſpenſare.

PROBL. XLVIII.

Practicè dubitas, num res egeat diſpenſatione: tunc Epiſcopus poteſt, & non poteſt diſpenſare.

218. *Petenda eſt à Papa diſpenſatio, non ab Epiſcopo.*

SI adeſt probabilis opinio, rem diſpenſatione non indigere, nec à Pontifice, nec ab Epiſcopo petenda eſt diſpenſatio. Quia licitum

licitum planè, probabilem sequi opinionem, dubio practicè depositio. Quid autem, si practicè dubites num res egeat dispensatione? Tunc à sede Apostolica, & non ab Episcopo petenda est dispensatio. Quia alias te exponeres delinquendi periculo contra superioris legem, vt ex communi praxi patescit. Ita Bonacin. *de Dispens. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *n.* 18. Sanchez *de Matr. l.* 8. *disp.* 6. *n.* 18.

119. Hoc in dubio Episcopus potest, ad cautelam dispensare. Quia id prudenter de Pontificis voluntate præsumitur. Sic Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 22. *num.* 4. Salas *de legib. disp.* 8. *c.* 9. *n.* 28. Saa *verb. Dispensatio, n.* 1.

Non à Pa. sed ab Episcopo.

Crediderim, saltem posse Episcopum declarare, rem non indigere dispensatione, & si iudicauerit planè indigere, dispensare non posse; at si aliqua sit vel minima dubitatio, posse ad cautelam dispensationem ferre. Quia aliquid dandum dubitationis iuri.

120. *Auctoris sententia.*

LIBER SEXTVS.

PRIVILEGIA.

PRIVILEGIVM definio, diuido, à quo, & cui concedendum expono, multas eius qualitates aperio, quibus modis finiatur enuncio, confirmationem, innouationem, ac vsum priuilegiorum personarum regularium indico, eorum communicationem explico, de interpretationeque priuilegiorum Regularibus concessorum nonnulla prælibo.

SECTIO PRIMA.

De Priuilegiis Receptiores absque lite sententiæ.

CAPVT I.

Quid, & quotuplex Priuilegium.

1. *Priuilegium est priuata lex.*

PRIVILEGIVM est velut priuata lex in alicuius fauorem data. Quia in priuilegio aliquis fauor conceditur qui communi non conceditur iure, alias priuilegium vacuũ esset, & solo titulo niteretur. Cap. *Abb. de verb. signific.*

2. *Priuilegium Reale & personale: hoc persona, illud hæret rei.*

Multipliciter diuiditur. Primo in *Reale*, ac *Personale*. Priuilegium reale est, quod proximè ac directè alicui conceditur respectu rei, loci, muneris, dignitatis, id est, prædij, Monasterij, Ecclesiæ, Episcopatus. Personale est, quod conceditur immediatè personæ ratione sui. Id verò discrimen inter priuilegium personale & reale adnotarim, quod personale personam sequitur, & cum ea extinguitur: reale verò cohæret rei, & cum eadem expirat. Suar. *de legib. l.* 8. *c.* 1. Laym. *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 22.

3. *Priuilegium triplex personale constituitur, singulariter personale, communiter personale, & corporale.*

Triplex priuilegium personale constituerim. Primum propriè ac singulariter personale, quod vni tantum conceditur per se, per accidens autem familia & domestici eodem fruuntur; v.g. priuilegium concessum alicui audiendi, vel celebrandi Missam tempore Interdicti. Secundum est priuilegium communiter personale, quod certo personarum generi conceditur: v.gr. minoribus viginti quinque annis priuilegium restitutionis in integrum: & hoc priuilegium etiam ad hæredes transmittitur; quia non mere respectu personæ, sed etiam ratione rei videlicet interuenientis læsionis concessum est. Tertium est corporale, quod corpori, siue communitati confertur, vel ea conditione, vt singuli è communitate priuilegio valeãt potiri,

tiri, vel vt communiter tantum & collectiue; & huiusmodi priuilegium cum personis singularibus non extinguitur, sed in personis perpetuò succedentibus continuatur. Laym. *l.*1. *tract.*4. *cap.*23. *num.*3. & 4.Bonac. *tom.*2. *disput.*1. *quæst.*3. *pun.*1. *num.*61.

4. *In dubio priuilegiũ iudicandũ est Reale, si sit fauorabile: si præiudicet tertio, iudicandum Personale.*

Adest dubium, an priuilegium reale sit, an personale: quid tunc? Quando est fauorabile, seu purum beneficium, iudicandum est reale. Quia beneficium Principis latè est explicandum, & decet esse mansurum. At quum est contra ius commune, seu præiudicat tertio, iudicandum est velut personale. Quia odia restringenda. Porro ratione alterius circumstantiæ, v.gr. possessionis, vel maioris probabilitatis in alterutram partem, iudicandum est in fauorem illius partis, quæ possidet, vel pro qua stat maior probabilitas. Suar. *l.*8. *de legib. c.*3. *à n.*14. *ad* 19. Salas *de legib. disp.*7. *sect.*6. Dian. *p.*4. *tr.*3. *resol.*51.

5. *Priuilegium Gratiosum, Remuneratorium, Conuentionale, Purum, purè fauorabile, & odiosum.*

Aliud dicitur priuilegium *Gratiosum*, quod scilicet gratis conceditur, nulla meritorum habita ratione. Aliud *Remuneratorium*, quod alicui conceditur ratione meritorum ipsius, vel alterius. Aliud *Conuentionale*, quod conceditur interueniente pacto, aut conuentione. Aliud *Purum*, quod absolutè conceditur. Aliud ob bonum commune. Aliud immediatè ac proximè ob bonum priuatum. Aliud est purè *Fauorabile*, quod fauorem, ac commodum confert, nullique affert præiudicium. Aliud denique *odiosum*, quod vni confert fauorem, & incommodum alteri: v.g. dum quis ab onere decimarum eximitur. Suar. *de legib. l.*8. *c.*6. Azor. *p.*1. *l.*5. *c.*23. Bonac. *to.*2. *disp.*1. *q.*3. *pun.*1. *n.*8. 9. 10. 11.

6. *Priuilegiũ ex proprio motu, & in gratiam petentis.*

Aliud est priuilegium, quòd proprio motu confertur à Principe, aliud in petentis gratiam. Priuilegium ex proprio motu solet esse fauorabilius, priuilegium autem in gratiam petentis magis odiosum præsertim si gratia sit insolita: illud subreptionis suspicionem excludit, hoc minimè: illud ordinariè suum non sortitur effectum antequam priuilegiato innotescat, excepto illo, quod non per modum specialis rescripti, sed generali lege, seu statuto conditur, ad remunerandum aliquem bene de Republica meritum: illud autem statim suum sortitur effectum, cum ferens annuit, vel voluntatem suam significat, etiam adhuc ignorante, qui postulauit. Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *disput.*6. *num.* 29. Suar. *de legib. lib.* 8. *cap.* 25. *num.*10. Azor, *par.* 1. *lib.* 5. *cap.*3. *quæst.* 5. & *cap.* 23. *quæst. vlt.*

7. *Priuilegiũ in corpore iuris, & extrà iuris corpus.*

Aliud priuilegium est insertum in corpore iuris Canonici, aliud extra corpus iuris: & licet vtrumque coram Deo eandem vim habeat, differunt tamen, quia insertum in corpore iuris est quasi lex publica, & obligat omnes ad sui conseruationem: priuilegium verò extra corpus iuris, contentum scilicet in aliqua bulla particulari non ita promulgatur, nec ita obligat, nisi post authenticam, ac iustificatam exhibitionem; & quia illa non reuocantur, nisi de illis specialis fiat mentio, hæc autem reuocantur per quamcumque generalem reuocationem. Bonac. *de legib. disp.* 1. *q.* 3. *pun.* 8. §. 3. *num.* 15. Mirand. *tom.* 2. *quæst.* 43. *art.* 2. *concl.* 5. Port. l. *in dub. Regul. ver. Priuilegij cessatio num* 67.

CAPVT II.

A quo, & cui priuilegium sit concedendum.

8. *Priuilegium conferre potest solus ille, qui legem valet condere.*

PRiuilegium solus valet conferre, qui legem potest condere. Quia priuilegium non cuiusuis hominis beneficium dicitur, sed quod publica potestate alicui confertur, ad faciendum aliquid, vel omittendum. Colligo, summum Præsulem posse directè in spiritualibus priuilegia concedere omnibus, & vbique: in temporalibus in propriis legibus, ac territoriis: In alienis verò legibus temporalibus posse indirectè omnibus priuilegia concedere, quatenus opus fuerit per ordinem ad spiritualia: Episcopum posse in propriis statutis suis subditis priuilegia conferre: Imperatorem, Regem aut supremum Principem posse in sua ditione existentibus circa leges à se latas priuilegia conferre. Reginal *l.*13. *n.*234. Azor. *p.*1. *l.*5. *c.*22. Salas *de legib. disp.*17. *sect.*3. *n.*27.

9. *Priuilegium contra ius cõferri potest solum illis, qui aliquo modo sunt subditi: priuilegiũ præter ius etiam non subditis.*

Si propriè & strictè sumatur Priuilegium, quod est contra ius, seu quo quis directè ab obligatione legis eximitur, illis solummmodo potest conferri, qui aliquo modo sunt subditi. Quia per priuilegium homo à lege eximitur; sed illi solum possunt à lege eximi qui sunt modo aliquo subditi. Porrò priuilegium quod est præter ius, seu quo quis non directè ab obligatione legis eximitur, quodque proprie non est actus iurisdictionis, sed quasi donationis & dominij illius rei, vel iuris, quod per priuilegium datur, personis non subditis potest

conferri. Ex.gr. Clericus, & Religiosus licet non sint propriè ac directè Principibus secularibus subditi, tamen si Princeps secularis legem ciuilem purè fauorabilem concedat, possunt illam recipere, & illius fauore potiri. Suar. *de Legib. l.8.c.9.n.4.* Laym. *l.1.tr.4.c.23.n.15.* Bonac. *de legib. disp.q.3.punct.2.n.3.*

10. *De essentia priuilegij non est scriptura.*

Scriptura non est de essentia priuilegij. Cap. *Institutionis 25. q. 2.* vbi Glossa id notat: & ex Clement. *Dudum de sepult.* At quia sine literis authenticis non potest priuilegium probari, ideo ad faciendam fidem in iudicio, necessaria est omninò scriptura, (seu Bullatio) & ad euertenda quam plurima incommoda, & absurda, quæ ex contrario exoriri possent. Communis hæc Canonistarum sententia.

CAPVT III.

Multas Priuilegij exprimo qualitates.

11. *Priuilegium potest valide obtineri pro nescientibus id & pro inuitis.*

PRiuilegium valide potest obtineri absque scientia illius, in cuius fauorem obtinetur: v. gr. valet dispensatio obtenta ab Antonio ad contrahendum cum consanguinea, quamuis ipsa non sit dispensationis conscia. Imo valide potest obtineri dispensatio pro inuito, ac nolente, & superior habens huiusmodi facultatem potest pro hisce dispensare. Quia sicut lex ferri potest in inuitum, ita etiam exemptio à lege. Henriq. *l.11. c.3.num.6.* Saa. *ver. Gratia n.23.* Sanch. *de Matr.l.8. disp.26.*

12. *Vim non habet donec acceptetur ab eo, cui conceditur vel ab eius procuratore.*

Porro priuilegium non habet vim, donec acceptetur ab eo, cui conceditur, aut ab ipsius nuncio, seu procuratore, qui vicem ipsius gerat. Acceptato autem à nuncio, vel procuratore priuilegio, valida sunt omnia, quæ priuilegiarius gerit, etiam si priuilegij dispensationem nondum cognouerit. Laym. *lib.1.tr.4.c.23.n.9. & 28.* Sanch. *l.4.Mor.c.48.n.7.* Suar. *de legib. l.8.c.25.n.25.*

13. *Concessum alicui potest à concedente reuocari, ante quam acceptetur.*

Priuilegium concessum alicui potest à concedente reuocari, antè quam à priuilegiario acceptetur. Quia sicut liberum est huic, priuilegium non acceptare, ita illi reuocare priuilegium; quod quidem intelligendum est de priuilegio mera ex liberalitate concesso. Salas *de legib. disput. 17. section. 5.* Sanch. *de Matr. lib.3. disput. 36. num. 4.*

14. *Priuilegij materia debet esse honesta, &c.*

Priuilegij materia debet esse honesta, rationabilis, fauorabilis, & debet consistere in facultate ad agendum aliquid, vel non agendum. ad recipiendum, vel non recipiendum. Effectus, autem priuilegij respectu priuilegiarij consistit in facultate aliquid faciendi, vel omittendi. Suar. *t.8.c.9.n.1.* Salas *de Legib. disp.17. sect.4.n.29.*

15. *Vt validi sint eius actus debet seruari forma substantialis.*

Vt autem validi sint actus priuilegij virtute facti, requiritur, vt seruetur forma substantialis in priuilegio contenta. Quia actus sine forma substantiali celebratus non est validus. Bonac. *to. 2. disp. 1. sect. 3. punct.4.§.2.*

16. *Cum priuilegium fuit absolutè concessum priuilegiarius potest eo frui in quolibet cõcedentis territorio.*

Priuilegium fuit absolutè, & absque loci determinatione concessum? Priuilegiarius potest tali priuilegio vti in quolibet concedentis territorio. Quia vbi ius non distinguit, aut limitat: neque nos distinguere, aut limitare debemus, nisi aliter de concedentis mente constet. Profecto concedentis mens colligi potest tum ex verbis, tum ex supplicatione, tum ex re quæ petitur, tum ex antecedentibus, tum ex consequentibus, tum denique ex ratione motiua, ac finali, ob quam priuilegium conceditur. Laym. *l.3.tr.4.c.23.n.16.* Suar. *de legib. l.8.c.26.n.4.*

17. *Imò extra territorium, si inibi non extet specialis prohibitio.*

Priuilegium personale personam afficit, illique inhæret: vnde quocumque priuilegiarius pergat, potest etiam extra territorium concedentis huiusmodi priuilegio vti, modo in alieno territorio non extet specialis aliqua prohibitio. Monuerim tamen, per accidens ratione scandali, seu alterius circumstantiæ fieri posse, vt priuilegiarius priuilegio sibi concesso extrà territorium concedentis, aut etiam intra, nequeat vti. Hinc assero eum, qui generalem habet facultatem audiendi aliqua in Diœcesi confessiones, posse quorumcumque illius Diœcesis confessiones etiam extra Diœcesim audire. Suar. *de legib. lib. 8.c.26.n.16.* Sanch. *de Matr.l.8.disp 31.n.17.*

18. *In priuilegiis explicandis seruanda est verborum proprietas.*

Seruanda est verborum proprietas in priuilegiis explicandis, iuxtà vsitatam verborum significationem, vel vsum communem, qui in eo foro, à quo conceditur, assolet asseruari: modò nihil absurdi sequatur ex verbis præfato modo acceptis. Azor. *tom.1.lib.5.c.23.quæsit.2.* Sylvest. *ver. Priuilegium. q.3.*

19. *Priuilegium purè fauorabile latè exponendum.*

Purè fauorabile priuilegium latè explicandum est, rationabiliter seruata verborum proprietate. Quia odia restringi, fauores conuenit ampliari, & Principis beneficium latè exponendum. Suar. *de legib. l.8.c.28.n.19.* Salas *de legib. disp.17. sect.6.n.43.*

E contra

20. *Priuilegium odiosum strictè exponendum.*

E contra priuilegium odiosum, regulariter loquendo, est strictè exponendum. Quia Princeps in odiosis solum voluisse derogare censetur, quatenus expresse per verba declarauit. Bonac. *tom.2. disp.1. q.3. pun.7.n.5.*

21. *Priuilegium contra ius aut damnum inferens, strictè explicandum.*

Priuilegium, quod est contra ius, aut quod damnum alteri infert, strictè est explicandum, nisi aliter cogat necessitas, aut grauis aliqua causa: tunc que ampliari potest, provt recta ratio, ac prudentia dictat. Sanch. *de Matr. l.8. disp.1. n.1. & 9.* Suar. *de legib. l.8. c.27. n.5.*

22. *Priuilegiũ in corpore iuris latè exponendum.*

Priuilegium in corpore iuris contentum latè est explicandum. Quia censetur vim legis communis habere. Idem dixerim de dispensatione, quæ in corpore iuris continetur, seu quæ per legem, aut canonem conceditur. Quia est quasi lex, consequenterque latè est explicanda. Suar. *de legib. l.8. c.27. n.8.* Salas *de legib. disput. 20. n.90.*

23. *Priuilegia cõtenta in corpore iuris cõtra commune ius sunt strictè exponenda.*

Porrò priuilegia in corpore iuris contenta contra commune ius sunt strictè explicanda. v.gr. priuilegium irregulari concessum ad beneficia, censetur solum ad simplicia, non ad dignitates, & beneficia curata: Priuilegium concessum illegitimo ad ordines, intelligitur concessum ad minores. Quia huiusmodi dispensatio est contra ius commune. Azor. *l.5. c.23. q.2.* Sanch. *de Matr. l.8. disp.1. n.26.*

24. *Priuilegium concessum ad lites, strictè explicandum.*

Priuilegium concessum ad lites, strictè accipi debet. Quia litigandi, aliosque diuexandi exhibet occasionem. Similiter illud, quod tertij in præiudicium vergit contra ius tertio quæsitum restringendum est, quantum verba patiuntur. Salas, Azorius, & Suarius citati.

25. *Potestas concedendi priuilegia latè est interpretãda.*

Ipsa potestas concedendi priuilegium, seu dispensationem latè est interpretanda, seruata verborum proprietate. Quia hæc potestas non repugnat iuri, vtilis enim est ad commune bonum si moderatè ac prudenter exerceatur. Fateor, hanc potestatem non extẽdi ad casus non comprehensos sub lata verborum significatione; sed existimo extendi casus adaptabiles casibus in potestate expressis, imo ad consecutiua etiam separabilia, in quibus eadem, vel maior ratio reperiatur. Hinc priuilegia Bullæ Cruciatæ, aut Iubilei latè sunt explicanda. Quia sunt res fauorabiles; vtiles ad commune bonum, ordinatæ ad subueniendum publicæ Ecclesiæ necessitati, nec dici videntur vniuersaliter priuilegia contrà ius, nec conceduntur in fauorem aliquarum personarum expressarum. Sanch. *de Matr. lib. 8. disp.2.* Henriq. *l.7. c.30.* Mol. *tr.2. disp.173.*

26. *Non extenditur dispensandi potestas, quoties in præiudicium tertij vergit.*

Dispensandi potestas non extenditur, quoties tertij vergit in præiudicium, vel quando præiudicat illi, qui facultatem ordinariam habet ad dispensandum. Quia superior non præsumitur velle alteri notabile præiudicium inferre, nec consuetudini in contrarium, officere. Sanch. *de Matr. l.8. disp.2. n.3.*

27. *Priuilegium Ad instar sequitur Exemplaris conditiones.*

Priuilegium, quod dicitur *Ad instar* alterius priuilegij est illud, quod alicui impenditur per similitudinem ad aliud concessum alteri: v.gr. si dicat Pontifex, Concedo Ordini Seruitarum priuilegium *Ad instar*, id est, ad similitudinem priuilegij Prædicatorum: priuilegium secundum dicitur *Ad instar*, & priuilegium Ordinis Prædicatorum dicitur *Exemplar*. Certè hoc priuilegium concessum ad instar alterius priuilegij ita explicandum est vt per ipsum concessus censeatur omnis fauor & gratia cum eadẽ extensione, ac limitatione, quæ continetur in alio ad instar cuius priuilegium est concessum. Quia in hoc consistit æquiparatio vel imitatio, quam significat verbum *Ad instar*, seu ad similitudinem. Suar. *de legib. l.8. c.15. & c.17.* Tambur *to.1. de iure Abbat. disp.17. q.5.* Rodrig. *resol.116. n.33.*

28. *Solis personis in priuilegio contentis id censetur concessum.*

Solummodo censetur concessum priuilegium iis personis aut rebus, quæ sunt in priuilegio expressæ, vel quæ in eo comprehenduntur ob significationem vocis aut ob materiæ, seu actionis connexionem, aut ob dispositionem iuris. Ex. grat. priuilegium concessum Religiosis ad Moniales extenditur: concessum filiis extenditur ad filias: concessum bonis mariti extenditur ad bona vxoris: concessum fratribus extenditur ad sorores: concessum sacerdoti, vt possit celebrare tempore interdicti, extenditur ad alterum, qui sacerdoti in altari ministret: concessum ad audienda diuina officia interdicti tempore, etiam ad familiares, ac domesticos extenditur. Filios excipio, qui quidem patris priuilegiis non fruuntur, præter nobilitatem, aut aliam concessionem à iure factam. Suar. *de legib. lib.8. cap.10. num.7.* Sanch. *de Matr. l.7. disp.47.* Rodrig. *to.1. qq. Regul. q.13. a.22.*

29. *In priuilegio non est argumentum à paritate rationis.*

In priuilegiis non est argumentum à paritate rationis, vel à maiori ad minus, modò minus in maiori non includatur, tunc enim priuilegium ad minus videtur extendi. Quia qui concedit totum, etiam partes concedere censetur. Salas *de legib. disp.2. sect.10. n.95.* Henriq. *l.7. c.30. num.7.* Molin. *tom.3. disp.191. n.2.*

Caput IV.

De septem modis, queis Priuilegium solet finiri, ac primum de Reuocatione, & Renunciatione.

30. *Septem modis priuilegium amittitur.*

PRiuilegium præcipue assolet septē modis amitti, per reuocationem,& renunciationem,per lapsum temporis, per contrarium vsum, per mortem illius cui conceditur, seu per mortem concedentis : per causæ finalis cessationem,per abusum,& per non vsum. Ex citandis Doctoribus.

31. *Amittitur per reuocationem concedentis, vel successoris.*

Primò igitur, priuilegium gratiosum contra ius, vel præter ius concessum per reuocationem concedentis,vel successo is vel eorum superioris extinguitur.Quia sicut superior potest aliquem ab obligatione legis eximere,ita potest ad eandem legis obligationem reuocare.Laym.*l.*1.*tr.*4.*c.*23.*n.*24.Suar.*de legib.l.*8.*c.*37.

32. *Priuilegium datum in remunerationem &c.non potest reuocari.*

Priuilegium tamē,quod datur in remunerationem,vel prę uia pecunia,vel per cōtractum oneros um (qualis est dispensatio data in foro externo)haud potest reuocari. Quia superior non potest alterum rebus suis,vel ei debitis priuare sine graui necessitate, vel iusta causa spectante ad bonum commune,quæ sufficiat,vt alter rebus priuetur. Lessi.*l.*2.*c.*33.*n.*35.Regin.*l.*9.*n.*381.

33. *In reuocatione priuilegij onerosi reuocans tenetur compensationē facere.*

Monuerim, in reuocatione priuilegij onerosi reuocantem teneri compensationem facere, Quia alterum re sua non potest sine compensatione priuare: In reuocatione autem priuilegij gratuiti non teneri : Priuilegium datum non subdito,ab eoque acceptatum regulariter loquendo reuocari non posse,nisi tanta rerum mutatio fiat, vt priuilegium censeatur grauiter Regi,vel Regno pernicios um & tunc huiusmodi priuilegium datum etiam per contractum reuocari posse ob communem vtilitatem,quæ quidem priuatæ præferenda. Bonac.*to.*2.*disp.*1 *q.*3.*pun.*8.§.3.*n.*3. & 4.Salas *de legib disp.*20.*sect.* 18. Tambur. *to.*1.*de iure Abbat.disp.*16.*q* 13.

34. *Quomodo expressa priuilegij reuocatio fiat.*

Porro reuocationem priuilegij duplicem dixerim,vnam *expressam*,alterā *tacitam*.Expressa fit vel in specie,vel per clausulam generalem. *Non obstantibus quibuscumque priuilegiis*:per quam tamē clausulam nō censentur reuocari priuilegia,quæ in corpore iuris continētur, nisi eorū quoque derogatoria clausula exprimatur. Quia cum correctio iuris vitanda, & non facilè præsumenda sit, ideò ius generale posterius non tollit prius speciale si ob specialem aliquam rationem exceptum videri possit.Laym.*lib.*1.*tr.*4.*c.*23.*n.*16.Sal. *de Legib.disp.*17.*sect.*14.*n.*77.

35. *Non reuocantur per clausulam generalem priuilegia in corpore iuris expressa.*

Imo per hanc clausulam generalem, *Non obstantibus* &c.non reuocantur priuilegia in corpore iuris non contenta, quibus insertum est,quod sublata censeri non debeant, nisi specialis eorum mentio fiat : reuocata tamen ista censebuntur,si plenissima derogatio fiat,per quam voluntas derogantis sufficienter significetur. Suar.*l.*8. *de Legib. c.*38.*n.*2.Sylvest.*ver.Priuil.q.*10.

36. *Reuocatio per clausulam generalem non extenditur ad concessum per modum contractus.*

Certè reuocatio facta per huiusmodi generalem clausulam non extenditur ad priuilegium concessum per modum contractus, nisi exprimatur:neque ad Bullam cruciatam; quia priuilegia illius concessa sunt cum onere,& per modum contractus neque ad priuilegia contenta in Conciliis generalibus.Azor.1.*p.l.*5.*c.*22.*q.*12.

37. *Necessaria est mentio Tridētini,si reuocandū sit priuilegium in eo contentum.*

Si priuilegium in Concilio generali moderno(quale est Tridentinum)cōtineatur, necessaria est mentio Tridentini, & non sufficit generalis mētio Conciliorum:nisi aliter constet de mente concedentis, aut nisi priuilegium irritum redderetur; tunc enim derogatio hæc generica pro expressa & specifica debet haberi.Sanch.*de Matr. l.*8.*disp.*31.*n.*8.& 10.Henriq.*lib.*7.*c.*26.*n.*3. Moli.*tract.*2.*disp.*173.

38. *Quomodo fiat tacita reuocatio priuilegij.*

Tacita vero priuilegij reuocatio fit per actum Principis contrarium,qui non possit absque derogatione priuilegij subsistere.v.g.si Princeps iubeat tributum exigi ab eo,quem exemerat à tributis : dummodo possit præsumi, eum recordari priuilegij antè cōcessi.Vnde priuilegium,quādo non continetur in corpore iuris,per legem posteriorem contrariā non reuocatur,vel per contrarium priuilegium,nisi in ea expressa mentio priuilegiorum fiat. Quia Princeps non præsumitur scire facta particularia,quæ in corpore iuris non continentur. Reuocatur tamen per sententiam contra priuilegium ab eo latam,qui potest priuilegium auferre.Quia huiusmodi sententia comparatur iuri contrario ipsi priuilegio : modo Iudex sit priuilegij conscius.Laym. *l.*1.*tr.*4.*c.*23.*n.*27.Suar.*de leg.l.*8.*c.*39. *n.* 2. Azor 1.*p.l.*5.*c.*22.*q.*9.

39. *Requiritur publicatio reuocationis priuilegij.*

Reuocationis publicatio requiritur, vt priuilegij reuocatio per legem facta suum sortiatur effectum:facta verò publicatione priuilegium manet reuocatum, ita vt acta non valeant,etiam si ignoranter,& absque culpa fiant. Excipiuntur tamen actus publici facti cum errorecommuni, & titulo colorato,qui quidē validi sunt.Suar.*de leg. l.*8.*c.*40.Salas *de leg.disp.*17.*sect.*17.*n.*8.

Sufficit

40. *Sufficit reuocationem innotescere communitati.*

Sufficit autem reuocationem priuilegij concessi communitati, vel collegio, vel Ordini, vel dignitati, vel Prouinciæ, vel Parochiæ denunciari communitati, vel collegio, &c. concessum fuerat; & non est necessarium, innotescere singulis. Imo satis esse putarim reuocationem priuilegij in loco, cui concessum fuerat publicari. Colligo confessarium, cui concessa fuerat facultas absoluendi à reseruatis, validè absoluere pœnitentes post reuocationem facultatis factam priuatim, & sibi ignotam, secus dicendum, si reuocatio facta fuit per legem. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.*22. *q.*7. Salas *de. legib. disp.*17 *sect.*17. *n.*82. Suar. *de legibus lib.*8. *cap.*40.

41. *In reuocatione generali non censentur reuocata priuilegia Mendicantium.*

In reuocatione generali priuilegiorum non censentur reuocata priuilegia Regularium ac præcipue Mendicantium. Quia sunt ob merita concessa: priuilegia verò ob merita nunquam in dubio censentur reuocata etiam per reuocationis verba quantumuis generalia, & geminata. Addiderim ex Iurisperitis apud Tambur. *tom.* 1. *de Iure Abbat. disp.* 16. *quæst.* 12. *num.* 9. priuilegia concessa ob remunerationem esse irreuocabilia, vti habita titulo oneroso. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. q.*9. *a.*6. Surd. *cons.*540. *n.*39. *& cons.*419. *n.*51.

42. *Priuilegium amittitur per voluntariam priuilegiarij renunciationem.*

Porro priuilegium, quod in solius priuilegiati fauorem concessum est, per voluntariam renunciationem factam à priuilegiario, & à concedente acceptatam amittitur: non autem amittitur per renunciationem factam per dolum, vel metum. Laym. *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *numer.*20. Sanch. *de matr. l.*8. *disp.* 32. Suar. *de legib. l.*8. *c.* 33.

43. *Non possunt. Prælati renunciare sui Ordinis priuilegiis*

Prælati, reliquique Religiosi non possunt sui ordinis priuilegiis renunciare. Quia renunciatio fit illius, quod cuique proprium est: at priuilegium totius ordinis non est proprium vnius Religiosi, nec vnius Prouinciæ, ac proinde solum Capitulum generale huiusmodi potest renunciare priuilegio. Dian. *p.* 3. *tr.*2. *resol.* 87. Tambur. *de iure Abbat. disp.*16. *q.*15. *&* patet ex cap. *si diligenti, de foro competenti.*

CAPVT V.

De reliquis sex modis quibus finiri assolet priuilegium.

44. *Priuilegium. lapsu temporis præscripti amittitur.*

Secundò, finitur, & amittitur priuilegium lapsu temporis præscripti, seu cessatione cõditionis, sub qua fuerat concessum. Quia priuilegium non durat vltra concedentis intentionem. Hinc priuilegium datum ad vnum actum cessat tali actu finito. Sanch. *de matr. lib.* 8. *disp.* 28. Suar. *de legib. lib.* 8. *cap.* 5. 29. *&* 32.

45. *Priuilegium amittitur per vsum materialiter ac formaliter contrarium.*

Tertio, priuilegium amittitur per vsum materialiter, ac formaliter priuilegio contrarium: vsus autem materialiter: solum contrarius priuilegio illud non tolleret. Requiritur præterea, vt actus fiat ab eo, qui potest priuilegio explicite renunciare, neque potest implicitè. Quia amissio priuilegij per contrarium vsum contingit per tacitam renunciationem; priuilegio autem principaliter concesso in vtilitatem priuatam is potest renunciare, in cuius est fauorem concessum: sed quando priuilegium concessum est boni communis intuitu, non potest persona priuata illi renunciare, etiam si in bonum ipsius personæ priuatæ refluat, nisi bonum priuatum sit à communi bono separabile. Vnde nullus Clericus potest priuilegio canonis, aut fori concesso clericis renunciare. Suar. *de legib.* l.8. *c.*35. *n.*5. Azor. 1. *p. l.*5. *c.*22. *q.*10.

46. *Priuilegium quod habet tractum successiuum, amittitur per quemlibet actum materialiter & formaliter contrarium.*

Priuilegium vero, quod habet tractum successiuum, præcisa protestatione, amittitur secundum quid in vtroque foro per quemlibet actum materialiter & formaliter contrarium priuilegio, modo fiat ab eo, qui potest priuilegio cedere, vel de ipsius consensu & voluntate. Secus asseruerim de priuilegio quod respicit vnum actum, seu quod fit in continenti; quia hoc tollitur per vnum actum contrarium, præcisa protestatione. Renunciatio enim quo ad vnum actum tali in euentu renunciatio simpliciter censetur, Bonac. *tom.* 2. *disp.*1. *q.*63. *punct.*8. §. 6. *n.*14. 16. Suar. *de legib. l.*8. *c.*35. *n.*17.

47. *Priuilegium personale extinguitur per mortẽ eius cui fuerat concessum.*

Quartò, priuilegium Personale per mortem illius, cui concessum fuerat, extinguitur. Quia censetur inhærere personæ, vnde corrupta persona, priuilegium etiam corrumpitur. Censetur autem priuilegium personale, quod extinguitur morte personæ, quando in concessione solum exprimitur nomen illius, cui conceditur nisi aliter ex circunstantiis apparere videatur. Bonac. *tom.* 2. *disp.*1. *q.*3. *punct.*8. §. 1. *n.* 1. Salas *de legib. disp.* 20. *sect.* 17. *num.* 124.

48. *Priuilegium reale non extinguitur morte illius cui concessum fuerat.*

Priuilegium verò Reale non extinguitur morte illius, cui fuerat concessum; sequitur enim rem ipsam, & successiuè ad illos transmittitur, qui rem ipsam acquirunt. Vnde quando committitur priuilegium seu facultas, expresso solo nomine

dignitatis

dignitatis, priuilegium censetur concessum dignitati, & consequenter non censetur morte illius extingui, qui tale priuilegium executioni mandandum acceperat: sed transmittitur ad successorem in dignitate, siue res non sit integra, siuè sit integra: modo aliunde ex circunstantiis, aut verbis, vel ex subiecta materia non colligatur priuilegium esse personale. Certè quando facultas alicui committitur expresso personæ ac dignitatis nomine; priuilegium censetur personale, siuè præponatur nomen personæ, siuè nomen dignitatis. Quia nomen dignitatis contrahitur, ac limitatur, à nomine personæ tanquam genus à specie. In dubiis autem in hac materia priuilegium censendum est personale, & præsumptio respiciens personam prævalet præsumptioni respicienti dignitatem. Salas *de legib. disp.* 20. *sect.* 17. *n.*124. Filliuc. *tract.*10.*p.*2. *c.* 10. *n.*342.343. Tambur.*tom.*1.*de Iure Abbat. disp.*16.*quæst.*11. Gutier. *de Matr.cap.*124. *num.*1.*&* 9.

49. *Priuilegium rite obtentum concedentis morte non cessat.*

Priuilegium ritè obtentum concedentis morte non cessat, modo concessum sit simpliciter sinè aliqua conditione, seu particula restringente vsque ad mortem concedentis. Quia priuilegium est veluti quædam donatio, quæ concedentis morte non cessat. Id quidem verum, siuè priuilegium sit purè fauorabile, siue sit contrà ius commune, siue contra ius alterius, siue priuilegiarius incœperit vti priuilegio antè mortem concedentis siue non fuerit vsus. Sanch. *de Matr. l.* 8. *disp.* 28.*n.*64. Filliuc.*tr.*10.*c.*10.*q.*10.

50. *Quando datur cum limitatione finitur.*

Porrò quando priuilegium datur cum aliqua limitatione restringente priuilegium vsque ad mortem finitur morte concedentis. Ex. gr. si dicatur. *Vsque ad beneplacitum nostrum* vel *donec voluero.* Saa *ver. Gratia, n.* 1. Nauar. *c.* 27. *n.* 153. Laym.*l.*1.*tr.*4.*c.*23. *n.*17.18.

51. *Gratia facta, & gratia facienda.*

Gratia facta, seu priuilegium ritè obtentum dicitur, quando perfectè conceditur ei, in cuius gratiam datur, ac independenter ab alio, cui facienda committatur. *Gratia* autem *facienda* dicitur, quando non conceditur ei absolutè, in cuius fauorem datur, sed dependenter ab alio, cui facienda committitur: & hæc gratia extinguitur morte concedentis re integra, id est, si nondum priuilegiarius incœperit priuilegio vti. Sanch. *de Matr. lib.*8.*disp.*28.*num.*64. Suar. *de legib. lib.* 8. *cap.* 31.

52. *Gratia facta seu priuilegij*

Priuilegium ritè obtentum seu gratia facta hæc est: iurisdictio seu facultas absque determinatione temporis alicui concessa ab Episcopo, vel à quouis alio ordinario ad confessiones audiendas, vel ad absoluendum à reseruatis. Item licentia alicui facta non ieiunandi, vel celebrandi in oratorio priuato, vel laborandi in die festo, vel eligendi sibi confessarium, vel exigendi decimas, vel recipiendi ordines à quocumque Episcopo per literas dimissorias, & quæcumque licentiæ alicui concessæ absolutè & absque temporis limitatione. Hæc quidem non expirant per mortem concedentis iure communi canonico; licet in quibusdam Religionibus contrarium practicetur, vt scilicet licentiæ datæ à prouinciali, vel Generali cessent ipso mortuo, seu emoto ab officio. Salas *de legib. disp.*20. *sect.* 17. *n.*125. Suar.*de legib.l.*8.*c.*31.*n.*5. Laym. *l.* 1. *tr.*4. *c.*22.*n.*18. Recognoscenda specialia cuiusque Ordinis statuta.

ritè obtenti exempla expono.

53. *Priuilegium contra legem expirat, cessante tota ipsius causa.*

Quinto, priuilegium, quod est contra legem, vel ius alterius expirat, cessante tota ipsius causa, modò priuilegium nondum sit executioni mandatum vel nisi superior ob causam temporalem, quam sufficientem putat ad dispensationem perpetuam concedendam, absolutè dispenset. Quia aliàs non est credibile, Principem voluisse concedere, vt priuilegium contra legem duret, eius causa cessante, & eius concessio videretur iniqua, cum paria sint, non habuisse à principio causam, & causam iam finitam esse. Sanch. *de matr.l.*8.*disp.*30.*num.* 16. Azor. *lib.* 5. *c.* 22. *q.* 14. Scio ex aliorum sententia locum dari Problemati, de quo *sect.* 2.

54. *Priuilegium amittitur per abusum.*

Sexto, priuilegium amittitur per abusum, cum quis ex priuilegio occasionem arripit delinquendi: aut fini, ob quem priuilegium concessum est, directè repugnat. Plerumque tamen non amittitur ex ipsa rei natura, sed vel iuris constitutione, quo pacto in iure statuitur, vt qui in Ecclesia vel cœmeterio delinquunt Ecclesiastica non potiantur immunitate: vel per iudicis sententiam. Interdum tamen per se & ex natura rei amissio priuilegij accidit, cum ratio, & fundamentum priuilegij per abusum tollitur. Suar. *de legib. lib.* 8. *c.* 36. *num.* 1. *&* 7. Salas *inibi. disputat.* 17. *sectio.* 13.*n.* 67. Laym. *l.*1. *tr.*4. *c.* 23. *n.* 24.

55. *Priuilegium affirmatiuum amittitur per non vsum.*

Septimo denique, priuilegium affirmatiuum, quo conceditur facultas, aliquid faciendi in grauamen aliorum amittitur per non vsum, spatio decem annorum inter præsentes, viginti autem inter absen-

tes,

tes; id est, illi, in quorum grauamen cedit priuilegium, præscribunt exemptionem à tali onere per tempus legitimum. Quia omnes obligationes, ac seruitutes tam reales, quam personales ita extinguntur: si, altero iure suo pro temporum occasione nunquam vtente, res obligata legitimi temporis decursu vt libera possideatur, ac denique vsu capiatur. Suar. *de Relig. l.8.c.34.num.15.* Laym. *l.1.tr.4.c.23. num.21.22.*

56. *Priuilegia in nullius grauamen cedentia nullo tempore amittuntur.* Reliqua priuilegia, quæ absolutè gratiæ sunt in nullius grauamen cedentes, v. gr. absoluendi à reseruatis, celebrandi ante auroram, &c. regulariter loquendo nullo tempore etiam longissimo amittuntur per non vsum, modò priuilegia sint absque temporis determinatione concessa. In iure tamen priuilegium Nundinarum excipitur, quod amittitur per non vsum spatio ab ipso iure præscripto. Suar. *de Relig. l.8.c.24.n.15.* Rodrig. *tom.1.qq. Regul. q.8. art.4.*

57. *Quo tempore cesset priuilegium concessum Ecclesiæ, Monasteriis, &c.* Priuilegium concessum Ecclesiæ cessat per non vsum quadraginta annorum. Et contrà Ecclesiam Romanam est necessaria præscriptio, seu non vsus centum annorum. Contra Monasteria, loca, personas, vel alia bona Religiosorum præscriptio, seu non vsus non tenet nisi post annos sexaginta, imo post centum annos ex concessione Eugenij IV. facta benedict. bulla 17. Rodrig. *to.3.qq. Reg.q.35.a.2.* Tambur. *tom.1.de Iure Abbat.disp.16.q.14.n.7.*

CAPVT VI.

De Priuilegiis Regularium circa confirmationem & vsum.

58. *Duobus modis solent priuilegia confirmari.* DVobus modis assolent priuilegia confirmari. Vno, in confuso, sicut iacent, sine examine: & hæc dicitur confirmatio *In forma communi*. Altero, *Ex certa scientia*, vel *ex plenitudine potestatis*, vel cum clausula, *Non obstante lege disponente in contrarium*. Supponit enim tunc Pontifex habere se notitiam claram illorum priuilegiorum, idque præuio examine, ac inquisitione gerere. Cap. *Quia diuersitatem, de conces. præbend.* Cap. *Postulasti, de rescript.*

59. *Confirmatio priuilegij ex certa scientia, habet vim nouæ concessionis.* Priuilegij confirmatio *ex certa scientia* habet vim nouæ concessionis. Quia confirmatio ex certa scientia habet vim confirmandi actum nullum, reddendo illum de inualido validum: ergo habet vim nouæ concessionis priuilegij; validare enim actum, seu priuilegium, quod antea erat nullum, idem est quod illud denuo concedere. Suar. *de legib. lib.8. c.18.* Tambur. *to.1. de Iure Abbat.disp.10. quæst.1.&.5.*

60. *Confirmatio priuilegij in forma communi nullum nouum ius confert.* Confirmatio autem priuilegij *in forma communi* nullum ius nouum confert, nec dat valorem priuilegio si erat inualidum, & ita non potest dici priuilegij concessio, sed pura roboratio. Quia confirmare non est de nouo facere, sed roborare factum; confirmatio autem *in forma communi* solum significat in Principe animum confirmandi: ergo nec valorem, nec ius confert de nouo ex vi talis confirmationis. Vnde si huiusmodi confirmatio supra actum incapacem seu nullum cadat, nihil confert. Si vero à superiori conferatur & actus sit confirmabilis, præcedenti priuilegio robur adiicitur. Suar. *de legib.l.8. cap. 18. cap. examinata, de confirmat. vtil.*

61. *Confirmatis priuilegijs alicuius Ordinis ex certa scientia, censentur confirmata ad illius instar.* Hinc assero, confirmatis priuilegiis alicuius Religionis *ex. certa scientia*, censeri etiam confirmata priuilegia ad illius instar alteri Religioni concessa, si talis Religio participans habet communicationem priuilegiorum alij concessorum, & concedendorum; tunc enim huiusmodi confirmatio quasi concessio noua censetur. Rodrig. *to.qq.Regul. q.8.a.2.* Mirand. *to.2.q.42.a.5.*

62. *Cum Pontifex confirmat ex certa scientia priuilegia Ordinis vnius, non videtur confirmare sic priuilegia alterius propria.* Cum summus Præsul confirmat *ex certa scientia* priuilegia Ordinis vnius non censetur etiam confirmare *ex certa scientia* priuilegia propria alterius Ordinis priuilegia illius Ordinis primi participantis. Quia Pontifex non intendit confirmare *ex certa scientia* nisi tantum priuilegia societatis Iesu, (verbi gratia) & non Minorum: seu priuilegia societati Iesu specialia; ergo non confirmat *ex certa scientia* priuilegia specialia Minorum: aliàs plura confirmaret, quam intenderet. Suar. *de legibus lib.8. cap.19. num.12. & 13.*

63. *Confirmatio ex certa scientia non confirmat priuilegium, quod à principio fuit nullum.* Confirmatio *ex certa scientia* non confirmat priuilegium, quod à principio fuit nullum, falsum, aut subreptitium. Quia non est mens Principis concedere nisi quod antea verè concessum fuit: id vero quod fuit nullum, nunquam fuit concessum. Attamen reualidat confirmatio huiusmodi priuilegium à prædecessore reuocatum per specialem reuocationem, seu Bullam. Non sic quando præcedens priuilegium fuit reuocatum per ius commune v.gr. per Tridentinum, quo in casu non confirman

confirmantur priuilegia reuocata. Suar. *de legib. l.* 8. *c.* 19. *n.* 4. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 8. *a.* 3. *&* 4. Lezan. *to.* 3. *ſum. ver. Clauſula. num.* 29.

64. *Clauſula, Quatenus ſunt in vſu confirmat ſolum priuilegia quæ ſunt in obſeruantia.*

Porrò clauſula illa in confirmationibus priuilegiorum poſita. *Quatenus ſunt in vſu* confirmat tantum priuilegia illa, quæ ſunt in obſeruantia, ſuumque valorem retinent: non autem ea, quæ inualida, & amiſſa ſunt per non vſum vel per vſum contrarium, ſecus ſi ſunt in vſu quamuis inualida per quamcumque aliam cauſam Quia tunc & eo in caſu per confirmationem *ex certa ſcientia* reualidantur. Suar. *de legibus lib.* 8. *cap.* 18. *numero* 16. *&* 17. De la Cruz *de ſtatu Relig. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 2. *concluſ.* 6.

65. *Clauſula, Et ſacris Canonibus non eſt intelligenda de illis, qui in corpore iuris inſerti ſunt.*

Clauſula, *Et ſacris canonibus* non eſt intelligenda de illis, qui in corpore iuris inſerti ſunt: ſed de canonibus in Tridentino inſertis, Quod oſtendit dictio illa: *Et*, quæ eſt coniunctiua, & copulat canones Concilij cum ipſius Decretis. Vnde Sixtus V. ad tollendum omne dubium, ſuſtulit præfata verba, ſacris Canonibus in confirmatione priuilegiorum Ordinis Minorum, idem geſſit Gregorius XIV. quo ad Ciſtercienſes: quo poſſunt per communicationem frui Mendicantes, & aliæ communicantes Religiones. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 8. *a.* 3. Dian. *p.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 59. Lezan. *tom.* 3. *ſum. ver. Clauſula. num.* 27.

66. *Aliarũ Clauſularum intelligentia.*

Priuilegia illa, in quibus eſt clauſula, *Vt non cenſeantur reuocata, niſi de eis expreſſa de verbo ad verbum mentio fiat*, vt reuocata intelligantur, debet ſecundo priuilegio hæc clauſula apponi: *Non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, etiamſi de verbo ad verbum de illis mentio expreſſa fieri deberet.* Quia ſummus Præſul hoc loquendi modo ſatis indicat, velle priuilegium reuocare; at priuilegium vim habet ab ipſius ſummi Præſulis voluntate. Secus aſſerendum eſſet de reuocatione facta ſolummodo per clauſulam generalem reuocatoriam; ea enim non extenditur. Quia Pontifex per clauſulam generalem non ſufficienter indicat, velle ſe huiuſmodi priuilegia reuocare. Compend. priuileg. Mendic. *ver. Priuilegia Fratrum.* §. 22.

67. *Derogatoria clauſula derogatio.*

At per clauſulam, *Quorum tenores* cenſetur, ſufficienter derogatum huiuſmodi priuilegiis. Quia per hanc ex obſeruatione Curiæ derogatur queiſcumque priuilegiis derogatoriarum habentibus derogatorias. Sylueſt. *ver. Priuilegium, q.* 10. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 9. *a.* 6.

In priuilegiorum confirmationibus multæ aliæ aſſolent apponi clauſulæ: quonam modo autem interpretari debeant, indicat Auguſt. Barboſa *de clauſ. vſu frequent* & Tambur. *de Iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 18. *q.* 6. 68. *De multis aliis clauſulis legendi Doctores.*

Innouatio priuilegij dupliciter poteſt aſſumi, vno modo pro ipſo iure, vel gratia per Principem conceſſa: altero pro inſtrumento authentico, in quo talis conceſſio & fides, ſeu probatio eius continetur. Vnde priuilegij innouatio interdum ad ſolum inſtrumentum refertur, Quia vetuſtate fortaſſe conſumitur, & ideo eius innouatio conceditur. Aliquando vero poteſt ad rem ipſam referri, vt ius antiquitus conceſſum poſtea innouetur. Cap. *Cum dilectæ, de confirm. vtil. leg. Non figura. ff. de action.* 69. *Dupliciter ſumitur priuilegij innouatio.*

Porro priuilegij innouatio priori modo ius nouum non confert. Quia huiuſmodi innouatio ſolummodo fit ad faciliorem probationem eius quod in priuilegio continebatur: & iuxta eius tenorem eſt facienda, nihil omnino addito, aut detracto. Quando vero agitur de gratiæ ipſius innouatione, quatenus formalem ipſam conceſſionem importat: ipſa innouatio regulanda eſt ad inſtar confirmationis. Vnde ſi innouatio fiat *in forma communi*, dicitur innouare actum prout eſt, & nihil mutat de eo ſtatu, in quo antea erat. Hic modus renouandi priuilegia non eſt in vſu. Innouatio vero priuilegij *ex certa ſcientia* confert ius nouum de ſe & æquiualet conceſſioni: Ideoque poteſt priuilegium perditum reſtituere, & à fortiori omnem eius tollere vetuſtatem, in priſtinumque illud ſtatum reſtituere. Rodrig. *to.* 1. *qq. Reg. q.* 8. *a.* 2. Suar. *de legib. l.* 8. *cap.* 20. 70. *Innouatio priori modo ius nouum non confert, ſecus poſte riori modo innouatio.*

Conſequenter aſſero, per talem innouationem fieri, vt ad præſcribendum contra huiuſmodi priuilegium neceſſarium ſit computari tempus à tempore talis innouationis. Quia licet per aliquot annos prius fuerit inchoata præſcriptio contra illud priuilegium, ſi non fuit conſummata, poſtea non poterit computari ad reuocationem priuilegij conſummandam; ſed oportebit de nouo inchoari. Quia innouatio eſt quædam rei ad ſtatum priſtinum reſtitutio. Cordub. *in compen. priuil. Mendicant. ver. Abſolutio quoad ſeculares* 2. §. 19. Caſtro *in compen ver. Priuilegia Fratrum*, §. 15. De la Cruz *libro* 2. *de ſtatu Relig. cap.* 3. *dub.* 2. *concl.* 6. 71. *Ad præſcriptionem contra priuilegium hoc innouatum, tẽpus computandũ à tempore tali, innouationis.*

Generales ordinum, Capitula generalia, 72.

Generales Prouinciales & Capitula possùt restringere vsum priuilegiorum.

lia, ac Prouincialia possunt tollere, limitare, seu restringere sibi subditis vsum quorumcumque priuilegiorum Apostolicorum? vt patet ex nonnullis priuilegiis ad hoc à sede Apostolica concessis. Testor Leonem X. concedentem Generalibus Minorum, ac Prouincialibus posse in Capitulo suo Generali, ac Prouinciali de consensu maioris partis Capituli declarare, vtrum ab vsu alicuius concessiocis viuæ vocis oraculo abstineri debeat. Testor Clementem IV. similem concessionem Cistercienſibus expendentem. Testor Gregorium XIII. nostram Societatem nouissimè huiusmodi donantem indulto: Ne personæ Societatis Iesu absque expressa superiorum eorumdem licentia vti possint facultatibus in Iubilæis, aut Bullis Cruciatæ, Confessionalibus, aut aliis quibuscumque Apostolicis indulgentiis quomodocumque hactenus concessis, & in posterum concedendis. Declarauit præterea posse superiorem, dum huiusmodi licentiam concedit, limitare eam ad vsum vnius, aut alterius facultatis, & prohibere vsum reliquorum etiam in eadem Bulla, aut indulto contentorum. Quibus quidem priuilegiis possunt vti, potirique quicumque Ordines alij priuilegium communicationis habentes. Lege Compend. priuileg. Mendic. *ver. Priuileg. Fratr.* §. 26. Mirand. *in Manu. Prælat. tom.* 2. *q.* 43. *art.* 4. Compend. Societ. Iesu, *tit. Gratiarum vsus* §. 2.

73. *Priuilegiatus contra pariter priuilegiatum priuilegio non gaudet.*

Priuilegiatus contra pariter priuilegiatum priuilegio non gaudet: id est, quando priuilegiatus vterque gaudet priuilegio, vel duo concurrunt simul, qui priuilegium habent & sunt in casu, quo priuilegium valet vtrumque. Ex. gr. Dux militum priuilegium habet à Rege, vt obliget quemcumque plebanum militem hospitio recipere: Habet è contra plebanus Mendicantium confrater, qui recipit hospitio Minores, &c. priuilegium à Rege, ne ad excipiendum militem cogatur. Tali in casu Dux priuilegiatus non potest contra plebanum priuilegiatum agere; sunt enim priuilegia mutuo pugnantia, & respectiuam habentia oppositionem. Rodrig. *tom.* 1. *q.* 9. *Regul. q.* 9. *a.* 11. Portel. *in dub. Regul. ver. Priuilegium*, *n.* 25.

CAPVT VII.

De Priuilegiorum communicatione.

74. *Religiones inter se priuilegiorum habent communicationem.*

IVS vni Ordini concessum per priuilegium aliquod, alteri etiam conceditur per quandam talis priuilegij communicationem, dixerim, extensionem, aut multiplicationem. Vt autem intelligas huiusmodi vim communicationis, verba indulti tibi pensanda tum ex parte illius, cuius priuilegium communicatur, tum ex parte eius, cui communicatur, tum ex parte modi, quo communicatur. Profecto Religiosi Mendicantes inter se priuilegiorum communicationem habent. Pro Ordine Prædicatorum extat Bulla communicationis à Leone X. concessa. Pro Ordine Minorum adest Bulla Alexandri VI. Leonis X. Clementis VII. Pauli IV. Pij IV. Pij V. Gregorij XIII. Sixti V. Pro Ordine Capucinorum extat Bulla Clementis VII. Aliæ Religiones Mendicantes similia habent communicationis priuilegia. Ita Augustinianis concessit Alexander VI. & Carmelitis Sixtus IV. Et Minimis Pius V. vbi illos inter mendicantes annumerat. Idem statuit Bulla 22. de Ordine seruorum B. Mariæ, de Ordine Iesuatorum D. Ieronymi, ac de Ordine nostræ Societatis IESV; Hos enim Pius V. facit Mendicantes, & sic aliorum Mendicantium priuilegiis potiuntur. Religiones etiam Monachales, aliique non Mendicantes similia etiam habent communicationis priuilegia. Ita concessit Benedictinis, Eugenius IV. Bulla 7. & Cistercienſibus Gregorius XIII. Bulla 10. & Carthusiensibus Gregorius XI. & Pius II. Demum pro aliis Religionibus militaribus alia communicationis priuilegia refert Tamb. *tom.* 1. *de Iure Abbat. disput.* 17. *quæst.* 1. *num.* 22. & Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. quæst.* 55. *art.* 8.

75. *Moniales gaudent priuilegiis suæ Religionis.*

Moniales gaudent priuilegiis Religionis, quam profitentur: v. gr. D. Claræ, immaculatæ Conceptionis Moniales, Tertiariæque Fratrum Minorum priuilegiis fruuntur: Moniales Ordinis Prædicatorum gaudent priuilegiis Ordinum Mendicantium. Rodr. *to.* 1. *qq. Regul. q.* 55. *art.* 1. & 13.

76. *Priuilegia odiosa non communicantur.*

Profecto priuilegia odiosa, & pœnalia, & in quibus aliquæ sunt pœnæ constitutæ, non communicantur. Quia huius-

huiusmodi concessiones, dici debent potius statuta, quam priuilegia: statuta autem minimè communicantur. An præsumendum, summos Præsules voluisse concedendo priuilegiorum communicationem aliis Religionibus, inuitis planè, id concedere, quod ei onus potius, quam commodum esset allaturum? Rodrig. citat.

77. *Communicato priuilegio, eius restrictio non communicatur.* Priuilegium alicui conceditur cum certa restrictione, postea autem alteri communicatur: intelligitur ne communicatum cum eadem restrictione, etiamsi illa non exprimatur: Minime quidem. Quia restrictio addita in prima concessione respectu eius, cui facta est, non semper æque aut benè accommodatur alteri, cui tale priuilegium per communicationē est concessum. Ex.gr. conceduntur nostræ Societati sua priuilegia cum hac restrictione, vt singuli socij illis vti non valeant, nisi à Præposito Generali, vel ab alio per ipsum deputato eis communicentur: quando ergo hæc priuilegia aliis Religionibus communicantur, illa non communicatur restrictio. Quia priuilegia ipsa prius fuerunt absolutè Societati concessa, postea verò addita fuit per specialem declarationem restrictio; communicatio verò aliis Religionibus postea facta est de solis priuilegiis, & gratiis, non de huiusmodi declarationibus. Similiter Societati conceduntur aliqua priuilegia cum hac restrictione, vt aliæ Religiones illis vti non valeant per viam communicationis. At aliæ Religiones habent priuilegia communicandi in omnibus cum cæteris aliis Religionibus, & speciatim cum societate, vt concessit Gregorius XIV. Cistercienſibus, ac Cruciferis; ergo illa restrictio non poterit aliis Religionibus nocere, cum absolutè concedantur ac communicentur eis omnia Societatis priuilegia. Ioan. de la Cruz. *de statu Relig. l. 2. c. 4. concl. 3.* Dian. *p. 5 tr. 13. resol. 46.* Miran. *to. 2. q. 46. a. 5. concluſ.*

78. *In communicatione priuilegiorum non communicatur vſus, & non vſus.* In communicatione priuilegiorum non communicatur vſus vel non vſus priuilegij; Sed ius vtendi priuilegio. Vndè licet vnus non vtatur priuilegio multis concesſo, aliis illo vtentibus non præiudicat. Vndè cum Religionum priuilegia eo ipso quo communicantur, fiant communia, ac propria earumdem Religionum, quibus communicantur: tamen per non vſum cuiuſpiam priuilegij alicuius Religionis non amittitur, aut deperditur ius, quod aliæ Religiones habent ad ipsum. Quia ex priuilegiis constat, Religioni cuilibet aliarum Religionum priuilegia communicari, ac si specialiter illi fuissent concessa; sed si specialiter fuissent illi concessa, nullatenus amitterentur, nec eorum vſus perderetur per quemlibet aliarum Religionum non vſum. Rodrig. *to. 1. qq. Regul. q. 55. a. 19.* Suar. *de legib. l. 8. c. 16. n. 17.* Sylueſt. *ver. Priuilegium, q. 11.*

79. *Priuilegia concessa vni Monasterio censentur cūctis eiusdem Ordinis concessa.* Vni Monasterio priuilegia concessa etiam omnibus Monasteriis eiusdem Ordinis concessa iudicantur. Sic concessit Pius IV. Patribus D. Hieronymi in Hispania, & postea à Clemens VIII. ad instantiam Regis Catholici Philippi II. & antè hæc Iulius II. apud Rodrig. *Bulla 26.* Concessa vni Minorum Monasterio toti Ordini communicauerat. Consequenter aliæ Religiones eodem gaudent extensionis indulto, ac si eis specialiter concederetur. Lege Rodrig. citatum.

80. *Priuilegium concessum vni Religioso non conceditur cūctis.* Priuilegium concessum vni Religioso tantum non conceditur aliis eiusdem Ordinis Religiosis. Hic enim militat diuersa ratio. Quia quæ vni Religioso congruunt alij Religioso aderunt indecentia: quod non continget in priuilegio concesso vni Monasterio respectu aliorum Ordinis eiusdem Monasteriorum. Adhuc Rodrig.

81. *Priuilegium concessū Prælato vnius Monasterij participant omnes Prælati.* Priuilegium concessum Prælato vnius Monasterij ratione officij, vel Fratribus alicuius Conuentus in communi participant omnes Prælati conuentuales, & Fratres aliorum Ordinum communicantium. Rodrig. *to. 1. q. 9. Regul. q. 55. a. 18.*

82. *Priuilegium concessum vni Prouinciæ ad alias non extenditur.* Priuilegium concessum vni Prouinciæ alicuius Religionis ad alias Prouincias eiusdem Religionis non extenditur, si pro tali Prouincia fuerit concessum. Quia omnes Iuristæ asserunt seruandum esse priuilegij tenorem præsertim si priuilegium ex parte materiæ, & obiecti, locum determinatum statuat. Cap. *Cum capella, de priuileg.* disponitur, priuilegium vni Ecclesiæ Prouinciæ, seu loco concessum ad aliam Ecclesiam, Prouinciam, seu locum non posse transire. Lege Suar. *de legib. l. 8. c. 26.*

83. *Religio communicans in priuilegiis cū aliis ordinibus potest eis vti contra Ordinem cui primum fuere concessa.* Religio in priuilegiis cum aliis Ordinibus communicans, ac si illi specialiter concessa fuissent, potest hisce priuilegiis contrà illum ordinem, cui primùm fuerunt concessa, vti. Quia iam facta sunt propria ipsius Religionis communicantis, eademque habet independenter ab aliis, ac si sibi specialiter fuerint concessa. Rodrig. *tom. 1. qq. Regul. quæst. 55. art. 21.*

Priuilegiorum

84. *Priuilegiorum communicatio intelligitur de concessis, & concedendis.*

Priuilegiorum communicatio intelligenda est non solum de priuilegiis concessis tempore, quo gratia præfatæ communicationis est facta: verum etiam de postmodum concedendis. Imò non solum extenditur ad Mendicantium priuilegia, verum & ad non Mendicantium. Id ostenditur expressè ex concessionibus factis Fratribus Minoribus per Clementem VII. Prædicatoribus vero per Leonem X. vtriusque autem per Sixtum. IV.

85. *Mendicantes possunt vti priuilegiis Societatis Iesu.*

Mendicantes vti possunt priuilegiis nostræ Societatis. Quia licet Clemens VII. aliique Pontifices, qui fratribus Mendicantibus facultatem fecerunt huiusmodi, solummodo sunt locuti de Religionibus aliis eo tempore à sede Apostolica approbatis, Societas autem multo post per eandem fuit sedem Apostolicam approbata: postea tamen Paulus IV pro Minoribus Bulla 1. apud Rodrig. & Pius IV. Bulla 2. pro eisdem, & Pius V. Bulla 7. pro mendicantibus: & Gregorius XIII. Bulla 1. pro Minoribus, & Bulla 10. pro Cistercienſibus, & Bulla 13. 14. & 15. pro aliis ordinibus: & Sixtus V. Bulla 14. 18. ac 20. approbarunt, & de nouo concesserunt, præfatorum Religiosorum priuilegia, quando iam Ordo Societatis erat fundatus: & post hæc Gregorius XIV. Bulla 3. determinauit, Ordinem Cistcienſium Societatis priuilegiis posse potiri, dum ei concedit priuilegiorum omnium Ordinum communicationem. Porro idem Gregorius XIV. specialiter Ordini Cruciferorum concessit Priuilegiis Societatis frui. Vnde, reliquæ Religiones huiusmodi concessione gaudent, cum in Cistercienſium, ac Cruciferorum priuilegiis communicent. Rodriq. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 55. *a.* 11. 12. *&* 17.

CAPVT VIII.

De priuilegiorum Regularibus concessorum interpretatione.

86. *Interpretatio doctrinalis & magistralis potest fieri à Prælatis Religionum.*

SCio, *eius esse priuilegium interpretari cuius est concedere*, iuxta vulgatam regulam: tamen id intelligendum de iudiciali reor interpretatione, ac declaratione, quæ quidem de iure ad solum summum Præsulem spectat. De qua generali, ac iuridica iudiciali interpretatione intelligi debent verba in constitutionibus summorum Pontificum apposita, quum dicitur, nemini licere, ipsas aliter interpretari; vel esse sublatam potestatem, aliter definiendi, interpretandi, & determinandi; non autem de interpretatione & declaratione doctrinali, & magistrali, quæ benè geri potest à Religionum Prælatis: & huiusmodi Prælatorum interpretationi possunt subditi tuta conscientia subiacere. Quia huiusmodi magistralem, ac doctrinalem interpretationem facere possunt etiam quilibet Iurisperiti, ac Theologi; ergo poterunt etiam Regulares Prælati. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 11. *a.* 5.

87. *Imò & iuridice possunt Prælati priuilegia interpretari.*

Certè ex priuilegio non solum magistraliter, & doctrinaliter, verum etiam iuridicè eorum priuilegia Prælati Generales interpretari possunt: vt concessit Iulius II. Generali Ordinis Prædicatorum per Bullam, quæ incipit: *Considerantes, quod multa*, apud Laurent. de Peyrin. *tom.* 1. *priuileg. sui Ordinis const.* 13. *dicti Pontif.* Vnde Religiosi tenentur declarationibus, ac interpretationibus factis à generali in ambiguis circà constitutiones, priuilegia, exemptiones stare in iis, quæ ad ipsorum conscientiæ spectat serenitatem. Mirand. *Man. tom.* 2. *q.* 44. *a.* 2. *concl.* 1. *&* 2. Barbos. *in collect. ad Cap. cum venissent, n.* 4.

88. *Ecclesiæ Prælati non possunt societatis nostræ priuilegia interpretari.*

Nostræ Societati Paulus III. concessit, Ecclesiæ Prælatos non posse nostra priuilegia interpretari siue clara sint, siue dubia, prout concesserat anteà Clemens IV. Prædicatoribus, ac Minoribus. Imò addidit Pontifex, cum dubium extiterit in priuilegio aliquo inter Iurisperitos, ac Iudices, in fauorem Societatis fieri interpretationem. Ità compend. priuil. Societ. tit. Priuilegium, §. 2. & 4. & Compend. priuilegiorum Mendicant. ver. Priuilegium, §. 5. Equidem iure optimo fuit concessum, ne Prælati Ecclesiastici valeant Regularium priuilegia interpretari, quia in dubio an iurisdictio contrà Regulares ad Episcopum, Iudicesque Ecclesiasticos pertineat, non possent ipsi de causa cognoscere, ne propria in causa, Iudices existerent: iuxtà Leg. *Qui iurisdictioni, ff. de iurisdict. omn. Iudic.* Rodrig. *tom.* 2. *qq. Regul. q.* 63. *a.* 7.

89. *Priuilegia Regularium, quibus datur facultas dispensandi, &c. possunt ad similes casus extendi.*

Priuilegia Regularium quibus datur facultas dispensandi, commutandi, & absoluendi possunt extendi ad alios similes casus, in quibus subest eadem, aut maior ratio. Quia licet

regula iuris sit leg. *Pupillorum*, §. *si Prætor. ff. de reb. eorum, quæ sub tutela, vel cura sunt* quod priuilegia non excipiunt extensionem ex similitudine rationis, neque ex rationis maioritate, sitque id regulariter verum: at non procedit in priuilegiis fauorabili causa concessis, vt sunt priuilegia, ac facultates dispensandi, commutandi, & absoluendi; hæc enim cum contineant beneficium, & fauorem Principis, amplè sunt interpretanda, locumque in eis habet rationis similitudo. Quia ex materia subiecta datur intelligi, eam esse legislatoris mentem. Vnde priuilegia concedentia votorum commutationem ad similia iuramenta commutanda extenduntur (modo non vergant in tertij præiudicium) propter rationis similitudinem. Nauar. *de redditib. eccles. q. 1. monit. 50. num. 10.*

90. *Priuilegia concessa communitati Religionis alicuius possunt ad singulos extendi.*

Priuilegia concessa alicuius Religionis communitati, ad singulos Religiosos protrahi & extendi ex præsumpta concedentis mente interpretandum. Quia huiusmodi priuilegia non possunt nisi per singulares personas exerceri, & practicari. v.g. priuilegia alicui Religioni concessa pro Prædicationibus, Confessionibus, Sacramentorum administratione, indulgentiarum lucratione ac similibus, quorum exercitium non ad communitatem, sed ad singulares personas pertinet. Rodrig. *tom. 3. qq. Regul. q. 51. art. 10.* Gomez *in reg. de idiomat. q. 62. n. 4.*

91. *Priuilegia singularibus personis concessa ad generales, & Prouinciales extenduntur.*

Priuilegia singularibus personis Religionis concessa ad Generales, ac Prouinciales eiusdem extenduntur, etiamsi à concedente non exprimatur, nisi aliud ex eiusdem concedentis coniiciatur mente. Quia extat receptissima, atque apud omnes probata distinctio, vt in fauorabilibus, & materia proportionabili Abbas veniat appellatione Monachorum: secus in materia odiosa, ac non proportionabili. An Prælati per adiectionem suorum officiorum desunt esse Religiosi? An debent esse deterioris conditionis quam alij sibi subditi? Sanchez *libr. 6. capit. 8. numero* 84. & 85. Armil. *ver Abbas.* Taburin. *de Iure Abbat. tom. 1. disputatione 1. quæst. 7.*

92. *Priuilegia interpretanda sunt secundum consuetudinem.*

Priuilegia declaranda, ac interpretanda sunt secundum consuetudinem. Quia sicut tanta est vis consuetudinis, vt vim legis quandoque obtineat, liceatque ipsam interpretari, quando ad peccatum obliget, quando non obliget: ipsa priuilegia possunt, ac debent iuxta consuetudinem interpretari. Ex iurisperitor. communi.

93. *Quatuor regulas expendo pro priuilegiorum interpretatione.*

Pro priuilegiorum interpretatione quatuor regulas expendo. 1. In interpretatione, ac declaratione priuilegiorum maxime debet tenor verborum attendi, sed tamen intentioni potius est insistendum. 2. Recipiunt priuilegia interpretationem à supplicatis, cum mente enim supplicantis præsumitur se concedens conformare. Cap. *Inter dilectos*, §. *cæterum, de fide instrum. 3.* Statuta Regularium non ità rigorosè interpretanda, vt apices iuris seruentur: sed ex bono, & æquo debent ampliari: hoc est secundum naturalem æquitatem, non ad libitum, sed secundum terminos iuris naturalis, ac gentium. Balduinus *in Rubr. C. de constitut. peculi.* 4. Priuilegia dubia Regularium, dubietate orta ex verborum ambiguitate, & Iuristarum interpretatione, in fauorem Regularium sunt intelligenda. Lege Azorium *tom. 1. l. 5. capite 22. & 23.* Reginaldum *libro 13. numero 231.* Layman *libro. 1. tract. 4. cap. 23.*

Caput IX.

De viuæ vocis Oraculis.

94. *Oraculum viuæ vocis est concessio, aut gratia facta à Pontifice oretenus.*

Oraculum viuæ vocis est concessio, seu gratia oretenus facta à summo Pontifice sine scriptura. Vnde non solum concessiones factæ per Bullam aut Breue non dicuntur Oracula viuæ vocis: sed etiam illæ, quæ sunt per signaturam Papæ: quando scilicet ipse alicui petitioni, propria manu subscribit, vel solum scribendo, Fiat. Quia tales concessiones non sunt oretenus, sed etiam manu. Portel. *in dub. Relig. ver. Viuæ vocis oracula. numer. 1.* Bordon. *resol. 31. q. 1.* Laym. *tom. 4. sum. ver. Oracula viuæ vocis, num. 4.*

95. *Pontifices Gregorius XV. & Vrbanus VIII. viuæ vocis oracula Regularibus facta reuocauerunt.*

Porro Gregorius XV. in Bulla, Romanus Pontifex in specula, die 2. Iulij anni 1622. reuocauit omnia ac singula priuilegia, gratias, ac concessiones quascumque viuæ vocis oraculo factas quibusuis Ordinibus, exceptis oraculis factis S. Rom. Ecclesiæ Cardinalibus, & eorum manu firmatis. Hanc Gregorij constitutionem extendit Vrbanus VIII. per Bullam quæ incipit,

Alias

Aliàs fœlicis 20. Decemb. anno 1631. ad concessiones & gratias viuæ vocis oraculo etiam à S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas.

96. *Excipiuntur oracula declaratiua sacrorum Canonum, &c.* Sub huiusmodi reuocatione non veniunt viuæ vocis oraculo expressa priuilegia declaratiua aliorum priuilegiorum sacrorum Canonum, & Apostolicarum constitutionum, aut statutorum Religionis. Quia huiusmodi declaratiua priuilegia non sunt in ecclesiasticæ disciplinæ detrimentum, sed potius valde conferunt, ad Religiosorum in regulari obseruantia conseruationem Lezan. *to.*1. *sum.c.*3. *n.*21. Peyrin. *tom.* 2. *priuil. in const.* 8. *Pauli V.* Quorum ex mente hanc assertionem teneo, dummodo præfata oracula declaratiua aliquam gratiam, priuilegium, aut indultum contineant.

97. *Quæ, & qualia oracula.* Quæ autem, ac qualia sint huiusmodi viuæ vocis oracula Religionibus concessa ex ipsarum priuilegiis constat. Multa apud Casarubium inuenies *in Compend. Priuileg. Mendicant.* vbi quæ sunt authentica, & quæ non sunt authentica, diligenter annotat Rodriguez etiam *in suo Bullario* plura refert circa singulos Pontifices, qui illa concesserunt.

SECTIO SECVNDA.

De Priuilegiis Problemata.

CAPVT X.

Circa Priuilegium Reale ac Personale, pro foro pœnitentiæ, supplicationem diminutam, ac brachij secularis inuocationem.

PROBL. I.

Pensatis verbis priuilegij, & illius materia, dubium est, an priuilegium Reale sit, an Personale: tunc reputandum est Personale esse.

98. *Reputandum est personale.* SVPPONO verba priuilegij simul & ad personam, & ad officium dirigi posse: ver.gr. si dicat priuilegium; *Concedo tibi Episcopo Vallisoletano facultatem, &c.* illa enim verba tum ad dignitatẽ, tum ad personam diriguntur, ambiguumque sensum reddunt, num ad personam ratione ipsius, vel ratione dignitatis dirigantur? Hoc in casu priuilegium personale & non reale, reputandum est. Quia duplici præsumptione concurrente, alia speciali, alia generali, prævalet specialis, vt multis probat Menoch. *de arbitrar. l.*2. *cas.*47. *n.*14. sed personalis præsumptio magis specialis est, quam realis; ergo pro personali in casu dubio standum. Sic Sanch. *l.*8. *de Matr. disp.*27. *n.*4. Relato Decio Cap. *Quoniam Abbas n.*36. *de officio delegati.*

99. *Non est reputandum personale.* Priuilegium, hoc in casu, reputandum est reale & non personale. Quia beneficium Principis latè est interpretandum, ex leg. *vlti. ff. de constit. Princ.* Ita Basil. *l.*8. *de Matr. c.*18. §. 1. *num.*7. Sanch. *l.*8. *de Matr. disp.*1. *n* 1. *&* 4. *&* multi apud ipsum.

Sub distinctione respondendum censuerim. Si priuilegium est omnino fauorabile, quòd nec iuri communi, neque iuri tertij est contrarium, in casu dubio debet reputari reale. Quia beneficium à Principe decet esse mansurum, ex leg. *Decet*, 16. *de regul. iuris in* 6. At si fauorabile omnino non est personale est reputandum.

PROBL. II.

Si Priuilegium iuri communi tantùm deroget, reputandum, & non reputandum est, Reale esse.

100. *Reale est iudicandum, non personale.* SI priuilegium iuri communi tantum, deroget, & non simul vergat in aliorum præiudicium: latè interpretandum est, ac reale iudicandum. Quia ex eo quod deroget iuri communi, haud graue Reipublicæ infertur incommodum. Sic plures Doctores, quos presso nomine indicat Castr. Pal. *tom.*1. *tr.*3. *disp.*4. *punct.*2. *n.*6.

101. *Non est iudicandum reale, sed personale.* Licet priuilegium iuri communi deroget tantum, & non vergat in aliorum incommodum, limitandum est, ac personale iudicandum. Ratio desumitur ex Cap. 1. §. *Ille vero de filiis Presbyter. in* 6. Vbi ea de causa dispensatio illegitimi restringitur, quia à iure communi exorbitat. Ita Suar. *l.*8. *de legib. cap.*3. *num.*18. Bonacin. *disp.*1. *de legib. q.*3. *punct.*1. *n.*7. Basil. *l.*8. *de Matr. c.*18. §. 1. *n.*7.

102. *Idem puto.* Idem sentiendum puto, modò præiudicium iuri communi illatum graue sit, aliàs non debet momenti alicuius reputari.

PROBL. III.

Dubitas, an priuilegium reale sit, an personale: sed maior tibi probabilitas subest personale esse, & non reale: tunc debes, & non debes maiori hæresceré probabilitati.

103. *Debes maiori probabilitati hærere.* ETiamsi probabile oppositum iudices, pro parte maioris probabilitatis debes stare. Quia illa maior probabilitas est certa quædam moralis certitudo, ac maius ius confert; proindéque non solum in interno, sed & in externo foro sic est iudicandum. Ita Suar. *de legib. l.8. cap.3. num.18.* Bonaci. *de legib. disput.1. quæst.3. pun.1. num.7.*

104. *Non debes hærere maiori probabilitati.* Non debes stare pro parte maioris probabilitatis, sed potes sequi minus probabilem. Tum quia non est certum, an illa sententia, quæ tibi probabilior apparet, sit probabilior; ab aliis enim vti minus probabilis iudicabitur; tum etiam quia ei, quod verè est probabile, in ea ratione, qua probabile est, te prudenter conformas. Ita Castr. Pal. *to.1. tract.3. disp.4. pun.2.§.1.n.7.*

105. *Idem sentio.* Subscripserim planè, putans Suarium non longè à nostra resolutione dissitum; quia loco citato circà finem docet, sententiam probabiliorem esse sequendam, si excessus probabilitatis certus sit; quod quidem fere dixerim impossibile. Vndè probabili hærens parti, relicta, quæ tibi probabilior obiicitur, licitè præfatum priuilegium reale esse existimabis.

PROBL. IV.

Priuilegium datum pro foro conscientiæ est, & non est idem ac priuilegium datum pro pœnitentiæ foro.

106. *Non est idem.* NOta est priuilegij diuisio, in priuilegium pro foro conscientiæ tantum, & in priuilegium pro foro externo. Quæsierim circa priuilegium pro foro conscientiæ datum, num idem sit priuilegium datum pro foro pœnitentiæ? Certè non est idem. Quia Cap. *Præterea, num.5. de sponsal.* triplex forum distinguitur, primum, contentiosum, secundum pœnitentiale, tertium quasi pœnitentiale, quod est medium inter hæc, quodque appellatur forum conscientiæ. Sic Rodr. *tom.1. qq. Regul. q.61.a.10.* Sanch. *l.8. de Matr. disp.34.n.29.*

107. *Idem est.* Forum conscientiæ, ac forum pœnitentiæ idem omninò. Quia conscientiæ officium est, malis per pœnitentiam tollendis operam dare. Ita Suar. *de legib. l.8. c.7. n.10. & 15.* Tabie. *l.8. de legib. c.6. num.15.* Basil. *l.8. de Matr. c.21. n.17.*

108. *Authoris sententia.* Ego quidem forum conscientiæ à pœnitentiæ foro in eo solo distinguendum reor, quod forum conscientiæ comprehendit quidquid pertinet ad conscientiam, quod non solum est remotio mali, ac peccati cuiuslibet; sed etiam cuiuscumque boni concessio. Vtile enim est conscientiæ, non solum tollere ab illa mala quę habet: sed etiam fauores aliquos, & bona quorum capax est, concedere. At forum pœnitentiæ solum comprehendit culpam, vel malum aliquod, & vinculum, pro quo tollendo pœnitentia est gerenda. Primæ ergo sententiæ approbo distinctionem fori *pœnitentialis*, & fori *quasi pœnitentialis*, id est, conscientiæ.

PROBL. V.

Priuilegium datum pro foro pœnitentiæ potest, & non potest extra pœnitentiam sacramentalem exerceri.

109. *Exerceri non potest extra sacramentum.* QVando priuilegium est pro foro conscientiæ, potest extra sacramentum pœnitentiæ exerceri: at si concessum sit pro foro pœnitentiæ, solummodo in foro sacramentalis pœnitentiæ exerceri potest. Quia Ecclesiastica pœnitentia intra sacramentalem confessionem est imponenda. Sic Sanch. *de Matr. l.8. disp.34.n.29.* Rodrig. *tom.1.qq. Regul.q.61. art.10.*

110. *Exerceri potest extra sacramentum.* Quando priuilegium est pro pœnitentiæ foro, potest extra sacramentalem pœnitentiam exerceri. Quia pœnitentia Ecclesiastica sæpè extrà Confessionem sacramentalem imponitur. v. gr. cum aliquis ab excommunicatione solemniter absoluitur, talis absolutio pœnitentialis est, & in foro pœnitentiæ datur: & tamen in foro sacramentali non impenditur. Ita Castr. Pal. *tom.1. tr.3. disp.4. pun.2. §.5. num.6.*

111. *Approbo confirmo.* Cui planè hæresceens, assentior quidem Sanctio ac Roderico, qua parte docent, priuilegium concessum pro foro conscientiæ non requirere sacramentale

forum,

forum, cum multa ad conscientiam pertineant, quæ extra sacramentum possunt exerceri, vt Nauar. *l.* 5. *consil. tit. de priuil. conf.* 11. *num.* 2. *& in sum. c.* 27. *num.* 41. annotauit. Quare priuilegium pro conscientiæ foro concessum, solum importat vsum occultum illius, minimè iudiciali foro deseruientem, nisi materia priuilegij aliud indicet. Dissentio tamen, ex quo capite affirmant, priuilegium concessum pro foro pœnitentiali confessionem necessario importare. Quia forum pœnitentiæ supponit culpam, aut malum aliquod, seu vinculum, pro quo tollendo pœnitentia facienda est: cum autem hoc vinculum possit sæpè tolli extra sacramentum pœnitentiæ, manifestè infertur, priuilegium concessum pro foro pœnitentiæ non semper forum sacramentale importare, sed solummodo quando malum, quod tollendum sit, alia via auferri non possit.

PROBL. VI.

Supplicationem quis facit diminutam ad priuilegium obtinendum, & Princeps ex illa mouetur priuilegium concedere aliàs non concessurus cognita veritate: tunc est, & non est irrita concessio.

112. *Irrita est.* ESto Princeps addat clausulam motus proprij, concessio est irrita. Quia deficit concedentis intentio. Ita Suar. *de legib. l.* 8. *cap.* 12. *num.* 14. Abbas Panorm. & alij.

113. *Non est irrita.* Concessio non est irrita, sed valida. Quia omnes Doctores, qui supponunt veritatis taciturnitatem non vitiare gratiam proprio ex motu concessam supponunt, petitam esse. Et videtur apertè constare ex Clement. *si Romanus, de præbend.* Ergò si ex petitione diminuta redditur concessio nulla, nullus est casus, in quo propriè ex taciturnitate veritatis facta à priuilegiario valeat gratia. Neque clausula motus proprij aliquid speciale operaretur in priuilegio, vbi priuilegiarius integram gessit supplicationem: quod est contra communem sententiam, vt videre est in Menochio *de arb. l.* 2. *cent.* 3. *casu* 201. *n.* 81. *&* Sanch. *l.* 8. *de matr. disp.* 21. *q.* 3. *n.* 49. Ita Cast. Pal. *to.* 1. *tr.* 3. *disp.* 4. *punct.* 2. §. 6.

114. *Huic menti hæresco, eamque expono.* Idem asserendum existimo; etsi enim Princeps fortè concessurus non esset Priuilegium, si veritatem integrè cognosceret; at absolutè vult concedere, & sunt supplere defectum eo ipso, quod addit, *ex motu proprio* se concedere. Scio quidem, aliquando ob diminutam relationem priuilegij concessionem esse nullam: cum scilicet relatio est occasio, vt res diuersa, ab ea, quæ conceditur, intelligatur. Si enim (v. gr.) petens beneficium Ecclesiasticum, taceas esse regulare, vel hospitale, vel alteri vnitum, nulla erit concessio, etiamsi motu proprio fiat, non tam ob veritatis taciturnitatem, quam ob defectum intentionis, in concedente; intendit enim concedere beneficium commune, quia ita per se fuit repræsentatum: non tamen intendebat concedere beneficium præfatis qualitatibus affectum.

PROBL. VII.

In priuilegijs sæpè conceditur, vt Ecclesiasticus Iudex possit seculare brachium inuocare: debet tunc & non debet sæcularis Iudex de iustificatione causæ certificari, vt auxilium Ecclesiastico præstare teneatur.

115. *Non debet de iustificatione certificari.* POrro huiusmodi ad inuocandum brachium sæculare concessio ad maiorem exhibetur abundantiam; iure enim ipso tenentur sæculares Iudices fauere Ecclesiastico, si is suo impediatur officio, & auxilium efflagitet, vt patet ex iis, quæ tradit Rolan. à Valle *in consil.* 39. *l.* 1. Menoch. *l.* 2. *de arbitr. cent.* 5. *casu* 452. *num.* 4. Quapropter Iudex delegatus, & virtute priuilegiorum ad eorum obseruationem electus, si viderit priuilegiatos à sæcularibus impediri, poterit auxilium sæcularis iudicis inuocare: quod si parere noluerit, poterit censuris compellere; alias enim inutilis esset inuocandi concessio. Quæsierim tamen, an tunc debeat sæcularis Iudex de causæ iustificatione certificari, vt auxilium præstare teneatur, antequam ab Ecclesiastico Iudice possit censuris compelli. Non debet: Quia si huiusmodi cerrificatio requireretur; facilè posset auxilium à Iudice sæculari repelli affirmante quidem causam satis iustificatam non existere. Sic Rodr. *tom.* 1. *qq. Regul. quæst.* 8. *art.* 15. Auallos *in direct. Iudic. Eccleſiast. pag.* 2. *c.* 13. *num.* 13.

116. *Debet certificari.* Debet Iudex Eccleſiaſticus ſæculari iudici oſtendere facultatem, quam habet, & iuſtitiam ad petendum auxilium, vt ſic vnus & alter ſe prudentes exerant: aliàs pluribus vexationibus res eſſet expoſita. Sic Caſtr. Pal. *tom.* 1. *tract.* 3. *diſputat.* 4. *punct.* 3. *num.* 8.

117. *Idem opinor.* Meo optimo dilectiſſimo parenti ſubſcribo, addens huiuſmodi manifeſtationem authenticam literarum, aut per informationem ſummariam factam, ab ipſo met Eccleſiaſtico iudice geri debere. Quod ſi his non credit ſecularis Iudex, & ob id renuit præſtare auxilium poterit tunc Eccleſiaſticus illum excommunicatione, aliiſque cenſuris cogere; quia ſufficienter manifeſtauit, ſe iuſtè procedere.

CAPVT XI.

Circa priuilegij interpretationem.

PROBL. VIII.

Priuilegium, ſeu poteſtas diſpenſandi, ſeu abſoluendi à reſeruatis eſt, & non eſt latè interpretanda ſi perſonæ diſpenſandæ non exprimantur.

118. *Non eſt latè interpretanda.* NOn eſt interpretanda latè, ſed ſtrictè, Quia hoc priuilegium in ordine ad actum, & propter illum conceditur; actus autem, qui eſt diſpenſatio, ſeu à reſeruatis abſolutio, ſtricti iuris eſt. Ergò etiam ipſamet poteſtas erit iuris ſtricti; debet enim imitari naturam illius propter quod eſt, vt tradit Barthol. *in leg. conſtitutionibus, n.* 1. *ff. ad municipal.* Præterea quidquid derogat iuri communi, ſtrictam admittit interpretationem; ſed hæc poteſtas diſpenſandi, & abſoluendi à reſeruatis derogat iuri communi: commune enim ius exigit, neminem diſpenſari poſſe aut à reſeruatis abſolui niſi à proprio iudice. Si ergò aliis datur facultas diſpenſandi, & abſoluendi iam læditur ius huiuſmodi. Ita Gloſ. *in cap.* 1. *de reſtrict. in 6. ver. Proceſſus, & in cap. ſolet, de ſententia excommun. in 6. ver. per ſuperiorem.* Antonius de Roſel. *tr. de legit. l.* 2. §. *de cauſa materi. num.* 10.

119. *Late eſt interpretanda.* Poteſtas diſpenſandi, & abſoluendi à reſeruatis, non expreſſis perſonis diſpenſandis vel abſoluendis, latè eſt interpretanda. Quia nulli iuri eſt contraria talis poteſtas; nullum enim eſt ius prohibens ordinario delegare facultatem, quam habet: imo potius iuri eſt conformis maxime hæc delegatio, ſic enim occurrentibus neceſſitatibus facilius ſubuenitur. Ita Sanch. *lib.* 8. *de Matr. diſp.* 2. *num.* 1. Salas *de legibus diſp.* 20. *ſect.* 11. *num.* 110. Molina *tract.* 2. *de Iuſt. diſput.* 173. Suar. *de legibus libro* 8. *cap.* 17. *num.* 11.

Idem omnino aſſerendum puto. Quia ſi poteſtas ordinaria diſpenſandi latè eſt interpretanda ex Cap. *Per venerabilem, qui filij ſint legitimi*, & Cap. *Fin. de ſimonia*: ergo etiam delegata, ideo enim ordinaria latè interpretatur, quia nec reſpicit perſonam ſpecialem aliquam, ſed communitatem, cui neceſſaria, ac vtilis eſt hæc poteſtas, ſed poteſtas delegata, nullis expreſſis perſonis, reſpicit communitatem, ad cuius regimen multum intereſt huiuſmodi poteſtas; ergo. Fateor quidem, abſolutionem & diſpenſationem eſſe ſtrictè interpretandam, quia ius commune vulnerat: abnego tamen, poteſtatem diſpenſandi eiuſdem eſſe rationis; quia non datur propter diſpenſationem aliquam ſpecialem, & determinatam: ſed pro omnibus illis, quæ & communi bono, & rectæ gubernationi viſæ fuerint expedire: quod plane beneficium eſt & Reipublicæ neceſſarium, & iuri conforme.

120. *Idem aſſero, & confirmo.*

PROBL. IX.

Si perſonæ diſpenſandæ aut abſoluendæ exprimantur, facultas diſpenſandi, & abſoluendi data in gratiam eius, qui eſt diſpenſandus, aut abſoluendus, eſt, & non eſt ſtrictè interpretanda.

SI perſonæ diſpenſandæ, ſeu abſoluendæ exprimantur & ſi in gratiam diſpenſaturi huiuſmodi concedatur facultas, late eſt interpretanda: ſecus verò, ſi in gratiam eius, cui eſt concedenda diſpenſatio. Probatur ex Cap. *ſi cui nulla, de præbend. in* 6. vbi facultas alicui conceſſa prouidendi de beneficiis vacaturis, nulla expreſſa perſona non expirat morte concedentis, ſecus verò ſi ſuper prouiſione certæ perſonæ facienda ſit data poteſtas eidem non ob ſuam, ſed eius, cui prouideri mandatur, gratiam. vel fauorem; illa verò expirat omnino, ſi concedens re integra moriatur. Ità Sanchez *de Matr. diſp.* 2.

121. *Late eſt interpretanda, ſi non concedatur in gratiam abſoluendi, aut diſpenſandi.*

disput. 2. num. 6. Salas *de legib. disput. 20. sectio. 11. num. 110.* Bonac. *disp. 1. q. 3. §. 1. num. 19.*

122. *Strictè est interpretanda, quocumque modo concedatur.* Facultas dispensandi cum determinata persona, siue in gratiam dispensantis. siue in gratiam eius, cui est facienda dispensatio, stricte interpretanda est. Quia dari facultatem dispensandi cum determinata persona in gratiam dispensaturi, vel in gratiam eius, cui est concedenda dispensatio, non immutat facultatem, cum huiusmodi finis sit extrinsecus? sed cum datur in gratiam eius, cui est concedenda dispensatio, est strictè interpretanda, eo quod sit inchoata, & quasi virtualis dispensatio; ergo similiter interpretanda est, cum datur in gratiam dispensaturi: quia etiam tunc est inchoata, ac virtualis dispensatio. Sic Suar. *de legib. l. 6. c. 17. n. 7.* Angel. *ver. dispensatio, num. 9.* Sylvest. *q. 5. n. 9.* Sayr. *to. 1. c. 11. n. 8.*

123. *Secundâ opinionem sequor, & confirmo.* His hæreo, sciens dispensandum posse esse æquè dignum fauore, & gratia, ac est dispensans; ergo illo in casu æque erit fauorabilis, & amplianda, vel restringenda facultas alicui data in gratiam eius, vel in gratiam illius, cui danda est dispensatio. Porro Cap. *si cui, de præbend. in 6.* non tendit ad decidendum, an gratia, & facultas concessa exprimendo personam, sit latè, vel strictè interpretanda: sed solum an expiret morte concedentis.

PROBL. X.

Potestas concessa per Iubilæum, & Bullam Cruciatæ, ad eligendum confessarium, qui absoluat à reseruatis, aut dispenset in votis, est, & non est strictè interpretanda.

124. *Strictè interpretari debet.* STricte interpretandum est. Quia est beneficium, & fauor accipientis Bullam seu Iubilæum obtinentis. Item est inchoata dispensatio; si quidem tenetur electus, si causa subsit dispensationis, dispensationem exhibere. Ita Sanch. *de matr. l. 8. disp. 2. n. 7.* Nauar. *l. 2. consil. tit. de Iureiur. in 2. edi. cons. 1. n. 6.* Salas *de legib. disp. 20. sect. 11. n. 100.*

125. *Non strictè, sed latè debet interpretari.* Non est interpretanda strictè, sed latè. Quia finis præcipuus huiusce facultatis non est aliquod priuatum commodum sumentis Bullam, seu obtinentis Iubilæum: sed est commune bonum Ecclesiæ, & subuentio illius in aliqua publica necessitate. Ergo ex hoc capite latam accipit interpretationem. Ita Suar. *de voto, cap. 16. num. 3.* Bonac. *disput. 1. q. 3. pun. 7. §. 1. num. 17.* Henriq. *l. 7. de Indulg. cap. 30.* Lopez *pag. 2. tit. de Claui cap. 9. col. 8.*

126. *His hæreo.* Hos sequor; etsi enim primæ sententiæ attento fundamine, facultas esset strictè interpretanda: at ob fines & circumstantias huius concessionis latè explicanda est. Præterea hæc potestas dispensandi, & absoluendi ordinatur ad lucrandum efficacius indulgentiam, & remissionem peccatorum concessam: indulgentia autem, & remissio cum sit Principis beneficium nemini nocens, nec iuri communi aduersarium, latè est explicandum: ergo etiam huiusmodi potestas.

PROBL. XI.

Potestas alicui concessa eligendi confessarium, qui eum à censuris, & casibus reseruatis absoluat, est, & non est strictè interpretanda.

127. *Strictè est interpretanda, non latè.* NOn latè, sed strictè interpretanda est, ac proinde limitanda potestas huiusmodi ad censuras, & peccata præcedentia, nisi aliter de concedentis mente constet. Quia si pro peccatis perpetrandis daretur, ansam præberet liberius delinquendi. Ita Azor. *l. 5. c. 23. q. 2.* & alij.

128. *Latè est interpretanda, non strictè.* Non stricte sed late interpretanda est, ac proinde extendenda potestas huiusmodi ad censuras, & peccata sequentia. Quia verba generaliter prolata, generaliter sunt intelligenda: & quia fauet animæ saluti, ne peccator in peccatis sordescat. Ita Bonac. *disp. 1. q. 3. punct. 7. §. 1. n. 11.* Salas *disp. 17. de legib. sect. 8. num. 51.*

129. *Sequor & confirmo primam sententiam.* Ego quidem non approbo primæ sententiæ fundamentum: friuolum enim reor, cum per accidens sit, & non à facultate, sed ab abutentis malitia proueniat, ansam liberius peccandi exhiberi ei, cui pro peccatis perpetrandis facultas impertitur. Attamen absolute existimo huiusmodi facultatem non latè, sed strictè esse interpretandam, si ob bonum priuatum ipsius absoluendi concessa fuerit: ac proinde ad solas censuras contractas, ac peccata commissa extendi posse, non ad committenda. Quia est fauor singularis personæ derogans communi reseruationis legi; est enim illa facultas inchoata dispensatio, & exemptio à lege communi, qua cæteri adire superiorem tenentur pro absolutione: ipse vero ab illa obligatione eximitur. Ergo tanquam

dispen

dispensatio in lege strictè est interpretanda. Ergo non debet extendi ad omnes casus, quibus verba possunt adaptari.

CAPVT XII.

Circa priuilegij extensionem.

PROBL. XII.

In fauorabilibus Priuilegiis valet, & non valet paritas rationis, aut maior ratio, vnde ad alios casus vel personas similes priuilegium extenditur, & non extenditur.

130. *In fauorabilibus extenditur priuilegium.*

IN dispensationibus aut priuilegiis odiosis non valet argumentum à paritate rationis, vel à maiori ad minus: at in fauorabilibus valet, & ideo ad casus vel personas ob similitudinem, vel ob maiorem rationem priuilegium extenditur. Quia priuilegium ad dispensandum in votis extenditur ad vota iurata, quia est eadem ratio. Et priuilegium testandi extenditur ad faciendum codicillum, vel ad donandum causa mortis. Et facultas concessa clerico beneficiario accipiendi fructus in absentia causa audiendi Theologiam, extenditur etiamsi ius canonicum audiat. Ergo iam priuilegium in causis fauorabilibus ad similes casus extenditur. Fauet Cap. *cum dilecta, de confir. vtili, vel inutili*: vbi ex eo quod admittuntur testes aliàs non admittendi, arguit Pontifex, se moueri ad concedendam priuilegiorum innouationem eiusdem æquitatis similitudine prouocatus. Ergo datur in priuilegiis ob similitudinem rationis extensio. Fauet & Cap. *Per venerabilem, qui filij sint legitimi*, vbi Pontifex probat dispensationem illegitimo concessam ad actus spirituales, extendi ad temporales, quia quod in maiori conceditur, licitum esse videtur & in minori. Ita Sanch. *de matr. lib.* 8. *disputat.* 1. *num.* 33. 34. 36. *& disputat.* 2. *num.* 2.

131. *In fauorabilibus non extenditur.*

Non solum priuilegia odiosa sed etiam fauorabilia quamtumuis sint à iure concessa, & in eis exprimatur ratio concessionis, extendi non possunt ad casus alios, vel personas ob similitudinem, vel ob maiorem rationem. Quia tota efficacia priuilegij ex voluntate concedentis significata pendet: ipse autem concedens verbis exprimit suam voluntatem; cum igitur hæc verba casum, vel personam similem non comprehendant, ad illos priuilegium extendi non potest. Ita Suar. *de legib. lib.* 8. *cap.* 28. *n.* 11. Salas *de legib. disp.* 20. *sect.* 11. *n.* 110. Cast. Pal. *tom.* 1. *tr.* 3. *disp.* 4. *punct.* 13. *n.* 4.

132. *Idem puto.*

Consentio sane; quia si ob rationis similitudinem liceret priuilegia extendere, nihil esset in priuilegiis firmum, & plures contra voluntatem priuilegiantis priuilegium haberent; concesso enim patri priuilegio, esset concedendum filio, imo extraneo, si in eo eadem ratio militat: & concesso alicui speciali Religioni, omnibus æqualibus aliis concedendum esset: & concesso vni militi, omnibus aliis militibus æqualibus concedendum esset; quæ omnia absurda esse quis non videat.

PROBL. XIII.

Habet quis priuilegium legitimandi adulterinum quemlibet, & incestuosum quemlibet, & casus datur, in quo vitium vtrumque in eadem persona concurrit: tunc potest, & non potest legitimare eum.

133. *Non potest legitimare eum.*

LEgitimare non potest eum, qui simul defectu laborat vtroque. Quia esset id extendere potestatem ad casum in priuilegio non comprehensum; laborans enim vtroque vitio non comprehenditur sub illo, qui aliquo tantum laborat; quia diuersum est mixtum à simplici. Item magis odiosus, & execrandus est natus ex adulterio & incestu simul, quàm natus ex adulterio tantum, vel incestu tantum. Leg. *Adulterium cum incestu.* Ergo priuilegium non est extendendum ad eum qui vtroque vitio inficitur. Sic Barth.

134. *Potest eum legitimare.*

Potest ille legitimare laborantem vtroque defectu, si habeat potestatem legitimandi adulterinum, & incestuosum seorsim sumptos. Quia illa vitia siue in diuersis subiectis, siue in vno existant, eadem sunt; sed cum in diuersis personis existunt, potest illa tollere; ergo etiam cum in vno existunt. Ita Henriq. *l.* 14. *de irregularit. cap.* 14. *num.* 10. Sanch. *l.* 8. *matr. disput.* 2. *n.* 28. Saà *ver. dispensatio. num.* 7. Sylvest. *ibid. n.* 10.

135. *Amplector hanc sententiam, ac roboro.*

Amplector hanc mentem, & confirmo ex leg. *si ita ff. de liberis, & posthumis*, vbi sub simplici mixtum comprehenditur, præcipue in materia fauorabili, qualis est potestas legitimandi non expressis personis

nis

nis concessa. Nec vrget sententiæ primæ ratio: quia laborans vtroque vitio simul, esto non æquiualeat laboranti vno tantum : at æquialet pluribus, qui singulis laborant. Limitat Thomas Sanchez vt non intelligatur, si de præiudicio tertij tractetur. Sed ego hanc limitationem intelligendam existimo, quando potestas data esset pro personis expressis ; tunc enim quia est dispensatio quasi inchoata debet limitari : At quando hæc potestas conceditur personis non expressis, latè debet interpretari, licèt exercitium potestatis strictè interpretandum sit, si in alicuius vergat præiudicium.

CAPVT XIII.

Circa Priuilegij confirmationem & vsum.

PROBL. XIV.

Si priuilegia confirmentur in forma communi, censentur & non censentur confirmata priuilegia ad illius instar.

136. *Non censentur confirmata.* PRIMA sectione vidimus, confirmatis priuilegiis alicuius Religionis *ex certa scientia* censeri etiam confirmata priuilegia *ad instar illius* alteri Religioni concessa, si talis Religio participans habeat communicationem priuilegiorum aliis concessorum, ac concedendorum. Quæsierim, an idem dicendum sit, si priuilegia confirmentur in forma communi? Certè si priuilegia in communi forma confirmentur, non censentur confirmata priuilegia *ad illius instar*. Quia sicut per reuocationem priuilegiorum alicuius Religionis non censentur reuocata priuilegia *ad instar*, ita per confirmationem priuilegiorum alicuius Religionis non censentur eius priuilegia *ad instar* confirmata. Sic Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 8. *art.* 2. Miran. *tom.* 2. *q.* 42. *art.* 5.

137. *Censentur eò confirmata.* Si priuilegia in forma communi confirmentur, censentur confirmata priuilegia ad illius instar alij concessa Religioni. Quia etiam confirmatio in forma communi, gratia, & priuilegium est. Ita Suar. *de legib. lib.* 8. *cap.* 19. *num.* 10. Laurent. de Peyrin. *in declar. const.* 4. *Iulij II. num.* 12. *tom.* 1.

Vtramque sententiam probabilem existimo, sed primam eligendam duxi. 138. *Prima hæretenti.*

PROBL. XV.

Per clausulam, Et decretis sacri Concilj Tridentini non aduersantur, *sunt & non sunt abrogata, & reuocata priuilegia omnia, quæ continent aliquid contra aliqua Concilij Tridentini decreta.*

SEnsus communis huiusce clausulæ modo obtinet in praxi, vt per eam censeantur derogata priuilegia, quæ sunt eidem Concilio simpliciter contraria. Quia ipsum Concilium *sess.* 25. *de Regular. c.* 22. omnia, & singula in superioribus decreta contenta præcipit obseruari, *non obstantibus quibuscumque priuilegiis.* Ita Laur. de Peyrin. *in declar. constitut.* 4. *Iulij II. n.* 3. 139. *Derogata censentur priuilegia omnia contraria.*

Per hanc clausulam, *Et decretis, &c.* non reuocantur omnia priuilegia quouis modo contraria ipsi Concilio: sed tantum ea, quæ expresse in illo reuocantur per clausulam *Non obstantibus*, quæ clausula in eiusdem Concilij decretis aliquando opponitur, aliquando non, vt patet obseruantibus: aliud est enim quod priuilegia sint Tridentino contraria, aliud quod sint ab eo reuocata ; ea quippe sunt simpliciter Concilio contraria, quæ ab illo reuocantur: at quæ non reuocantur, tacitè admittuntur, & à Præsule summo confirmantur, etiam illam clausulam apponente. Ita Suar. *de legib. l.* 8. *c.* 18. *n.* 17. Nauar. *Man. c.* 27. *n.* 190. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 8. *art.* 8. 140. *Non censentur reuocata.*

Cum his opinor, ratus non obstare illud Concilij præcipientis obseruari omnia & singula in superioribus decretis contenta : *non obstantibus quibuscumque priuilegiis.* Intendit enim, ea tantum reuocare, quæ decretis eiusdem sessionis aduersantur, non autem illa quæ aduersum aliarum sessionum decreta pugnare videantur. Exemplum exhibeo: Ordinari extra tempora, est contra Tridentinum sess. 23. *c.* 8. quia tamen ibi Concilium priuilegia Regularium non reuocat, quæ ipsi habent in contrarium: eadem priuilegia manent integra, licet ipsi Concilio sint contraria ; quia ibi quoad illud non sunt derogata. Profecto Miranda *tom.* 2. *quæst.* 42. *art.* 3. hanc asserit resolutionem habitam olim 141. *Cum his sentio.*

olim à permultis grauissimis Doctoribus Iurisperitis, ac Theologis Ecclesiasticis, ac Regularibus.

PROBL. XVI.

Regulares possunt, & non possunt in foro conscientiæ suis vti priuilegiis, quæ sunt expressè per Tridentinum reuocata.

142. *Possunt vti.* POssunt planè. Quia in foro conscientiæ sunt reualidata priuilegia Regularium per Pium V. viuæ vocis oraculo facto Fratribus Minoribus apud Bullarium Rodriguez etiamsi sint contra Tridentinum, quod postea non fuit reuocatum per Gregorium XIII. in sua generali reuocatione priuilegiorum Mendicantium contra idem Concilium à Pio V. concessorum; quia ea tantum in foro externo reuocauit, ad lites, acdiscordias vitandas: vel reuocauit solùm constitutiones scriptas, non verò Oracula viuæ vocis, quæ non sunt constitutiones. Ita Henriq. *l.7.c.24.n.8.* Glos. *lit.K.* Sanch. *l.5.Mor.c.4.n.16.* Comp Societ. Iesu *ver.Concil.Trident.* §.3. Rodrig. *to.1. qq. Regul. q.8. art.9.*

143. *Vti non possunt.* Non quidem possunt. Quia Gregorius XIII. non tantum reuocat priuilegia scripta, ac literas: sed etiam reliqua indulta etiam sine literis expedita. Fatur enim in Bulla: *Quin etiam abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, & quæcumque alia ipsis literis, & constitutionibus apposita; & aliàs eorum occasione, vel causa facta huic nostro statuto, ordinationi, & reductioni aduersantia.* Præterea Gregorius præfata Bulla etiam meminit confessionum audiendarum, pœnitentiarum iniungendarum à Religiosis, quæ pertinent ad forum conscientiæ: quæ etiam non possunt ita fieri secrete, quin factum in publicum prodeat, & ad Episcoporum aures deueniat, ex quo turbationes ac lites oriuntur. Sic Eligi. Bas. *ver. Priuilegium VI. num.8.*

144. *Idem existimo.* Cui quidem hæresco non tam ob adductum fundamentum, quam quia modò sunt omnia viuæ vocis Oracula reuocata per Vrbani VIII. constitutionem.

***

CAPVT XIV.

Circà Priuilegij Reuocationem.

PROBL. XVII.

Ad reuocationem priuilegij remuneratorij præter causam publicam requisitam, requiritur, & non requiritur, compensatio.

VIdimus sect. 1. priuilegia concessa per contractum onerosum non reuocari. Certe idem asseruimus de priuilegio remuneratorio, siue remuneratio fuerit debita ex iustitia, siuè ex gratitudine; quia quocumque modo debita sit, cedit priuilegiatus illius debito ob priuilegium sibi concessum: eaque de causa transit in contractum. Ita Suar. *de legib. lib.8. cap. 37.n.5.* Quæsierim tamen an ad priuilegij remuneratorij reuocationem non solum causa publica requiratur, sed etiam aliqua compensatio, sicut ad reuocationem priuilegij per contractum onerosum: Non requiritur compensatio. Quia reuocans priuilegium res adducit statum ad pristinum, & consequenter reddit priuilegiario sua merita; quorum per priuilegium fecerat cessionem. Cum autem illa merita non expostulent ex iustitia compensationem, non videtur compensatio illi esse debita. Sic Suar. citat. *num.6.* Basil. *lib.8. de Matr. cap.19. §.2. numer.13.* Bonac. *de legib. disp.1.q.3. pun.8. §.3.n.2.* 145. *Non requiritur compensatio.*

Requiritur compensatio ex iustitia. Quia cessio, quam fecerat priuilegiarius ob priuilegij concessionem est pretio æstimabilis. Ita Castr. Pal. *to.1. tract.3. disp.4. punct.21. §.3.n.5.* profatus: *Reliqui omnes Doctores eodem modo de priuilegio remuneratorio, ac de priuilegio per contractum onerosum loquuntur.* 146. *Compensatio requiritur.*

Satis probabilem primam reor sententiam, sed secundæ subscribo asserens requiri ex iustitia compensationem non quidem propter merita præcisè, sed propter illam eorum cessionem, quam ob priuilegij concessionem gesserat; quæ sanè cessio est pretio æstimabilis, cum sit actio libera damnosa cedenti, & vtilis cessionario; quæ tamen nunquam redit, etiamsi redeant merita. Lege Suarium Basilium, ac Bonacinam citatos, & inuenies dubitanter alteram opinionem sectari. 147. *Secundam sententiam magis probo.*

PROBL.

PROBL. XVIII.

Inferior dispensans vel concedens priuilegium contra legem superioris cum illi concessa est facultas dispensandi, potest, & non potest illud sine causa legitima reuocare.

148. *Potest sine causa reuocare.*

CErtum est, eum qui concedit priuilegium contra ius proprium, posse valide illud absque causa legitima reuocare. An possit id ipsum inferior concedens priuilegium contra legem superioris, quando ei concessa est dispensandi facultas; Potest quidem. Quia facultas ab his Prælatis concessa habet tacitam conditionem, vt perseueret quoties ab ipsis non fuerit reuocata; & quia ipsi intendunt, per dispensationem factam suæ non derogare iurisdictioni. Sic Bonac. *de legib. disp. 1. q. 3. pun. 8. §. 3. num. 11.* Probabilem existimat hanc sententiam Suari. *de legib. l. 8. c. 37. n. 15.*

149. *Sine causa nō potest.*

Inferior absque causa reuocare non potest priuilegium à se factum. Quia inferior non potest valide priuilegium in superioris lege concedere absque causa: ergo neque etiam poterit iam concessum (ex facultate sibi à superiori facta) absque causa reuocare. Cum enim ex superioris voluntate operetur, non est vnde colligatur, voluntatem superioris esse, vt validè absque causa reuocet: cum tamen absque causa non possit validè concedere. Ita Salas *de legib. disput. 20. sect. 18.* Basil. *de Matr. l. 8. cap. 19. num. 15.* Sanch. *de Matr. disp. 33. n. 12.*

150. *Idem puto.*

Idem arbitror, nec puto obstare contrariam rationem, quia dispensatio fuit absoluta, & gratis, me authore, fingitur, conditionem habuisse. Infero, non posse Episcopum absque causa licentiam Parocho concessam ad non residendum; vel ad differendos ordines ratione studij, reuocare; quia est dispensatio in lege superioris: quam ipse denuo nequit stabilire. Deinde infero, dispensationes à sacra Pœnitentiaria concessas non posse absque causa ab ipsamet reuocari; quia voluntas Pontificis est, vt semper causa interueniente inferior iurisdictione vtatur. Didici ex Sanctio, ac Salas citatis.

PROBL. XIX.

Priuilegium primum extra corpus iuris non derogatur subsequenti, nisi illius fiat mentio; derogatur, licet illius mentio non fiat.

151. *Non derogatur.*

CErtè si primum priuilegium, quo potiris, sit extra corpus iuris, numquam subsequenti priuilegio, derogatur, nisi posterius id priuilegium prioris faciat mentionem, siue vtrumque sit generale, siue vtrumque speciale; siue primum speciale, & secundum generale. Quia præsumitur secundum concessum ex prioris ignorantia. Cap. 1. *de constitut. in 6.* Et videtur probari ex Cap. *Cum ordinem, de rescript.* vbi priuilegium Cisterciensibus concessum non derogatur per subsequens priuilegium illius mentionem non faciens. Ita Suar. *de legib. l. 8. cap. 39. num. 6.* Basil. *de Matr. l. 8. c. 19. n. 21.* Salas *de legib. disp. 17. sect. 14. n. 74.* Bonac. *de legib. disp. 1. q. 3. pun. 8. §. 3. n. 17.*

152. *Derogatur.*

Secundum priuilegium præualet, priori generali non obstante. Quia regula est in iure expressa, genus derogari per speciem, maximè quando species subsequitur. *Reg. 34. de regul. iuris in 6.* Et quia secundum speciale priuilegium non est directè contrarium primo generali, sed solum est quædam illius exceptio. Quam exceptionem faciendi non est credendum Principem sibi abdicasse potestatem, cum primum priuilegium generale concessit. Sic Castr. Pal. *tom. 1. tr. 3. disp. 4. pun. 21. §. 4. num. 14. ex Glos. cap. 1. de rescrip. Cap. Pastoralis, §. Quoniam eodem, & in Reg. gener. lib. 6. & leg. doli causa ff. de verbor. obligat.* Et probat, *ex Cap. dudum §. Nos igitur, de præbend. in 6. & Cap. Quamuis tibi, eodem titulo.*

153. *Idem teneō sed limitandum duco.*

Hæreo meo Ferdinando, sed tamen præfatam doctrinam limitandam censeo, casu quo priuilegiatus generaliter, non acquisierit virtute priuilegij ius in re, circa quam secundum priuilegium conceditur; tunc enim non est censendus Princeps velle iuri iam quæsito derogare. Faciunt ea quæ tradit. Molina *de Hispan. primogen. l. 4. c. 3. n. 13. & 21.*

PROBL. XX.

Priuilegium priuatim reuocatum non habet effectum, quousque priuilegiato innotescat: Porrò hæc reuocatio facienda est necessario, & non est necessario facienda per rescriptum, & nuncium.

154. *Non est facienda necessariò rescripto, seu nuncio.* SCio, si lege lata priuilegium reuocetur, necessariam esse eam publicationem, quã ad legis constitutionem requiri præmisimus. Quia non potest illa lex vim habere reuocandi, quousque in suo esse sit constituta: non autem est constituta, quousque publicetur. Si autem priuilegium priuatim reuocetur, certum est, reuocationem effectum non habere, quousque priuilegiato innotescat. Quia ad rectam Reipublicæ, & Ecclesiæ gubernationem pertinet, vt velit Princeps priuilegiatos suis priuilegiis vti, quousque agnoscant, esse reuocata: aliàs vellet, plures actus inualidos fieri, quod de Principe Christicola minimè credendum. His præmissis, quæsierim, an huiusmodi reuocatio sit rescripto, ac nuncio facienda. Certè facienda non est necessariò per nuncium, vel per epistolam ad hoc immissam ab ipso reuocante: sed priuilegium censeri reuocatum, quocumque modo certus reddatur priuilegiatus de sui priuilegij reuocatione. Quia ex natura rei hic modus notitiæ per nuncium, vel per epistolam ad reuocationem non est necessarium, vt de se constat; iure autem positiuo nullibi præscriptus inuenitur; ergo sine fundamento expostulatur. An non reuocatio priuilegij ex concedentis voluntate pendet, non autem ex priuilegiarij voluntate? Ita planè, siquidem priuilegiario renuente fieri potest. Ergo si illius notitia in priuilegiario requiritur, est ob suaue regimen Ecclesiæ, quod certè saluatur, quocumque ex capite notitia habeatur. Sic Suar. *de legib. l.8.c.40.num.7* Bonacina *disp.1.q.3.pun.8. §.3 num.20.*

155. *Necessariò per rescriptum, seu nuncium facienda.* Reuocatio priuilegij debet per rescriptum, epistolam, vel nuncium, ad id destinatum fieri. Quia reuocans priuilegium siue per legem, siue priuatim, tenetur reuocato intimare reuocationem, nè amplius priuilegio vtatur; alias imprudenter operaretur. Ergo quousque ipse intimet, non censetur velle reuocare. Porro reuocatio priuilegij, sicut & legis debet à reuocante publicari; Ergo publicatio quæ à reuocante non procedit, non est publicatio authentica, ac proinde non firmat reuocationem. Ita Basil. *de Matr.lib.8.cap.19.num.14.* Saa *ver.Gratia, num.* 1. Castr. Pal. *tom.1.tract.3.disput.4. pun.21.§ 5.num.4.*

156. *His hæreo.* His hæreo, putans huiusmodi publicationem, & intimationem non propter acceptationem ipsius priuilegiarij, sed propter naturam ipsius reuocationis necessariam esse. Certè id tenentur docere omnes illi, qui asserunt, reuocationem iurisdictionis ordinariæ vel delegatæ debere fieri per nuncium ad id destinatum: neque sufficere notitiam reuocationis aliundè habitam. Quos refert ac sequitur Sanch. *de Matr.l.3.disp.30.num.12.& disput.36.n.9.*

CAPVT XV.

Circà Priuilegij amissionem, aut cessationem.

PROBL. XXI.

Priuilegium absolutè concessum, ad aliquid agendum, vel omittendum vnico actu, finitur, & non finitur, quando verba sunt ambigua, & indifferentia.

157. *Non finitur vnico actu tale priuilegium.* QVando verba priuilegij clara sunt pro vnico actu, procul dubio illis est hærendum, nec vltra priuilegium potest extendi. Vnde difficultas oboritur, quando verba sunt ambigua, & indifferentia ita, vt possint ad vnum actum limitari, vel ad plures extendi, quænam sit regula seruanda? Vnico quidem actu huiusmodi priuilegium non finitur, nisi cesset omnino causa, ob quam fuit concessum. Quia quando priuilegium, seu dispensatio pro vnico actu tantùm conceditur, clarè significatur. Addi enim solet, *Pro hac vice dumtaxat*, semel in vita, vel in morte, & similia, quæ clarè denotant restrictionem. Ergò quando hæc significatio non est clara, sed dubia, non debet ad actum vnicum limitari. Vnde illegitimus dispensatus absolutè ad beneficium potest, illo dimisso, aliud accipere; quia illa dispensatio tendit ad reddendã personam idoneam ad vnum beneficium, qua habilitate supposita, beneficiũ retinere potest. Itẽ si cum habente votũ castitatis dispensetur

ad

ad matrimonium dispensatio intelligenda non de solo vnico matrimonio, sed de aliis, dissoluto priori coniugio. Sic Sanch. *de matr. lib.* 8. *disp.* 31. *num.* 8. Salas *de legib. disp.* 20. *sect.* 19. *n.* 127. Suar. *de legib. lib.* 8. *c.* 29. *n.* 8. Bonac. *disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. §. 2. *n.* 2.

158. *Finitur vnico actu in odiosis.* Facultas, seu priuilegium faciendi aliquid primo actu finitur præcipue in rebus odiosis. Quia quidquid odiosum est, nempè contra alium, est restringendum. Ita Azor. *l.* 5. *c.* 23. *q.* 5. Hentiq. *l.* 12. *de matrimon. c.* 5. *à n.* 7. Glos. *lit. V.* Fauet Bartol. *leg. vlt. ff. de constit. Princ. n.* 6. dicens, priuilegium ad agendum in iudicio finiri, illo iudicio finito; secus verò ad excipiendum; quia priuilegium ad agendum est odiosum, vt pote contra alium, non sic ad excipiendum, est enim in defensionem propriam.

159. *Auctoris sententia, intentionis vestigans concedentis priuilegium.* Ego quidem Bartholi sententiam probans distinctione vtendum existimarem nempe priuilegium aliquid agendi finiri primo actu in rebus odiosis; secus in fauorabilibus. Addo tamen hac in re difficilè esse iudicium ferre, ac regulam generalem tradere. Quia tota perseuerantia priuilegij, vel eius desitio ex intentione, qua concessum fuit, pendet. Hanc autem intentionem vestigare, dum verba ipsa clara non sunt vel ex se vel ex stylo, aut consuetudine, planè difficile. Crediderim vero satis probabiliter vestigari posse ex motiuo, & causa, ob quam fuit concessum priuilegium. Non quia cessante causa, cesset priuilegium: hoc enim non est vniuersaliter verum, sed quia ex ipsa causa concessionis concedentis animus potest exponi. Porrò causa potest esse dupliciter, alia, quæ alicui determinato vsui priuilegij annectatur: alia quæ illi annexa non est. Quando causa ob quam priuilegium conceditur est annexa alicui speciali vsui priuilegij neque aliis communis; tunc priuilegium, finito illo vsu cessat; quia solum pro illo vsu concessum præsumitur. At si priuilegium concedatur ob finem, qui pluribus actibus potest esse communis tunc puto non esse limitandum priuilegium quantumuis odiosum ad vnicum actum, nisi ex verbis, aut alia circunstantia constet, id manifestè Principem voluisse. Quia licet priuilegium odiosum restringendum sit quoad fieri possit: at non extra verborum proprietatem, ac subiectam materiam.

***

PROBL. XXII.

Vt cognoscatur, quando ex defectu causæ finalis cessat priuilegium, necessario est, & non est causa priuilegij Romæ concessi verificanda tempore concessionis.

160. *Non est necessario verificanda tempore concessionis.* SI priuilegium nondum sit integre concessum, quando omninò cessat causa finalis concessionis, nulla est illius concessio. Quia cessat intentio concedentis ob illum finem priuilegium exhibentis. Hinc quæsierim, quando debeat verificari causa finalis priuilegij seu dispensationis, quæ Romæ obtinetur ad contrahendum matrimonium? sufficit verificari tempore, quo ab Ordinario, vel Confessario literæ exequuntur: nec est necessarium verificari tempore concessionis. Quia verè Ordinarius vel Confessarius dispensat. Sufficit ergò tunc causam verificari. Ità Nicol. Garcia 6. *part. de benef. capit.* 2. *num.* 285.

161. *Verificanda tempore concessionis.* Non sufficit verificari tempore quo ab Ordinario, vel Confessario literæ exequuntur, sed necessarium est verificari tempore concessionis. Quia tunc est vera concessio, donatio, seu dispensatio ob finem, & causam allegatam, quæ si falsò allegetur, nulla est concessio ex defectu intentionis in concedente. Sic Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disput.* 4. *punct.* 15. *num.* 2.

162. *Idem existimo.* Idem existimo, imo assero esse decisionem textus in Cap. *Quia circà, de consang.* vbi nulla est dispensatio secundum Glossam, & Doctores ibi, in gradibus prohibitis ad matrimonium contrahendum, eo quod fuerit falsò allegata proles siquidem vnica filia quam habebat ille nobilis, quocum dispensabatur iam erat mortua. Clarius deciditur in Cap. *Si eo tempore de rescrip. in* 6. vbi nulla est prouisio de beneficio curato facta ei, qui tempore datæ carebat ætate legitima, quamuis tempore collationis illam habebat.

PROBL. XXIII.

Est, & non est necessariò verificanda causa finalis priuilegij tempore, quo ab ordinario, vel confessario expeditur.

163. *Non est necessarium verificari tempore, quo ab ordinario expeditur.* NOn est necessarium verificari tẽpore, quo ab ordinario, vel cõfessario expe-

ditur, si verificata fuit tempore concessionis. Quia ordinario, vel confessori committitur dispensationis executio : Ergò dispensatio iam antè illorum expeditionem facta est. Ita Saà *ver. Gratia num. 6. & 10.* Mascard. *de probat. concl. 1128. num. 22.* Rebuf. *in præfat. de rescript. numer. 56. vers. 14.*

164. *Necessarium est, eo tempore verificari.* Etiamsi verificata fuit causa tempore concessionis, necessarium est verificari tempore, quo ab ordinario, vel confessore expeditur. Quia vere ordinarius vel Confessarius dispensat. Quod constat apertè ex verbis indulti : si preces veritati nitantur, cum illis dispenses. Sic Sanch. *de matrim. l. 8. disp. 30. n. 12.* Nicol. Garc. *6. p. c. 2. n. 270. & 289.* Couar. *4. decret. 2. p. c. 6. §. 9. n. vlt.*

165. *Idem existimo.* Cum his sentio, dum video, matrimonium nullum futurum esse, si antè hanc expeditionem dispensationis contrahatur. Ergo signum est non esse dispensatum ante ; igitur si tunc dispensatur, tunc debet adesse causa dispensationis. Constat igitur ex hoc proximo Problemate & tempore concessionis, & tempore, quo ab ordinario expeditur dispensatio causam debere verificari.

PROBL. XXIV.

Cessat, & non cessat priuilegium, seu dispensatio quando ad effectum integrum perducta non est, cessante integrè causa dispensationis.

166. *Cessat priuilegium cessante causa.* CEssat dispensatio adeo vt eius vsus non solum illicitus sed & inualidus sit. Quia facilius tollitur priuilegium, seu ius extraordinarium, & speciale, quale est dispensatio, quam commune. leg. *ius militis*, §. 1. & *ibi* Glos. *ver. Quocumque modo.* Cap. *sed senatusconsultum*, & docent multi alij, quos refert, & sequitur Tiraquel. *tr. cessante causa, limit. 11.* At ius commune cessat cessante eius causa finali, vt apud omnes est compertum. Ergò à fortiori ius speciale. Sanch. *de matr. l. 8. disp. 30. n. 14.* Addit tamen *n. 17.* non ita cessare, quin si postea redeat causa, ob quam fuit concessum priuilegium seu dispensatio, & ipsa redire non possit. Quocirca affirmat, non proprie cessare, sed suspendi eius valorem, quousque causa concessionis præexistat.

167. *Non cessat.* Quando priuilegium conceditur ob causam, quæ integre tunc existit, nullomodo desinit, aut suspenditur ob causæ cessationem. Quia tota causa, quam priuilegium ad sui valorem requirit, est cum priuilegium conceditur. Ergo quod in posterum cesset nihil interest priuilegio. Quia non ob futuram causam, sed propter actu præsentem fuit concessum. Addo, per prinilegium legitimè factum esse priuilegiario ius acquisitum ; eo enim ipso quod est legitima dispensatio, aut priuilegium, habet ius vtendi illo : at ius semel quæsitum non reuocatur ex cessatione causæ, ob quam fuit prius concessum, vt optime, aliis relatis, docet Menoch. *lib. 4. præsumpt. 189. num. 197.* Sic Suarius *de legib. lib. 8. cap. 30. à numer. 12.* Salas *de legib. disputatio. 20. sect. 6. n. 67.* Saà *ver. Gratia, num. 6.* Sylueſt. *ver. Dispensatio. q. 6.*

168. *Secunda sententia Nasarrus, distinctione expendo doctrinam.* Distinguendum censeo inter causas dispensationis, aut priuilegij : aliæ enim sunt integrè existentes, quando conceditur priuilegium ; aliæ vero habent tractum successiuum, sicut & ipsum habet priuilegium. Ex. gr. dispensat tecum Pontifex in voto castitatis ob carnis tentamina, & in impedimento matrimonij ob inopiam, & in pluralitate beneficiorum ob munus quod geris, integra causa dispensationis adest, quando conceditur dispensatio, quia non conceditur dispensatio in castitatis voto ob tentationem præteritam, neque futuram : nec dispensatur in matrimonij impedimento ob paupertatem, quæ non est sed ob illam, quæ de præsenti existit. Verum si Pontifex tecum dispenset in esu carnium ob dubiam valetudinem & in horarum recitatione ob imminentes occupationes ; causa dispensationis non integre existit, sed succedit, sicut succedit vsus dispensationis, & cum illo commensuratur ; dispensat enim Pontifex tecum in vsu carnium propter infirmitatem horum ce dierum : at ob hanc non potest dispensare vt sequenti mense carnes comedas : sed ob infirmitatem, qua tunc laborabis : quia infirmitas huius mensis parum seruit ad honestandum esum carnis in mense sequenti. Quod si mense sequenti integra sis valetudine, iam cessat causa dispensationis. Igitur quoties priuilegium seu dispensatio est de obligatione diuidua, ac successiua, & est concessa ob causam similiter diuiduam ac successiuam : cessante causa, cessat priuilegium. Quoties autem priuilegium, seu dispensatio conceditur ob causam, quæ integre tunc existit nullo modo desinit priuilegium, aut suspenditur ob causæ cessationem Vnde hærendum

dum mihi secundæ sententiæ auctoribus primam quidem reiicienti, quia tam vniuersaliter sumpta mihi probari non potest.

PROBL. XXV.

Rescriptum iustitiæ seu iurisdictio delegata subdelegato ad priuilegium concedendum, perit, & non perit morte delegati prioris superstite primo ordinario delegante, si res sit tam in delegato quam in subdelegato integra.

169. *Non expirat iurisdictio in subdelegato.*

PRæmitto ex sententia Sanctij *de matr. lib.* 8. *disp.* 28. *n.* 8. per solam citationem iuridicam desinere rem esse integram; & perpetuari iurisdictionem in rescriptis iustitiæ: vel ex sententia Cast. Pal. *tom.* 1. *tr.* 3. *disp.* 4. *punct.* 16. §. 1. *n.* 2. sufficere, iudicem iurisdictione vti cœpisse, tametsi citationem non fecerit, at quia commune est citationem requirere, Sanctium esse sequendum. Suppono vlterius, perire rescriptum iustitiæ, & iurisdictionem delegatam, si res delegata integra sit: secus si non sit integra. Quia esto delegatus iurisdictionem acquirat per rescriptum, non radicatur in illo, quousque illam cœperit exercere: neque quando illa cœpit vti, vtitur vt iurisdictione sibi propria sed vt quid delegantis: Ergò pereunte iurisdictione, perit iurisdictio delegata, si res sit integra. His positis, requisierim, si delegatus aliquem subdelegauit, expirauitne iuridictio in subdelegato morte delegati, superstite tamen primo ordinario delegante, si res sit tam in subdelegato, quam in delegato integra? Profecto non expirat inrisdictio in subdelegato. Quia iurisdictio in primo ordinario delegante non expirauit; & in illo specialiter debet radicari iurisdictio in subdelegato. Ita aliqui apud Sanctium *de matr. l.* 6. *disput.* 18. *num.* 36. quorum sententiam ipse putat esse probabilem.

170. *Expirat iurisdictio.*

Expirat in subdelegato iurisdictio. Quia dum subdelegatus vti non cœpit iurisdictione sibi commissa à delegato delegante, non fuit in illo radicata iurisdictio, sed penes delegatum delegantem manet, ita vt pro libito possit subdelegationē reuocare, vel causam reassumere, si subdelegatus moriatur, vt habetur expresse Cap. *Quamuis de offic. delegati in* 6. Ergo si perit delegati iurisdictio, peribit & subdelegati, quæ alia non est, & hoc siue nomine proprio, siue ex commissione expressa ordinarij subdelegauerit. Ita Moli. *tr.* 5. *disp.* 21. *versic. si priori modo* Basil. *de matr. l.* 5. *c.* 260. *n.* 14. *sed præcipue num.* 16. Castr. Pal. *tom.* 1. *tr.* 3. *disp.* 4. *punct.* 16. §. 3. *num.* 5.

171. *Puto expirare si delegatus subdelegauit sine speciali ordinarij commissione.*

Distinguendum mihi cum Sanctio citato: Si delegatus subdelegauit ex commissione sibi facta à primo delegante, non perit iurisdictio subdelegati morte delegati, primo ordinario delegante superstite, siue commiserit partem causæ, siue totam causam. Quia tunc subdelegatus non videtur esse substitutus delegati, sed primi ordinarij delegantis. At si nomine proprio subdelegauit sine speciali commissione iurisdictio subdelegati perit.

PROBL. XXVI.

Licentia mihi data à Pontifice, Episcopo, vel Parocho audiendi confessiones perit, & non perit morte concedentis vel finita eius iurisdictione.

172. *Perit morte concedentis.*

NEcessum est, ad memoriam adducere, quando dicatur *gratia facta* quando *gratia facienda*. Certe illa facultas, quæ tibi datur de prouisione certæ personæ in aliquo beneficio, vel de absolutione, aut dispensatione aliqua facienda in fauorem eius, qui prouidendus aut dispensandus est: *gratia facienda*, si libere possis vti illa facultate; at si tenearis ex præcepto, & mandato illam gratiam præstare, erit *gratia facta*. Quia in priori casu nemini est ius quæsitum per illas literas; non dispensaturo: in eius enim fauorem illa facultas non concediturī (vt suppono) non dispensando: relinquitur enim dispensantis arbitrio, velit nè dispensare. Ergò non habet ius ad dispensationem, ac proinde non est gratia ei facta; at si minister necessarius sit iam censetur gratia facta dispensando, & solum exigitur tunc executio, quam negare non potest: Iam pergo ad quæstionem. Perit quidem priuilegium seu licentia tibi data à Pontifice, Episcopo, vel Parocho audiendi confessiones in pœnitentium fauorem, morte concedentis, seu finita eius iurisdictione. Quia iurisdictio delegata perit morte concedentis, si res fuerit integra. Quia non radicatur in delegato, sed manet penes delegantem, quo-

vsque delegatus ea vti cœperit. Ergò similiter hæc iurisdictio ad audiendas confessiones, seu dispensationes faciendas peribit concedentis morte, si quidem est iurisdictio delegata. Item hæc facultas semper videtur data in fauorem pœnitentium; sed illis non est gratia facta, sed facienda. Ergo perit morte concedentis iuxta regulam communem illam: si facta sit gratia non expirat finita iurisdictione concedentis: secus vero si sit facienda. Cap. *si super gratia, de offic. deleg. in 6.* & cap. *si cui nulla, de præbend. in 6.* Sic Nauar. *c. 27. n. 264. &c.*

173. *Non perit morte concedentis.* Licentia concessa tibi audiendi confessiones pœnitentium per Pontificem, Episcopum, vel Parochum, non perit morte concedentis. Quia est gratia facta præcipue ipsi sacerdoti, potius quam pœnitentibus, cum non sint ipsi expressi, & nominati, & ad ipsorum petitionem; gratia autem facta non perit concedentis morte. Ita Sanch. *de matr. l. 8. disp. 28. num. 72.* Salas *de legib. disp. 20. sect. 17.* Suar. *l. 8. de legib. cap. 31. n. 3.* Coninch. *disp. 8. de sacr. dub. 10. n. 79.* Saà *ver. gratia, n. 4.*

174. *Idem censeo.* Idem existimo. Fateor enim, iurisdictionem delegatam, si sit in materia iustitiæ, morte concedentis deperire; quia ita decernitur in Cap. *gratum.* Cap. *Relatum,* Cap. *licit, de offic. deleg.* At cum in materia gratiæ nihil determinetur, non debet morte concedentis perire. Addo, in materia iustitiæ totam iurisdictionem delegatam censeri factam in fauorem eorum, qui iudicandi sunt, non in fauorem ipsius iudicis, secus vero in delegatione gratiosa.

PROBL. XXVII.

Datur tibi priuilegium, vt aliquas determinatas personas absoluas vel cum illis dispenses ob illarum fauorem: certè tunc, si res integra sit expirat, & non expirat priuilegium morte concedentis.

175. *Expirat priuilegium.* INdultum expirat. Quia tunc est *gratia facienda*, & non *facta*, quæ quidem gratia facienda (vt vidimus) morte concedentis, integra expirat. Sic Sanch. *de matr. l. 8. disp. 28. n. 73.* Garcia *6. p. de benef. c. 2. n. 137.* Bonac. *disp. 1. quæst. 1. punct. 8. §. 1. n. 25.*

176. *Non expirat.* Non expirat indultum. Quia potestas tibi data ad dispensandum, vel absoluendum non solum est gratia illius, cui est absolutio, vel dispensatio concedenda: sed etiam tui; si quidem tu vt magis idoneus electus es ad illa munera gerenda. Ita Saa *ver. dispensatio, n. 6.* Salas *de legib. disput. 20. sect. 17.* Basil. *de matr. l. 8. cap. 19. §. 1. n. 5. &* 8. Suar. *l. 8. de legib. c. 31. n. 18.*

177. *Secundam sententiam in conscientia securam puto, sed primam in praxi consulendam.* Ego quidem puto primam sententiam in praxi consulendam, tamen in conscientia securum, qui opinetur huiusmodi sibi indultum non perire, propter secundæ sententiæ fundamentum. Nec obstare censeo textum in Cap. *si cui nulla de præbend. in 6.* ibi enim solum deciditur, facultatem concessam alicui super prouisione certæ personæ facienda, expirare, si non ob suam sed eius, cui prouideri mandatur, gratiam sit concessa. Quare si non solum ob gratiam eius, cui prouideri mandatur, sed etiam ob prouisorem priuilegium concedatur, minime expirat.

PROBL. XXVIII.

Conceditur tibi priuilegium eligendi confessarium siue determinatum, siue indeterminatum, qui te à reseruatis absoluat, vel tecum dispenset: hæc facultas seu priuilegium perit concedentis morte, re integra.

178. *Non perit priuilegium.* NVllatenus perit. Quia est gratia iam facta tibi, & beneficium legitime à te possessum, ratione cuius potes confessarium eligere. Sic Henriquez *l. 7. cap. 21. §. 6.* Suar. *tom. 4. de Pœn. disp. 26. sect. 3. n. 7. & lib. 8. de legib. c. 31. n. 3. &* 19. Sanch. *de matr. l. 8. disp. 28. n. 72. &* 75.

179. *Priuilegium perit.* Perit planè in licentia per Episcopum aut alium summo inferiorem Præsule. Quia non tam ample potestas inferior exeritur. Sic Angel. Philiar. Gomezi. relati à Garcia *p. 6. de benef. cap. 2. numer. 316.*

180. *Primam sententiam teneo.* Sine limitatione vlla primæ sententiæ morem gero, addens quidem, hanc doctrinam à fortiori in facultate eligendi confessarium data per Iubileum procedere, quia huiusmodi facultas est accessoria facultati lucrandi indulgentiam, quæ cum sit gratia iam facta, & concedentis morte non expirat: neque etiam priuilegium eligendi confessarium, quod illi est accessorium. Deinde addiderim à fortiori procedere in facultate concessa eligendi confessarium per Bullam cruciatæ; quia est gratia iam facta Regi in cuius fauorem, pro expeditione belli contra infideles conceditur. Et in facultatem recipiendi

Ordines

Ordines extra tempora, vel non ſeruatis interſtitiis, celebrandi in priuato oratorio, comedendi carnes diebus prohibitis, & aliis ſimilibus; quia hæ omnes ſunt gratiæ factæ ipſi, cui huiuſmodi priuilegia conceduntur, ac proinde non poſſunt concedentis morte deperire.

PROBL. XXIX.

Tibi à Pontifice vel eius legato datur priuilegium, ſeu mandatum, vt in aliquo beneficio tunc vacante prouidearis: hoc priuilegium expirat, & non expirat morte concedentis, re integra.

181. *Expirat morte concedentis.* EXpirat ſanè. Quia mandatum morte mandantis expirat, *leg. Mandatum.* Cap. *Mandati*, & §. *Recte. Inſtit. eodem tit.* Cap. *Gratum* Cap. *Relatum, de officio delegati.* Porro textus in Cap. *Si cui nulla* id videtur decidere fatus perire gratiam, ſi ſuper prouiſione certæ perſonæ facienda detur poteſtas alicui, & res fuerit integra, cum concedens moritur. Sic Man. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. quæſtion.* 9. *artic.* 1. Zerol. 2. *parte praxis Epiſcop. ver. Delegatus*, §. 1. Sanch. inclinat *l.* 8. *de Matr. diſp.* 28. *numer.* 43. 64. & 81.

182. *Non expirat.* Profecto non expirat. Quià eo ipſo, quòd de prouiſione certi beneficij obtinuiſti priuilegium, ſeu mandatum, ius acquiſiiſti ad beneficium, quod quidem ius maxima debet gratia reputari: ac proinde morte concedentis non ceſſat re integra, ex Cap. *ſi ſuper gratia de offic. deleg. in* 6. Sic Gutierrez *l.* 2. *can. qq. c.* 17. *n.* 5. Henriq. *l.* 14. *c.* 17. *n.* 7. Sanch. citat *numer.* 87. Garcia 6. *parte de benef. cap.* 2. *numer.* 300. & alij plures ab eiſdem relati.

183. *Idem aſſero.* Subſcribo adiiciens ad vberiorem doctrinæ expoſitionem, præfatam ſententiam procedere etiam ſi detur mandatum de prouiſione certæ perſonæ ad certum beneficium cum cauſæ cognitione, & citatione partis. Quia ſemper habet rationem gratiæ factæ, & executoris poteſtas acceſſoria gratiæ reputatur. Sic ex Paulo, Rebuf. Gutier. Sanctius citat. *num.* 88. Garcia *num.* 303. Vnde ſi tibi ſit gratiæ reſcriptum conceſſum, ratione cuius aſſignatur certa penſio ſuper aliquod beneficium, non expirat hoc reſcriptum morte Pontificis concedentis; ſed executor poterit ad illius executionem procedere. Sic Gigas *de penſion. quæſt.* 91. Gutier. *l.* 2. *Canon. qq. cap.* 17. *num.* 5. Sanch. *vbi ſup. num.* 88. Si tamen committeretur aſſignatio penſionis, quæ executori videbitur, tunc, aſſerente Garſia, Mendoſio, Roderico, expirat; quia non cenſetur gratia facta, ſi quidem non eſt de re certa & determinata. At, docente Sanctio, non expirat; quia non eſt leuis gratia habere mandatum ſuper prouiſione incerti beneficij; quod probabile ſatis opinor.

PROBL. XXX.

Concedit mihi Princeps hac in forma priuilegium: Concedo tibi licentiam ad annum, ad meum beneplacitum: profectò priuilegium, vltra annum prorogabitur, & non prorogabitur, ſi Princeps vltra annum viuit.

184. *Prorogabitur priuilegium poſt annum.* SI priuilegium, aut reſcriptum gratioſum conceſſum ſit pro aliquo tempore limitato v.gr. anni vnius: ſi intra annum illum concedens moriatur, non perit, ſed valet, quo vſque annus terminetur. Ex. gr. priuilegia Cruciatæ non pereunt morte concedentis contingente intra annum illum; quia pro duratione anni vnius fuere conceſſa, & ſic ſunt gratia facta pro illo anno. Quæſtio procedit, ſi Princeps concedat priuilegium ſub forma præfata: *Ad annum ad meum beneplacitum.* Planè priuilegium prorogabitur poſt annum. Quia illa conceſſio reddit hunc ſenſum: Concedo tibi licentiam ad annum, & vlterius ad meum beneplacitum. Sic Henriq. *lib.* 7. *de Indulg. cap.* 21. *num.* 4. Gabri. *tom.* 3. *commun. opin. l.* 6. *tit. de præbend. concl.* 2. *n.* 31. Sanch. *de Matr. diſp.* 28. *à n.* 50. & *ſpecialiter de Bulla n.* 78.

185. *Non prorogabitur.* Certe non prorogabitur poſt annum, etiam ſi concedens ſit ſuperſtes. Quia verba illa. *Ad beneplacitum meum* non videntur extenſiua prioris voluntatis, ſed potius reſtrictiua illius, & hunc reddere ſenſum: Ad beneplacitum meum tibi concedo priuilegium per annum, id eſt licentiam tibi conceſſam per annum volo eſſe dependentem à mea voluntate. Ita Suarius *de legib. l.* 8. *cap.* 32. *n.* 11. & 12. Caſtr. Pal. *tom.* 1. *tr.* 3. *diſp.* 4. *punct.* 16. §. 5. *num.* 3.

186. *Hoc puto probabilius.* Hoc probabilius. Nam ſi Princeps concederet licentiam per annum, & adderet. *Niſi reuocauero*, quis dubitet, vltra annum non prorogari vltra annum; ergo neque cum dicit, *Ad beneplacitum*

meum. Certe sensum illum à Sanctio excogitatũ extra verborum proprietatem reor esse perfectum, duplicem enim constituit concessionem, scilicet ad annum, & vlterius ad beneplacitum: cum tamen verba eam non admittant; non enim est concessio facta per propositionem hypotheticam, sed cathegoricam: neque per copulatiuam, sed per simplicem.

PROBL. XXXI.

Priuilegium sub illis terminis datum: Concedo tibi priuilegium ad annum ad meum beneplacitum, *perit, & non perit, si intra annum concedens moriatur.*

187. *Priuilegium non perit.* NOn perit. Quia potest habere hunc sensum propositio: Concedo tibi licentiam ad beneplacitum meum, id est, ex beneplacito meo; qui sensus non denotat conditionem concessionis, sed potius causam illius: ac proinde pro toto anno, etiam mortuo intra illum concedente, perseuerat. Sic Suar. *de legib. c.* 32. *n. vlt.* Henriq. *c.* 21. *n.* 4.

188. *Perit priuilegium.* Certè si intra annum moriatur concedens, perit priuilegium sub illis terminis datum. Quia datur per annum ad beneplacitum: & cum beneplacitum pereat, pereunte persona, perit priuilegium. Castr. Pal *to.* 1. *tr.* 3. *disp.* 4. *punct.* 16. §. 5. *n.* 3.

189. *Prima hæreo sententia.* Censuerim probabilem satis hanc mei Ferdinandi de Castro expositionem. Sed probabiliorem Suarij sententiam: quia verborum vi magis hærentem.

PROBL. XXXII.

Quando Princeps sine anni limitatione concedit priuilegium, addens Ad beneplacitum meum, *vel* Quandiu voluero, *aut* fuerit nostra voluntas: *perit, & non perit morte concedentis.*

190. *Non limitatur gratia ad vitam concedentis.* EX hisce verbis non limitatur gratia ad vitam concedentis, sed prorogatur post illam, quousque reuocetur, Quia videntur in communi loquendi modo æquiualere illa verba: *Ad beneplacitum meum* his verbis: *Donec reuocauero*, seu aliter dispoſuero, dum enim aliter non disponitur, semper illa prima voluntas persistere videtur. Ita Eman. Saa *ver. Gratia, num.* 7. profatus in vtraque editione genuina, ac reformata. *Gratia, in qua dicitur*, Donec voluero, *vel* Donec aliter ordinauero, *vel* Ad beneplacitum sedis Apostolicæ, *durat mortuo concedente.*

191. *Limitatur gratia.* Ex hisce verbis limitatur gratia ad vitam concedentis, & priuilegium omninò perit. Quia post mortem nec est voluntas, nec vllum velle, aut beneplacitum; ac proinde cessat conditio, sub qua fuit gratia facta. Cap. *Si gratiosè, de rescriptis, in* 6. Ità Cast. Pal. *to.* 1. *tr.* 3. *disp.* 4. *punct.* 16. §. 5. *n.* 4.

192. *Primam sententiam teneo.* Cum Emanuele Saa sentio verosimiliorem esse prioris sententiæ expositionem: quam confirmo ex vsu, & consuetudine ordinariorum, cum facultatem Religiosis, & aliis personis concedunt sacramenta administrandi: subiungunt enim ferè semper, se velle, vt illa licentia efficaciam habeat, *Dum fuerit nostra voluntas*: at ex his verbis non reputantur licentiæ cessare, quousque reuocentur.

CAPVT XVI.

Circà viuæ vocis Oracula.

PROBL. XXXIII.

Per constitutiones Vrbani VIII. & Gregorij XV. reuocantur, & non reuocantur viuæ vocis oracula, quæ postea per Bullam, seu Breue fuere confirmata.

193. *Non reuocantur.* VIdimvs Gregorium XV. ac Vrbanum VIII. reuocasse omnia, ac singula priuilegia, gratias, ac concessiones quascumque viuæ vocis oraculo factas quibusuis Ordinibus, exceptis oraculis factis S.R.E. Cardinalibus. Quæsierim, num per hasce constitutiones reuocata etiam sint viuæ vocis oracula, quæ etsi primitus verbo tenus concessa sint; postea tamen per Bullam, vel Breue fuerunt confirmata ex certa scientia, seu plenitudine potestatis? Non sunt reuocata, non solùm quando viuæ vocis oracula huiusmodi expresse ac nominatim referuntur in Bulla: sed etiam quando in genere aut in communi sub nomine viuæ vocis oraculi innouantur, aut confirmantur, ex certa scientia, seu cum illa clausula: *Quorum tenores quasi de verbo ad verbum, &c.* Itaque viuæ vocis oracula concessa Religionibus Mendicanti-

cantibus

cantibus ante Pium V. aut Gregor. XIII. non reuocantur per præfatas constitutiones. Quia ipse Pius V. in bulla *Etsi Mendicantium Ordines.* & Greg. XIII. in constitutione, *ex benigna* confirmarunt omnia priuilegia etiam viuæ vocis oraculo concessa Mendicantibus, & iam desinunt esse concessa per viuæ vocis oraculum, & sunt concessa per nouas horum Pontificum constitutiones. Ita Peyrin. *tom.3.de priuil. c.12. constit.18. aliàs 28. Vrbani VIII. n.1.* Lezan. *tom. 4. ver. oracula viuæ vocis numer.4.*

194. *Reuocantur planè.* Reuocantur planè. Quia adhuc post Bullam, aut Breuem remanent oracula, ac consequenter obnoxia reuocationi; aliud est enim, aliquod priuilegium confirmari, & innouari, si aliàs non subsistebat, quod fit per confirmationem *ex certa scientia*, seu *ex plenitudine potestatis*: aliud transire in naturam & conditionem bullæ exuendo nomen oraculi. Priori enim modo oraculum innouatum adhuc remanet oraculum: in quo sensu cum ea priuilegia fuerint confirmata vt oracula à Pio V. & Gregorio XIII. concluditur à Gregorio XV. ac Vrbano VIII. fuisse reuocata. Posteriori autem modo si quæ sunt sic innouata, & confirmata nulla mentione de ipsis facta vt oraculis in actu signato: non amplius Oracula sunt, sed priuilegia per Bullas aut constitutiones concessa: ac proinde non intelliguntur reuocata, eo quod nunc nulla ratione sint oracula. Itaque in sensu priori reuocata omnino censentur. Ita Bordon. *resol.31. q. 5.*

195. *Idem existimo.* Idem existimo, licet primæ sententiæ me fateor addictum, quam profiterer, ni veritus essem, Pontificum menti minus esse conformem. At vt tutius agas tibi inquirendum, quid stylus Romanæ Curiæ ferat, aut seruet.

PROBL. XXXIV.

Per Constitutionem Gregorij XV. & & Vrbani VIII. reuocantur, & non reuocantur indulgentiæ viuæ vocis oraculo concessæ.

196. *Reuocantur Indulgentiæ.* REuocantur planè. Quia sunt gratiæ, ac priuilegia viuæ vocis oraculo concessa; Igitur si omnia priuilegia huiusmodi censentur reuocata, etiam indulgentiæ reuocatæ esse censendæ sunt. Ita Lezana *tom.4.ver.oracula, n.5.*

197. *Non reuocantur.* Non quidem reuocantur. Quia in præfatis Pontificum Constitutionibus nulla de Indulgentiis fit expressa mentio. Sic Peyrin. *tom.3.ad hanc Constit.Vrbani VIII. c.12.n.1.* Bordon. *resol.31.q.4.*

198. *Idem opinor.* Idem opinor ratus haud commodè Indulgentias posse venire nomine priuilegiorum, ac gratiarum; sunt enim omninò diuersæ: & à diuersis non fit illatio præcipuè in odiosis, qualis hæc constitutio tot priuilegiorum reuocatoria. Porro Indulgentias gratiarum nomine non efferri colligo ex Nauarro *consil.17.de pœnit.n.3.* asserente Indulgentias non venire sub nomine indulgentiarum, & gratiarum, quas solent reuocare summi Præsules per Cancellariæ regulas suæ assumptionis initio.

PROBL. XXXV.

Viuæ vocis oracula, quæ suum iam sunt effectum sortita ante præfatas Pontificum Constitutiones hoc tempore valent, & non valent.

199. *Non valent hoc tempore.* NOn valent hoc tempore. Quia licet per Constitutionem Gregorij XV. non reuocantur, vt patet ex ipsius contextu, & declarauit sancta Congregatio die 2. Aprilis anno 1625. per Constitutionem tamen Vrbani VIII. cum nil tale dicatur, reuocari videntur, saltem quatenus effectum pro futuro tempore respiciunt. Ita Bassæus *ver.Priuilegium 1.n.8.*

200. *Valent hoc tempore.* Valent quidem hoc tempore vel quoad Vrbani Constitutionem. Quia inibi contrarium non exprimitur. Si enim Vrbanus in hoc coarctare Gregorij constitutionem voluisset, debebat illud declarare. Sic *quidam*, quos suppresso nomine Bassæus memorat. Legendus Lezana. *tom.1. c.3.n.21.*

201. *Hanc mentem amplectitur.* Idem asseruerim videns optimæ notæ Religiosos post Vrbani Constitutionem adhuc vti viuæ vocis oraculo celebrandi Officium de Immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis quolibet die Sabbati non impedito, nulla noua concessione facta, vnde colligo, oraculum illud adhuc vigere, cum id publicè fiat, vidente, nec contradicente. Pontifice.

LIBER SEPTIMVS.

BVLLA CRVCIATÆ.

PROLVSIO.

MAGNVM Bullæ Cruciatæ Priuilegium tot priuilegiorum colligationem tractationi de Priuilegijs appositè adnectendum duxi, ex quo velut ex generali principio & Censurarum, & Sacramentorum, & Indulgentiarum materijs necessarius fulgor exponitur. Bullæ ergò viuorum, defunctorum, compositionisque, nec non Commissarij Bullæ potestatis certas, ac Problematicas assertiones adnecto.

SECTIO PRIMA.

De Bulla Cruciatæ Receptiores absque lite sententiæ.

CAPVT I.

Quid Bulla, quis auctor, & interpres.

1. *Bullæ Cruciatæ definitio.*

SIc Bulla describitur: Bulla Sanctæ Cruciatæ à summo Pontifice Hispaniarum Regi Catholico in subsidium belli contra infideles concessa varia, eaque vtilia priuilegia, & indulta continens. Dicitur Bulla *Sanctæ Cruciatæ*, quia similes indulgentias concessit Vrbanus II. cruce rubea insignitis, euntibus ad recuperandam Terram Sanctam. Henriq. *l.7. de Indulg. c.29. n.3. in Glos.lit. O.* Alfons. Ciaconi. *tom.1. de vit. Pontif.*

2. *Quatuor Bullæ partes.*

Quatuor sunt præcipuæ Bullæ Cruciatæ partes, Bulla viuorũ, Bulla defunctorũ, Bulla Compositionis, & Commissarij facultas. Porrò Commissario generali summus Pontifex facultatem concedit in fine Bullæ §. *Cæterum* summarium Indulgentiarum, & priuilegiorum, quod Bullam vocitamus, de latino idiomate in vulgarem linguam iuxta ritus Prouinciarum, vbi publicatio facienda est, non mutata illius substantia, conuertendi, præmisso aliquo idoneo proœmio; cui transumpto standum esse Pontifex decreuit. Hac ergo facultate vsus Commissarius Bullam Latinam in linguam vulgarem conuertit, totum transumptum in tres quasi partiales Bullas distinctionis causa diuidens, scilicet Bullam viuorum, defunctorum, & compositionis. Bulla viuorum est summarium Indulgentiarum, & facultatum, quæ ad viuos spectant. Bulla defunctorum dicitur, summarium Indulgentiæ defunctis per modum suffragij concessæ. Compositionis Bulla est, quæ continet casus, in quibus de bonis incertis potest fieri compositio: quibus Commissarius libellum de ipsius facultate ex Bulla Latina desumptum adiecit. Ægid. Trul. *Proœ. ad Bul. dub.1.*

3. *Auctor Bullæ est summus Pontifex.*

Pontifex summus Bullæ S. Cruciatæ est auctor. Quia omnia, quæ in illa cõtinẽtur, à Romano Pontifice conceduntur. Profecto eadem certitudine tenendum est posse summum Præsulem hanc Bullam concedere, qua credimus posse concedere indulgentias. Debet autem iusta ac sufficiens causa adesse, censeturque causa iusta eleemosyna illa à Commissario Cruciatæ in belli subsidium taxata. Quia licet duæ dragmæ, si solæ sumantur, non videntur sufficiens causa tantæ concessionis: sunt tamen simul collectæ; sic enim ingentem summam aureorum conficiunt. Nauar. *consil.18. de pœnit. l.5.* Henriq. *l.7. c.14. n.5.*

Inferiorẽs

4. Inferiores à Papa id est. Archiepiscopi, Episcopi non possunt concedere Bullam Indulgentiam plenariam continentem. Quia vt habetur Cap. *Cum eo de pœn.* Episcopi solum possunt concedere vnius anni indulgentiam in consecrationis Ecclesiæ die: & extra illum diem indulgentiam quadraginta dierum. Nec possunt Episcopi concedere Bullam continentem facultatem absoluendi à reseruatis Papæ, & vota ipsi reseruata commutandi. Trul. *Proœ. dub.* 2.

Inferiores à Papa non possunt concedere plenariam indulgentiam

5. Cruciatæ concessio duxit initium ab Vrbano II. qui floruit anno Dominico 1088. Primus autem Pontifex, qui Cruciatam pro Regibus Hispaniæ concessit fuit Iulius II. anno 1509. Secūdus Leo X. anno 1517. Tertius Clemens VII. anno 1529. Quartus Paulus III. anno 1535. & 1537. Quintus fuit Iulius III. anno 1555. Sextus Paulus IV. anno 1559. 1562. 1563. Septimus Pius V. anno 1571. Octauus Gregorius XIII. anno 1573. 1576. Nonus Sixtus V. anno 1585. Decimus Gregorius XIV. anno 1591. Vndecimus Clemens VIII. anno 1592. 1600. 1603. Duodecimus Paulus V. anno 1605. Decimus tertius Vrbanus VIII. anno 1625. Decimus quartus denique sanctissimus Dominus noster Innocentius, qui nunc clauum gerit Ecclesiæ. Azor. *to* 2. *l.* 5. *c.* 17. Henriq. *l.* 7. *de Indulg. c.* 3. §. 1. *lit. A.* Lara. *l.* 1. *trium gratiar.*

Origo Cruciatæ.

6. Iuridica, autentica, certa, & infallibilis priuilegiorum Cruciatæ interpretatio ex officio iureque ordinario ad solum summum Præsulem spectat. Quia eius est talis interpretatio, cuius est legem, vel priuilegium concedere; legem autem vniuersalem condere, vel aliquem ab ea eximere, solius Principis est; ergo ad ipsum solum spectat iuridica, & autētica priuilegij Cruciatæ interpretatio. Dixi, *ex officio*, *iureque ordinario*: nam ex Pontificis commissione potest alius priuilegium interpretari & de facto Commissario Bullæ generali facta est à Pontifice facultas dubia quæque circa Cruciatæ textum emergentia, interpretari posse. Cuiquidem interpretationi standum est in omnibus tribunalibus, eamque tenentur amplecti omnes Iudices etiam Cameræ Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ Cardinales. Lara *l.* 1. *trium grat.* §. *de las facultades. fol.* 60. præmissa tamen sapientum consultatione, vt ait Henriq. *l.* 7. *de Indulg. c.* 29. §. 3. & colligitur ex vltimis Bullæ Latinæ clausulis.

Iuridica, ac certa Bullæ interpretatio ad solum Papam spectat.

7. Doctrinalis, doctoralis, & probabilis Cruciatæ priuilegiorum interpretatio Doctoribus, & literatis licita est. Quia talis legum, & priuilegiorum interpretatio licita est in communi & absolutè loquendo Doctoribus & literatis: ergo similiter erit licita doctoralis priuilegiorum Cruciatæ interpretatio, præsertim cum nulla prohibitio, quæ huiusmodi interpretationem prohibeat, reperiatur. Truleac. *in Proœ. dub.* 3.

Doctrinalis, & probabilis interpretatio Bullæ licita est literatis.

8. Porrò priuilegia Bullæ provt continent actualem iuris dispensationem, sunt strictè interpretanda, nec extendenda vltrà propriam verborum significationem, & naturam. Quia actualis dispensatio exorbitat à iure communi; lex autem quæ omnibus est æqua, si ius commune lædat ipsum corrigens, est odiosa, & valde restringenda. Cum ergo concessio & dispensatio particularis, seu in actu exercito, ipsum ius violet, erit odiosa, & strictè intelligenda. Henriq. *l.* 7. *c.* 30. *n.* 2. Sanch. *l.* 8. *de Matr. disp.* 2. *n.* 7. Rodrig. 1. *to. q.* 11. *a.* 9. Sayr. *in Thesau. l.* 6. *c.* 11. *n.* 19.

Priuilegia Bullæ provt continent actualem iuris dispensationē, sunt strictè interpretanda.

9. Si autem priuilegia Cruciatæ sumantur provt continent potestatem dispensandi, commutandi, vel absoluendi, non sunt strictè, sed latè interpretanda. Quia potestas dispensandi est fauorabilis, & sicut Principis beneficium latè intelligenda est. Henriq. *l.* 7. *c* 30. *a.* 10. Dian. *p.* 1. *tr.* 11. *resol.* 98. Rodrig. *to.* 1. *q.* 11. *a.* 9.

Provt continent potestatē dispensandi, &c. laxè intelligenda sūt.

Caput II.

De iis, quibus Bulla Cruciatæ prodest, & quomodo vt prosit, accipienda.

10. Personæ, quibus Bulla conceditur, sunt Catholicus Rex Philippus, & omnes Christi fideles existentes in Regnis, ac dominiis Hispaniarum, in Insulisque eis adiacentibus, in Sicilia vltra Pharum in Sardiniæ Regnis, omnibusque terris, ac dominiis Terræ firmæ, & Indiarum Maris occeani, seu aliàs nuncupatis Regi Catholico Philippo subiectis. Quibus verbis conceditur Bulla Lusitanis sub Regis Philippi agnata quidem ditione existentibus. Conceditur etiam personis ad prefata Regna, ac loca cōfluētibus. Hęc omnia patent ex latino Bullæ contextu, & in indiuiduo explicātur lingua vulgari nostra ab Alfōso de Lara *l.* 1. *trium grat.* §. *Los Reynos fol.* 113.

Quibus Bulla prosit.

11. De Bulla accipienda nullum adest præceptum, vnde nullus suis expensis tenetur Cruciatam accipere, vt à reseruatis,

Non est præceptum de Bulla accipiēda.

uatis absoluatur. Quia quamuis indulgentia sit vtilis, non tamen est opus præcepti, sed consilij; ergò nec indulgentiæ, nec facultates Bullæ cadent sub præcepto. Henriq. *l.7.c.9.n.1.*

12. *Necessarium est Bullam accipere, vt quis indultis eius potiatur.*

Vt quis Bullæ indultis valeat potiri, necessarium est, vt eam accipiat. Quia expresse Pontifex id præcipit, & quia priuilegia oneris ablatiua, qualia sunt Bullæ non sortiuntur effectum antè recipientis acceptationem; non enim beneficium præstatur inuito. Vnde sola intentio accipiendi Bullam, non sufficit, vt quis eius frui priuilegiis valeat. Commune hoc ex Bulla latina indicente, vt accipiatur.

13. *Non sufficit dare stipem, & nomen.*

Non sufficit dare stipem, nomenque apud depositarium, vt gaudeas Bulla, scribere, si eam reuera non accipias. Quia Bulla latina expresse præcipit, vt accipiatur, & retineatur. Henriq. *l.7.c.20.n.3.*

14. *Acceptanda est, & applicanda.*

Vt accipiens Bullam possit ipsius priuilegiis frui, necessarium est, vt eam acceptet, & sibi applicet. Quia id Pontifex significat, dum profatur: *Vt Bullam accipiat, & apud se retineat.* Henriq. citat. Hinc Petrus accipiens Bullam cum intentione applicandi eam Antonio, qui iam alteram acceperat, potest illam alteri applicare; quia antè acceptationem adhuc manet in pendenti. Dian. *p.1. tract.11. resol.95.*

15. *Non potest acceptata Bulla in alium transferri.*

Semel acceptatam à te Bullam non potes in alium transferre, siue translatio fiat data stipe, siuè libere, & gratis. Quia Indulgentiæ consecutio, quæ conceditur priuatæ personæ, non potest pro sola voluntate eius in alium transferri; ergo nec Bulla acceptata, & applicata potest pro sola voluntate eius in alium transferri, nisi id Pontifex exprimeret. Henriq. *l.7.c.8.n.1. in Glos. lit.13.*

16. *Si non acceptasti, potes transferre in alium.*

Si habens Bullam, non eam sibi acceptauit, seu applicauit, potest eam in alium gratis, seu data stipe transferre, vel eam Commissarius recuperare. Vnde si iam acceperam Bullam, & parentes aut amici mittant ad me aliam, vel alios, quas nomine meo acceperant, & inscripserant, licet mihi eas sub stipe in alios transferre. Quia quandiu non acceptaui, applicatio est in pendenti. Rodriq. §.12. *num.*17. Henriq. *l.7.c.8.n.1. lit.B.* Villalo. *part.2. tr.27.n.23.*

17. *Potes accipere Bullam pro alio existente in Hispania ditione.*

Vnus pro alio siue præsenti siue absenti potest Bullam accipere, dummodo is pro quo Bulla accipitur adsit intra Regna, in quorum fauorem est Bulla concessa Quia Bulla non exigit, ne personaliter promulgationi adesse; quod enim per alios facimus, per nos ipsos gessisse iudicamur. Tunc autem incipit quis priuilegiis Bullæ potiri, quando Bullam ad se missam acceptat, vel de Bulla pro se accepta per testimonium fide dignum admonetur. *Ex Bul. tenore.*

18. *Non prodest Bulla ei, qui extra Regna adest, cum sit certior, te pro illo Bullam accepisse, cum in Hispania moraretur.*

Si Vallisoleti Bullam accipio nomine amici etiam in Hispania existentis; sed cum certior fit, Bullam à me suo nomine fuisse acceptam, iam ipse apud Italiam commoratur, nil prodest ei Bulla ad eum immissa. Quia Pontifex apertè declarat, vt susceperus Bullam extra Regna, quibus conceditur, non adsit. At si postea ad Regna, in quibus publicatur, accedit, tuncque acceptam Bullam, ac acceptationem inualidam extra prædicta Regna factam reualidat, ei proderit Bulla. Quia completa Bullæ receptio fit dum illam acceptat, at acceptatio fit in loco, vbi Bulla est concessa; ergo poterit sic acceptans Bullæ priuilegiis vti. Sic quidam recentiores apud Trul. *l.1. de Bulla Cruc. §.1. dub.3.*

19. *Satis est, Bullam apud alium habere.*

Vt acceptans Bullam, ea fruatur, satis est, vt illam apud se, vel apud alium habeat. Quia quamuis in Bulla latina præcipiatur, vt recipiens eam apud se retineat, id tamen est moraliter intelligendum, scilicet vt domi habeat, vel apud alium in sua potestate conseruet. Henriq. *l.7.c.2.n.3.* Rodrig. §.12. *n.17.*

20. *Si Bulla inculpabiliter amittatur, aut comburatur, eius potiris indultis.*

Si contingat, Bullam inculpabiliter amitti, vel comburi, illius indultis potiere. Quia finis, ob quem Bulla est conseruanda, verè saluatur, nimirum nè circa gratias tibi concessas culpabiliter possis errare, ne ve alius eas tibi vsurpare queat: censeris namque moraliter Bullam retinere. Henriq. *lib.7.cap.2.§.3. lit. A.* Villal. *tract.27. clauf.12. num.24.* Ludou. de la Cruz. *disp.1. cap.2. dub.2. num.2.*

21. *Non est necessarium, proprium in Bulla nomen scribere, sed vtile est.*

Necessarium non est, proprium nomen in Bulla scribere, vt eius priuilegiis gaudeas. Quia id nullatenus in Bulla latina præcipitur. Quare verba apposita in Bulla Hispanica à Commissario, *Recebistes la dicha Bulla, escrito en ella vuestro nombre*, non præceptum, sed consilium indicant. Expedit tamen proprium nomen scribere, vt si in morbum incideris, loquelæque vsum amiseris, constet te habere Bullam possisque indulgentia plenaria potiri, à reseruatis absolui & sepultura Ecclesiastica tempore interdicti donari. Rodrig §.12. *n.18.* Henriq. *lib.7. cap.20. §.5. lit. R.*

Necessarium

22. *Necessarium est esse Hispaniæ vicinus aut hospes.*

Necessarium est, vt fruaris Bullæ priuilegiis, intra Hispanica Regna seu tanquam vicinum & habitatorem commorari, vel ad ea declinare, aut obiter in eis reperiri. Quare prodest Bulla accipientibus eam non tantum dum sunt Hispaniarum ciues, sed etiam si fuerint alienigenæ exteræ nationis, si modo adsint intra Hispaniarum ditionem, vel alia Regna, in quorum fauorem Bulla conceditur. Quia in principio Bullæ asseritur his prodesse, qui non solum habitant in Hispania; sed etiam illis, qui ad illa Regna declinant, & in illis fortè consistunt. Rodrig. §. 1. *num.* 7. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 20. *n.* 6.

23. *Si tendas in Hispaniã solo animo accipiendi Bullã, & mox discedendi, non proficit.*

Si quis v. gr. Gallus, aut Italus in Hispaniam tendat solo animo accipiendi Bullam, & ea acceptata statim suam repetat ad Patriam, non fruitur Bullæ priuilegiis. Quia hic non commoratur in Hispania nec in ea fortè, aut obiter alicuius negotij causa reperitur, quod Bullà requirit; vnde huiusmodi Bullæ acceptio Bullæ, facta videatur in fraudem. Ludoui. à Cruz, *in expos. Bul. disput.* 1. *cap.* 1. *dub.* 3.

24. *Non valet acceptio Bullæ à me facta pro existente in Italia.*

Bullæ acceptio facta à me in Hispania commorante pro fratre aut amico in Gallia versante, vbi Bulla non publicatur, nihil prodest. Quia is, qui Bullam acceptat intra Regna non adest, in quorum fauorem Bulla conceditur. Idem Ludou. à Cruz.

25. *Qui in Hispania Bullã acceptat, & tendit in Galliam, potitur ibi eius indultis.*

Bullam quis in Hispania acceptat, & postea ad Galliam tendit potest omnibus priuilegiis (vno excepto) potiri. Quia Bullà est priuilegium personale, quod personam sequi debet vbicumque perrexerit, nisi contrarium disponatur. Vt habetur, *de regul. iuris in* 6. Henriq. *lib.* 7. *c.* 20. *n.* 6. *lit. M.* Suar. *lib.* 8. *de legib. c.* 26. *num.* 4.

26. *Non fruitur priuilegio edẽdi oua, lacticinia, nec carnes.*

Dixi, *vno excepto*. Nam qui acceptata apud Hispaniam Bulla, pergit ad Galliam non potest vti priuilegio vescendi ouis, ac lacticiniis, nec carnibus de Medici consilio, in Quadragesima. Quia hæc restrictio in Bulla Latina apponitur. Porro restrictio huiusmodi posita fuit non solum ratione scandali, quod suboriri posset in Italia, vbi strictissimè ouorum abstinentia diebus quadragesimalibus obseruatur; sed quia Hispaniæ incolis hoc indultum expositum ob piscium penuriam, qua præcipuè Vrbes videntur laborare. Rodrig. §. 1. *num.* 7. Henriq. *l.* 7. *cap.* 20. *num.* 6. *lit. M.*

27. *Prodest Bullæ infantibus, & amentibus.*

Prodest Bulla pueris antè rationis vsum, & perpetuo amentibus: Primò, vt tempore interdicti eis ministrentur sacramenta, quæ eis tunc possunt conferri scilicet Baptismus, & Confirmatio: secundo vt sacro sepeliantur in loco, & cum moderata pompa, & cum Missa in gratiarum actionem. Quia Bulla generaliter sine distinctione ætatis & rationis loquitur, & puer & amens petere quæ sibi sunt vtilia censentur. Henriq. *l.* 7. *c.* 20. *n.* 8.

28. *Prodest iis, qui post rationis vsum in phrenesim aut amentiam inciderunt.*

Prodest Bulla phreneticis, & aliis amentibus, qui post rationis vsum inciderunt in phrenesim, vel amentiam: primò vt tempore interdicti cum moderata pompa sepeliantur, secundò vt eis Eucharistia, & Extrema vnctio tempore interdicti ministrentur, casu quò aliàs hæc eis licitè ministrari valeant: Tertiò vt eis in articulo mortis absolutio à censuris, & applicatio Indulgentiæ possit impendi. Quia hi eo quod Christianè vixerint virtualiter ea postulare censentur, quæ ad salutem animæ sunt ipsis vtilia: & alio ex capite Bulla generaliter loquitur Henriq. *l.* 7. *c.* 20. *n.* 8. *lit. T.*

29. *Prodest Religionum nouitij etiã Prælatis inuitis.*

Religionum nouitij, etiam inuitis Prælatis, possunt omnibus Bullæ indultis potiri. Quia etsi nouitij in fauorabilibus nomine Religiosi veniant, & fauore Religionis gaudeant; in oneribus tamen, & odiosis Religiosorum nomine nouitij non comprehendun-

30. *Religiosi Ordinum Militarium possũt, secularium instar, Bullæ indultis frui.*

tur. Henriq. *l.* 7. *cap.* 22. *num.* 7. *lit. T. & & lit. X.* Rodrig. §. 9. *n.* 27. *& tom.* 2. *Regul. qq. q.* 21. *art.* 10. *&* 11.

Religiosi Ordinum Militarium possunt, secularium instar, Bullæ indultis potiri absque Prælatorum licentia. Quia quamuis id in Bulla latina non reperiatur, deducitur tamen ex clausula illa, vbi ad indulta de vescendis ouis, & lacticiniis excluduntur Regulares, non verò si sint Ordinis militaris. Ex quibus verbis constat, Equites ordinum militarium comprehendi nomine Regularium. Rodrig. §. 9. *num.* 24. Henriq. *l.* 7. *c.* 22. *n.* 4. *litt. Y.* Sanct. *in select. disp.* 49. *num.* 11.

31. *Mendicantes sine licentia possunt Bullæ priuilegiis gaudere, vno excepto.*

Religiosi Mendicantes cum Prælatorum facultate in omnibus ac per omnia Bullæ priuilegiis frui possunt. Imò sine licentia possunt Bullam accipere, & omnibus illius priuilegiis vti, excepto indulto eligendi confessarium, qui eos à reseruatis absoluat, (de quo inferius.) Posse autem sine Prælati venia Bullam accipere ex illis verbis patet: *Item concedit omnibus supradictis, necnon iis, qui nec ibunt, nec*

mittent, &c. At suprà mentionem gesserat de Regularibus mittentibus ad bellum; ergo possunt ipsi Bullam accipere, Henriq. *lib.7.c.22.per totum.*

32. *Potest Bulla prodesse existenti in lethali.* Prodest Bulla existenti in lethali crimine non excommunicato, exceptis indulgentiis, quo ad alia omnia priuilegia. Porrò in mortali peccato existens indulgentias consequi non potest; quia ad lucrandas Indulgentias gratiæ status requiritur. Sotus *in 4.dist.21.q.2.art.3.* Nauar. *de Indul.not.19.num.19.* Henriq. *l.7.cap.9. §.6.lit.Y.*

33. *Prodest excommunicatis.* Bulla prodest etiam excommunicato quo ad omnia priuilegia præter Indulgentias. Quia priuilegium, quod impetrat excommunicatus ad effectum obtinendæ absolutionis, validum est; sed Bulla accipitur ad absolutionem excommunicationum, & peccatorum reseruatorum; ergo valebit excommunicato eam accipienti. Cui consequenter licebit ouis, & lacticinijs Quadragesimæ tempore vesci, etiam ante absolutionis assecutionem, votorumque commutationem obtinere; quia excommunicatio non impedit horum vsum priuilegiorum. Henriq. *lib. 7. cap.18.n.2.* Nauar. *de Indulg. not.19.n.19.* Villalob. *p.1.tr.27.clauf.1.n.6.*

34. *Peccans cum confidentia negatiua Bullæ omnibus eius frui indultis potest.* Peccans cum confidentia negatiua Bullæ potest omnibus illius priuilegiis frui. Ad huius assertionis expositionem submitto, aliud esse peccare ex confidentia Bullę, aliud verò cum confidentia Bullæ; seu quod idem est, confidentiam aliam esse positiuam, aliam verò negatiuam. Confidentia positiua est, quando confidentia Bullæ est causa positiuè instigans, & mouens ad peccandum, & sine qua piaculum non perpetraretur: & hoc est peccare ex confidentia. Negatiua verò confidentia est, quando Bulla non est causa primo & per se mouens ad peccandum: sed tamen habens Bullam, ex passione vel alia causa peccans habet se negligenter in euitandis reseruatis, confidens se habere priuilegium: & hoc est peccare cum confidentia Bullæ. Peccans igitur cum confidentia negatiua Bullę potest omnibus eius priuilegiis gaudere etiã in illis duobus casibus in Bulla expressis, nempe vt non possint lucrari Indulgentiam existentibus in mortis articulo concessam, qui in confidentia huiusmodi concessionis negligentes fuerint, quominus peccata sua tempore ab Ecclesia statuto, fuerint confessi; & vt bonorum incertorum compositio fieri non possit in iis, qui confidentia Bullæ ea surripuerint. Probo assertionem. Quia hoc propriè & præcisè loquendo, non est peccare ex confidentia, cum Bullæ confidentia non moueat, & impellat primò, & per se ad peccandum. Rodrig. §.9.n.99. Henr. *l.3.de pœn. c.16.n.3. lit.O.* Lopez *cap.8.pag.836.*

35. *Delinquens ex positiua confidentia Bullæ in duobus casibus expressis, priuilegio non gaudet.* Peccans ex confidentia positiua Bullæ in illis duobus casibus in ipsa expressis ipsius priuilegiis minimè gaudet. Quia id exprimit Bulla: at non intelligitur de confidentia negatiua, vt communiter Doctores; ergo intelligendum est de confidentia positiua. Vnde qui primo & per se mouetur ad furandum ex confidentia Bullæ compositionis, aliàs non furaturus, non potest per eam de ablatis componi; secus si Bulla non extitit causa positiua primo & per se: sed tantum eam habens, & confidens se eam habere, negligens fuit in furtis vitandis. Similiter si quis ex confidentia positiua Bullæ omisit Confessionem tempore ab Ecclesia statuto, non consequitur Indulgentiam in articulo mortis existentibus concessam; secus verò si confidentia solum fuit negatiua. Sic præfati Doct.

CAPVT III.

De tempore, à quo annus publicationis Bullæ debeat computari.

36. *Bulla à die publicationis computatur.* BVLLA à die publicationis computatur. Habetur expresse in prima Bullæ latinæ clausula; *A die publicationis præsentium.* Nomine autem publicationis intelligitur non solum illa promulgatio, quæ fit à concionatoribus ad id munus à Commissario Bullæ deputatis: sed etiam illa publica & solemnis acceptatio, quæ antecedenti, aut eodem die fit per solemnem processionem; hæc enim solemnis acceptatio Bullæ pro promulgatione censetur; quod videtur praxis fidelium confirmare. Hinc consequenter non fruitur Bullæ priuilegiis, qui antè publicationem per tres aut plures dies eam de domo thesaurarij, data stipe accipit. Villalob. *tom.1.tr.27.n.6.*

37. *Publicatio debet fieri in loco, in quo quis Bullam accipit.* Publicatio, à qua incipit computari annus publicationis Bullæ, debet fieri in loco, etsi minimo, in quo quis Bullam accipit. Deducitur apertè ex illis verbis: *A die publicationis præsentium in singulis locis supradictis faciendæ, inchoandum.* Quia licèt promulgatio

mulgatio legis in præcipua Ciuitate Prouinciæ sufficiat ad obligandum totam Prouinciam, hoc tamen intelligitur, dum legislator contrarium non disponit Henriq. *l.7.c.20.§.2.* Rodrig. §. 5. *n.3.*

38. *Intelligenda computatio anni siue à principio, siue à fine Bulla accipiatur.*

Computatio præfata intelligenda est, siue ab anni principio Bulla accipiatur, siue postea. Quia Bulla solùm conceditur anno durante à die publicationis, huiusmodi autem annus debet esse continuus, nec ob moram sumendi Bullam interrumpitur. Henriq. *lib.2. cap.* 20. §. 2.

39. *Non computandus à publicatione in Metropoli, sed in locis singulis.*

Si publicatio Bullæ in particularibus locis fit multo posterior publicatione in Metropoli facta: annus est computandus respectu sumentis Bullam in illis locis à die publicationis in eis factæ. At si in Metropoli recipiatur Bulla, & recipiens se conferat ad alia loca, in quibus est postrema publicatio, respectu recipiẽtis Bullam computatio fiet à die publicationis in Metropoli, in qua Bullam accepit. Henri. citat.

40. *Finito anno Bulla expirat.*

Bulla viget ex se per totum annum à die publicationis: eoque finito Bulla etiam expirat. Quia ad annum, & anno durante conceditur. Patet ex Bulla latina. An de anno solari id intelligendum sit, nec ne, proprio Problemate exponam inferius.

CAPVT IV.

De Bullæ, Bulla cœnæ, vel ex morte Pontificis, reuocatione.

41. *Papa potest Bullam reuocare.*

PApa potest Bullam Cruciatæ suspendere, vel reuocare etiam antè publicationis annum. Quia cum gratia fit, à Præsulis summi pendet beneplacito. Sic Pius V. anno 1571. postremo sui Pontificatus anno Bullas omnes Cruciatas vsque ad id tempus concessas reuocauit.

42. *Si reuocet, valet absolutio ab ignoranti data.*

Porrò si Papa Bullam ante perfectum annum reuocaret, & ignorans huiusmodi reuocationem confessarium pro absolutione reseruatorum & votorum commutatione eligeret: teneret reseruatorum absolutio, & votorum commutatio. Quia præsumitur rationabiliter talis Papæ intentio, nè reuocatio periculum illaqueandi ignorantium animas afferret Cordud. *q.33. de indulg. propos.* 3. Henriq. *l.7.c.20.n.1. lit. F.*

43. *Per Bullam Cœnæ nullum Bullæ Cruciatæ priuilegium reuocatur.*

Per Bullam Cœnæ priuilegium reuocatur. Quia expressè in Bulla Cruciatæ conceditur absolutio à Casibus Bullæ cœnæ, hæresi ex-

cepta; ne ergò Pontifex sibi contrarius videatur, dicendum est, per Bullam cœnæ non derogari Cruciatam. Rodrig. §. 9. *num.69.* Henriq. *lib. 7. cap. 21. n. 2.* Sanch. *l. 2. mor. c. 11. n. 27.* Fagund. *l. 8. c. 8. n. 33.* *tilegium reuocatur.*

44. *Bulla non expirat, mortuo Papa ante præfixum tempus.*

Gratia, seu priuilegium quandoque nomine personæ conceditur, quandoque nomine dignitatis, & officij. Quando conceditur nomine personæ v.gr. *Tibi damus facultatem ad beneplacitum nostrum*, tunc gratia seu priuilegium morte concedentis expirat, nisi gratia, seu priuilegium ad certum tempus esset concessum. Quare Bulla Cruciatæ, quamuis sit gratia ad beneplacitum concessa, quia conceditur ad certum tempus, scilicet sex annorum, mortuo summo præsule antè præfixum tempus, non expirat. Quando autem concedit Pontifex gratiam nomine dignitatis, vel officij, tunc, illo mortuo, non spirat priuilegium Henriq. *lib.7. c.21. n.4. & 5.*

CAPVT V.

De indulgentia prima à summo Præsule in Bulla concessa.

45. *Nonnullas præmitto Indulgentiæ diuisiones.*

INdulgentiam diuido in eam, quæ fit ex contractu, qualis est Bullæ indulgentia quæ contribuenti certam stipem conceditur: & in eam, quæ non fit ex contractu, sed omnino gratis, quales sunt indulgentiæ concessæ calculis, granis, seu imaginibus benedictis. Deinde diuido in temporalem, quæ ad certum tempus, vt sunt indulgentiæ Bullæ ad annum concessæ: & perpetuam, quæ scilicet in perpetuum tempus conceditur. Denique indulgentiam diuido in totalem, & partialem. Hæc diuisio omnes indulgẽtias siue ex contractu, siue gratis, siue temporales, siue perpetuas comprehendit; hæ enim aut sunt totales, aut partiales. Indulgentia totalis est remissio totius pœnæ cuicumque peccatori debitæ, respectu omnium peccatorum, quam quis secundum iustitiam diuinam in Purgatorio luere tenebatur. Indulgentia partialis est, quæ non totam, sed partem pœnæ remittit; potest namque pœna per partes dimitti; vt Theologi docent cum Doctore Angelico 3. *p. q.*85. Suarez *tom.4. disp.* 50.

46. *Indulgentiam totalem & partialem expone.*

Indulgentia quidem est partialis, quando in Bulla explicatur, Concedimus indulgentiam tertiæ partis peccatorum

vel vnius anni, vel centum dierum sic etiam indulgentia septena, quadragena carena, centum annorum, imo & mille, est partialis; quia ex se non remittit omnem pœnam peccatis debitam: & si aliquando id efficit, est per accidens & ratione subiecti, eo quod in illo non plures pœnæ luendæ inueniantur. Porro *Quadragena* est indulgentia quadraginta dierum, *septena* septem annorum, *Carena* vtramque complectitur, scilicet quadragenam, & septenam. Item dicitur carena per syncopen, quasi quarentena, vel potius à *carendo* à cibis & hominum consortio; nam qui illam pœnam agebat per dies quadraginta recludebatur, ab hominumque separabatur consortio. Bellar. *l. de indulg. c.* 9. Cordu. *q.* 9. *de indulg.*

47. *De quadragena, septena, &c.* Antiquitus iuxta sacros canones pro vno peccato mortali imponi soliti septem anni pœnitentiæ, pro grauiori decem aut vndecim, quo in anno semel in hebdomada pœnitens vacabat ieiunio, flagellationi, eleemosynæ vel Psalmorum recitationi. Igitur vnus annus, vna quadragena, vel septena indulgentiæ debet intelligi de pœnitentiis in hoc sæculo iniunctis, seu iniungendis, & de pœnis Purgatorij illis respondentibus; hoc est, per indulgentiam vnius anni aut septem annorum, (v. gr.) non solum remittitur satisfactio pœnitentialis, sed tanta pœna Purgatorij, quanta per pœnitentiam vnius, vel septem annorum remitteretur ac si re vera illam adimpleret.

48. *Indulgentia hæc Bullæ Cruciatæ est totalis, seu plenissima.* Profectò indulgentia, quam Pontifex hac concedit in clausula est plena, plenaria, plenissima, idest, totalis. Quia verba id planè indicant: plenam omnium suorum peccatorum indulgentiam, & *remissionem concedimus*. Et quia hæc indulgentia (vt ibidem habetur) est similis ei, quæ conceditur à Pontificibus in recuperatione Terræ sanctæ, & in anno Iubilæi plenissimi; at qui hæc indulgentia est plenissima, & totalis omnium pœnarum, vt constat Extrauag. *Antiquorum*, & Extrau. *Vnigenitus*, de pœn. & remis. & Extrau. Pauli II. eodem tit. & aliis Extrau. Sixti IV. & Gregorij XIII. ergo & Bullæ indulgentia erit plenissima. Ludou. *à Cruz. disp.* 1. *c.* 8. *dub.* 3. Suar. *tom.* 5. *disp.* 7. *sect.* 5. *n.* 9.

49. *Hæc conceditur accipientibus Bullam.* Hæc totalis indulgentia solum conceditur Regi Philippo, & reliquis personis queis licitum est, iuxta præmissa, valide posse Bullam accipere, illiusque indultis potiri, siue sint viri, siue fœminæ dummodo præstent opera à Papa præscripta. Patet ex illis verbis: *Omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus in Hispaniarum Regnis & insulis &c.*

50. *Duo opera debent præstari ad lucrationem huius Indulgentiæ eleemosyna, contritio, confessio.* Ad lucrandum hanc indulgentiam totalem siue plenariam duo opera præstari debent, alterum temporale, alterum spirituale. Temporale quidem vt accedant contra infideles pugnaturi, vel aliud genus seruitij gratis facturi in bello propriis expensis, ibique vsque ad anni expeditionem permaneant. Ita habetur in Bulla §. 1. Temporale autem vt peccata sua corde contriti ore confiteantur. At si ob ipsius impotentiam, aut Confessarij defectum non potuit ore confiteri, sufficit cordis contritio cum proposito confitendi. Habetur eadem Bullæ clausula. Ludouic. à Cruz *disputat.* 1. *cap.* 8. *dub.* 6. *numero* 14.

51. *Attritio cum sacramento sufficit.* Attritio cum Sacramento sufficit, vt particula *Corde contriti* impleatur. Quia ex attrito fit contritus non formaliter, sed æquiualenter, id est, consequitur peccatorum remissionem, & gratiam requisitam ad indulgentiam comparandam. Similiter per actum amoris Dei super omnia lucrari poteris indulgentiam, si cætera adsint. Quia est quædam virtualis contritio, Trullench. *lib.* 1. §. 1. *dub.* 15.

52. *Necessaria est vocalis confessio.* Necessaria est vocalis confessio, quando est possibilis. Quia eam tanquam conditionem Pontifex prærequirit. Nauar. *not.* 18. *de indulg. n.* 5.

53. *Sufficit muto per signa confiteri.* Mutus, qui ore confiteri non potest, sed tantum signis exterioribus, si per signa confiteatur hanc lucratur indulgentiam. Quia quamuis Bulla non addidisset illam particulam: *Aut non valentes confiteri, id corde desiderauerint*, huiusmodi muti confessio sufficit ad præcepti de annua confessione impletionem. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *a.* 6. Nec obstant Bullæ verba *Ore confessi.* Quia intelligenda sunt communiter, & regulariter loquendo in iis scilicet, qui possunt loqui. Rodrig. §. 2. *num.* 14. Ant. Gomez. *in expos. Cruciatæ fol.* 31. *numer.* 28. *&* 29.

54. *Qui probabili ignorantia putat, se vere confessum esse, lucratur indulgentiam, si vltimum opus in gratia perficiat.* Qui probabili iuris, vel facti ignorantia putat, se legitimè confessum, cum re vera non sit, aut fecit confessionem invalidam, informem tamen, quod ipse ignorat: hanc consequitur indulgentiam vel aliam, ad cuius consecutionem

nem confessio præscribitur. Quia hic reuera confessus est, & secundum suam existimationem validè; ac proinde censendus est de præmittenda confessione conditionem impleuisse. Limito autem assertionem si contritus vltimum opus perficiat.. Suar. *tom.* 4. *in* 3. *parte disput.* 52. *sect.* 3. *n.* 6. *&* 16. Nauar. *notab.* 18. *de indulg. n.* 15.

55. *Dispositio remota, & proxima, ad lucrandam Indulgentiam.*

Enim vero dispositio remota ad consequendam indulgentiam est, vt eam lucraturus sit homo viuus vel defunctus, baptizatus, vsum rationis habens qui actualiter peccauit, & indiget indulgentia. Proxima autem dispositio est, vt homo sit in gratia. Quia Dei inimico, quandiu talis existit, nulla remissio fit neque quoad culpam, neque quoad pœnam: indignus est enim tali remissione. Ludou, à Cruz *disp.* 2. *dub.* 8. *n.* 3. Henriq. *l.* 7. *c.* 18. *n. vlt.* Suar. *in* 3. *p. tom.* 4. *disp.* 52. *sect.* 2. *numer.* 4. 5. *&* 6.

56. *Sufficit esse in gratia, cum vltimum opus geritur.*

Sufficit esse in gratia eo tempore, quo opus vltimum ad lucrandam indulgentiam requisitum completur: in illo scilicet instanti, quo verum est dicere, iam opus, conditio seu causa, ob quam indulgentia conceditur, est completa. Suar. *in* 3. *p. tom.* 4. *disputat.* 52. *sectio.* 2. *num.* 7. Vberrimus in materia de indulgent. Sermo redibit.

CAPVT VI.

De eleemosyna ab accipiente Bullam exhibenda.

57. *Conceditur Bulla ex eleemosyna gerenda contractu.*

BVllæ priuilegia à summo Præsule conceduntur ex quodam contractu contribuentibus certam pecuniæ quantitatem, quæ quidem ab ipso minime determinatur; concedit tamen commissario Cruciatæ facultatem eam definiendi, ac determinandi, cui quidem determinationi standum: *conceditur* (inquit Bulla) *facultas* eidem commissario, vt dictam subuentionis quantitatem à fidelibus, vt prædicitur pro viuis, & defunctis erogandam iuxta personarum qualitatem, & bonorum quantitatem arbitrari possit. Designatio eleemosynæ pro Hispanis, & Regnis Europæ existentibus à commissario facta refertur ab Alfonso Perez *l. trium grat. pag.* 220. Designatio autem facta pro Indis: & Hispanis inibi existentibus ab ipso exprimitur *fol.* 253. *&* 254.

Profecto duæ dragmæ argenteæ sunt sufficiens subsidium tam respectu diuitum quam pauperum, exceptis illis personis in dignitate constitutis, qui ex præscriptione Commissarij tenentur octo dragmas persoluere. Quia difficillime potest distingui quis sit vere pauper, & diues Rodrig. §. 1. *num.* 15.

58. *Duæ dragmæ argenteæ est stipes sufficiès diuiti & inopi.*

Tam parua quantitas est sufficiens eleemosyna pro tantis indultis accipiendis. Quia Pontifex non considerat duas huius, vel alterius erogari dragmas; sed ingentem pecuniarum quantitatem, quæ ex tot accipientibus Bullam accrescit. Ludo. à Cruz *disputatio* 1. *cap.* 8. *dub.* 10.

59. *Pro tantis indultis sufficit hæc parua eleemosyna.*

Simonia ex huiusmodi pro Bulla erogatione pecuniæ non committitur. Quia quamuis pro re temporali non possit spiritualis exhiberi: tamen pro re temporali ordinata ad rem spiritualem potest indulgentia concedi. Porro hæc pecunia non datur tanquam rei spiritualis pretium, sed vt eleemosyna ad rem spiritualem scilicet ad Ecclesiæ pacem ordinatur. Rodriguez. §. 12. *n.* 14.

60. *Non committitur simonia.*

Non potest fur ex furtiua pecunia validè sibi Bullam acquirere. Patet ex verbis Bullæ, *Ex bonis sibi à Deo collatis*; atqui bona furto acquisita non à Deo, sed à dæmone conferuntur. Ludouicus à Cruz *disputation.* 1. *cap.* 1. *dub.* 7.

61. *Fur non potest ex furtiua pecunia Bullam acciapere.*

Meretrix, & alij ex turpi lucro possunt Bullam accipere, & eius priuilegiis potiri. Quia verba illa: *ex bonis sibi à Deo collatis* solum denotant vt fiat ex bonis propriis contributio, quorum scilicet habent verum dominium. Commissarius ait, *y de sus bienes liberalmente contribueren.* Meretrices quidem turpis lucti verum Dominium obtinent. Lessi. *l.* 2. *de Iust. c.* 14. *dub.* 8. Azor. *to.* 3. *l.* 4. *c.* 21. *q.* 1. *&* 4.

62. *Potest meretrix de turpi lucro.*

Religiosi quicumque Monachi, Mendicantes, etiam minores possunt sibi Bullam acquirere non solum ex bonis à superiore acceptis, aut permissis, sed ex aliis ad hunc finem per eleemosynas comparatis. Quia eo ipso quod Papa dat eis facultatem accipiendi Bullam, consequenter vt supremus Prælatus dat facultatem procurandi stipem, qua eam acquirere valeant. Rodriguez §. 9. *numer.* 23. *&* §. 12. *n.* 15. Villalob. *tract.* 28. *claus.* 12. *n.* 27.

63. *Religiosi omnes possiunt ex bonis per eleemosynam acquisitis, sine recursu ad superiorem Bullam accipere.*

Vt tamen regularis obseruantia non lædatur debent Religiosi à Prælatis petere facultatem, qui quidem imper-

64. *Debent Religiosi petere facultatem, sed peccabit Prælatus non concedens.*

tiri tenentur. Delinqueret enim grauiter, & à Commissario non leuiter puniri deberet, qui veniam ad acquirendam Bullam denegaret. Subditus autem qui licentia petita,& non obtenta Bullam pecuniæ stipe acquireret,nullo piaculo subiaceret obnoxius. Acosta *in expos. Bullæ numer.* 106. & alij.

65. *Viduæ Dominorum non tenentur octo dragmas erogare,nisi vsufructuaria relinquantur.*

Viduæ dominorum secularium octo dragmas pro acquisitione Bullæ non tenentur impendere, si nullo modo dominæ relinquantur, seu vsufructuariæ bonorum vasallos habentium. Constat ex Commissarij verbis, *Viuiendo sus maridos.* Si autem vsufructu fruantur, tenentur. Quia re vera Dominæ vassallorum existunt. Filij vero ipsarum dum propriis bonis non vtuntur, non tenentur hanc maiorem eleemosynam erogare. Quia licet sint Domini bonorum, eorum tamen vsufructu carent. Sic præfati Doct.

66. *Qui simul sunt pro indiuiso vel diuiso vnius oppidi Domini simul octo argenteos exhibeant.*

Si multi sint eiusdem oppidi Domini pro indiuiso, vel etiam pro diuiso, ita vt vnus loci vnam partem obtineat, alius aliam, omnes simul tenentur octo argenteos exhibere, dummodo vnusquisque pro sua portione ad minus duo exponat. Quia in hoc casu nullus seorsum censetur absolutè Dominus Trul. *l.*1.§.3.*dub.*1.

CAPVT VII.

De Priuilegio celebrandi, seu audiendi sacrum,&c. tempore Interdicti.

67. *De Interdicto nonnulla præmitto.*

PRæmitto, Interdictum esse Censuram Ecclesiasticam, qua prohibentur omnia diuina officia celebrari, certa accipi Sacramenta & sepultura Ecclesiastica cadauera donari. Per diuina officia intelligitur Missæ celebratio, vsus Ordinum, Horæ Canonicæ, Officium defunctorum. Quare tempore Interdicti non licet dicere Missam etiam Siccam, id est sine consecratione, nec Horas Canonicas siue Officij maioris, siue minoris Deiparæ, nec Officium defunctorum, nec alia officia, nempe benedictiones, ac consecrationes quarumcumque rerum; nec vllum actum & vsum ordini sacro deputatum exerceri. Prohibentur etiam Nuptiales benedictiones. At per Sacramenta, quæ per Interdictum prohibentur, intelliguntur Sacramentum Ordinis, Extremæ-vnctionis,& Eucharistiæ, quam accipere non licet sanis; sed tantum infirmis per modum viatici. Alia autem Sacramenta non prohibentur ministrari interdicti tempore, v.gr.Baptismus, qui potest solita solemnitate apertis ianuis exhiberi etiam in Ecclesia specialiter interdicta; Confirmatio, quæ etiam in Ecclesia specialiter interdicta conferri potest; Pœnitentia, quæ etiam valentibus potest ministrari. Porro excommunicati, & specialiter aut personaliter interdicti, & qui quomodocumque sunt interdicti causa, ad Pœnitentiam admitti non possunt, nisi prius fecerint satis aut idoneam de satisfactione gerenda cautionem præstiterint. Per sepulturam denique intelligitur Ecclesiastica sepultura, quæ cum ceremoniis Ecclesiasticis fieri assolet in Ecclesia, aut cœmeterio. Sylvest. *interdictum n.*5. Nauar. *c.* 27. *n.* 171. Henriq. *l.* 13.*c.* 44. *n.* 1. Sayr.*l.* 5. *c.* 5. *n.* 4.

68. *Licet Clericis sæcularibus, & Regularibus suis in Templis celebrare.*

Tempore interdicti generalis loci licet clericis sæcularibus in suis Ecclesiis, & Regularibus in suis Monasteriis celebrare missas, & alia diuina officia ianuis clausis, voce submissa, non pulsatis campanis, exclusis non tantum excommunicatis, & interdictis, sed etiam omnibus aliis, qui non habent priuilegium. Ita habetur Cap. *Alma mater.*§. *adiicimus,de sent. excom. in.*6. Sayr. legendus *l.* 5.*c.* 5. *à n.*18. Nauar. *c.* 27. *n.* 167. Henriq. *l.* 13. *c.* 44. *num.* 3. Suar. *de cens. disputat.* 34. *sect.* 1. *num.* 2.

69. *Seculares priuilegio Bullæ possunt Missæ ac diuinis interesse in Templis, vbi ritè teraguntur.*

His prænotatis qui adsunt in exercitu, vel ad illum milites immiserint, nec non illi qui nec ibunt,nec mittent, si data stipe Bullam acceperint, possunt anno publicationis durante Missam & alia diuina officia celebrare, seu audire tempore generalis interdicti ab ordinario vel ab ipso Præsule summo impositi in Ecclesiis vel Monasteriis, in quibus diuina officia, interdicto durante, quomodolibet celebrare permissum fuerit, conditionibus à iure assignatis obseruatis. Porro hoc priuilegium assistendi diuinis officiis non est intelligendum respectu clericorum, sed laicorum. Clericis enim (vt præmisi) à iure concessa est illa diuinorum assistentia. Patet ex Bullæ tenore.

70. *Intelligendum hoc priuilegium in interdicto generali loci.*

Priuilegium assistendi diuinis officiis interdicti tempore solum habet locum in interdicto generali loci, minime verò quando interdictum est particulare huius vel illius Ecclesiæ. Apertè Bulla innuit, *In Ecclesiis, in quibus alias diuina officia, interdicto durante; quomodolibet celebrare permissum fuerit.* Atqui de iure solum licet diuina officia celebrare tempore generalis interdicti loci ex Cap. *Alma mater.*

ter. vnde fit, licet diuina officia in Ecclesia specialiter interdicta celebrentur, non posse illis interesse laicos huius virtute priuilegij. Quia in Ecclesia specialiter interdicta non licet diuina officia celebrare, sed solum priuatam Missam ad Eucharistiam innouandam cum vno vel altero ministro. At Bulla loquitur, de Ecclesiis, in quibus permissum est diuina officia celebrare. Henriq. 7. *c.* 13. *num.* 3. *lit. E.* Couar. Cap. *Alma mater, p.* 2. §. 4. *n.* 1.

71. *Nomine Ecclesiarum intelliguntur etiam Monasteria, & Hospitalia.* Nomine Ecclesiarum, de quibus Bulla loquitur, in quibusque est permissum, durante interdicto, diuina celebrari; intelliguntur etiam Monesteria virorum ac mulierum, Hospitalia Episcopi auctoritate erecta, Eremitæ. Quia hæc omnia nomine Ecclesiæ absolutè sumptæ comprehenduntur, Trul. *l.* 1. §. 3. *dub.* 2.

72. *Non extenditur priuilegium ad tempus Cessationis.* Priuilegium Bullæ pro tempore Interdicti concessum non extenditur ad tempus cessationis à diuinis etiam generalis. Quia in iure, & ex se aliud est Interdictum, aliud vero Cessatio: Interdictum est Censura Ecclesiastica, Cessatio minimè. De quo alibi Nauar. *c.* 27. *num.* 188. Rodrig. §. 5. *num.* 7. Henriq. *l.* 7. *cap.* 13. *num.* 4.

73. *Nullo alio priuilegio ad id vti potes, sine Cruciata.* Qui habet aliquod aliud priuilegium vt tempore interdicti, vel Cessationis possit diuinis officiis interesse, non potest nisi habeat Bullam Cruciatæ. Quia per illam omnia similia & dissimilia priuilegia suspenduntur, & cum ea reualidantur. Rodrig. *in addit. ad* §. 5. *n.* 33.

74. *Potes tuos familiares adducere ad Ecclesiam.* Habens Bullam, potest tempore generalis Interdicti loci suos familiares, ac domesticos secum ad Ecclesiam adducere, vt Missam exaudiant, quamuis ipsi Bulla careant. Sic Bulla §. 3.

75. *Et tuos consanguineos.* Potest etiam suos adducere consanguineos ad Ecclesiam vt secum Missam audiant, Bulla profatur, *In sua, ac familiarium, & domesticorum. ac consanguineorum suorum præsentia Missas, & alia diuina officia, per se ipsos, si Presbyteri fuerint celebrare, vel per alium celebrare, facere & tempore Interdicti diuinis interesse* Vbi habenti Bullam tria tempore Interdicti conceduntur: Vt possit celebrare, si sit sacerdos: Si non sit Sacerdos facere pro se celebrari: & diuinis interesse: & hæc omnia in sua, familiarium, & consanguineorum præsentia Henriq. *l.* 7. *c.* 13. *n.* 3. Rodrig §. 5. *n.* 5.

76. *Per domesticos aut familiares intelliguntur illi.* Per familiares, ac domesticos intelliguntur illi famuli, qui dominum suum iuxtà illius statũ assolent comitari, quamuis domi non habitent. Quia finis extendendi hoc priuilegium ad familiares, est, ne priuilegium reddatur inutile illis, qui nequeunt decenter sine comitatu incedere. Vndè si familiares illi, qui illum comitari consueuerant, sint absentes, vel ægritudine affecti, poterit priuilegiatus totidem alios assumere, vt illum in Templum comitentur. Nauar. *c.* 27. *n.* 181. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 3. *a.* 1.

qui Dominum assolent comitari.

77. *Magistri possunt suos discipulos secum adducere.* Magistri ob priuilegium Bullæ possunt secum deferre discipulos ad Ecclesiam, vt sacrum audiant, quando eos sine periculo relinquere non possunt. Quia si vt consulerent discipulorum vtilitati sacro ipsi non interessent, ipsis huiusmodi priuilegium esset inutile Rodrig. §. 5. *n.* 4.

78. *Dominorum nomine intelliguntur quicumque famulos habentes.* Dominorum nomine intelliguntur non solum illustrissimi equites, fœminæ nobilissimæ; sed quicumque domini, ac dominæ, qui priuilegio Bullæ solent nobilitari; dummodo fraudulenter eo tempore famulos non accipiant vt secum adferant ad Delubrum. Nauar. *c.* 27. *n.* 180. Rodriq. §. 5. *n.* 4.

79. *Consanguinei computandi vsque ad quartum gradum lineæ rectæ ac transuersalis.* Consanguinei, qui possunt ad Templum adduci computandi vsque ad quartum gradum lineæ rectæ, ac transuersalis. Quia Bulla loquitur indifferenter & generaliter de consanguineis generali autem consanguineorum nomine veniunt qui à primo in quartum gradum constituuntur. Auila *de cens. parte* 5. *disput.* 4. *section.* 2. *dubio* 7. §. 5. Rodriguez §. 5. *num.* 5.

80. *Potes in oratorio approbato Missam celebrare.* Qui habet oratorium ab Episcopo approbatum, visitatum, & designatum, potest virtute Bullæ in eo per se ipsum celebrare, vel per alium celebrare facere Missam, etiam tempore interdicti, in sua, familiarium, & domesticorum præsentia. Porro per hanc clausulam non concedit Bulla Episcopis facultatem designandi, & approbandi oratoria vt in eis Missa celebretur; quia per Congregationis decretum omnino Episcopis hæc ablata facultas minimè per Bullam conceditur: sed vt supposita huiusmodi facultate celebrandi in oratorio aliàs à Papa, nuncio Apostolico, seu Episcopo, tanquam sedis Apostolicæ delegato concessa, possit habens Bullam in eo oratorio celebrare, &c. Rodrig. §. 5. *n.* 4. *& in addit. ad* §. 5. *n.* 1. Henriq. *l.* 7. *c.* 13. *n.* 4.

81. *Vtendum tibi rarissimè hoc priuilegio.* Etiam si per Bullam concedatur licentia celebrandi in Oratorio tempore interdicti, vti debes huiusmodi facultate rarissime, imò si fieri possit, numquam: præsertim si mos vigeat, vt tempore interdicti solum in Ecclesiis, & minime in Ora-

toriis celebretur; tunc laudabile, ac rationi consonum est te iuri communi submittere. Cenedo. *q.*44. *n.*10.

82. *Possunt secum in Oratorio interesse familiares, domestici, consanguinei.*

Concedit Bulla eam habenti, vt possit non solum per se celebrare, vel celebrari facere in oratorio priuato deputato ad diuinum cultum, & ab Ordinario visitando, & designando, sed etiam in præsentia familiarium, domesticorum, ac consanguineorum Missam audire, quæ in Oratorio præfato celebratur, quamuis familiares domestici, & consanguinei Bulla careant: & hoc tam interdicti tempore, quam extrà illud. Conditiones obseruandæ sunt: Prima, vt non dederis causam interdicti, vel per te non stet, quo minus amoueatur. Secunda, vt quoties præfato Oratorio vti volueris ad Missæ celebrationem, pro Principum Christianorum vnione victoriaque contra infideles exorare studeas. Tertia, vt habens Bullam simul cum familiaribus domesticis, ac consanguineis intersis. Ex Bullæ tenore.

83. *Per familiares ac domesticos intelliguntur commensales.*

Per familiares ac domesticos intelligo non omnes familiares, sed solum commensales, qui expensis habentis Bullam, & oratorium continuè aluntur: etsi aliquando causa negotiorum domini ab illius immediato dominio abesse contingat. Lopez *c.*6. *de Clauib.*

84. *Non intelliguntur viri, aut mulieres pedisequæ extra domum degentes.*

Viri aut mulieres pedisequæ, quæ assolent diebus festis virum, aut fœminam comitari, dum foris ad Missam audiendam proficiscuntur, quæ non sunt domesticæ aut commensales non possunt in proprio oratorio dominæ interdicti tempore Missam audire. Quia huiusmodi famulatus non est commensalis, sicut illi qui in Domini habitant domicilio. Ideo Bulla addidit, *Familiares, & domestici.* Possunt autem hi viri, aut mulieres suos dominos in Ecclesiam comitari, & ibi cum eis interdicti tempore Missam audire, si dominus, aut domina talis esset status, vt sine illis ad Ecclesiam pergere non consueuisset. Ratio disparitatis est, quia in casu Ecclesiæ si hi viri, seu mulieres pedisequæ sub nomine familiarium aut domesticorum non comprehenderentur, priuilegium redderetur inutile his, qui non possunt decenter sine huiusmodi incedere comitatu. In casu autem Oratorij priuilegium sufficienter suum operatur effectum si tantum commensales intelligantur. Nauar. *cons.*15. *n.*1. Villalob. *tr.*27. *claus.*4. *n.*15.

85. *Qui propriè sunt consanguinei, hic sunt intelligendi.*

Consanguineorum nomine eos expono, qui sunt vere ac propriè consanguinei vsque ad quartum gradum, tam in linea recta ascendentium, & descendentium, quam collateralium, seu transuersalium. Quia Bulla generaliter loquitur. Etiam sub nomine consanguineorum intelligenda vxor, & è contra. Villalob. *tract.*27. *claus.*4. *n.*16.

86. *Conditiones requisitæ à Bulla.*

Prima illa conditio, vt non dederis interdicto causam, &c. omnino est necessaria. Bulla sic: *Dummodò causam non dederint interdicto.* Secunda conditio non est de necessitate, sed de præcepto. Patet ex Bullæ verbis: *Eis tamen, qui priuato Oratorio ad præmissa vti voluerint: vt quoties id fecerint, aliquas preces Deo pro vnione Principum Christianorum, & victoria contra infideles fundere teneantur, imponitur.* Vbi verbum, *Imponitur* non necessariam conditionem, sed solum præceptum importat. Tertiam denique conditionem omnino necessariam puto. Vndè vt tempore interdicti familiares & cognati possint diuinis in Ecclesia, vel oratorio assistere debent simul cum dominis interesse, vel cum cognato Bullam habente. Patet ex verbis Bullæ: *In præsentia familiarium, &c.* Rodrig. §. 5. *num.*4. *& 5. & in addit. ad* §. 5. *n.*2.

CAPVT VIII.

De Sacramentis, quæ Interdicti tempore Bullæ priuilegio recipi possunt.

87. *Possunt Clerici & laici in Oratorio Eucharistiam recipere.*

TEmpore generalis Interdicti loci possunt Clerici & laici, qui nec ibunt, nec mittent ad bellum, si, stipe exhibita, Bullam acceperint in Ecclesia, vel Oratorio Eucharistiam recipere præter quam in die Paschatis, & alia Sacramenta, scilicet Extremam-vnctionem, & Ordinem. Nam hæc duo intelliguntur sub nomine, *Alia Sacramenta.* Quia hæc duo tali tempore sunt prohibita. Henriq. *l.*7. *c.*13. §.4. *lit.S.* Lopez *c.*6. *de Bulla Cruz, disp.*1. *c.*5. *dub.*5. *n.*1. *& 2.*

88. *Potest recipi Eucharistia in Oratorio etiam, extra interdicti tempus.*

Eucharistia ratione Bullæ accipi potest in Oratorio approbato non solum generalis Interdicti tempore, sed etiam extra illud. Quia Bulla latina eodem modo concedit facultatem celebrandi in Oratorio, ac in illo recipiendi Eucharistiam; atqui in Oratorio potest quis celebrare extra interdicti tempus, vt indicant verba illa: *Etiam Interdicti tempore.* clarius in Bulla Hispana, *Que puedan aun en tiempo de entredicho oir Missas en las Iglesias*

sias y Monasterios, ò Oratorio particular, &c. y recebir el Sancto Sacramento de la Eucharistia: vbi particula *Etiam*, seu *Aun* aperte indicat extra tempus Interdicti magis licere. Trul. *l.* 1. §. 3. *dub.* 7.

89. *Potest sumi in Ecclesia generaliter interdicta,*

Eucharistia tempore generalis Interdicti loci ministrari, & sumi potest non solũ in Oratorio, sed etiam in Ecclesia generaliter interdicta. Quia Bulla eodem modo concedit celebrationem diuinorum, ac receptionem Eucharistiæ; sed diuina possunt celebrari in Ecclesiis, Monasteriis & Oratoriis tempore Interdicti; ergo & recipi Eucharistia poterit. Henriq. *l.* 7. *c.* 13. *numer.* 4. *lit.* P. Q. R. Villalob. *tract.* 27. *clauss.* 4. *num.* 19. Cruz *disp.* 1. *c.* 5. *dub.* 5. *num.* 2.

90. *Non potest Eucharistia in Oratorio ministrari tempore Paschatis.*

Etsi concedat Pontifex, vt per annum tam tempore Interdicti, quàm extra illud possit ministrari Eucharistia in Oratorio: prohibet tamen ne in eo Paschatis die alicui conferatur per diem autem Paschæ Pontifex intelligit tempus illud Paschale, quo annuæ Communionis præceptum impletur, nempe à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, iuxta declarationem Eugenij IV. vt docet Nauar. *cap.* 21. *num.* 45. secundum communem consuetudinem; secundum verò consuetudinem aliquarum Diœcesum tota Quadragesima iuxta declarationem Clementis VII. vt refert Rodrig. §. 5. *n.* 8. Henriq. *l.* 7. *c.* 13. *n.* 4. *lit. O.* Rodrig. §. 5. *num.* 7.

91. *Licet dare, & accipere Nuptiales benedictiones, in Ecclesia & Oratorio.*

Tempore generalis Interdicti localis licitum est, Nuptiales benedictiones accipere & dare Bullę priuilegio, tam in Ecclesia quam in Oratorio, dum modo non fiant intrà tempus à iure communi prohibitum: nec contrahentes, seu benedictiones Nuptiales recipientes causam dederint Interdicto, vel per ipsas non stet, quominus amoueantur, & seruentur conditiones Cap. *Alma mater.* Quia benedictiones Nuptiales iuxta communem Doctorum sententiam inter Officia diuina computantur; atqui ratione Bullæ licet omnibus laicis officiis diuinis adesse. Dixi, *Tempore generalis Interdicti localis*; quia in Ecclesia specialiter interdicta sicut non possunt diuina officia celebrari, ita nec in ea Nuptiales recipi benedictiones. Henriquez *libro* 2. *de Matrim. cap.* 2. *numero.* 1. *lit. F.* Rodrig. *in addit. ad* §. 5. *num.* 22.

92. *Id licet sine Bulla in festis Assumptionis & corporis Christi.*

In festiuitatibus Assumptionis Deiparæ, Corporis Christi, & per eius Octauas, & primæ diei Pentecostes, quibus de iure suspenditur Interdictum, licet sine Bulla benedictiones Nuptiales recipi, & ministrari. Quia benedictiones Nuptiales ad officium diuinum pertinent; atqui in illis festiuitatibus licet peragi officia diuina: ergo & Nuptiales benedictiones. Couar. *Cap. Alma mater, p.* 2. §. 5. *n.* 6. *versic.* 11.

93. *Non licet in die Conceptionis, Natiuitatis & Resurrectionis.*

In festiuitatibus Conceptionis purissimæ Deiparæ, Natiuitatis, & resurrectionis Domini non licet accipere benedictiones Nuptiales. Quia illa festa incidũt in tempore, & diebus, quibus de iure communi sunt Nuptiæ prohibitæ, & Interdicti suspensio solummodo interdicti tollit impedimentum, non vero in iure communi dispensat. Auila *de Cens. p.* 5. *disput.* 4. *sect.* 1. *dub.* 4.

94. *Possunt tamen laici sepeliri.*

Possunt tamen in his, & aliis omnibus festiuitatibus, quibus de iure, vel priuilegio communi interdictum suspenditur mortui etiam laici, sepeliri cum solemni, sepulturæ officio. Quia his diebus sepultura prohibetur per interdictum, eo quod sit officium diuinum: atqui eo tempore interdictum suspenditur quoad officia diuina; ergo & sepultura. Nauar. *c.* 27. *num.* 181. Couarr. *cap. Alma mater p.* 2. §. 5. *num.* 6. *versic.* 8.

CAPVT IX.

De priuilegio Bullæ circa Ecclesiasticam sepulturam interdicti tempore.

95. *Possunt laici in loco interdicto humari.*

LAici Bullam habentes possunt tempore interdicti localis in loco sacro interdicto cum moderata pompa sepeliri, *Bullæ contextus.*

96. *Et Clerici.*

Eodem priuilegio gaudent Clerici Bullam habentes: nam etsi à iure obtinent priuilegium, vt tempore interdicti sepeliri possint in loco sacro, non tamen cum funerali pompa, quamuis sit moderata. Trul. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 10.

97. *Non gaudet indulto persona interdicta, &c.*

Persona interdicta, & quæ causam interdicto dedit hoc priuilegio minimè gaudet, vt ex illis verbis patet: *Dummodo causam interdicto non dederint*; & ex illis: *Dummodo vinculo excommunicationis innodati non decesserint.* Attamen si personaliter interdictus absoluatur à Censura ratione Bullæ aut aliàs seruatis conditionibus ex iure: poterit Bullæ indultu in loco sacro sepeliri similiter excommunicatus, si ante mortem fuerit ab excommunicatione absolutus, si antequam discedat è vita absoluatur. Patet ex Bullæ contextu.

Priuilegium

98. *Extenditur hoc priuilegium ad interdictum particulare.*

Priuilegium hoc potest extendi non solum ad Interdictum locale generale, sed etiam particulare. Vnde indulto Bullæ licet sepeliri cadauer non solum in Ecclesiis generaliter interdictis, sed etiam in Ecclesia interdicta particulatim. Quia Bulla absolute concedit, vt Interdicto durante possint cadauera sepeliri cum funebri moderata pompa nec limitat ad Ecclesias, vel Ecclesiam, in quibus aliàs de iure sepeliri permissum est: sicut limitat in priuilegio diuina celebrandi. *Recentiores quidam*, quos suppresso nomine memorat, & sequitur Trul *l.* 1.§.3.*dubio* 10.

Porrò moderatam pompam intelligo, quam ex declaratione Episcopi fert loci consuetudo. Quæ quidem declaratio, absente Episcopo posse fieri à Parocho reor, Rodrig. §. 5. *num.* 13. Villalob. *tract.* 27. *clauſ.* 5. *num.* 3. Scio Henriquez *l.*7. *c.*13. *n.*4.*lit.V.* per moderatam pompam intelligere tres cymbalorum, seu campanarum clamores pro viris, duos pro fœminis Clericos aut Religiosos comitari cadauer cantando cum defertur, & sepelitur, dummodo non dicatur aliud diuinum officium, v. gr. Matutinum, Vesperæ, aut Missa defunctorum, nisi id tantum quod in Manuali ad sepeliendum cadauer est præscriptum, & ianuis apertis sepeliri. Mouetur ex declaratione Leonis X. quæ quidem communiter in Hispania practicari assolet.

99. *Potest cadauer cum moderata pompa sepeliri.*

Poterit etiam ratione Bullæ cadauer cum pompa moderata sepeliri, id est cum sonitu campanarum, ceremoniis ad sepulturam expositis cantu, & ianuis apertis; non tamen potest Missa ianuis apertis & cum cantu, voceque campanarum celebrari, sed peracta sepultura cum præfata funerali pompa, debet Ecclesia claudi, & exclusis non priuilegiatis, submissa voce, & non pulsatis campanis Missa pro defuncto peragetur. Auil. *p.*5.*disp.*4.*sect.*3.*dub.*3.

100. *Quid si humetur in Ecclesia specialiter interdicta?*

Si sepeliatur in Ecclesia specialiter interdicta, poterit cadauer cum assignata pompa sepeliri per Bullam concessa, sed sine Missa. Quia in Ecclesia huiusmodi solum permittitur vnius Missæ in hebdomada, ad renouandam Eucharistiam, celebratio; nam antè Cap. *Alma mater* Missa & officium defunctorum erant prohibita. Auila *citat.*2.*dub.*2.

101. *Hoc priuilegium non extenditur ad cessationem.*

Priuilegium sepulturæ tempore interdicti non extenditur ad Cessationis tempus. Quia sunt interdictum & cessatio res specie distinctæ. Nauar. *c.*27.*n.*189. Rodr. §.5.*addit.n.*33. Quibus autem sit sepultura Ecclesiastica deneganda exprimit Sanctius *in select.disp.*36. & Marc. Anton. Genuens. *in praxi Curiæ Neapol.c.*61.

Caput X.

Quidnam circa esum carnium priuilegium Bullæ concedat.

102. *Datur ex Bullæ indulto, vt in causa dubia formaliter possis vesci carnibus de vtriusque Medici consilio.*

Datur in Bulla facultas, vt de consilio Medici corporalis & spiritualis possint infirmitate affecti carnibus Quadragesima & aliis diebus prohibitis vesci. At si de consilio Medici vtriusq; quilibet possit carnibus sine Bulla vesci, quid eius confertur indulto? Certè si causa infirmitatis tuæ est dubia formaliter pro vtraque parte, nec intellectus sufficiēter inclinatur ad alteram, concedit Bulla cuilibet Confessario approbato, vt possit dispensare circa esum carnium, iudicio Medici corporalis annuente sine recursu ad Episcopum (qui potest cum iis qui carent Bulla, dispensare) imo & Episcopo præsente. Patet ex Bullæ indulto; nam cum aliquid amplius quam ius commune, concedat, dicendum est præfatam impendere facultatem. Henriq. *l.*7.*c.*23.*n.*12. Rodrig. *in addit. ad* §.6. *n.*1. Lopez *de Bulla c.*6. Sancti. *select.disp.*51.*n.*6.*&* 9.

103. *Quinam corporalis, & spiritualis Medicus.*

Per Medicum corporalem intelligitur, qui corporibus medendis est deputatus, Per medicum verò spiritualem intelligitur confessarius non solum ille, cui ex officio competit saluti animarum incumbere vt sunt Episcopi, & Parochi: sed etiam quicumque confessarius. Nec requiritur, quod actualiter pœnitentem audiat, & in actu confessionis dispenset, sed sufficit vt possit eum audire. Imo sufficit esse approbatum, quamuis nunquam confessiones audierit. Rodrig. *in Addit. ad* §. 6.*n.*1. Villalob. *tr.*27.*clauſ.*6.*n.*2.

104. *Causa dubia requiritur ad validitatem huius dispensationis.*

Ad validitatem huius dispensationis causa requiritur, etsi dubia. Quia dispensatio sinè causa non tenet. Item requiritur, causam hanc dubiam à Medico corporali esse approbatam: aliàs enim dispensatio est nulla. Patet ex Bulla: *Ex consilio vtriusque Medici.* Quare peccat vtens dispensatione facta sine causa, vel quando eum redarguit conscientia de falsa causæ relatione; est enim subreptitia dispensatio. Delinquunt & Medici hi sine causa licentiam concedentes. Sanct. *in select. disp.*51.*n.*9.

105. *Non peccat qui causam*

Si quis bona fide vtrique Medico proponat aliquam causam, de qua dubitat, an sit

dubia bona fide proponit.

sit sufficiens, vt secum in esu carnium dispensetur, non delinquit. Quia ad proponentem non spectat vestigare, an causa sit sufficiens; sed ad vtrumque Medicum; nec enim nuda propositio eos cogit ad dispensationem ferendam, Sanct. *in Select. disp.* 51. *n.* 14. & 15.

106. *Qui ex indulto Bullæ carnibus vescitur meritum assequitur ieiunij.*

Qui de consilio Medici vtriusque, indulto Bullæ carnibus vescitur, meritum ieiunij consequitur: non quidem proprie & in rigore prout est actio personalis procedens ab existente in gratia, & ad gloriam ordinata; nam hoc meritum obtineri non potest sine personæ ieiunantis actione; sed impropriè & largo modo, prout meritum sumitur pro satisfactione pœnarum, vt aliquando à Doctoribus vsurpatur. Quia voluntas efficax illius, & obedientiæ affectus ita acceptatur ab Ecclesia, ac si ieiunaret: vnde Ecclesia huic concedit, & applicat de thesauro suo satisfactionem ieiunio respondentem, ac si reuera ieiunaret. Henriq. *l.* 7. *c.* 13. *n.* 13. Rodrig. *in addit ad* §. 6. *n.* 1.

107. *Conceditur Clericis Sacerdotibus hoc indultum.*

Clericis Sacerdotibus conceditur hoc vescendi carnibus indultum. Quia licet Bulla Latinâ profetur: *Et sub hoc indulto vescendi carnibus, ouis, & lacticiniis comprehenduntur omnes cuiusuis militiæ regulares, Patriarchis vero &c. id minimè conceditur:* Commissarius generalis habens potestatem transferendi Bullam, (cui quidem adhibenda fides) sic transtulit: *Y en este indulto de comer huevos, y cosas de leche a su aluedrio, no le comprehenden los Patriarchas,* &c. Vbi asserens personas Ecclesiasticas excipi ab indulto vescendi ouis & lacticiniis, nullàm agit de vsu carnium mentionem. Rationem do disparitatis, quia priuilegium edendi oua, & lacticinia valentibus conceditur, vsus verò carnium infirmis: vnde non est eadem vtriusque priuilegij ac exceptionis ratio. Trul. *l.* 1. §. 4. *dub.* 2.

108. *Potest & pisces edere, qui carnes comedit.*

Qui ratione Bullæ carnibus vescitur, potest pisces comedere, secluso scandalo, aut speciali Regionis, aut vrbis vsu. Quia potest suo renunciare iuri, & quia cui licet maius, licet & minus. A fortiori ad carnes dispensatus poterit oua ac lacticinia comedere. Quia cui maius conceditur, censetur concessum quod est in eodem genere minus. Azor. *tom.* 1. *l.* 7. *c.* 10. Sanch. 3. *l.* 4. *Mor. c.* 11. *n.* 57. Henriq. *l.* 7. *c.* 30. *n.* 3.

109. *Pueri à septennio peccant edentes oua sine Bulla.*

Pueri non rationis vsu pollentes possunt indifferenter carnes, oua, & lacticinia diebus quadragesimalibus sine Bulla comedere. Quia legibus Ecclesiæ, non-dum tenentur. At à septennio, à quo communiter vsus rationis eluceſcere assolet, mortaliter delinquent, si ouis ac lacticiniis sine Bulla vescantur. Quia etsi lege ieiunij vsque ad vigesimum primum annum non teneantur, ad ciborum tamen prohibitorum tenentur abstinentiam. Rodrig. §. 6. *n.* 2. *dub.* 1. Sancti. *in Select. disp.* 51. *n.* 31.

110. *Potest Clericus & Religiosus oua edere à Confessario dispensatus.*

Si Sacerdos vel Religiosus, cui prohibetur in Quadragesima esus ouorum, illis indigeat, potest Confessarius tanquam Medicus spiritualis virtute Bullæ cum his dispensare, etiam præsente Episcopo, vel Prælato, si modo Medicus corporalis, aut vir expertus explicet subesse causam etsi dubiam. Quia licet expressè id non habetur in Bulla circa esum ouorum, sicut circa esum carnium exprimitur, id tamen firmatur ex praxi. Video enim viros doctos, & timoratos hac facultate vti. Scio quidem, non valere argumentum in priuilegiis odosis à maiori ad minus, ita vt cui licet quod est plus liceat quod minus est, quando maius & minus in generibus sunt diuersis, tamen si vtrumque sit in eodē genere, & quod est minus est annexum maiori tanquā pars eius, vel ab eo inseparabile, tum sanè priuilegiū in casu maiori ad minorem extenditur. Ex. gr. Episcopus, cui concedit Pontifex testādi facultatem, potest etiam codicillum facere, vel causa mortis donare; quia hæ sunt partes vltimæ voluntatis, quæ concesso testamento, conceduntur. Ergo similiter cui esus carnium conceditur per Bullam ex vtriusque Medici consilio subinde conceditur ouorum & lacticiniorum esus; quia tota ratio prohibitionis est, quod à carnibus sementinam trahunt originem; sublata igitur illa principali prohibitione, tollitur accessoria. Henriq. *l.* 7. *c.* 13. *n.* 10. *lit. E.* Sanch. *l.* 8. *de Matr. disp.* 1. *n.* 35.

CAPVT XI.

De vsu ouorum, ac lacticiniorum ex indulto Cruciatæ.

111. *Quid concedit Bulla circa oua.*

COncedit Bulla quibusdam personis vt pro libito tempore Quadragesimæ ouis & lacticiniis vesci possint, ita vt si à carnibus abstinuerint, & in reliquis formam ieiunij seruauerint Ecclesiastici, ieiunio satisfeciſſe censeantur. Sic *Bulla* §. 4. Ergo Bulla concedit, vt possis pro libito ouis & lacticiniis in Quadragesima vescendo, ieiunio

ieiunio satisfaciat. Quia abstinentia ab ouis & lacticiniis non est de essentia ieiunij, sed de præcepti Ecclesiastici necessitate, in quo Papa dispensat, ad quam dispensationem causa sufficiens est eleemosyna in belli subsidium. Medina *l.*1. *c.*14.§.10.

112. *Lacticiniorum esus includitur in ouorum vsu.* Quamuis Bulla non addidisset, *Et lacticinijs*, posset quis virtute Bullæ lacticiniis vti. Quia eo ipso quod comedendi oua facultas impenditur, conceditur etiam facultas vescendi lacticiniis; vnica enim est & indiuidua prohibitio ouorum & lacticinorum ex Cap. *Denique*, dist. 4. eo quod sementinam originem à carnibus trahunt; sicut est vnica prohibitio, & indiuidua omnium carnium. Henriq. *l.*7.*c.*13.*n.*11.Sanch. *to.*3.*de Matr.l.*8.*disp.* 1.*n.*39.

113. *Non indiges in Hispania Bulla, ad vtendum ouis extra Quadragesimam.* Vt quis in Hispania possit ouis ac lacticiniis vesci Bulla non indiget in ieiuniis extra Quadragesimam. Quia his in ieiuniis non est prohibitus vsus ouorum & lacticiniorum nec à iure, nec per consuetudinem approbatam vim legis habentem. Quid ergo concedit Bulla dum facultatem impertit lacticiniis ac ouis vescendi non solum in Quadragesima, sed in alijs extra illam ieiuniis? Dat quidem certitudinem in tali actu, quæ non mediocris vtilitas est: Non enim semper ad rationem priuilegij requiritur, vt nouum ius concedat, aut aliquid præter ius commune tribuat: sed sufficit, vt clarius & facilius tribuat ius quam ius commune docebat. Rodrig. *to.*1.*q.*7.*a.*1.Ioan.de la Cruz.*l.* 2.*de priuil.c.*1.*dub.*1.*concl.*1.

114. *Qui vescitur ouis, potest & pisces edere.* Ille, cui conceditur per Bullam edere oua & lacticina, potest simul pisces comedere. Quia potest suo renunciare priuilegio: præcipue cum tibi noceat totum ex ouis ac lacte prandium, aut ex eorum futilitate commode ieiunare non valeas. Quod si noceant pisces, non delinques contra præceptum Ecclesiasticum; sed contra naturale de valetudine tuenda Henriq. *l.*7.*c.*13.*n.*11.*lit.F.*

115. *Pueri post septennium Bulla indigent ad oua edenda.* Pueri ante septennium Bulla nonindigent ad ouorum vsum. Quia vsu rationis carentibus possunt licitè & carnes ministrari. Sanch. *l.*1.*Moral.c.*21.*n.*6.*&* 9. Post septennium autem Bulla indigebunt vt diebus quadragesimalibus possint ouis, ac lacticiniis vti.

116. *Possunt eius indulto vti laici, & Equites Militares.* Laicis secularibus, & Equitibus Militarium Ordinum (dummodo hi Presbyteri non sint) conceditur, sine vlla temporis distinctione posse ouis ac lacticinijs vesci. Idem adiicit Bulla de Clericis secularibus Ordinum minorum, de subdiaconis, & Diaconis. Quia solummodo in §.4. Sacerdotes excluduntur; vnde cum sit lex odiosa, non est amplianda, sed restringenda.

117. *Possunt & Cardinales S. R. Ecclesiæ.* Cardinales sanctæ Ecclesiæ si neque sint Regulares neque sacerdotes, nec Præsules possunt ratione Bullæ oua & lacticinia tempore Quadragesimæ comedere. Quia circa illos nulla in Bulla inuenitur exceptio. Rodrig. *in addit ad* §.6. *n.*9.

118. *Possunt & sacerdotes ac Religiosi sexagenarij.* Clerici seculares sacerdotes & omnes Religiosi si sint sexagenarij possunt in Quadragesima vti ouis & lacticiniis ratione Bullæ. Constat ex verbis illis: *Nisi sexagenarij sint.* In quibus quidem sexagenariis nulla infirmitas; nulla causa requiritur, vt possint priuilegio potiri. Sic §.6.

119. *Non possunt Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi.* Excipiuntur ab huiusmodi priuilegio primum Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi. Huius nomine intellige eum, qui est consecratus, quamuis Episcopatui renunciauerit. Quia non desinit esse ex renunciatione verus Episcopus, quia non amittit consecrationem; & eum, qui est electus, & iam à Papa confirmatus. Quia est verè Prælatus. Sic quidam recent. apud Rodrig. *in addit. ad* §.6. *n.*8. At si tantùm sit electus & nondum confirmatus hac exceptione non comprehenditur, nisi alias sit Presbyter, aut Regularis.

120. *Nec Prælati inferiores.* Excipiuntur secundò omnes inferiores ab Episcopis Prælati, quorum nomine intelliguntur quicumque habentes dignitatem aliquam cum perpetua administratione: tum etiam superiores Religionum, vt Generalis, Prouincialis, Præfecti Cœnobiorum. Qui omnes si dignitatem aut Prælaturam renunciauerint, possunt vti Bullæ indulto, nisi alias sint Presbyteri, aut Regulares. Rodrig. *in addit. ad* §.6.*n.*8. Cruz. *disp.*1.*c.*5.*dub.*17.*n.*3.

121. *Nec Religiosi.* Excipiuntur tertio omnes personæ Regulares; quorum nomine intelliguntur, qui tria saltem vota in Religione approbata emiserunt, siue sint viri, siue fœminæ. Sic Bulla: *Nec non aliis personis Regularibus.* Quæ verba cum generalia sint, manifestum est, ad omnes personas Regulares extendi. Rodrig. *in addit. ad* §.6.*n.*10. Villalob. *tr.*27.*clauf.*6.*n.*7.

122. *Non excipiuntur Beatæ, tertiarij, & eremitæ.* Non comprehenduntur hac exceptione Beatæ, nec tertiarij, aut tertiariæ, nec eremitæ. Quia non sunt Regulares, nec tria vota emiserunt. Nec nouitij, antequam professionem emiserint. Quia in odiosis Regularium nomine non comprehen

123. *Comprehenduntur in exceptione Societatis Iesu Religiosi tria vota simplicia emittentes.*

comprehenduntur. Rodrig. §. *6. num.* 10.

Comprehenduntur Religiosi nostræ Societatis nondum Presbyteri, qui post biennium probationis vota emiserunt simplicia. Quia hi tam in fauorabilibus, quam in odiosis sunt verè & essentialiter Religiosi. Si autem à Religione dimittantur non Presbyteri possunt ouis ac lacticinis vesci quia iam Religiosi non sunt. Rodrig. §. 6. *n.* 10. Villalob. *tr.* 27. *claus.* 6. *num.* 8. Ludo. Cruz *disput.* 1. *cap. dub.* 27. *num.* 1.

124. *Et omnes Regulares laici.*

Comprehenduntur in hac exceptione Regulares etiam laici. Quia Bulla in Regularibus non requirit Sacerdotium, sed tantùm quod Regulares professi existant. Rodrig. §. 6. *n.* 7. Villalob. *tr.* 27. *claus.* 6. *n.* 7.

125. *Soli sacerdotes ex sæcularibus excluduntur ab indulto.*

Ex personis denique seculares soli Sacerdotes excluduntur. Sic Bulla: *Et qui in ordine Presbyteratus fuerint sæcularibus id minime conceditur.* Vnde Diaconi, Subdiaconi seculares hac exceptione minimè comprehenduntur. Rodrig. §. 6. *n.* 7. & communiter Doctores.

126. *Cur excluduntur Patriarchæ, &c.*

Porrò Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis aliisque inferioribus Prælatis nec non aliis personis Ecclesiasticis Regularibus, & qui in ordine fuerint Presbyteratus secularibus hoc indultum ideo non conceditur, quia in illis Maior abstinentia requiritur. Sic in Cap. *statuimus dist.* 4. & quia oua, & lacticinia ex Medicorum placito Angelicæ huiusmodi virorum, ac fœminarum haud conferunt puritati. D. Thom. 2. 2. *q.* 147. *a.* 8.

127. *Licet sexagenariis vesci ouis, & non sexagenarius habentibus aliunde priuilegium.*

Licet Sacerdotibus, & Regularibus vesci ouis, ac lacticiniis in Quadragesima si sunt sexagenarij (vt vidimus) indulto Cruciatæ. Licet & non sexagenariis, si aliunde habeant priuilegium illa comedendi, dummodo Bullam habeant. Quod quidē licet eis non vi facultatis, quæ datur per Bullam: sed ex vi alterius priuilegij. Quia tale priuilegium non tollitur per Bullam, nisi quando hæc non recipitur; ergo reualidatur Bullam accipienti; omnia enim priuilegia, quæ per Bullam suspenduntur, illam sumentibus per eandem reualidantur. Henriq. *l.* 7. *c.* 13. *n.* 10. Ludou. Cruz *disput.* 1. *c.* 5. *dub.* 18. *n.* 10.

128. *Qui commensalis est eius qui priuilegium speciale habet, potest vesci ouis, & lacticiniis, sine Bulla.*

In Regno Aragoniæ nonnulli adsunt primarij viri habentes facultatem ouis ac lacticiniis, lardoque vescendi in omnibus totius anni ieiunij diebus, eius commēsalibus eodē priuilegio potituris. Quando igitur Sacerdos, vel Religiosus vel alius ex exceptis tanquam commensalis comedit cum eo, qui priuilegium habet huiusmodi, licet non habeat Bullam, potest ouis, lacticiniis ac lardo vesci, dummodo habens tale priuilegium, Bullam habeat. Quia Bulla solùm requiritur, vt priuilegium reualidetur respectu illius, cui fuit primariò concessum, vnde satis est, vt priuilegiatus eam sumat. Henriq. *l.* 7. *cap.* 13. *num.* 10. Rodri. *in addit. ad* §. 6. *n.* 7. Ludou. Cruz *disp.* 1. *c.* 5. *dub.* 18. *n.* 11.

129. *Sacerdos accipiens Bullam in Castella, potest vesci ouis in Lusitania.*

Sacerdos accipiens Bullam apud Castellam potest vesci ouis, & lacticiniis in Lusitania, aut quouis Hispaniæ Regno. Quia cùm Bulla sit priuilegiū personale, personā vbique sequitur. Moneo Bullam nostram prohibere solummodò ne ouis, aut lacticiniis in Regnis Italiæ vescamur, vbi cruciatæ Bulla non promulgatur, & vt scandalum vitetur, & ob piscium abundantiam. Rodrig. *in addit. ad* §. 6. *n.* 12.

130. *Equites D. Ioannis, & alij vere Religiosi possunt vesci ouis, & lacticiniis.*

Equites Ordinis Militaris, qui verè Religiosi sunt, & matrimonium contrahere nequeunt, v. gr. Diui Ioannis, tempore Quadragesimæ ouis, ac lacticiniis vesci possunt. Quia instituti sunt ad seruiendum Ecclesiæ fortiter dimicando aduersus hæreticos, & infideles. Non autem nomine Militarium comprehenduntur Religiosi Militares clerici, quamuis non sint sacerdotes, quos Freiles vocitant, & choro inseruiunt: hi enim tenentur ab ouis, ac lacticiniis abstinere. Rodr. §. 6. *n.* 11.

131. *In ieiuniis ex voto, pœnitentia ac Iubileo extra Quadragesimam possunt seculares ouis vesci.*

In ieiuniis autem ex voto, pœnitentia, vel Iubileo impositis extra Quadragesimam, omnes habentes Bullam etiam sæculares sacerdotes, & Regulares possunt vti ouis, & lacticiniis. Quia Bulla in ieiuniis per annum extra Quadragesimam sine personarum ac temporum distinctione priuilegium illa edendi concedit. Sanch. *l.* 4. *Moral. c.* 11. *n.* 49. Henriq. *l.* 7. *c.* 13. *n.* 13. Rodrig. §. 6. *dub.* 5. Et quia non aliter Pontifex, Confessarius, aut vouens imponit ieiunium, quam lege Ecclesiastica inducitur. Ledes. *to.* 2. *tr.* 27. *c.* 2. *concl.* 3. *diffic.* 3.

132. *Idem de Sacerdotibus ac Regularibus asserо.*

Si præfata ieiunia ex voto, Iubilæo, ac pœnitentia gerenda, extra Quadragesimā incidant, possunt siue laici, siue sacerdotes, siue Regulares etiam sine Bulla oua ac lacticinia comedere, nisi fortè in voto, pœnitentia, vel Iubileo hæc prohibeantur, vel nisi aliud ferat loci particularis aliqua approbata consuetudo. Quia Pontifex, Confessarius, ac vouens non aliter imponit ieiunium, quam lege Ecclesiastica inducitur: sed ieiuniis Ecclesiasticis per annū satisfit edendo lacticinia etiam sine Bulla; ergo, &c. Azor. *to.* 1. *l.* 7. *c.* 10. *q.* 1. Ludo. Cruz *disp.* 1. *c.* 5. *dub.* 14. *n.* 10. Sylu. *ieiunium, q.* 5.

133. Si vero ieiunia hęc incidāt in Quadragesima,

Si incidant in Quadrageſima, poſſunt ſæculares ouis veſci, non Presbyteri, ac Regulares.

ſima ſæculares habentes Bullam poſſunt ouis ac lacticiniis veſci. Quia Pontifex in Bulla hoc §. abſolutè ei concedit, vt in omnibus ieiuniis etiam Quadrageſimalibus poſſint pro libito illis vti : nec Pontifex, Confeſſarius, vel vouens aliter imponit ieiunium, quam ex lege Eccleſiaſtica indicitur. At Regulares, & ſæculares ſacerdotes non poſſunt oua, ac lacticinia edere, ſi illa ex voto, ex Iubileo, aut pœnitentia ieiunia in Quadrageſima incidant. Quia eis expreſſe prohibitum alias. Ita §.4.

CAPVT XII.

De Indulgentia Quindecim annorum, ac Quindecim Quadragenarum & de bonorum participatione.

Quid nam indulgentia quindecim annorum, & quindecim Quadragenarum.

134. INdulgentia *Quindecim annorum & Quindecim Quadragenarum* non eſt totalis aut plenaria; ſed partialis, & ad certam remiſſionem pœnarum determinata, nimirum ad quindecim annos & quindecim Quadragenas. Quod tempus non eſt intelligendum de annis Purgatorij, ita vt facienti præſcripta hoc §. 5. remittantur quindecim anni cum quindecim Quadragenis de pœnis, quas perpeſſurus erat in Purgatorio; ſed intelligi debent de pœnitentiis, ac pœnis, quæ in hoc ſæculo perſoluendæ eſſent, ſi per quindecim annos, & totidem quadragenas pœnitentiam ageret, iuxta antiquorum canonum pœnitentialium diſpoſitionem, & de pœnis Purgatorij reſpondentibus ſatisfactioni, ac pœnitentiæ quindecim annorum, ac totidem Quadragenarum. Sotus *in* 4. *diſt.* 21. *q.* 2. *c.* 1. *concl.* 2.

Quidnam per eam remittatur?

135. Per indulgentiam quindecim annorum & quindecim Quadragenarum fit remiſſio non ſolum de pœnis ſeu pœnitentiis à Confeſſario iniunctis; ſed etiam de pœnitentiis rationabiliter iniungendis. Conſtat ex illis verbis : *Quomodolibet debitis.* Lopez de Bulla *c.* 7.

Quænam opera gerenda?

136. Opera præſcripta ad hanc indulgentiam conſequendam ſunt tria. Primum eroganda ſtipes pro Bullæ acceptione deſignata. Secundum, voluntarium ieiunium inſtituendum. Tertium oratio pro pace inter fideles, & victoria contra infideles agenda. Sic Bulla §. 5.

Ieiunium debet eſſe extra diem præcepti.

137. Ieiunium præſcriptum à Pontifice ad præfatam indulgentiam lucrandam debet eſſe voluntarium id eſt, voluntarie & non ex præcepto aſſumptum. Patet ex illis verbis *In diebus ieiunio non ſuppoſitis.* Vnde per ieiunium ex voto, ſeu præcepto quis non poterit hanc indulgentiam lucrari. Quia hæc ſummi Præſulis eſt intentio. Nec vrges obiiciendo, ſicut eodem ieiunio poſſum duobus præceptis ſatisfacere, ita poſſum ſatisfacere præcepto ieiunij, ac lucrari indulgentiam : quia primum non eſt expreſsè prohibitum, ſecundum autem expreſſe prohibetur Rodrigez §. 7. *n.* 12. *&* 13. Profecto vtrum Oratio requiſita debeat eſſe vocalis, an mentalis proprio expendam Problemate.

Poteſt commutari ieiunium.

138. Si adeſt legitimum impedimentum; quod iuxta Theologiam moralem à ieiunio excuſat, aliud ſolius Confeſſarij, aut Parochi arbitrio opus gero vt poſſim lucrari indulgentiam, opus autem iniungendum loco ieiunij ab oratione debet eſſe diſtinctum. Quia ad conſequutionem indulgentiæ duo requirit Pontifex, orationem, & ieiunium, vel aliud pium opus loco ieiunij, ſi non poſſis ieiunare. Præſcribenda igitur pro ieiunio eleemoſyna, flagellatio, Xenodochia inuiſere, &c. Vidiſti, tria requiri neceſſariò ad huius indulgentiæ conſequutionem, habere Bullam ſtipe aſſignata expoſita pro victoria contra infideles exorare, diebus ieiunio non ſuppoſitis ieiunare, & ſi impeditus quis legitime ſit aliud opus arbitrio Confeſſarij aut Parochi exercere. Quorum vno, aut altero deficiente, indulgentiam minimè conſequeris. Quia indulgentia hæc eſt conditionalis, & præſcripta illa opera tanquam conditio ſine qua non requirit. Præſtitis tamen hiſce operibus poteris lucrari toties quoties geſſeris, indulgentiam. Patet ex illis verbis: *Toties quoties.* Rodrig. §. 7. *n.* 6.

Conceditur etiam participatio bonorum operum; & quænam hæc ſit.

139. Summus Pontifex huius §. 5. vltima clauſula iis, qui pro victoria contra infideles preces profuderint, & voluntariè ieiunauerit, vel aliud opus pium, ſi ieiunare non valeant, de conſilio Confeſſarij præſtiterint, non ſolum quindecim annos, & totidem Quarentenas indulgentiæ concedit : ſed participes efficit omnium precum, eleemoſynarum, peregrinationum, etiam Ieroſolymitanæ, & aliorum bonorum operum, quæ in vniuerſali Eccleſia, & ſingulis eius membris fiunt, quoad meritum de congruo, & quoad ſatisfactionem. Quoad meritum de congruo ſeu impetrationem quidem; quia præfata gerentes ſi ſint in peccato, per merita aliorum merentur, & impetrant

à Deo rectos motus, & in Deum conuersionem, quo disponantur, vt recedant à crimine, & iustificentur; si autem sint in gratia, vt in ea perseuerent & virtutes augeantur. Fiunt enim bona fidelium opera hanc Bullam habenti tanquam propria ex Pontificis applicatione quo ad hunc effectum, si præscripta à Pontifice præstet, ac propterea impetrat, & de congruo meretur, ac si ab ipso essent facta. Quoad satisfactionem verò; quia Pontifex Bullam habenti, & præfata præstanti concedit, & applicat aliorum fidelium satisfactiones, ac pœnarum remissiones, per quas ipse Deo satisfacit, & suarum pœnarum remissionem, & recompensationem à Deo impetrat, ac si ipse bona satisfactoria opera præstaret. Quæ applicatio fit per modum cuiusdam distributionis thesauri communis Ecclesię. Lopez de Bulla, *cap.* 7.

140. *Non applicatur satisfactiones præteritæ: & quid de præsentibus ac futuris de facto communicet Pontifex.*

Porrò per huiusmodi communicationem satisfactoriam non applicat Pontifex satisfactiones fidelium iam præteritas, sed tantum satisfactiones præsentes, & futuras, anno publicationis Bullæ durante. Ait enim, esse participes bonorum quæ fiunt, non quæ facta sunt. Licet autem communicare possit iustorum satisfactiones eas quæ supersunt eis, & quæ ipsis ad satisfaciendum pro peccatis necessariæ sunt; quia omnia quæ sunt fidelium, sunt Pontifici subdita tanquam supremo capiti: de facto tamen eas solum satisfactiones, quæ fidelibus supersunt per Pontificem aliis communicari existimandum est, nisi quando ipso in indulto aliud expresse declaret, quod tamen in Bulla non exprimitur. Ludou. Cruz, *disp.* 1.*c.*8.*dub.*15.*n.*16.

141. *Hæc applicatio satisfactionum est finita.*

Hanc autem satisfactionum applicationem finitam esse certum existima, sicut sunt ipsæ satisfactiones. Vnde multis applicatæ minoris sunt valoris, ac si pro vno tantum applicarentur. Quia finitum in plures partes diuisum tandem finitur. Suar. *tom.* 4. *disp.* 58. *sect.* 2. *num.* 17. & *sect.* 3. *num.* 7.

142. *Ad fruendum hac satisfactione, requiritur oratio, ieiunium, & gratia.*

Non sufficit habere Bullam ad fruendum hac satisfactione quoad meritum, & satisfactionem: sed requiritur etiam oratio, & ieiunium vel aliud opus pium loco ieiunij (de quo suprà.) Requiritur præterea vt sit in gratia; quia in peccato existens Deo non potest pro pœna satisfacere. Attamen ad participationem meriti de congruo status gratiæ non requiritur; quia de congruo mereri & impetrare possunt etiam peccatores, quorum oratio-

nes Deus sæpe pro sua infinita pietate exaudit. Lopez *de Bulla c.*7. Suar. *to.*4. *disp.* 48. *sect.* 7. & *tom.* 2. *de Rel. l.*1.*c.*22. Henriq. *l.*7.*c.*17.*n.*6.*lit.D.* Azor. *tom.*1.*l.*9.*c.*33.

143. *Quænam specialis participatio bonorum per Bullam conceditur.*

Rogas, si omnes fideles in gratia existentes participes sunt omnium bonorum operum, quæ ab aliis fidelibus geruntur, eo quod sint membra viua eiusdem corporis mystici, quod est Ecclesia, & eidem capiti Christo per charitatem vnita: quid concedit Pontifex? nil enim videtur concedere, si iam aliàs fideles aliorum bonorum operum sunt participes. Profecto concedit, & applicat superabundantes fidelium satisfactiones, quarum ipsi satisfacientes non indigent, nec aliis applicarunt, quæ quidem si non fuissent à Papa applicatæ hoc Bullæ indulto, in communem thesaurum erant ingressuræ. Quia satisfactiones particularium fidelium alteri fideli non prosunt, nisi ab ipso satisfaciente, vel à superiore habente potestatem applicentur. Prius quam ergò huiusmodi satisfactiones, non applicatæ, ac superabundantes communem ineant thesaurum, à Pontifice habentibus Bullam, & supradicta gerentibus applicantur, facta quidem confraternitate quadam inter eos, qui Bullam habent, vt sibi inuicem communicent speciali intentione satisfactionem, & orationum impetrationem. Henriq. *lib.*7.*cap.* 30.*num.*2.*lit.E.*

CAPVT XIII.

De Stationum indulgentiis.

144. *Stationum indulgentia.*

CONCEDIT Pontifex §. 6. illis, qui quinque Ecclesias vel quinque altaria, vel, si quinque non adsint, vnum altare quinquies inuiserint, & ibi preces pro victoria contra infideles, & Principum Christianorum vnione profuderint, omnes ac singulas indulgentias, quæ existentibus Romæ in diebus stationum Vrbis tam intra, quam extrà muros conceduntur: quas possint defunctis per modum suffragij applicare. Sic *Bulla* §. 6.

145. *Quid stationes.*

Statio dicitur actus, quo Christicolæ stantes orabant in Martyrum Basilica, quemadmodum milites stationarij vocitantur, qui stantes ad præsidia gerunt excubias. In præsenti autem statio est processio ad aliquam Ecclesiam ad exoluendum Deo gratias facta. Henriq. *lib.* 7.

*cap.19.n.3.lit.O. & P.*Onuph. *de ſtat.Vrb.*

146. *Indulgentiæ variæ in Vrbis Eccleſijs, & Capellis.* In principaliſſima Eccleſia S. Ioannis Lateranenſis S. Syluester Papa quocumque anni tempore omnibus ad eam accedentibus remiſſionem omnium peccatorum conceſſit, quam conceſſionem S. Gregorius, & Bonifacius confirmarunt. In capella S. Ioannis Baptiſtæ intrà eandem Eccleſiam (in quam fœminæ non ingrediuntur) plenaria eſt indulgentia. In capella S. Laurentij (in eadem Eccleſia) eſt omnium peccatorum remiſſio. In Eccleſia ad S. Crucem in Ieruſalem per omnes dies eſt plenaria indulgentia apud capellam S. Helenæ. In Eccleſiis SS. Petri & Pauli, S. Mariæ Maioris, S. Laurentij, S. Fabiani, & S. Crucis ſunt quamplurimæ indulgentiæ plenariæ, & innumeræ partiales. Vndè conſtat apertè nullum eſſe diem, in quo viſitantibus aliquam vel aliquas intrà vel extra muros almæ Vrbis indulgentia plenaria non concedatur. Sorbo *in Compend. ver. Indulgentiæ ſtationum, pag. 225. &c.*

147. *Quid hîc Pōtifex concedat.* Pontifex non concedit hîc omnes indulgentias plenarias, quæ per totum annum conceduntur certis diebus feſtis Eccleſias Romanas viſitantibus: ſed ſolum indulgentias, quas fideles Romæ lucrantur in diebus ſtationis, ſeu in quibus fit ſtatio. Patet ex verbis Bullæ: *In ſingulis diebus ſtationum almæ Vrbis.* Commiſſarius expoſuit.

148. *Tria requirūtur ad huius indulgentiæ conſecutionē.* Ad huius indulgentiæ conſecutionem tria requiruntur, habere Bullam, quinque Eccleſias, aut quinque altaria, aut quinquies altare vnum, cum quinque non adſunt, inuiſere, preces Deo pro Principum Chriſtianorum concordia, ac victoria contra infideles fundere. Hæc tanquam conditiones neceſſariæ à Pontifice proponuntur. Sic *Bulla* §.6.

149. *Quid nomine Eccleſiarum intelligatur.* Nomine Eccleſiarum intelliguntur Templa ad diuinum cultum dedicata, Monaſteria, Hoſpitalia, oratoria priuata, eremitoria. Igitur vir nobilis inuiſendo oratorium ſuum ab Epiſcopo deſignatum, & approbatum, hanc lucratur indulgentiam. Quia in iure præſertim in fauorabilibus oratorium Eccleſia reputatur. Henriq. *l.7.c.10.n.1.* Rodrig. *addit.* §.8. *n.1.*

150. *Sufficit quinque altaria inuiſere.* Etiam vbi ſuppetunt Eccleſiæ quinque ſufficit quinque altaria viſitare. Quia Bulla vtitur alternatiua locutione: at in alternatiuis licet quamlibet partem eligere. Quod ſi quinque non adſint altaria, vnum altare quinquies interpolatis vicibus debet viſitari. Roderiq. §.8. *num.9. & in addit. ad* §.8.*n.1.*

151. *Non ſufficit è foris inuiſere altaria quæ non vides.* Qui non poteſt Eccleſiam ingredi, quia plena hominum multitudine non lucratur indulgentiam à foris inuiſendo. Quia moraliter loquendo non dicitur quinque altaria inuiſiſſe. Conſequetur tamen indulgentiam conceſſam talem Eccleſiam viſitanti, & in ea preces profunfundenti, Quia moraliter cenſetur eam viſitare. Dian. p.1.*tr.11.reſol.* 103. Bonac. *de ſacram.diſp.6.q.5.pun.5. n.26.* Villalob. *tr.26.diffic.14.n.7.*

152. *Si videas ſufficit.* At ſi fortè à foris poſſit quinque altaria videre, & ea viſitare, poteſt ſtationum conſequi indulgentiam. Quia moraliter loquendo conditioni quinque altaria viſitandi ſatisfecit. Ludou. Cruz. *diſp. 1.c.8.dub.13.n.5.*

153. *Debes habere intentionē lucrandi indulgentiam & orandi ex Pōtificis intentione.* Requiritur, vt viſitans quinque altaria habeat intentionem ſaltem virtualem lucrandi indulgentiam, & fundendi pro Principum concordia & victoria contrà infideles preces, vel orationem offerendi iuxta Pontificis intentionem. Rodrig. §.8. *num.9.*

154. *Non eſt neceſſe, fundere orationem determinatam.* Non eſt neceſſarium orationem determinatam fundi. Sic Bulla: *Preceſque ad Deum fuderit.* Sufficit ad ſingula altaria ſemel orationem Dominicam & Angelicam fundere. Quia ſic orare, preces fundere eſt. Sic *citati.*

155. *Potes qui in mortali inuiſiſti altaria iterū in gratia inuiſere.* Qui in mortali ſtationem geſſit, poteſt iterum eodem die, dum ſe in gratia reputat, altaria inuiſere. Quia talis Pontificis voluntas exiſtimanda. Rodrig. §.8. *n.15.*

156. *Qui vult cōſequi indulgentiam pro ſe ac pro defuncto, bis debet altaria inuiſere.* Qui vult hanc altarium indulgentiam pro defuncto conſequi, tenetur pro illo particulariter & ſpecialiter ſtationes facere. Vnde ſi pro ſe ipſo etiam velit obtinere aliam de nouo pro ſe gerere tenetur. Quia indulgentia ſemel ſibi applicata alij applicari non poteſt. Bulla ſic: *Tam pro ſe, quam pro defunctis.* Id eſt, poterit pro ſe vna viſitatione & oratione, pro defunctis autem altera conſequi indulgentiam. Rodrig. §.8. *num.13.*

157. *Si adnoteur à Bulla ſpecialis pro anima Purgatorij dies ſufficit vnica viſitatio.* Certè quando in ſummario Bullæ dicitur, eo ſtationis die animam liberari à pœnis Purgatorij, eadem viſitatione altarium, & eadem oratione viuens ſibi lucratur indulgentiam, & anima à purgatorio liberatur. Quia id videntur verba ipſa inſinuare, vſu fidelium confirmante. Rodrig. §.8. *num.6.*

CAPVT.

CAPVT XIV.

De Confessario Bullæ indulto eligendo.

158. *Quid concedit hic Pontifex.*

POntifex concedit §. 7. potestatem eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum, à quo habens Bullam à reseruatis etiam summo Præsuli in Bulla Cœnæ possit absolui. Suppono ex probabiliori opinione (de quo *Sect.* 2.) approbatum ab Ordinario simpliciter & absolutè siue sit approbatus ab Ordinario Confessarij, siue Pœnitentis, siue ab alio Ordinario, posse vbique virtute Bullæ eligi. Porro indubitatum omnino est, Confessarium virtute Bullæ eligibilem necessario debere esse ab aliquo Ordinario approbatum; aliter, extra casum necessitatis, nulla erit absolutio. Quia & à Tridentino *sess.* 23. *c.* 15. præscribitur Sacerdotem idoneum ad sæcularium confessiones audiendas debere esse ab ordinario approbatum: & à Bulla expresse determinatur.

159. *Approbatus licet iurisdictionem non habeat potest eligi.*

Si igitur Episcopus aliquem absolutè & simpliciter approbet, & nullam concedat iurisdictionem: potest virtute Bullæ eligi. Quia reuera approbatus est ab ordinario, & Pontifex per Bullam iurisdictionem cuilibet approbato concedit. Henriq. *lib.* 3. *de Pœnit. cap.* 6. *num.* 3. Rodrig. *in addit. ad* §. 4. *numer.* 3. Gutier. *qq. can. cap.* 27. *n.*22. Ludou. Cruz *disp.* 1. *cap. dub.* 7. *num.* 8.

160. *Simpliciter approbatus, si sit pius & doctus potest eligi, licet approbatus fuerit ad certum locum, & personas.*

Approbatus ad certum locum, & oppidum, aut ciuilitatem, vel ad certas personas, si simpliciter & absolute sit approbatus, sitque sufficiens, pius, doctus, potest virtute Bullæ in alio loco, & ab aliis personis eligi. Quia quamuis iurisdictio Episcopi sit limitata, approbatio tamen ipsius non est stricta, sed ampla, eo quod confessarius sit pius, doctus, & prudens. Henriq. *l.* 5. *de Pœn. c.*6. *n.*8.

161. *Si cum limitatione approbatus est quia non est satis idoneus, eligi non potest.*

At si Confessarius approbatus est cum limitatione ad certum locum, aut ad certas personas, eo quod non sit satis idoneus, sufficiens & doctus, verbi gratias cum quis ob loci asperitatem, aut tenuitatem fructuum in aliquo paruo oppido vbi difficilia negotia non vrgent, non adeò idoneus approbatur; eligibilis ex Bulla non est. Quia non censetur absolutè ac simpliciter approbatus. Henriq. *l.* 3. *de Pœn. c.* 6. *n.* 8.

Huiusmodi haud idoneus Confessarius potest à consimilibus, & non habentibus, casus difficiles, eligi. Quia respectu horum censetur approbatus sufficienter. Ledes. *tr. de Pœn. c.*13. *concl.* 1. *dub.*9. Ludou. Cruz *disp.* 1. *c.* 2. *dub.*9. *n.*7. 162. *Potest tamen à consimilibus eligi.*

Si quis approbatus tantummodo est, ad audiendos viros non defectu solius ætatis, sed quia non adeo prudens, & aliquo modo leuis exponitur, per Bullam non potest à fœminis eligi. Quia non censetur simpliciter approbatus. Henriq. *l.* 3. *de Pœn. c.* 6. *n.* 8. 163. *Non potest eligi à fœmina approbatus ad solos viros.*

Qui approbatur ad annum si absolutè & simpliciter approbatus est, eligi potest extra annum indifferenter ratione Bullæ. Quia ample, & non strictè approbatus est. Henriq. citat. 164. *Qui absolute ad annum approbatur, potest eligi extra annum.*

Qui re vera idoneus non est, licet ab ordinario approbatus sit, non potest eligi virtute Bullæ ab eo, cui constat satis confessarij ineptitudo. At qui bona fide putat esse idoneum, cum potest eligere. Nec inquirere quis debet an confessarius approbatus idoneus sit, potius debet eum idoneum iudicare. Ledes. *c.* 13. *de Pœn. concl.* 1. *dub.* 15. 165. *Qui non est idoneus, licet sit approbatus, eligi non potest.*

Si quis non doctus negotiis difficilimis implicatus, scienter non idoneum eligat confessarium inualidè confiteretur. Quia causam exhibet fortasse essentiali alicui ex ineptitudine confessarij defectui. Nauar. *cap.* 9. *à n.* 8. Henriq. *lib.* 2. *de Pœn. cap.* 14. *n.* 5. Sylu. *confessor.* 1. *num.* 2. *&* 3. 166. *Qui non idoneum eligit confessarium inualide confitetur.*

Quilibet Parochus simpliciter & absolutè approbatus idoneus est, vt ratione Bullæ eligatur intra eandem Diœcesim ab alienis ouibus eiusdem diœcesis sine licentia Parochi, imo sine licentia Episcopi ex vi beneficij Parochialis. Quia Tridentinum ad minimum in hoc æquiparat beneficium Parochiale approbationi Episcopi: sed approbatus ab Episcopo absolute & sine limitatione reputandus est idoneus in tota eius diœcesi, & eligibilis virtute priuilegij; ergo & habens beficium Parochiale. Trul. *lib.* 1. §. 7. *c.* 1. *dub.* 4. 167. *Quilibet Parochus potest eligi ab alienis ouibus intra diœcesim.*

Potest Parochus simpliciter approbatus eligi per Bullam à subditis alterius diœcesis, saltem dum ad propriam illius Parochiam etiam animo tantum cum eo confitendi accederent. Quia in eo loco Parochus completam habet approbationem; ergo si subditus alterius diœcesis habens Bullam ad illum locum accedat, poterit illum in confessarium eligere. Idem Trul. *n.*2. 168. *Et ab aliena diœcesis subditis.*

169. *Et vbique terrarum est capax iurisdictionis.*

Parochus absolute, & simpliciter approbatus idoneus est reputandus, vt vbique terrarum sit capax iurisdictionis, si aliunde conferatur ab eo qui potest delegare mediante Bulla, aut simili priuilegio eligendi confessorem. Quia si Parochus extra diœcesim non posset per Bullam eligi, etiam neque posset eligi extra suam Parochiam, quod est falsum. Probo sequelam, quia etiam ex vi beneficij solum videtur approbatus pro tali loco, seu Parochia: constat autem ex vi concilij Trid. illam approbationem reputari sufficientem pro aliis Parochiis: minister enim publicus, & ex officio approbatus ab Ecclesia debet reputari simpliciter idoneus vt eligatur; ergo, &c. Adhuc Trul. *l.*1. §.7. *cap.* 1. *dub.* 4.

170. *Eligi non potest Parochus intrusus.*

Eligi potest Parochus intrusus habens titulum coloratum, id est, qui occultè excommunicatus adeptus est Parochiale beneficium. Quia huiusce acta tam in exteriori, quam in interiori foro valida sunt, dum ab Ecclesia toleratur. Dat enim tunc Ecclesia iurisdictionem in bonum commune spirituale. Henriq. *l.* 13. *c.* 10. *n.* 3. Sayr. *l.* 2. *c.* 2. Nauar. *c.* 9. *n.* 9. Lessi. *l.*2. *c.*29. *dub.* 8.

171. *Non potest eligi qui beneficium Parochiale renunciauit.*

Quando Parochi approbatio cessat, eo quod beneficium Parochiale renunciauit, vel eo per iustam sententiam est spoliatus validè per Bullam eligi non potest. Quia per beneficij Parochialis abdicationem cessat approbatio à Tridentino requisita.

172. *Regularis potest eligi si approbatus est licet à successore Episcopo facultas reuocetur.*

Qui existimant approbationem Regularium esse perpetuam, (de quo Problemate proprio) nec posse à successore reuocari asserunt, posse valide per Bullam eligi, quamuis à successore Episcopo prima facultas reuocetur. Limitandum reor, quando Regulares fuere iuxtà formam Clementinæ *Dudum* Episcopo præsentati, & approbati: non vero quando, ea non seruata, fuerunt ab Episcopo propria sponte, & ad eius beneplacitum sicut sæculares approbati. Quia hoc in vltimo casu sicut potuit Episcopus illum sponte ac pro libito approbare, sic & reprobare potest: postquam autem est reprobatus valide per Bullam eligi non potest. Rodrig. §.9. *n.*33. Lopez. *c.*8.

173. *Approbatus ad certum tempus, post illud eligi non potest.*

Regularis approbatus ad certum tempus, verbi gratia ad triennium, eo elapso, valide per Bullam eligi non potest. Quia cessat approbatio, & si approbatus non est, Bullæ indulto non est eligibilis. Rodrig. §.9. *n.*33.

174. *Religiosus ab vno approbatus, pro libito ab eodem reprobatus, eligi valet.*

Religiosus ab vno approbatus Episcopo, si ab eodem ad arbitrium, & pro libito reprobetur: valide tamen potest per Bullam eligi. Quia iuxtà concessionem Pij V. anno 1571. non potest hic ab eodem Episcopo rursum examinari, ac reprobari. Ludouicus Cruz. *disp.* 1. *cap.* 2. *dub.*13. *num.* 6. Imo (addit hic) recte posset audire confessiones carentium Bulla, suorum vi priuilegiorum.

175. *Is, cui iniustissime approbatio negatur eligi non potest.*

Sacerdos sæcularis etiam si iustissime approbationem ab Episcopo petat, & iniustissime ei denegetur: non potest per Bullam eligi. Quia approbatus reuera non est. Suar. *in* 3. *p. to.* 4. *disp.*28. *sect.* 5. *n.*6. Constat apertè ex Trid. *sess.*23. *c.*15. *Nullum Sacerdotem, &c.*

176. *Regularis ex licentia eligens confessarium, quemlibet potest eligere.*

Regularis de licentia suorum Prælatorum eligens confessarium, potest eligere quemcumque sacerdotem idoneum siue Regularem, siue sæcularem secundum tenorem licentiæ, quamuis non sit ab Episcopo approbatus. Quia hoc est Regularibus concessum per priuilegia, quæ quidem quo ad hoc caput non sunt à Tridentino *sess.*23. *c.*15. derogata. Suar. *tom.*4. *in* 3. *p. disp.*28. *sect.*4. *n.*4. Henriq. *l.*7. *c.*13. *n.*7. *lit. L.* Rodrig. §.9. *n.*13. *&* 14.

177. *Si virtute Bullæ eligat, debet approbatum eligere.*

Si Regularis eligat Confessarium virtute Bullæ (dato quod sit illa opinio probabilis, de qua *sect.*2.) siue illum eligat de licentia Prælati, siue etiam absque licentia, tenetur, vt valida sit electio, & vt priuilegio Bullæ gaudere possit, approbatum eligere. (Num sufficiat à suo Prælato regulari esse approbatum, an sit necessario approbandus ab Episcopo proprio Problemate discutio) Quia Bulla præscribit eligibilem Confessarium debere esse approbatum. Sic Doctores citati.

178. *Confessarius ligatus censura est eligibilis, si nec ipse delinquat ministrando, nec eligens petendo.*

Confessarius ab Episcopo approbatus, est ligatus censura: quæsierim, an sit ex Bullæ priuilegio eligibilis? Quotiescumque ille potest validè absoluere, (de quo alibi) & non peccat mortaliter pœnitens petendo absolutionem, aut cum illo confitendo: potest ratione Bullæ eligi. Quando verò non licet absque noua grauis piaculi nota præfatum confessarium adire, haud licet eum virtute Bullæ eligere. Quia Bulla supponit, Confessarium posse valide absoluere, & esse à iure idoneum, hoc est, quod non sit excommunicatus, suspensus, vel interdictus: & quod pœnitens in actuali confessione mortaliter non delinquat. Trul. *l.*1. §.7. *c.*2. *dub.*11.

179. *Hæc verba non sunt necessario requisita, vt sit valida absolutio.*

Illa Bullæ verba: *Omnes & singuli prædicti vt purius ad Deum preces fundere, & efficacius diuinum auxilium implorare possint, conceditur, vt possint eligere confessarium, &c.* Non habent vim conditionis,

nec

nec sunt necessario requisita, vt electio, confessarij sit valida. Quia hæc pars Bullæ est motiua, pars autem motiua non inducit præceptum, sicut in lege, priuilegio, ac testamento pars motiua non inducit obligationem: solum autem pars dispositiua obligationem inducit, qualis est pecuniæ elargitio pro Bulla accipienda. Vnde si quis præstita eleemosyna, eligat Confessarium & absoluatur à reseruatis, valida est absolutio, quamuis preces pro victoria non fundat; quia etsi non motiuam, impleuit tamen dispositiuam. Trul. *l.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 12.

180. *Episcopus potest eligere non approbatum ab alio.*

Episcopus, & qui habet iurisdictionem Episcopalem vt possit virtute Bullæ absolui non tenetur eligere Confessarium ab alio Episcopo approbatum: sed si eligat sibi subditum, potest ipse illum approbatum eligere. Suar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 28. *sect.* 6. *n.* 12. *&* 13.

181. *Prælati inferiores non Regulares necessario debent approbatum eligere.*

Prælati non Religiosi Episcopis inferiores, qui iurisdictionem non habent Episcopalem necessario tenentur virtute Bullæ vsuri Confessarium approbatum ab Episcopo eligere. Quia prælati manifestè comprehenduntur sub Tridentini decreto. Constat ex responsione Gregorij XIII. relata à Suario *tom.* 4. *in.* 3. *p. disp.* 28. *sect.* 4. *num.* 8.

CAPVT XV.

De facultate absoluendi à reseruatis Pontifici, alijve Prælato.

182. *Quid Papa concedat circa casus reseruatos sibi & censuras.*

COncedit Pontifex eodem §. 7. facultatem absoluendi pœnitentem à peccatis, & Censuris Papæ etiam in Bulla Cœnæ reseruatis semel in vita, & iterum in articulo mortis: à peccatis autem, & Censuris Episcopis, aut aliis Prælatis à Papa, toties quoties ea ritè fuerint confessi, imposita tamen salutari pœnitentia, & parte satisfacta, casu quo læsa fuerit. Sic Bulla.

183. *Quid per casus Papæ reseruatos intelligitur.*

Per casus Papæ reseruatos intelliguntur censuræ eidem reseruatæ. Quia nullum peccatum Papæ est de facto reseruatum nisi ratione Censuræ videlicet excommunicationis, suspensionis, & Interdicti. Porro ratione Bullæ potest quis absolui semel in vita intra publicationis annum ab omnibus casibus & Censuris Papæ reseruatis, excepta excommunicatione ob hæresim incursa. Certè Gregorius XIII. anno 1573. die 5. Maij suo indulto concessit, vt possit sumi secunda Bulla, & iterum sumens absolui à reseruatis Papæ semel in vita, & iterum in articulo mortis. Sic Bulla latina.

184. *Potest sumi Bulla secunda.*

285. *Absolui potest à peccatis ante vel post acceptionem Bullæ commissis.*

Virtute Bullæ absolui quis potest à reseruatis commissis siue antè siue post Bullæ acceptionem. Quia Bulla non distinguit, nec limitat. Villalob. *p. tract.* 27. *clauf.* 9. §. 2. *n.* 6. Rodrig. §. 9. *n.* 95. Cordu. *q.* 34. *de Indulg.*

186. *Vna tantum absolutio pro reseruatis Papæ concedi potest intra annum.*

Intra annum publicationis Bullæ vna tantum absolutio pro reseruatis Papæ concedi potest, minime vero singulæ de singulis peccatis reseruatis, in quæ per anni circulum quis potest incidere. Quia hic videtur manifestus sensus verborum Bullæ; nam posse semel in vita absolui à reseruatis Papæ, plane significat semel dare, vel recipere absolutionem; ergo semel per vnum sacramentum fieri id debet, non per plura; alias namque si ab vno piaculo reseruato hodie, & ab altero crastina die quis absoluatur, iam non semel tantum, sed bis à reseruatis absolueretur, quod nullo pacto Bulla concedit. Apertè colligo ex Bullæ latinæ indulto, quo Gregorius XIII. concedit, vt possimus secundam Bullam accipere, & iterum frui priuilegio absoluendi à reseruatis semel in vita, & semel in articulo mortis. Etenim si ratione vnius Bullæ intra annum per vnam aut plures confessiones possumus absolui ab omnibus, ac singulis reseruatis: non erat cur Gregorius nouum indultum, ad nouam à peccatis reseruatis Papæ absolutionem, concederet.

187. *Quo remedio vti debet qui rursum intra annum reseruata Papæ perpetrauit.*

Igitur qui semel, in vita absolutus fuerit à Papæ reseruatis, si intra annum aliud crimen Papæ reseruatum committat, secundam Bullam accipiat. Quod si etiam vi Bullæ secundæ fuerit à reseruatis absolutus, non quibit iam primæ, ac secundæ virtute absolui in alia anno illo incidens reseruata summo Præsuli crimina: attamen si casus sint occulti, & ad forum contentiosum non deducti poterit absolui ab Episcopo vigore Tridentini *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* toties quoties accesserit. Ex communi Doctor. Trul. *l.* 1. *c.* 2. *dub.* 3. *Sect.* 2. duo alia subsunt tertio aut pluries delinquenti remedia.

188. *Potest quis oblitus peccata reseruata Papæ post elapsum tempus Bullæ absolui.*

Habens Bullam perpetrat peccatum Papæ vel Episcopo reseruatum, & confessus de alijs piaculis, oblitus est reseruatum crimen profiteri. Hic virtute Bullæ potest post elapsum tempus à quolibet approbato absolui. Quia elapso tempore iubilei potest quis absolui à Censuris, & casibus, quorum in confessione oblitus est.

præsertim cum accessit virtuali saltem animo, vt à reseruatis absolueretur; similiter ergo, &c. Henriq. *l. 6. c. 16. n. 5.* Sanch. *l. 4. Mor. c. 54. n. 39.* Suar. *in 3. p. to. 4. disp. 31. sect. 4. n. 15. & 20.*

189. *Debet ad id, cum absolutus primò fuerit habere virtualem intentionem.*

Porro si non habeat præfatam intentionem virtualem, sed, absolute petit absolutionem, Existimo, anno elapso, non posse absque nouo priuilegio absolui, nisi forsan confessarius eum sub conditione à censuris absolueret reseruatis. Quia tunc expressè virtute priuilegij, quamuis sub conditione absoluitur, & saltem interpretatiue ac virtualiter pœnitens petit absolutionem. Sufficit quidem virtualis intentio illa confitendi, quæ bona fide omisit, vt à reseruatis maneat absolutus Quia si recordatus fuisset, illa etiam professus esset, & hæc virtualis intentio est interpretatiua petitio Dian. *p. 1. tr. 11. resol. 19.* Sylvest. *Confessio 1. q. 4.* Saa. *Confessio 1. n. 7.* Henriq. *l. 6. c. 26. n. 5.*

190. *Qui fecit confessionem irritam, postmodum potest à reseruatis absolui, absque noua Bulla.*

Qui fecit confessionem irritam & nullam, in qua confessus est reseruata, & à Confessario fuit ratione Bullæ absolutus, liber est à reseruatis confessis ita vt valeat postmodum peccata cuilibet approbato confiteri, ab eoque absque nouæ Bullæ indulto absolui. Quia directè & animo gaudendi hoc Priuilegio, se legitimo superiori subiecit, qui potuit, & voluit tollere reseruationem. Henriq. *l. 6. cap. 16. n. 5.* Suar. *in 3. p. to. 4. disp. 31. Sect. 4. n. 9.* Coninch. *de Sacram. disp. 8. dub. 12. n. 9.*

191. *Quomodo in articulo mortis fiat absolutio virtute Bullæ.*

Iam vero quo ad mortis articulū spectat, certum est posse quem semel in articulo mortis ab omnibus Papæ reseruatis intra publicationis annum absolui. At vnica absolutione in eo articulo data ab vno vel à pluribus Papæ reseruatis semel est fruiturus, eo modo quo de absolutione semel in vita expressi. Vnde si in hoc articulo semel à reseruatis es absolutus, iterum virtute huius indulti absolui non poteris. Quia id expressè limitat Bulla: *Semel.* At si id non limitasset, sed absolutè concederet facultatem absoluendi à reseruatis in articulo mortis posset absolui pœnitens toties quoties. Henriquez *l. 6. c. 16. num. 3.* Ludouic. à Cruz *disput. 1. cap. 3. dub. 17. n. 4.*

Per articulum mortis intelligo verum in se seu moraliter præsumptum. Quia vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Rodriguez §. 9. *numero 38.*

192. *Articulus & periculum mortis æquiparantur..*

Articulus & periculum mortis debent æquiparari, si mortis periculum prope sit, & velut in fieri, id est, vt prudenter timeatur & probabiliter sequatur: secus quando est fere certum mortem diutius differendam. Quia tunc cessat necessitas, quæ huius concessionis causa fuit. Vnde damnati ad triremes, non censentur hoc subire periculum, nec prægnantes, nisi partu difficili soleant diuexari, nec qui è Corunia in Hispalim nauigare cogitur. Quia frequenter hi periculo proximo mortis minimè afficiuntur. Cordub. *sum. quæst. 18. punct. 2. dicto 4.* Ludouicus Cruz *disputatio 1. cap. 3. dub. 18. num. 3. & 4.*

193. *Debet subire periculum, necessitate cogente.*

Vt quis possit absolui ex periculo huiusmodi, necessum est, vt necessitate cogente id periculum subeat; verbi gratia si necessarium sit illi ex causa vrgente nauigationem periculosam, aut prœlium aggredi; quando enim propria sponte inis prœlium, aut nauigationem, non diceris in mortis periculo constitutus, sed ipse te constituis. Cordub. *in sum. q. 18. punct. 2. dicto 4.* Sanch. *l. 2. Mor. c. 13. num. 3.* Id approbo antequam actualiter nauigationem aut bellum aggrediaris, nam quando es iam in bello, seu nauigatione constitutus periculosa, haud dubito, posse te à quolibet absolui à reseruatis. Quia vere es in periculo mortis; & parum refert, quod voluntariè, aut cogente necessitate illud fueris aggressus.

194. *Quid Bulla præstet circa absolutionem in articulo, mortis si ibi nullus casus est reseruatus. Vt non teneatur reseruatori se præsentare post elapsum periculum.*

Si certum est, in articulo vel periculo mortis nullum casum esse reseruatum, & si re vera necessitas ministri existat, quilibet sacerdos habet iurisdictionem ad absoluendum: quid speciale Bulla concedit circa casuum reseruatorum in articulo, aut periculo mortis absolutionem? Confert vt absolutus ab excommunicatione reseruata in articulo aut periculo mortis à sacerdote simplici, periculo elapso, non teneatur se reseruatori præsentare. Quia Bullæ absolutio absoluta est, & non ad reincidentiam. Henriq. *lib. 6. c. 9. num. 2. lit. N.* Sanch. *l. 2. Mor. c. 13. n. 31.* Ludou. Cruz *disp. 1. c. 3. dub. 14.*

195. *Vt quilibet approbatus absoluere valeat, præsente ipso Pontifice.*

Confert vt, quilibet approbatus absoluere possit, etiam præsente ipso summo Præsule. At in articulo mortis, præsente approbato, aut superiore reseruatore, non potest simplex Sacerdos aut inferior Confessarius sine Bulla pœnitentem absoluere; quia superiore præsente, necessitas cessat. Rodriguez §. 9. *num. 36.*

CAPVT.

CAPVT XVI.

De facultate absoluendi à Censuris.

196. *Virtute Bullæ absolui possumus ab omni excommunicatione, hæresi excepta.*

VIRTVTE Bullæ absolui possumus ab omni excommunicatione iuris (hæresi excepta) & hominis generali sententia lata ; v. gr. dum ignoratis occisoribus Antonij, omnes excommunicantur. Quia vbi priuilegium non distinguit, nec est vllum fundamentum distinguendi ; neque nos debemus distinguere. Ergo cum indultis Bullæ absolutè concedatur à quiscumque censuris absolutio , etiam comprehenduntur excommunicationes pendentes ab homine , saltem dum ordo iudicialis non perturbatur nec damnum tertij videtur imminere. Idem ob eandem rationem de suspensione & Interdicto sententia generali ab homine latis, reor asserendum. Trul. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 8. & alij.

197. *Non est per Bullam Cœnæ derogata hæc facultas.*

Facultas concessa per Bullam Cruciatæ absolùendi ab excommunicationibus in Bulla Cœnæ impositis non est per Bullam Cœnæ derogata (qua quidem Pontifex singulis annis propter grauissima crimina in die Iouis hebdomadæ sanctæ, quo Christus Dominus cum Discipulis suis cœnauit, excommunicat delinquentes, & sibi reseruat absolutionem.) Quia scicns Pontifex reseruationem Bullæ Cœnæ, dat licentiam Bullam Cruciatæ publicandi, & reuocandi priuilegia Bullæ contraria. Rodrig. *in addit. ad* §. 9. *num.* 65.

198. *Absolui non potest regulariter, qui Edicto Inquisitionis non obtemperauit.*

Quando aliquod Edictum præcipit sub pœna excommunicationis denunciare aliquod delictum, v. gr. in Edicto S. Inquisitionis præcipitur sub excommunicationis pœna, vt omnes qui sciunt aliquem esse hæreticum, aut filiam confessionis solicitasse, aut aliud crimen in illo Edicto contentum commisisse, illud denunciet S. Officio intra sex dies à die notitiæ : Petrus qui scit Ioannem crimen illud perpetrasse & non denunciauit cum commode potuerit, virtute Bullæ absolui regulariter non potest, antequam denunciet. Quia instat legitimum præceptum , & quandiu non satisfacit obligationi Petrus contumax absolutionis incapax ostentatur. Nauar. *lib.* 5. *conf. tit. de Hæret. conf.* 3. *n.* 2. Henriq. *l.* 5. *c.* 10. *n.* 11. *lit. T.* Rodriq. *in sum.* 1. *p. c.* 207.

199. *Potest absolui in aliquibus casibus.*

Porrò qui denunciare omisit, cum potuit, & consequenter excommunicationem, contraxit , poterit ab ea absolui Bullæ indulto, si post contractam excommunicationem detur causa legitima prorogandi denunciationem ; v. gr. quia Tribunal longe distat , & magnum adest Iubileum quod lucrari intendit. Vel si fœmina sollicitata si Eucharistiam non recipiat notam infamiæ passura esset : potest data cautione iuratoria comparendi absolui : Aut si obligatio denunciandi sit omnino extincta : v. gr. si Confessarius solicitans defunctus esset. Quia cum cessat iam obligatio, manet sola excommunicatio incursa, à qua per Bullam potest absolui. Aut si obligatus denunciare qui censuram contraxit ob omissam denunciationem, iam præceptum denunciandi impleuit. Quia satisfacta parte, priuilegium absoluendi in Bulla conceditur. Sanchez *select. disput.* 11. *num.* 63. Sanch. *lib.* 2. *Mor. cap.* 13. *num.* 17. Freyt. apud Acugna *q.* 21. *n.* 31. Luci. *in sum. c.* 24. *num* 11.

200. *Potest quis ex vi Bullæ absolui ad cautelam.*

Virtute Bullæ potest quis absolui ab excommunicatione ad cautelam. Quia non requiritur maior potestas ad absoluendum ad cautelam, quam ad absoluendum simpliciter. Sic ergò potest absolui quando dubitatur, an quis fuerit excommunicatione percussus. Suar. *de Censur. disp.* 7. *sect.* 8. *n.* 12.

201. *Absolutio Censuræ ex Bulla solum prodest pro foro interno.*

Absolutio ab excommunicatione , vel alia censura (communiter ac regulariter loquendo) facta ratione Bullæ solum prodest pro foro interno. Quia priuilegium nunquam prodest in foro exteriori nisi id exprimatur : & quia talis est Curiæ Romanæ antiquissimus stylus. Henriq. *l.* 7. *cap.* 13. n. 2. Rodrig. §. 9. *n.* 55. Styli Curiæ meminit Ludou. Gomez. *in Reg. Cancel. de non Iudicando iuxta tenorem supplicat. q.* 14. *n.* 3.

202. *Potest excommunicatus, suspensus & interdictus absolui, satisfacta parte læsa.*

Excommunicatus , suspensus , vel interdictus potest ratione Bullæ absolui in foro interiori satisfacta tamen parte, casu quo læsa fuerit, saltem cum iuris cautione. Quia ex eo quod Pontifex concedit facultatem absoluendi ab omnibus peccatis, censetur etiam impendere facultatem absoluendi ab iis, quæ impediunt eorum absolutionem , vt est excommunicatio , suspensio , interdictum. Couar. *Cap. Alma mater de sent. excommun. part.* §. 11. *numer.* 16. Nauarrus *cap.* 29. *num.* 278. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 27. *num.* 5. Auil. *de Censur. part.* 2. *disp.* 3. *dub.* 10. *concl.* 1.

Excommu

203. *Prædicta propositio exponitur.*

Excommunicatus igitur, suspensus, aut interdictus potest ratione Bullæ in his casibus saltem pro foro conscientiæ licitè absolui; Si Iudex & pars longe absint absolui potest ex causa cum cautione iuratoria. Quia rationabiliter præsumere debet Confessarius Iudicis, ac partis intentionem esse, vt impotens graui censura non adstringatur. Henriq. *l.* 13. *c.*28. *n.* 2. *lit.* Q. Rodrig. §.9. *n.*55. Si parti omnino satisfecerit, vel cum ea concordauerit. Henriq. *l.*7. *c.*13. *n.* 2. Si Iudex malitiosè absolutionem denegat, ex *Cap. Venerabilis*, §. *Sane, de sent. excom. in* 6. Denique si Iudex etsi non deneget malitiosè absolutionem; denegat tamen rigidè: v. gr. cum non vult illum absoluere, nisi satisfaciat cum sui status detrimento. Lege Auilam *de Censur. part.*2. *disput.*3. *dub.* 10. *concl.*4.

204. *Et si pars reclamet potest absolui, satisfactione, aut cautione præmissa,*

Licite quis per Bullam potest absolui præstita cautione, vel sufficienti satisfactione, parte tamen semper reclamante, si res non sit deducta ad forum contentiosum. Quia iam non stat per ipsum realis satisfactio; ergo non est in mora culpabili. Quod si res ad forum contentiosum fuerit deducta, licitum adhuc erit illum absoluere in loco vbi ignoratur eius excommunicatio, seu litispendentia: non vero vbi hæc publicè constant, nisi in casibus proximo num. indicatis. Medi. *in Sum. l.*2. *c.* 12. Henriq. *l.*13. *c.*18. *n.*4. Ludou. Cruz. *disp.* 1. *c.*4. *dub.*4. *n.*2.

205. *Quid nam absolutio in foro interno, & quinam eius effectus.*

Absolutio quidem in foro conscientiæ seu interiori est, quando pœnitens excommunicatus, suspensus, aut interdictus solum est liber quoad Deum, non vero quoad homines. Vnde non obstante tali absolutione, & pœnitentia imposita in foro interiori, potest Ecclesiasticus Iudex de delicto illo cognoscere, & satisfactionem accommodatam foro publico, & contentioso imponere. Rogas hinc, quos effectus habeat hæc in foro conscientiæ absolutio? Certè sex huiusmodi absolutionis commoda indicabo. Primùm, si post obtentam absolutionem quoad forum internum tantum, consequatur absolutus beneficium aliquod, poterit (fateor) eo priuari per Iudicem, & ab alio impetrari; quia talis collatio fuit nulla quoad forum externum; poterit tamen pro foro interiori huiusmodi beneficium retinere tuta conscientia, dum non accusatur, & per sententiam eo priuatur, quia vera fuit & valida quoad conscientiæ forum eius collatio. Secundum, necesse est, quod illa absolutio licet non iteretur in foro contentioso, saltem declaretur, & comprobetur in foro Iudicis excommunicantis. Tertium, licet ille absolutus sit excommunicatus quoad forum externum, est tamen de illo iudicandum ac de excommunicato iniustè ex defectu causæ: ac proinde in occulto, & vbi ignoratur esse excommunicatum, poterit se tanquam non excommunicatum gerere. Quartum, taliter absolutus poterit frui Iubilæo recipiendo publice Communionem; non tamen id poterit agere virtute Bullæ, si est publicè denunciatus propter scandalum. Quintum, absolutus quoad forum conscientiæ, non fit irregularis quoad Deum, licet celebret publicè, & cum scandalo: nec etiam habendus erit pro irregulari à Iudice in foro iudiciali: ex æquitate tamen, non ex iuris rigore. Quia taliter absolutus iam non est excommunicatus coram Deo. Posset tamen Iudex, si velit, aut dissimulare, aut eum punire. Sextum, si quis excommunicatus est, & denunciatus ad instantiam partis, & se cum ea componat, poterit à Confessario absolui virtute Bullæ in foro interno. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *part. disput.*7. *sect.*5. *num.*30. *& disput.* 4. *sect.*7. *num.*27. Rodrig. *qq. Regul. tom.*1. *q.* 61. *art.* 10. Valero *ver. Absolutio differ.* 2. *numer.* 3.

206. *Quomodo impendenda absolutio pro foro exteriori.*

Habens potestatem Ordinariam ad absoluendum excommunicatum, vt eum licitè possit absoluere in exteriori foro, debet efficere, vt excommunicatus parti læsæ realiter satisfaciat, si id commode præstare valeat: sin minus, cautionem iuris saltem iuratoriam præstet. Quod procedit, etiamsi offensa, vel excommunicatio sit dubia, & petat quis absolutionem ad cautelam; nam etiam in hoc casu non debet concedi, nisi prius præstita competenti cautione. Quia cum monitus obedire recusset, vt pareat cogendus est, & proinde vt satisfaciat prius quam beneficium absolutionis consequatur. Nauar. *cap.* 26. *num.* 7. *& cap.* 27. *num.*48. Sayr. *in Thes. cap.* 18. *n.*6. *&* 7.

207. *Si Iudex absoluat parte non satisfacta, peccabit, sed valida erit absolutio.*

At si Iudex absoluat excommunicatum, parte non satisfacta realiter vel nulla iuris cautione adhibita, peccabit quidem, absolutio tamen valida existet. Peccabit certè, quia non seruauit iuris ordinem cum partis læsæ incommodo, quæ ob illicitam absolutionem difficilius debitum recuperabit. Tenebit tamen absolutio, quia satisfactio partis non est de essentia

sentia absolutionis in excommunicatione. Hoc asserunt Sylvest. *absolutio III. num.* 3. Caietan. *eodem verbo*, *c.*4. Nauar. *c.* 27. *n.* 37. illud autem Trul. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 12.

208. *In foro pœnitentiæ etiam seruandus ordo præfatus.*

In foro pœnitentiæ etiam seruandus ordo præfatus de iure communi, vt licite & sine peccato absolutio possit excommunicato concedi; siue ergo petatur ab ipso excommunicato siue à confessario, siue excommunicatio sit à iure, siue ab homine: siue absoluatur in articulo mortis, siue extra illum satisfactio, aut iuris cautio est præmittenda. Quia Pontifex ad solam iuris formam facultatem absoluendi concedere censetur. Sayr. *in Thesau. l.* 2. *c.* 18. *n.* 10.

209. *Si satisfactio realis non est possibilis sufficit iuris cautio.*

Si satisfactio realis non est possibilis, sufficit iuris cautio. Quia omnia iura, quæ facultatem tribuunt cuilibet sacerdoti in articulo mortis absoluendi ab excommunicatione, prius satisfacta parte, debent intelligi, dum excommunicatus satisfacere potest. Si tamen non potest sufficit cautionem sufficientem præbere scilicet pignoratitiam, vel fideiussoriam; & si nullam istarum præstare valeat, potest absolui, modo cautionem iuratoriam præbeat. In articulo mortis, si nulla est possibilis sine vlla potest absolui. Quia nemo obligatur ad id, quod non potest. Communiter Doctores apud Sayr. in Thesau. *l.*2. *c.* 28. *n.* 12. Nauar. videndus *c.* 27. *n.* 178. Henriq. *l.* 7. *c.* 13. *n.* 2. *lit. I. & c.* 28. *n.* 3. *lit. A.*

210. *Cum non apponitur clausula, Satisfacta parte. valide quis absoluit reū, sed non licitè.*

Cum alicui delegatur iurisdictio ad absoluendum ab excommunicatione absolutè & simpliciter, non apposita clausula, *satisfacta parte*, valet absolutio parte non satisfacta, quamuis realiter excommunicatus absoluendus posset satisfacere: peccabit autem sic absoluens, vt diximus; quod procedit etiamsi ordinarius delegans dicat delegato, vt in absoluendo iura seruet. Quia quando concessio est absoluta interpretanda est secundum ius commune; atqui iure communi qui simpliciter habet hanc potestatem gerit actum validum, etiamsi iniuste illa vtatur; ergo &c. Suar. *in* 3. *p. tom.* 5. *disput.* 7. *sect.* 5. *n.* 43. Ludo. Cruz *disp.* 1. *c.* 4. *dub.* 2. *n.* 12. *& dub.* 9. *n.* 4.

211. *Cum adiicitur illa clausula, si non potest realiter satisfacere, cautione adhibita potest absolui.*

Cum autem facultas hæc conceditur adiecta clausula, *parte satisfacta*, vt fit in Bulla; si absoluendus non potest realiter satisfacere, poterit validè & licitè absolui, si iuris cautionem pignoratitiam, vel fideiussoriam, aut saltem iuratoriam præstiterit; quod procedit, etiamsi quis esset excommunicatus propter offensam publicam: & etiamsi delegato dicatur, vt non absoluat nisi secuta reali & integra satisfactione. Quia Bulla profatur, *Modo in casibus in quibus necessaria erit, per se ipsos, vel dato impedimēto, per hæredes aut alios satisfactio fiat.* Sufficit igitur iuris cautio, quando non potest realis fieri satisfactio. Suar. cum Caiet. *de censur. disput* 7. *sect.* 5. *n.* 44. Lopez *de Bul. cap.* 8. Villalob. *tr.*27. *clauſ.* 9. §. 2. *n.* 22. Ludou. Cruz *disp.* 1. *c.* 4. *dub.* 2. *n.* 7.

212. *Confessarius virtute Bullæ electus, potest absoluere ab omni suspensione.*

Potest confessarius virtute Bullæ electus absoluere ab omni suspensione siue à iure, siue ab homine, toties quoties, si non est reseruata: si autem est reseruata, semel in vita, & iterum in articulo mortis. Quia vt manifeste constat, Bulla concedit facultatem absoluendi ab omni censura: atqui suspensiones supradictæ sunt cēsuræ, vt fert communis Doctorum sententia: ergo possunt virtute Bullæ absolui. Quod procedit etiam si suspensio procedat ex delicto publico. Quia Bulla non limitat ad delictum occultum in quo Bullæ facultas (etiam & commissarij) excedit eam quam habet Episcopus per Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* Quia ibi limitatur facultas Episcopis ad suspensiones, quæ ex delicto occulto proueniunt. Henriquez. *lib.*7. *cap.*13. *numer.*3. Possumus igitur virtute Bullæ absoluere ab omni suspensione siue in Sacramento Pœnitentiæ siue extra illud: siue suspensio sit à iure (vt diximus) siue ab homine, siue generalis, siue nominatim, dummodò pars læsa modo possibili sit satisfacta. Quod si ei realiter satisfiat, poterit absolutio pro foro externo acceptari. Trul. *l.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 15.

213. *Potest quis absolui virtute Bullæ ab omni interdicto personali.*

Virtute Bullæ potest quis absolui ab omni interdicto personali, siue à iure, siue ab homine, siue in generali, siue in particulari; siue intra sacramentum, siue extra illud absolutio conferatur, dummodo parti læsæ sit satisfactum, qua quidem realiter satisfacta, proderit absolutio etiam in foro exteriori. Quia hoc interdictum (vt omnes Doctores profitentur) est proprie censura; atqui Bulla concedit facultatem ab omni ceusura absoluendi; ergo poterit quis per Bullam ab huiusmodi interdicto absolui. Villalob. *tract.* 27. *clauſ.* 9. §. 2. *num.* 26. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 13 *num* 3. Rodrig. *in addit. ad* §. 9. *num.* 59.

215. *Non possumus absoluere à Cessatione, nec Degradatione.*

Virtute Bullæ absoluere non possumus à Cessatione à diuinis, Degradatione, vel Depositione. Quia hæ non sunt Censuræ,

&

& aliunde in Bulla nulla facultas ad has pœnas tollendas reperitur. Villalob. *tr.* 27. *clau.* 9. §. 2. *n.* 27. Rodrig. §. 9. *num.* 65. Suar. *de cenſur. diſputat.* 29. *ſect.* 1. *numer.* 4. & 12. Ludouicus Cruz *diſputat.* 1. *cap.* 4. *dub.* 11.

215. *Certæ irregularitates tolli non poſſunt Bullæ virtute.*

Per Bullam tolli non poteſt ea irregularitas, quæ eſt pura inhabilitas, & quæ ob defectum lenitatis, & repræſentationis contrahitur, qualis eſt Bigamia, Homicidium iuſtum & illegitimitas. Quia hæc irregularitas non eſt cenſura. Neque tolli poteſt illa irregularitas, quæ ſimul eſt pœna, & inhabilitas, qualis eſt illa, quę contrahitur ex homicidio iniuſto voluntario, vel mutilatione. Quia hæc ſpeciali reſeruatione ad Papam pertinet, & nunquam intelligitur data poteſtas ab ea diſpenſandi, niſi expreſsè concedatur. Imo Pontifex difficillime eam aſſolet concedere. Salon 2. 2. *contr.* 4. *q.* 64. *a.* 8. *concl.* 3. & 4. & communiter Doctores. De aliis irregularitatibus *ſect.* 2. ſermo redibit.

216. *Quid debeat præſtare Confeſſarius, vt virtute Bullæ ab excommunicatione abſoluat.*

Rogas; quænam debet obſeruare confeſſarius, vt virtute Bullæ ab excommunicatione abſoluat? Non requiritur determinata abſolutionis forma, ſufficiunt quæcumque verba, quæ ſignificent excommunicatum ſolutum à cenſura. In quibuſdam criminibus grauioribus, vt ſi incendiarius ſit, aut percuſſor Epiſcopi vel Cardinalis, aut ſi offenſa ſit notoria, & cum ſcandalo: tenetur antè abſolutionem petere iuramentum, quod obediet Eccleſiæ, iudiciſque mandatis circa illius excommunicationis cauſam. A pueris antè pubertatem iuramentum hoc petendum non eſt. Henriq. *lib.* 13. *c.* 29. *n.* 3. A mulieribus poſt pubertatem petendum. Sylueſt. *Abſolutio III. n.* 3.

Porro iuramentum hoc non eſt de abſolutionis eſſentia, ſed ex conſuetudine introductum. Quia pueri & mortui abſolui poſſunt, & tamen iurare non poſſunt. Henriq. *l.* 13. *c.* 28. *num.* 4. Sayr. *in Theſau. l.* 2. *c.* 18. *n.* 5. Si pœnitens ob manifeſtam & notoriam offenſam, vel contumaciam eſt excommunicatus, eum non debet abſoluere niſi ſatisfacta parte realiter, ſi poſſit, aut ſi non poſſit cum iuris cautione. Quod ſi dubia fuerit offenſa ſufficit, pœnitentem cum iuramento promittere ſatisfacturum quoties conſtiterit ad id teneri. cautio autem fieri debet ei cui intereſt, ſi commode, ſi ſine ſcandalo, ſi ſine infamia poſſit, & præſens ſit: aut alteri, qui eius obligationem acquirat; & in mortis articulo etiam ſacerdoti præſentibus teſtibus poteſt huiuſmodi cautio præſtari. Sayr. *in theſau. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 5. Aliàs ab abſoluente excommunicatum ceremonias obſeruandas exprimam in cenſurarum tractatione.

217. *Per vnicam abſolutionem plures Cenſuræ tolli poſſunt.*

Per vnicam abſolutionem virtute Bullæ datam plures excommunicationes & cenſuras alias abſoluere poſſumus. Quia confeſſarius virtute Bullæ abſoluens habet auctoritatem à ſuperiori iudice ſummo Præſule. Sic multa peccata vnica abſolutione remittuntur. Rodriguez. §. 9. *num.* 53.

218. *Quando teneatur, & non teneatur abſolutus ſe manifeſtare excommunicanti.*

Abſolutus virtute Bullæ in interiori foro numquam tenetur, ſe excommunicanti præſentare nec abſolutus in foro exteriori, ſi pars ſit realiter ſatisfacta, dummodo ceſſet ſcandalum; nàm ſi hoc obortum eſſet debet, denunciatus abſolutus Iudicem certiorem facere, ſe, ſatisfacta parte eſſe abſolutum. Si autem pars non ſit realiter ſatisfacta, ſed fuit denunciatus abſolutus cum iuris cautione, debet certiorem facere Iudicem de impoſſibilitate, non quidem ne reincidat, ſed ne in foro exteriori pro excomunicato reputetur. At ſi denunciatus fuiſti non ad inſtantiam partis, ſed ex officio Iudicis, conſentaneum eſt vt ei te præſentes, ne Iudicis ſententia eludatur, & forus exterior perturbetur. Lopez *cap.* 8. *de Clauib.* Medi. *in ſum. c.* 12.

219. *Inuitus non poteſt abſolui.*

Virtute Bullæ inuitus validè non poteſt ab excommunicatione abſolui. Quia expreſsè hæc facultas non continetur in Bulla, & quia vſus huius priuilegij pendet ex eligentis confeſſarium voluntate. Henriq. *l.* 13. *cap.* 29. *n.* 1. Nauar. *l. de indulg. notab.* 20. *n.* 7. Certe indulgentia inuito non conceditur.

220. *Non eſt opus, vt abſoluendus cauſam exponat.*

Licet expediens ſit abſoluendum virtute Bullæ ab excommunicatione, cauſam exprimere, de iure tamen communi valet abſolutio, cauſa non expreſſa, ſi abſoluens poteſt, & intendit abſoluere. Quia expreſſio cauſæ non eſt de eſſentia abſolutionis. At caſu, quo excommunicatus cauſam manifeſtet ad petendam abſolutionem, debet veram, & non falſam manifeſtare, Aliàs nulla erit abſolutio, niſi Iudex animum abſoluendi vt cumque ſit, haberet. Henriq. *l.* 13. *c.* 19. *n.* 1. Sayr. *in Theſ. l.* 2. *c.* 21. *à. n.* 23.

221. *Abſolutio extracta per vim eſt nulla.*

Abſolutio denique excommunicationis virtute Bullæ extracta per vim cadentem in conſtantem virum, non eſt valida. Quia talis ex iure communi eſt irrita, imo ſic abſolutionem extorquens fit de nouo excommunicatus. Cap. *de iis, qui*

qui vi vel metu in 6. Henriq. *l.* 13. *c.* 30. Sayr. *l.* 2. *c.* 21. *n.* 30.

CAPVT XVII.

De indulgentia semel in vita, & rursum in mortis articulo concessa, & ea, quæ conceditur sine confessione repente obeunti.

222. *Concedit Papa plenariam indulgentiam sibi applicandam.*

HOc in §. 7. Pontifex concedit, vt pœnitenti confessarius possit semel in vita, & iterum in mortis articulo plenariam indulgentiam, & omnium peccatorum remissionem applicare. Bulla Sic: *Plenariam indulgentiam, & remissionem semel in vita, & iterum in articulo mortis.*

223. *Solum semel in vita & semel in articulo mortis ob Bullam vnã lucraberis eã.*

Per vnam Bullam hanc totalem indulgentiam solum potes consequi semel in vita & iterum in mortis articulo. Quia Pontifex expresè limitat modo expresso hanc indulgentiæ concessionem Cordu. *q.* 36. *p.* 1. *d.* 3.

224. *Requiritur, per Confessarium applicari.*

Ad consequutionem huius indulgentiæ necessariò requiritur, per Confessarium pœnitenti applicari. Quia Pontifex hanc indulgentiam pœnitenti concedit non immediatè, sed media Confessarij applicatione. *Vt possit*, ait, *eligere Confessarium, &c. & ab eo quorumcũque peccatorum & censurarum plenariam indulgentiam, & remissionem semel in vita, & iterum in articulo mortis obtinere.* Ex quibus clarè colligitur, hanc indulgentiam conditionaliter concedi, media scilicet Confessarij applicatione Trul. *l.* 1. *c.* 2. *dub.* 19.

225. *Debet applicari regulariter in sacramento pœnitentiæ.*

Hæc indulgentia regulariter loquendo & quando confessio actualis est possibilis, intra sacramentum pœnitentiæ debet applicari. Quia conceditur corde contritis, & ore confessis, quo in casu necessaria est actualis confessio, si possibilis sit. At si non sit possibilis, quia pœnitens factus sit phreneticus, aut affectus lethargo, aut captus in mortis articulo loquela, poterit ei virtute Bullæ indulgentia applicari. Nauar. *c.* 26. *n.* 27. Henriq. *lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 4. & *lib.* 7. *c.* 6. §. 4. Villalob. *p.* 1. *tr.* 27. *clau.* 1. *num.* 1.

226. *Non necessarium expresse petere à confessario applicationem.*

Vt habens Bullam hanc consequatur indulgentiam non est necessarium, expresse & formaliter petere eam à Confessario sibi applicari: sed sufficit, reuera à Confessario ei applicari, & ex parte pœnitentis virtualem adesse petitionem seu interpretatiuam voluntatem, id est, quod si aduertisset aut potuisset, eam postulasset. Nauar. *notab.* 30. *n.* 12. Suar. *in* 3. *p. tom.* 4. *disp.* 56. *sect.* 1. *n.* 7.

227. *Nec, vt percipias tibi applicari, phreneticoenim dari potest*

Non est necessarium vt is cui huiusmodi indulgentia conceditur, percipiat, & intelligat sibi concedi. Quia absolui potest à peccatis, & Censuris etiam is, qui nihil intelligit: ergo potest ei indulgentia applicari. Quare si quis repente omnem sensum & rationem amittat, constituaturque in mortis articulo nullumque signum contritionis in ordine ad confessionem dederit, quamuis non possit Sacramentaliter absolui, si habeat Bullam, & aliquibus coniecturis constat eum esse in statu gratiæ poterit ei à ministro designato indulgentia applicari. Suar. *in* 3. *p. tom.* 4. *disp.* 56. *sect.* 1. *n.* 7. Cordu. *de indul. q.* 36. *punct.* 2. Henriq. *l.* 7. *c.* 6. *n.* 4. *lit.* Q.

228. *Applicans extra articulũ mortis debet esse sacerdos approbatus ab ordinario.*

Applicans hanc indulgentiam extrà mortis articulum necessario debet esse Sacerdos approbatus ab Ordinario. Patet ex illis verbis: *Vt possit eligere confessarium ab Ordinario approbatum, qui eum à reseruatis absoluat, & plenariam indulgentiam, & remissionem, &c.* Quia dictio illa *Et* est copulatiua quæ vtriusque partis exigit veritatem. Henriq. *l.* 7. *c.* 9. *n.* 6. *lit. A.* Nauar. *notab.* 18.

229. *Non sic qui applicat in articulo mortis.*

Applicantem hanc indulgentiam in articulo mortis non est necessum esse approbatum ab Ordinario. Quia quilibet simplex Sacerdos vere est Confessarius in mortis articulo, & ab Ecclesia habet iurisdictionem. Conueniunt Doctores.

230. *Potest simplex tonsuratus eam applicare in articulo mortis, si non adest sacerdos.*

In absentia Sacerdotis in mortis articulo potest simplex tonsuratus indulgentiam applicare. Quia absolutio & remissio pœnæ, quæ fit per indulgentiam, non est absolutio à peccatis, nec ab ea dependens: nec requiritur, quod concedens indulgentiam, aut eam executioni mandans sit Sacerdos. Quare sicut potest in mortis articulo primo tonsuratus à Censuris absoluere, ita & hanc indulgentiam applicare, qui quidem quo ad hunc effectum latè dicitur confessarius. Sylvest. *Indulgentia* §. 10. *vers.* 6. *n.* 26. & 31. Henriq. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 4. *lit. Z.*

231. *Extra mortis articulum non potest absenti applicari.*

Extra articulum mortis non potest indulgentia applicari, nisi pœnitens sit præsens. Quia extra hunc arriculum debet applicari in confessione, quæ non potest fieri inter absentes. In mortis autem articulo rarò potest absenti applicari. V. gr. Si Parochus postquam Vnctionem extremam contulit pœnitenti ægrotanti, oblitus est indulgentiæ applicationem

& infirmus iam iam moritur, nec potest Parochus eum adire: poterit è domo sua infirmo absenti indulgentiam applicare. Quia si absens potest à censuris absolui, cur non poterit absenti indulgentia applicari, præsertim cum nulla scientia, nec formalis petitio requiratur ex parte eius cui est applicanda. Trul. *l.* 1. §. 7. *dub.* 19.

232. *Qualis mortis articulus requiratur.* Articulus mortis, in quo habenti Bullam conceditur huius indulgentiæ applicatio, intelligitur verus, aut moraliter præsumptus. Quia quando Pontifex aliquid pro articulo mortis absolutè concedit non restringens pro vero articulo, intelligi debet de vero, vel præsumpto; talis enim Papæ voluntas præsumenda, dum aliud non constat. A simili ostendo, quia vnctio extrema, quæ conceditur in articulo mortis, absolute datur in vero vel præsumpto; quia non limitatur ad verum articulum; ergò cum Pontifex non limitet ad verum, extendi debet ad præsumptum. Nauarr. *notab.* 30. *n.* 3. & 4. Cordub. *q.* 36. *punct.* 1. *dicto* 1. Rodrig. §. 9. *n.* 38.

233. *Non lucraberis in præsumpto si pro vero ponitur articulo indulgentia.* Si autem indulgentia conceditur pro vero mortis articulo, tunc non lucraberis eam in præsumpto. Quia limitata causa limitatum producit effectum. Cordub. *q.* 36. *dicto* 2. & 3.

234. *Indulgentiæ, quæ simpliciter conceditur pro articulo mortis, possumus acquirere toties quoties subimus hoc periculum.* Porrò indulgentiam, quæ conceditur simpliciter pro mortis articulo, quæ intelligitur de vero, vel præsumpto, possumus acquirere toties quoties in articulum mortis probabiliter præsumptum deuenerimus, si Pontifex non dicat semel se eam pro eo articulo concedere. Quia indefinita iuris æquiualent vniuersali, nisi aliud de mente Papæ constet. Cordub. *q.* 36. *dicto* 3.

235. *Non est necessum vti speciali forma præscripta.* Expedit quidem (si commodè geri possit) vt applicans hanc indulgentiam vtatur forma in Bulla Hispana à commissario præscripta, præsertim si sit ignarus, & inexpertus, ne errandi periculo exponatur: non tamen est necessarium præfata verborum forma vti, nec aliqua sunt determinata verba; hæc forma in Rituali Curatorum habetur: *Concedo tibi, & applico indulgentiam plenariam virtute Bullæ Cruciatæ, facultate mihi commissa, & tibi concessa.* Nauarr. *not.* 30. *n.* 8. Rodrig. §. 8. *n.* 40.

236. *Qui solum venialia confitetur, potest petere sibi indulgentiam applicari.* Quamuis pœnitens non habeat vlla peccata reseruata, potest hæc indulgentia ei habenti Bullam applicari. Quia Pontifex non limitat hanc indulgentiæ concessionem ad Confessionem, in qua confiteris reseruata, sed solum, vt intra annum publicationis possit bis applicari tantum semel in vita, semelque in articulo mortis, siue reseruata habeat, siue non. Vnde qui solum venialia habet piacula, potest ea confiteri, & postulare, vt sibi plenaria applicetur indulgentia. Trul. *lib.* 1. §. 7. *dub.* 19. & alij.

237. *Quo tardius applicatur in mortis articulo indulgentia, vtilior est.* Indulgentia, quæ pro mortis articulo conceditur, vtilior est, quo tardius, & tempore morti propinquiori applicatur. Quia si antea concedatur, & infirmus postea vel venialiter delinquat, indulgentia præterita, quæ solum delet pœnas præteritas, non proderit ad satisfactionem peccati postea commissi: vnde culpam illam infirmus obiens in Purgatorio luet. Tempus opportunum est, quando vnctio extrema confertur. Nauar. *notab.* 30. *n.* 18. Quod si ægrotus multas indulgentias habeat eiusmodi, vna eadem vtatur statim cum ad articulum mortis præsumptum deuenerit, altera autem cum iam animam pararit efflare. Ita Nauar. cit.

238. *Non plus prosunt multæ indulgentiæ quam vna, si omnes concedantur pro vero mortis articulo, &c.* Rogas, num quando quis multa habet indulta, ratione quorum illi multæ & distinctæ indulgentiæ pro mortis articulo conceduntur: prosint ei magis multæ Bullæ vel indulta quam vnum. Sanè si omnes indulgentiæ concedantur pro vero mortis articulo, non plus prosunt plures, quam vna. Quia vnicus est articulus mortis. At si absolutè pro articulo mortis concedantur, tunc magis prosunt plures, quam vna. Quia si idem multoties in articulum præsumptum incidat mortis, poterit etiam toties applicari indulgentia. Rodrig. §. 9. *n.* 42.

239. *Indulgentia concessa ei qui repente obit sine confessione.* Concedit etiam Pontifex eodem §. 7. Si anno durante, contingat, vel ob repentinam mortem, vel confessarij absentiam, quem sine confessione decedere, modo contritus decesserit & prius statuto tempore confessus fuerit, nec huius concessionis fiducia negligens fuerit, vt plenariam similem consequatur indulgentiam. Sic *Bullæ.*

240. *Multa requiruntur ad huius indulgentiæ consecutionem.* Multa igitur requiruntur ad huius indulgentiæ consecutionem. Primum, vt moriens Bullam habeat. Secundum vt morte repentina sine confessione decedat: vel saltem absque confessione in absentia confessarij moriatur. Tertium, quod contritus obeat; existenti enim in lethali piaculo indulgentia non prodest. Quod limito si moriens habeat peccatum mortale, tunc enim requiritur actualis contritio, tanquam dispositio necessaria ad statum gratiæ. Nam si solum habeat venialia, non tenetur ad contritionem actualem. Quia quando concessio indulgentiæ

præscribit

præscribit confessionem, habens venialia tantum non tenetur ea confiteri ad indulgentiæ consecutionem; ergo neque hic ad contritionem; est enim in gratia (vt suppono) & per consequens habet dispositionem requisitam. Quartum demum, quod sic moriens confessus fuerit tempore ab Ecclesia præscripto, etsi eo tempore non fuerit confessus, saltem non fuerit omissa annua confessio, ob huius indulgentiæ confidentiam. Hoc enim verba illa significant: *Neque huius concessionis fiducia negligentiores fuerint.* puta, in confitendo tempore debito. Per fiduciam autem intelligo non concomitantem, & negatiuam, sed positiuam confidentiam, & prauam fiduciam. Rodrig. §. 10. *n.* 1.

241. *Non requiritur Confessarij ministerium.*

Ad consecutionem huius indulgentiæ ministerium confessarij non requiritur. Quia Pontifex ob defectum illius per se ipsum sic contrito morienti illam concedit. Vnde si confessarius adest, requiritur eius ministerium, ad consequendum superiorem indulgentiam, & posterioris cessat occasio. Hanc enim Pontifex solum concedit, casu quo non adsit confessarius à quo moriens possit absolui, & indulgentia applicari. Lopæ *c.* 8. *de clau. pag. mihi* 838.

CAPVT XVIII.

De facultate commutandi vota, & iuramenta.

242. *Non requiritur Bulla ad cessationem, interpretationem, & irritationem voti.*

NOn requiritur Bulla ad tollendã voti obligationem per cessationem, interpretationem, & irritationem. Quia ad primum solum requiritur desitio materiæ: ad secundum scientia, & intelligentia interpretis; ad tertium potestas dominatiua superioris, vnde in indultis communiter non conceditur facultas ad tollendam voti obligationem vllo ex triplici modo præfato; quia ad huiusmodi voti relaxationem nulla auctoritas Ecclesiastica est necessaria. An virtute Bullæ dispensari possit votum nec ne proprio Problemate indicabo. In præsenti de vnica commutatione ex Cruciatæ indulto sermo procedit.

243. *Causa requiritur ad commutanda vota in rem minorem & inæqualem.*

Commutatio igitur voti est, obligationem voti ex vna materia in aliam transferre: vt si votum castitatis in ieiunia, eleemosynas aut similia mutetur: quod si fiat cum obligatione aliquas pecunias exhibendi, dicitur voti redemptio. Cum commutatio voti fit in rem non euidenter meliorem, vel euidenter æqualem; sed in minorem, & inæqualem, requiritur auctoritas Ecclesiæ & iusta causa. Causæ autem iustæ ad commutandum sunt, quæ sufficiunt ad dispensandum: puta Ecclesiæ vtilitas, Dei honor, vtilitas vouentis, & magna eiusdem fragilitas, per quam timetur sæpe votum violaturum, vouentis inconsideratio, leuitas, inconstantia, timor, vel alia animi perturbatio in vouendo. Nauar. *c.* 12. *n.* 76. Sayr. *l.* 6. *c.* 11. Lessi. *l.* 2. *c.* 40. *dub.* 12. monens appositè, raro vtendum esse dispensatione, id est, omnimoda ablatione obligationis voti ex iusta causa; quia raro hæc iusta causa subest; quare admiscenda est commutatio

244. *Iuramenta facta in alterius vtilitatem, si acceptata sint, per Bullam commutari non possunt.*

Iuramentum aliud est, quod cedit in honorem & cultum Dei, & dicitur habere modum voti, aut esse iuramentum votiuum; v. gr. si iures te Missam auditurum, vel tali die ieiunaturum. Aliud est, quod cedit in obsequium, lucrum, & commodum alterius; v. gr. si iures, certo pauperi eleemosynam erogaturum. Rursus iuramentum in commodum tertij factum aut est sine aliqua iniustitia, & turpitudine libere, & spontanee, sine vi, metu, vel fraude facta: aut inuoluunt iniustitiam, aut turpitudinem ex parte eius, cui iuramentum præstatur, aut in cuius commodum fit; v. gr. si iurasti Petro soluere vsuras, aut illi ob metum mortis centum dare.

Iuramenta ergo facta homini in eius vtilitatem si acceptata sint, nullamque turpitudinem & iniustitiam contineant virtute Bullæ commutari non possunt. Quia Pontifex talia iuramenta relaxare non potest sine graui & iusta causa, aliàs ius alterius sine causa tolleret. Azor. *l.* 11. *c.* 9. *q.* 10. Lessi *l.* 2. *c.* 42. *dub.* 12.

245. *Si cedant in iurantis vtilitatem, commutari possunt.*

Si iuramentum non cedat in vtilitatem eius, cui præstatur, sed tantum in vtilitatem iurantis, potest commutari per Bullam. Quia tale iuramentum potest dispensari; v. gr. si iurasti Antonio, te auditurum Missam vel non perpetraturum tale peccatum; quia huiusmodi iuramenta magis inducunt rationem voti, quam iuramenti: & per ea nullum ius homini, sed tantum Deo paratur. Ob eandem rationem potest commutari iuramentum dandi dotem, aut eleemosynam Mariæ si finis iuramenti fuit tantum pietas, & Dei obsequium; secus si principalis finis fuit subleuare puellæ inopiam. Trul. *l.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 2.

246. *Iuramentum non acceptatum potest commutari.* Si iuramentum factum in alterius vtilitatem, & non fuit acceptatum: sicut potest dispensari ab habente facultatem, ita & poterit virtute Bullæ commutari. Quia ante acceptationem homo non habet ius acquisitum, & illud iuramentum antè acceptationem censetur quasi soli Deo factum. Lessi. *l.* 2. *c.* 42. *dub.* 4. *n.* 22. *& c.* 17. *dub.* 7.

247. *Et quod factum est ad voti emissi confirmationem.* Si iuramentum præstetur ad voti emissi confirmationem; v. gr. si voueas eleemosynam, vel ieiunium, & huiusmodi voti memor, iures id seruaturum, potest virtute Bullæ commutari. Quia in hoc casu iuramentum nulla peculiari commutatione indiget, sed cum sit voto accessorium, sola voti commutatione extinguitur: nam sublato principali accessorium expirat. Rodrig. *in addit. ad* §. 9. *n.* 111. Sanch. *de matr. l.* 8. *disp.* 2. *n.* 23. *& l.* 4. *Moral. c.* 53. *n.* 18. Ludou. Cruz. *disp.* 1. *c.* 6. *dub.* 6. *n.* 6.

248. *Vota reseruata Pontifici, & Episcopo.* Omnia vota, & iuramenta quantum ad dispensationem & commutationem Pontifici vel Episcopo sunt reseruata, & semoto priuilegio vel commissione speciali, nullus potest dispensare, vel commutare. Porro quinque solum vota sunt Pontifici reseruata nimirum votum castitatis, Religionis, votum Ierosolymitanum, Romanum, & Compostellanum: alia autem sunt Episcopi potestati subiecta, eisque solis reseruata adeò, vt nullus absque eorum facultate nec in mortis articulo possit in illis dispensare, aut ea commutare. Sylueſt. *votum IV. q.* 3. Sanch. *l.* 4. *Moral. c.* 40. *à n.* 1. *ad* 14.

249. *Omnia vota commutari ex Bulla possunt præter tria.* Igitur virtute Bullæ commutari possunt omnia vota, tribus solum exceptis, nimirum castitatis, Religionis, & vltramarini, seu Ierosolymitani. Bulla Sic. *Et illius vota omnia* (*vltramarino, castitatis, & religionis dumtaxat exceptis*) *in aliquod subsidium huius expeditionis per eundem confessorem commutari.* Possunt igitur per Bullam commutari omnia vota Episcopo reseruata, & ex reseruatis Pontifici Compostellanum, & Romanum. Quia non excipiuntur. Villal. *tr.* 27. *claus.* 9. §. 3. *n.* 43. communiter Doctores.

250. *Iuramenta absoluta Religionis, castitatis, & Ierosolymitanum commutari non possunt.* Iuramenta absoluta Religionis, castitatis, & Ierosolymitanum Bullæ vi commutari non possunt. Quia iuramentum promissorium in Dei honorem factum includit votum; ergò cum vota illa tria sint excepta, similiter excepta iuramenta de materia eadem intelliguntur. Sanch. *lib.* 3. *Moral. cap.* 54. *n.* 21. & alij.

251. Possunt tamen commutari virtute Bullæ iuramenta visitandi limina Apostolorum Petri & Pauli & S. Iacobi in Compostella, & alia iuramenta, in quibus potest Episcopus dispensare. Quia quo ad commutationem, & dispensationem eadem est ratio voti & iuramenti in Dei honorem facti, atqui à facultate commutandi vota per Bullam solummodo tria illa excipiuntur; ergo similiter solummodo tria iuramenta excepta intelliguntur; vnde in omnibus aliis poterit Bullæ virtute fieri commutatio. Trul. *l.* 1. §. 7. *c.* 3. *dub.* 5. *Possunt commutari iuramenta visitandi limina Apostolorum, & D. Iacobi.*

252. *Votum Religionis, castitatis & vltramarinum commutari possunt si emittantur cum protestatione.* Virtute Bullæ possunt commutari vota Pontifici reseruata Religionis, aut castitatis, aut vltramarinum si emittantur cum expressa protestatione, nè ad illorum executionem vouens sit obligatus sub lethalis piaculi onere, sed tãtum venialis. Quia tale votum non est perfectum castitatis, Religionis, &c. Bonac. *de legib. disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 4. *n.* 20. Dian. *p.* 1. *tr.* 11. *resol.* 72. consequenter poterit in eo Episcopus dispensare.

253. *Potest Confessarius in fine anni durationis Bullæ differre voti commutationem.* Potest confessarius in fine anni durationis Bullæ differre voti commutationem, vt maturius deliberet post annum; si intra illum dicat: commuto tibi hoc votũ in id, quod ego, vel alius iudicabit commutandum. Quia iam accepit potestatem, & causam inchoauit; nec peccabit pœnitens si violat votum, antè quam confessarius vel alius commutationis materiam assignet. Quia voti obligatio fuit extincta, & in materiam aliam saltem in genere translata. Dia. *p.* 1. *tr.* 11. *resol.* 52. Sanch. *l.* 4. *Mor. c.* 54. *n.* 3. Lessi. *l.* 2. *c.* 4. *dub.* 16. *n.* 109.

254. *Votum absolutum, & conditionatum: votum conditionatum pœnale, & merè conditionatum.* Votum aliud est absolutum, aliud vero conditionale. Absolutum est, quod absolutè & simpliciter nulla adiecta conditione, emittitur; v. gr. voueo Religionem, Castitatem, ieiunium, eleemosynam. Conditionale vero est, quando aliquid Deo promittitur aliqua apposita conditione: ver. gratia Voueo Religionem, si pater meus consenserit. Rursum conditionale aliud est pœnale, aliud mere conditionale; cõditionale pœnale est, quoties vouens minime est affectus ad rem sub pœna in voto promissam, & illam sub conditione aliqua sibi in pœnam proponit, vt eius incurrendæ timore arceatur, & à crimine, quod vitare optat, abstineat; v. gr. si quis promittat se non lusurum sub pœna Religionis, vel castitatis seruandæ, Mere conditionale est, quando res promissa non promittitur quasi odiosa; & velut pœna vindicatiua; sed vel quasi contrahendo cũ Deo petendo ab ipso aliquid & ad incitandum Deum offertur illi materia promissa,

promissa, vt sic Deus ad rem optatam concedendum alliciatur; v.gr. Si quis morbo oppressus, aut in alio constitutus periculo promittat Religionem se initurum si incolumis euaserit. Quæsieris, quænam ex hisce votis possint commutari?

255. *Vota pœnalia absolutè emissa non possunt per Bullam commutari.*

Quando vota pœnalia sunt absolutè emissa, nulloque modo dependent ab aliqua conditione, licet non ex ipsorum affectu emittantur, sed sint valdè odiosa, & ferè inuitè eligantur ad vitandum dedecus, vel consequendos honores; v. gr. si quis in pœnam vitij admissi promittat absolutè Religionem: aut eo quod præbendam, cuius assecutioni dederat nomen & studium, præ indignatione, ne ignominia sæculari afficiatur voueat eandem: non possunt per Bullam commutari. Quia Episcopus non potest talia vota etsi pœnalia dicantur dispensare: nam licet in causa impellenti ad vouendum aliqua imperfectio reperiatur; at huiusmodi vota in se absoluta sunt, igitur cum sint Papæ reseruata, nec possit Episcopus ordinaria potestate dispensare: nec Confessarius commutare poterit. Sanchez *de Matr. l.8. disp.*10. *num.*9. *& lib.*4. *Moral. c.*40. *n.*87. Suar. *tom.*2. *de Relig. tract. de voto l.*6. *c.*23. *num.*11.

256. *Non possunt vota pœnalia conditionata commutari, si conditio est de præterito, aut de præsenti.*

Non possunt vota pœnalia conditionalia per Bullam commutari, quando conditio est de præterito, vel præsenti; v.gr. vouco Religionem in pœnam peccati, quod heri admisi, vel nunc perpetraturum me propono. Quia non potest in his votis Episcopus dispensare; conditio enim de præterito vel præsenti non suspendit consensum, nec impedit votum esse verè absolutum: vnde vel tunc est omnino validum, si conditio ita se habeat; vel omnino irritum, si ita non se habeat conditio: ac proinde non suspenditur consensus, quapropter hic actus propriè conditionatus non dicitur. Sanch. *de Matr. l.*8. *disp.*10. *n.*14. *& tom.*1. *Moral. l.*4. *c.*40. *n.*88. Henriq. *l.*11. *c.*12. *n.*1. Tota difficultas est, quando votum conditionale est pœnale, & conditio est de futuro; v. gr. si lusero, promitto Religionem. De quo proprio differam in Problemate.

257. *Non omnia conditionalia apparenter*

Iam verò de votis merè conditionalibus in materia aliàs reseruata Pontifici requiris an deficiant à Papæ reseruatione, ita vt sint iam Episcopalia, & possit Episcopus dispensare, & commutare Confessarius Bullæ priuilegio? Certè quando vota non sunt verè conditionalia, sed tantum apparenter, non potest Episcopus dispensare, nec Confessarius commutare Bullæ indulto antè aut post conditionis euentum. v. gr. si pater obierit voueo Religionem. Quia sunt verè absoluta: illa namque particula *si* non suspendit euentum, sed tantum impedimentum tollit, & idem est, ac *Quando*, id est, quando obierit parens executioni mandabitur Religionis ingressus quem ex tunc vouco. Suar. *tom.*2. *de Relig. lib.*6. *c.*22. *num.*6. Sanch. *lib.*4. *Moral. cap.*40. *num.*72. *& 93.*

258. *Vel quando conditio tacitè inest vel explicatur eo modo, quo inest.*

Non potest Episcopus dispensare, quando in his votis Papæ reseruatis conditio ibi expressa tacitè inest, vel explicatur eo modo, quo inest, v.gr. si Deo placuerit, voueo Religionem; siuè antè, siuè post impletam conditionem. Quia huiusmodi conditio non reddit votum conditionale, sed est omnino absolutum. At si explicetur alio modo quo inest, reddit votum vere conditionale; v. gr. si quis mortis timore ductus ob morbum præsentem, vel naufragium promittat Religionem si viuus euaserit. Sanch. *l.*4. *Moral. c.*40. *n.*85. *& 94.* & alij.

259. *Cum conditio est de præterito, aut præsenti, non potest votum commutari.*

Cum conditio est de præterito vel præsenti, non potest Episcopus dispensare, nec Confessarius Bullæ indulto commutare. Quia conditio hæc non facit actum conditionalem, eo quod illum ad futurum euentum non suspendat; sed verificata conditione, actus absolutè est validus, ac firmus. Sanch. *l.*4. *Moral. c.*40. *n.*96.

CAPVT XIX.

De tempore commutationis votorum.

260. *Potest Confessarius differre post Bullæ tempus voti commutationem.*

CONFESSARIVS tempore, quo Bulla durat potest vota commutare, profando: Commuto tibi vota ex nunc in id, in quod ego postea, vel vir doctus censuerit, commutanda. Quia tunc vere fit commutatio intra tempus Bullæ; nec illi viro docto delegatur facultas commutandi, quam Confessarius delegare non potest, vnde Confessarius ipse commutat. Nec requiritur necessariò materiæ determinationem in locum voti subrogandæ intra Bullæ tempus fieri. Rodrig. *in addit ad* §.9. *n.*115. Sayr. *in Clau. l.*6. *c.*12. *n.*21. Sanch. *l.*4. *Moral. c.*54. *n.*31.

261. *Si pœnitēs petat intra tempus, & necessarium sit differri potest cōmutari votū, post tempus Bullæ.*

Si intra tempus habile Bullæ pœnitens petat à Confessario commutationem votorum, & ipse velit attentius considerare vel quantitatem causæ, vel modum commu

commutationis si necessarium sit, potest id facere etiam post Cruciatæ tempus. Quia tunc iam acceptauit potestatem & inchoauit causam, & quodammodo concessit commutationem futuram, postea quam concessio facta tempore habili fuit, quod sufficit ad firmandam iurisdictionem, vt possit postea in particulari consummari commutatio. Suar. *l.6.de voto c.16.n.15.* Sanch. *l.4.Moral.c.54.n.33.*

262. *Possunt commutari vota, quorum numeri non est memor.* Potest votis adstrictus petere tempore Bullæ commutari sibi omnia vota quorum numeri non est memor, at meminit ea esse talis, ac talis obiecti. At Confessarius poterit vti prudenti arbitrio ea commutando, atque adeò ea commutatio proderit, vt si postea eorum meminerit, alia commutatione non indigeat. Sanch. *l.4.Moral.c.54. n.35.* Sayr. *in Claui. lib.6. cap.12.n.18.*

263. *Et quorum speciei non recordaris.* Si recorderis, te votum emisisse, non tamen speciei seu materiæ in speciali recorderis: poterit Confessarius vti prudenti arbitrio, & modum obligationis in aliquam materiam cõmutare, vel temporis producere durationem ad speciei voti refricandam memoriam, etiam si terminus Bullæ transeat. Quia iam acceptauit tunc potestatem, & inchoauit causam, & quodammodò futuram concessit commutationem. Suar. *l 6.de voto c.16.n.33.*

264. *Cum nulla generalis cõmutatio præcessit tempore Bullæ, postea nulla fit cõmutatio voti.* Quando, Bulla durante nulla commutatio generalis, aut confusa præcessit; sed aut nulla vota commutata sunt, aut ea sola, quæ pœnitens commutanda deteget: tempore Bullæ transacto nulla vota poterunt commutari. Quia in Bulla expresse dicitur, finito anno, omnia Bullæ priuilegia cessare. Sanch. *l.4.Mor. cap.54. num.37.*

265. *Toties quoties vota emittũtur, commutantur.* Vota reseruata, quorum commutatio per Bullam conceditur, possunt durante Bulla toties quoties emissa fuerint, commutari; v. gr. vouit quis peregrinationem Compostellanam, impetrauit commutationem virtute Bullæ, & iterùm tempore, quo Bulla durat, illud votum emittit. Quia Bulla hanc commutationem minimè limitauit. At quando Pontifex limitare voluit, id expressit in Bulla: v. gr. respectu absolutionis à peccatis ipsi reseruatis, limitans eam, vt semel in vita, & semel in mortis articulo possit impendi. Sanch. *l.4.Moral.c.54. num.26.*

CAPVT XX.

De causa ad Commutationem votorum requisita, aliisque circà commutationem difficultatibus.

266. *Causa necessaria est, quoties commutatio indiget Prælati auctoritate.* SECLVSO omni priuilegio, quotiescumque commutatio indiget Prælati Ecclesiastici auctoritate, vt legitime fiat, indiget quoque causa. Quia potestas huiusmodi, ad ædificationem, non verò ad destructionem collata est. D. Tho. 2.2. *q.* 88. *a.*12. Lud. Cruz *disp.1.c.6.dub.4.n.2.*

267. *Ad commutandũ in melius, non indiget causa.* Ad commutandum tamen votum in id quod est euidenter melius, nulla causa requiritur. Quia potest hæc commutatio propria fieri auctoritate, & sic commutans, Deo gratius offert sacrificium. Azor. *to.1.l.11.c.19.q.3.* Suar. *tom.2. de Relig.l.6. c.18.n.9.* Sanch. *l.4.Moral.c.50.n.15.*

268. *Ad probabiliter melius nulla causa requiritur.* Quando Prælatus votum commutat in rem certo æqualem, iudicans probabiliter esse meliorem, aut dubitans, an sit melior: nulla causa requiritur. Quia & hęc commutatio propria vouentis potest autoritate geri. Suar. *to.2.de Rel.l.6.c.18. n.10.*

269. *Ad minus, aut ad id, de cuius æqualitate dubitatur, causa requiritur.* Quando commutatio fit in minus, aut in rem, de cuius æqualitate dubitatur, causa requiritur. Quia in hoc casu aliqualis dispensatio admiscetur: dispensatur namque in fidelitatis rigore soluendo rem minorem vel de cuius æqualitate dubitatur. Suar. *tom.2.de Relig.l.6.c.18.n.10.* Sanch. *l.4. Moral. c.50. n.18.* & Doctores qui censent ad huiusmodi commutationem requiri Prælati autoritatem.

270. *Ad commutationem in rem æqualem vel paulò minus, requiritur causa.* Igitur ad commutanda vota ratione Bullę in rem ęqualem, vel paulo minorem requiritur causa. Quia ad huiusmodi cõmutationem voti in rem æqualem paulove minorẽ spiritualis potestas requiritur, & ad hanc legitime exercendam in hac materia, requiritur causa. Addo, habentem potestatem ordinariam non posse cõmutare vota absque causa; ergo nec poterit per Bullã delegatus. Trul. *l.1.§.7.c.3.du.13.*

271. *Leuis requiritur causa, ad commutanda vota per Bullam.* Ad commutandum vota per Bullam, leuis requiritur causa. Quia parua fit per cõmutationẽ remissio. Vnde sufficit, quod vouens hilarius votũ in materia subrogata adimpleat. Imò sufficit Bullã habere data stipe acquisitã in belli subsidiũ. Quia quãdo potestas non delegatur simpliciter, sed cum aliquo onere ad bonum commune, vt fit per Bullam, nulla alia exigitur causa quam

quam eleemosynam præscriptam conferre; ob eam enim causam Pontifex eam concedit facultatem. Henriq. *l.* 7. *c.*30. *n.*5. Suar. *tom.*2. *de Relig. lib.* 6. *c.*19. *n.*10. Rodrig. *in addit ad* §.9. *n.*107.

272. *Non manent commutata eo ipso, quod accipiatur Bulla.*

Non manent commutata vota eo ipso quod accipiatur Bulla. Quia vt ex ipsius contextu patet, Pontifex solùm dat Confessario electo à pœnitente facultatem ea commutandi. Quare si pœnitens non petat, & ad eius instantiam Confessarius non commutet, votum suam vim retinet, quamuis vouens acceperit Bullam animo ea commutandi. Nauar. *c.*12. *n.*79. Sayr. *in Clavi l.* 6. *c.* 12. *n.*115. Rodrig. §.9. *n.*108.

273. *Dum Confessarius non commutat, Commutatum non manet,*

Si Confessarius requisitus vt commutet votum, illud non commutauerit seu ex obliuione, seu ex malitia: non manet commutatum. Quia penes ipsum solummodo ex Bulla est priuilegij dispensatio. Sanch. *l.*4. *Mor. c.*54. *n.*11. Nauar. *c.*12. *n.*79.

274. *Peccat Confessarius non commutando, si iusta est causa.*

Confessarius requisitus per Bullam, vt commutet, si non commutauerit videns, seu sibi suadens iustam adesse causam, procul dubio peccabit. Quia est Iudex delegatus in fauorem pœnitentis illius datus, pœnitensque habet ius ad commutationem ex priuilegio Bullæ petendam: sicut Episcopus dicitur infidelis negans subdito ex causa iusta dispensationem. Sayr. *in Clavi. l.*6. *c.*12. *n.*18. Sanch. *l.* 4. *Moral. c.*54. *n.*11.

275. *Commutari potest votum non petendi commutationem.*

Per Bullam commutari potest non tantum votum principale, v. gr. recitandi aliquas preces, sed etiam votum non petendi commutationem illius, & petita non vtendi. Quia tale votum non est Pontifici reseruatum. Vnde petat prius huius secundi voti dispensationem, & postmodum de priori ac principali. Villalob. *tr.*27. *clauf.*9. §.3. *n.*35.

276. *Potest commutari materia subrogata voti.*

Votum semel commutatum in aliquam materiam Bullæ virtute potest per eandem iterum commutari quo ad illam materiam subrogatam; v gr. votum ieiunandi in orationem commutatur, oratio iterum commutari potest. Quia cum idem voti vinculum in posteriorem hanc materiam transeat, nec Bullæ priuilegium ad vnicam vicem restringatur: non est, cur nequeat iterum atque iterum commutari ea materia, in quam commutatum est votum. Sanch, *l.*4. *Moral. c.*54. *n.*24. Cordu. *in sum. q.*150.

277. *Commutatio ex Bulla solũ prodest pro interiori foro.*

Commutatio virtute Bullæ facta solum prodest pro interiori foro, sicut absolutio à reseruatis: secus quando fit commutatio ordinaria autoritate. Henriq. *lib.*7. *cap.*30. *n.*6. Rodrig. §.9. *num.*117.

278. *Votum simplex paupertatis in secularibus commutabile est.*

Votum simplex paupertatis in sæcularibus potest ex Bullà commutari. Quia non est Præsuli summo reseruatum, in eo enim potest dispensare Episcopus. Suar. *tom.*2. *de Relig. lib.*6. *cap.*21. *num.*9. Henriq. *l.*7. *c.*30. *n.*6.

279. *Vota disiuncta, licet in eis adsit reseruatum, commutantur per Bullam.*

Vota disiuncta licet in eis sit aliquod reseruatum; v. gr. si quis vouear vel Religionem, vel ieiunium, vel clericatum possunt virtute Bullæ commutari. Quia potest vouens eligere non reseruatum nempe clericatum, vel ieiunium, quæ non sunt Pontifici reseruata, & ideo in eis potest dispensare Episcopus. Sayr. *in Clavi l.* 6. *c.*11. *n.*62. Lessi. *lib.*2. *c.* 40. *dub.*13. *n.*106. Dian. *p.*1. *tr.*11. *resol.*63.

280. *Commutabilis est materia non reseruata in quam votũ reseruatum est mutatum.*

Quando Pontifex commutat votum sibi reseruatum in materiam eidem non reseruatam, potest Confessarius virtute Bullæ commutare rem illam, in quam fuit à Papa votum commutatum. Quia est iam nouum votum & per se non reseruatum. Nec potest dici reseruatum ratione commutationis: quia non obligaris ex vi præcepti commutantis, sed ex proprio consensu: est enim nouum votum, quod suscipitur pro prioris absolutione. Villalob. *tr.*27. *clauf.*6. §.3. *n.*31. Lessi. *l.*2. *c.*40. *dub.* 13. *n.*105. Lud. Cruz. *disp.*1. *c.*6. *dub.*12. *n.*8.

281. *Potest commutari votum non peccandi.*

Virtute Bullæ potest votum non peccandi commutari. Quia potest in illo dispensare Episcopus, eo quod non sit Pontifici reseruatum: nec per dispensationem, aut commutationem aufertur obligatio non peccandi, nec commutatur; sed sola noua voti obligatio superaddita, quæ est quid supererogationis. Sanch. *l.*4. *Moral. c.*40. *n.*12.

282. *Poteris post commutationem ad priùs votũ redire.*

Ille, cui Confessarius commutauit vota in confessionem menstruam, potest libere post commutationis acceptationem, ad prius votum propria autoritate redire. Quia voti commutatio fieri videtur tacita conditione, vt liberum sit vouenti materiam subrogatam exequi, aut priorem resumere; omnis enim commutatio fit in gratiam vouentis; ergo consentaneum rationi est, commutationem sub illa intelligi conditione, vt integrum vouenti sit, vtramuis postea materiam eligere. Suar. *t.* 2. *de Relig. l.*6. *c.*20. *n.*1. Lud. Cruz *disp.*1. *c.* 6. *dub.*16. *n.*5. Fill. *to.*2. *tr.*26. *c.*10. *n.*288.

283. *Si sæpius facta est commutatio potest seruari quidnis illorum, in quod facta fuit.*

Si sæpius per Bullam facta sit commutatio, potest seruari quidnis illorum, in quod facta fuit. v. gr. votum peregrinationis annuæ commutatum fuit in confessionem menstruam, menstrua confessio in ieiunium hebdomadarium, hoc ieiunium

in certas quotidianas preces : potest vouens satisfacere voto, vel recitando preces illas, vel ieiunando singulis hebdomadibus, vel singulis mensibus confitendo, vel annuam resumendo peregrinationem Quia semper commutatio facta in vouentis fauorem illam innuit conditionem, vt sit liberum ei, quamlibet materiam eligere. Lessi. *lib.2.de Iust.cap.*40. *num.* 97.

284. *Facienda commutatio in subsidium belli.* Commutatio voti virtute Bullæ facienda est in aliquod belli subsidium. Profectò an requiratur necessariò subsidium hoc esse temporale, an sufficiat spirituale : proprio Poblemate discutiam *Bulla* §.7.

CAPVT XXI.

De voto Castitatis, Religionis, & Vltramarino à commutatione facienda virtute Bullæ exceptis.

285. *Intelligitur votum perpetuæ castitatis.* DIXIMVS Pontificem à facultate commutandi vota per Bullam ex quinque illis votis sibi reseruatis solum excipere tria, nempe Castitatis, Religionis, & Vltramarinum. Porrò per votum Castitatis à Pontifice per Bullam exceptum intelligitur votum perpetuæ castitatis perfectæ, ac totalis. Quia sola castitas perpetua, ac perfecta Pontifici reseruatur. Lessi. *l.7.c.*40.*n.*105. Sanch. *lib.*8. *de Matr. disp.*9.*n.*6. *& l.*4. *Moral.c.*40.*n.* 48. Mens planè Pontificis est, eam solum votorum abnegare commutationem per Bullam, quæ sunt ipsi reseruata ; ergo quando ea vota Pontifici reseruata non sunt, poterit Episcopus ordinaria potestate dispensare, & Confessarius Bullæ commutare virtute. Vt enim sæpè inculcaui, omnia vota, quæ potest Episcopus, extra casum vrgentis necessitatis, dispensare, potest Confessarius commutare virtute Cruciatæ. Lud. Cruz. *disp.*1.*c.*6.*dub.*11.*n.*2.

286. *Potest commutari votum omnimodæ castitatis, si est ad tempus,* Potest igitur Confessarius virtute Bullæ commutare votum omnimodæ castitatis, si est ad tempus, & non perpetuum. Quia potest in hoc voto Episcopus dispensare ; non enim censetur Papæ reseruatum, nam cum perpetuum non sit sicut eius natura postulat, est imperfectum, nec enim absolutè sed cum addito dicitur castitatis votum. Lopez *de Bulla c.*9. Dian. *p.*1.*tr.*11.*resol.*57.

287. *votum seruandi coniugalem castitatem* Virtute Bullæ potest commutari votum seruandi coniugalem castitatem tantum. Quia in huiusmodi voto potest Episcopus dispensare ; non enim est perfectum, & absolutum votum, cum integrum sit vouenti matrimonium contrahere. Certe hoc intelligo, nisi votum id sit annexum Pontificis autoritate religioso statui vt est hodie Equitum Militarium ; excipe Equites D. Ioannis, qui absolutam castitatem vouent) quia tanquam necessarium requisitum ad statum illum Religiosum non poterit Episcopus dispensare, nec Confessarius commutare coniugalis castitatis votum ab Equitibus in professione emissum. Sanch. *l.*4. *Mor.c.* 40.*n.*50. Henriq. *l.*7.*c.*30.*n.*6. Ludou. Cruz *disp.*1.*c.*6.*dub.*10.*n.*5.

288. *Et votum, quo alter coniux sine alterius licentia obligat ad non petendum debitum.* Bullæ virtute potest commutari votum quo alter coniugatus absque alterius licentia se obligat ad debitum coniugale non petendum. Quia non est votum integræ castitatis, sed partis tantum. Sylu. Sylu. *Votum V.q.*2.*n.*5. Azor. *to.*1.*l.*11.*c.*20.*q.* 6. Sanch. *de Matr. l.*8. *disp.*9 *n.*8.

289. *Etiam si vterque ex licentia mutua emisserit votum.* Licet ex licentia alterius alter votum emiserit debitum non petendi, imò etiam si vterque ex licentia mutua emisisset, virtute Bullæ est commutabile. Quia adhuc non est votum castitatis perfectæ, cum neuter se obligauerit ad non reddendum, & ad non fornicandum, & ad non contrahendum matrimonio soluto. Sanch. *de Matr. l.*8. *disp.*9.*n.*8.

290. *Licet ex communi consensu vterque vouisset, nec petere, nec reddere.* Licet vterque coniux communi consensu voueret, nec petere, nec reddere, nec fornicari : potest vi Bullæ commutari votum. Quia adhuc non est omnimodæ castitatis, cum vterque libertatem habeat, ad alias nuptias, coniugis obitu, transeundi. Dian. *p.*1.*tr.*11.*resol.*58.

291. *Commutabile votum castitatis sine alterius coniugis licentia post consummatū matrimoniū.* Quando alter coniux absque alterius licentia vouit castitatem absolutè & simpliciter, si id votum emisit matrimonio iam consummato potest virtute Bullæ commutari : Quia potest in eo dispensare Episcopus, eo quod non sit omnimodæ castitatis, cum nequiuerit se obligare ad non reddendum. Rodrig. *tom.*2. *sum.c.*90.*n.*6. Sanch. *lib.*8. *de Matr. disput.* 11. *numer.*3. *& lib.* 4. *Moral. cap.*40. *num.* 52. Ludou. Cruz. *disput.* 1. *cap.*6. *dub.*14. *num.* 1.

292. *Non commutatur, cum ex alterius licentia matrimonio non consummato, voluit, animo ineundi Religionem.* Quum coniux alter de licentia alterius vouit castitatem, seu continentiam, matrimonio non consummato animo ineundi Religionem, sciens vtique, non aliter esse in sui potestate implere perfectè votum : non potest virtute Bullæ huiusmodi votum commutari. Quia nequit Episcopus in eo dispensare

dispensare etiam ad debitum petendum. At si iam consummatum est matrimonium, poterit dispensare Episcopus ad solum debitum petendum, & consequenter Confessarius Bullæ vi commutare. Sanch. *l.*8. *de Matr. disp.*11. *n.*5. *& l.*4. *Moral. c.*40. *n.*54.

293. *Commutabile est, cum vterque venit absque alteris licentia.* Quando vterque coniux continentiam vouit absque alterius licentia, potest votum virtute Bullæ commutari, ac si solus absque alterius licentia vouisset. Quia non est votum continentiæ absolutæ, & omnimodæ, & potest, imo tenetur reddere. Limito, nisi quum ante matrimonium consummatum animo expresso ingrediendi Religionem factum esset votum castitatis omnimodæ, nec posset Episcopus dispensare.. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disput.* 11. *num.* 7. *& lib.* 4. *Moral cap.* 40. *num.* 55. Diana *p.*1. *tract.*11. *resol.*72.

294. *Non potest, cum communi consensu vouit vterque.* Quando vterque coniux communi consensu & per modum contractus castitatem vouit non potest votum virtute Cruciatæ commutari. Quia est votum absolutæ & omnimodæ castitatis indispensabile ab Episcopo. Henriq. *l.*11. *c.*15. *n.*8. Sanch. *de Matr. lib.*8. *disp.*11. *n.*10. Sayr. *in Clavi. l.*6. *c.*11. *n.*53.

295. *Nec cum alter ante contractum conjugium votum emisit perfectæ castitatis.* Quando alter coniux ante matrimonium contractum votum emisit perpetuæ, & perfectæ castitatis : matrimonio iam contracto non potest votum Bullæ indulto commutari. Quia sicut antea non poterat ab Episcopo dispensari, nec comutari per Bullam ; ita nec postea : est enim semper perfectæ castitatis votum. Sanch. *l.*4. *Moral. c.*40. *n.*62.

296. *Votum virginitatis consistentis in primo actu luxuriæ, commutabile est.* Votum virginitatis seruandæ, quando constat, non esse omnimodæ castitatis, sed solius corporeæ integritatis seruandæ, consistentis vtique in abstinentia à primo actu luxuriæ, per quem virginitas deperditur: potest vi Bullæ commutari. Quia potest in hoc Episcopus dispensare cum non sit perfectæ castitatis Sanchez *lib.*8. *disput.* 15. *numer.* 4. *& l.* 4. *Moral. c.* 40. *num.* 65.

297. *Et votum non nubendi,* Votum non nubendi est Bullæ virtute commutabile. Quia cum sit solius partis castitatis ab Episcopo dispensari potest. Azor. *tom.*1. *l.* 11. *c.*20. *q.*5. Suar. *to.*2. *de Relig. l.*6. *c.*21. *n.*9. Sanch. *de Matr. l.*8. *disp.*9. *n.*10.

298. *Et non fornicandi.* Votum non fornicandi, aut abstinendi, à certo actu venereo, potest ex Bullæ indulto commutari. Quia & dispensare potest Episcopus, cum non sit perfectæ castitatis. Nauar. *l.*3. *consil. tit. de voto, cons.* 22. *num. vnico in priori edit. in posteriori autem cons.*42. *num. vnico* Graf. 1. *p. decis. l.*2. *cap.*31. Lessi. *lib.*2. *cap.*40. *dub.*13. *num.*105. *casu* 3.

299. *Et votum quo quis vouet se emissurum castitatis votum.* Votum, quo quis vouet, se emissurum castitatis votum, potest virtute Bullæ commutari. Quia huiusmodi votum non obligat primo & per se ad castitatem seruandam, ideoque non est reseruatum, & potest ab Episcopo dispensari. Sanch. *l.*4. *Moral. c.*40. *n.*70. Suari. *tom.*2. *de Relig. l.*6. *c.*21. *n.*7. *& c.*24. *n.*2.

300. *Quando diuersis votis obligatio ad castitatem perfectam insurgit, possunt omnia commutari.* Quando diuersis votis varia ad castitatem sunt promissa, ita vt ex omnibus illis iunctis obligatio ad perfectam castitatem insurgat: v. gr. si quis semel promisit, se non initurum matrimonium, & iterum se non fornicaturum, & rursum se nullum peccatum venereum perpetraturum : possunt omnia hæc virtute Bullæ commutari. Quia in quolibet horum dispensare potest Episcopus, nullum enim est perfectæ castitatis; ergo potest in omnibus simul : nam vota posteriora se habent per accidens ad prius. Intelligo id planè, nisi vltimum illud votum, quo castitas perfecta completur consulto ille fecerit, vt perfecta castitate ligatus maneat; tum enim censetur priora cum hoc posteriore coniungere, & velle perfecto castitatis voto illigari. Sanchez *lib.*3. *Moral. cap.*40. *n.*68. Cruz *disp.*1. *c.*6. *dub.*13. *num.*2.

Votum assumendi sacrum ordinem est virtute Bullæ commutabile. Quia in eo potest dispensare Episcopus; votum enim id non est castitatis, sed tantum assumendi statum, cui annexa est castitas, vnde vouens sic non esset sacrilegus fornicando, & si matrimonium iniret, peccaret quidem contra votum, sed posset petere. Henriq. *l.*7. *c.*30. *num.*6. Azor. *tom.*1. *l.*11. *c.*20. *q.*9. Sanch. *de Matr. l.*8. *disp.*9. *n.*13. Ludou. Cruz *disp.*1. *c.*6. *dub.*10. *n.*6.

301. *Votum perpetuum Religionis est exceptum solummodo.* Iam vero vt circa votum Religionis Receptiores sententias exponam illud præmitto tunc solummodò votum Religionis censeri reseruatum, ac per Bullam exceptum, quando est perpetuum, perfectum, & absolutum. Vnde quotiescumque id votum perpetuum, perfectum, & absolutum non fuerit, à reseruatione Pontificia deficit; dispensari ab Episcopo potest, & Bullæ virtute à Confessario commutari. Sanch. *de Matr. l.*8. *disp.*9. *n.*13. *& disp.*15. *n.*3.

302. *Si est pœnale potest commutari.* Votum ergo Religionis etiam si perpetuum sit, si est pœnale, potest commutari per Bullam. Quia potest in eo dispensare Episcopus : vt enim sæpe inculcaui,

caui, per Bullam possumus commutare omnia vota, quæ Episcopus ordinaria potestate valet dispensare: tunc enim constat Pontifici non esse reseruata. Ludou. Cruz *disp.*1.*c.*6.*dub.*11.*n.*2.

303. *Potest commutari votum tradendi te hospitali.* Potest commutari votum tradendi te hospitali in seruum, vel gerendi inibi absolutam obedientiæ,aut seruitutis propter Deum promissionem. Quia huiusmodi votum non est Religionis, nec Pontifici reseruatum. Trul. *l.*1.§.7.*c.*3.*dub.*16.

304. *Et votum perseuerantiæ in Religione.* Si quis promittat non solum Religionem, sed etiam in illa perseuerantiam:licet votum circa ingressum est Papæ reseruatum, votum circa perseuerantiam potest ab Episcopo dispensari, & à Confessario commutari Bullæ priuilegio.Quia votum perseuerandi est virtute diuersum à voto Religionis: nam obligat ad ingressum, & ad perseuerandum etiam nisi vouens iuste ex causa exeat, quia nequit Religionis austeritatem perferre; illud vero obligat in omni euentu ad perseuerandum. Nec tunc in voto Religionis dispensatur, sed in qualitate adiuncta, quæ nullibi reseruatur. Sanch. *l.*4. *Moral.c.*16. Lessi.*l.*2. *c.*41.*dub.*5.*n.*68.

305. *Et ingrediendi strictiorem Religionem.* Potest commutari votum ingrediendi strictiorem Religionem, vt ineas laxiorem. Quia dispensabile est ab Episcopo cum non dispensetur tunc in voto reseruato,& substantia Religionis:manes enim obligatus ad illam; sed tantum in quadam eius qualitate, ac circunstantia seu excessu vnius ad alteram: qui quidem excessus non est Pontifici reseruatus. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.*20.*q.*8. Lessi.*l.*2. *cap.*40.*dub.*13.*num.*105. Henriquez *lib.*7. *cap.*22.*n.*7.

306. *Non commutatur votum suscipiendi Religionem D.Ioannis.* Non potest commutari votum ineundi Religionem Militarem D. Ioannis. Quia est vera Religio, in qua tria solemnia vota emittuntur. Votum autem ingrediendi alios Ordines Militares commutari potest Bullæ indulto. Quia non sunt simpliciter Religiones. Rodrig. §. 9. *num.* 123. Ludou. Cruz *disp.*1.*c.*6.*dub.*11.*n.*6.

307. *Commutatur votum obedientiæ in sæculo.* Potest commutari votum paupertatis & obedientiæ in sæculo. Quia nec sunt Religionis vota, nec statui Religioso annexa: vnde Episcopus in eis potest dispensare.Lessi. *l.*2.*cap.*40.*dub.*13.*num.*105. Sanch.*l.*4.*Moral.c.*40.*n.*72.Suar.*tom.*2.*de Relig.l.*6.*c.*21.*n.*8.

308. *Et votum assumendi habitum Beatarum.* Potest commutari votum assumendi habitum fœminarum, quas Beatas vocitant. Quia hic status non est Religionis, nec est votum castitatis formaliter sumptæ, licet includat propositum de illo emittendo, & ideo potest in illo dispensare Episcopus. Suari. *tom.*2. *de Relig.l.*6. *num.*8. Suar.*in claui l.*6. *c.*11.*n.*64. Sanch. *de Matrim.lib.*8. *disp.*9.*n.*15.*& l.*4.*Moral. cap.*40.*n.*71.

309. *Et votum Religionis non approbatæ.* Potest denique commutari votum Religionis à Pontifice non approbatæ. Quia Religio non approbata non est verè ac propriè Religio, vnde tale votum est ab Episcopo dispensabile. Sanch. *l.*4. *Moral. c.*40. *num.*71. Lessi. *lib.* 2. *cap.*40. *dub.*13. *num.*105.

310. *Votum peregrinationis Ierosolymitanæ exceptum in Bulla.* Demùm circa votum vltra marinum; seu peregrinationem Ierosolymitanam certum omninò saltem hoc esse in Bulla exceptum. Quia hoc votum intrà vltramarina est potissimum.

311. *Potest commutari qualitas voto Ierosolymitano adiuncta.* Virtute Bullæ commutari potest qualitas voto Ierosolymitano adiuncta; v. gr. si quis promisit, se peditem profecturum, aut mendicantem: dispensari potest ab Episcopo & commutari à Confessario votum, vt eques pergat, & necessaria itineris subsidia deportet. Quia tunc Episcopus non dispensat in voto, sed in circunstantia illi adiuncta. Lessi.*l.*2.*de Iust. c.*40. *dub.*13.*n.*105.Sanch. *l.*4.*Moral.c.*40.*n.*78. Ludou.Cruz *disp.*1.*c.*6.*dub.*15.*n.*1.

312. *Et votum conditionatum.* Potest commutari votum Ierosolymitanum conditionale pœnale, aut mere conditionale, etiam conditione adimpleta. Quia non est Pontifici reseruatum: Trul. *in Decal.l.*2.*c.*1.*dub.*40.

313. *Et votum inuisendi limina Apostolorum,& templum D.Iacobi.* Vi Bullæ commutabilia sunt vota inuisendi limina Apostolorum Petri & Pauli in Vrbe, & D.Iacobi in Compostella, siue sint conditionalia, siue omnino absoluta. Quia non sunt excepta à facultate generali per Bullam concessa. Nam cum reseruatur in priuilegio aliquod votum peregrinationis vltra marinæ,intelligi debet de stricta peregrinatione vltra mare, id est,de illa, quæ absolutè loquendo, vltra marina dicitur: hæc autem solum est peregrinatio Ierosolymitana. Henriq. *l.*7. *c.*30.*n.*6.Rodrig.§.9.*n.*126.

314. *Et votum peregrinationis Lauretanæ.* Potest denique commutari votum peregrinationis Deiparæ Lauretanæ. Quia non est præsuli summo reseruatum: & dato quod reseruatum esset, vt aliqui asseruere,sub nomine tamen voti vltramarini non comprehenditur: per illud enim solummodo Ierosolymitanum intelligitur. Suari. *de Relig.to.*2. *lib.*6.*cap.*21.*num.*14.Azor. *tom.*1. *lib.*11. *c.*20. *quæst.* 3.

CAPVT

CAPVT XXII.

De praxi quam Confessarius, ad quem spectat huius priuilegij ministerium, obseruare debet in votis Cruciatæ virtute commutandis.

315. *Commutatio fieri debet à Confessario.*

COmmutatio votorum virtute Bullæ fieri debet à Confessario. Constat ex illa Bullæ clasula. *Qui possit eligere Confessarium, &c. & ab eo votorum commutationem obtinere*

316. *Non requiritur, vt sit Cõfessarius venetis.*

Non requiritur, vt commutans vota virtute Bullæ sit confessarius vouentis. Quia verba Bullæ solummodo petunt eum esse Confessarium ex approbatis ab ordinario. Sanch. *lib.*4.*Moral.cap.*54. *num.* 17. Henriquez *lib.*7. *cap.* 10. *numero vlt.*

317. *Attendenda est maior dignitas materiæ subrogatæ, non voti vinculum.*

Confessarius igitur hic, vt rectè possit suum munus obire circa votorum commutationem hæc perpendat animo documenta. In voti commutatione attendenda maior dignitas subrogatæ materiæ respectu solius materiæ promissæ nulla habita ipsius vinculi voti ratione. Quia licet hoc attendendum sit in voti dispensatione, non tamen in commutatione; per dispensationem enim tollitur omnino voti vinculum, in commutatione verò idem vinculum in materia subrogata persistit. Sanch. *lib.*4.*Moral.c.*56.*n.*1.Rodrig.*in addit.ad c.*9.*n.*105.

318. *Votum vitandi peccatum non eget magna commutatione.*

Votum vitandi aliquod peccatum non eget magna commutatione. Quia per commutationem non aufertur præcepti obligatio; sed tantum noua obligatio per votum imposita transfertur in materiam subrogatam; vnde in subrogatione materiæ solum est attendendum, vt diuinum compensetur obsequium. Sanch. *lib.* 4. *Moral. cap.*56.*num.* 2.

319. *In commutatione voti & iuramenti nullius vinculi ratio habenda.*

In commutatione voti & iuramenti neutrius vinculi ratio habenda, sed solius materiæ promissæ. Quia vel vtrumque vinculum cadit in materiam subrogatam, vel ablato per commutarionem vno cessat alterum. Sanch.citat.*n.*3.

320. *Attendatur vis voti non petendi commutationem.*

Quando vltra votum rei alicuius aliud adest votum non petendi commutationem: vtrumque attendendum, ideoque materia subrogata debet esse nexui æqualis vtrique. Sanch. *n.*4.

321. *Non semper gerenda commutatio in maius aut æquale bonum.*

Non semper est facienda commutatio in maius bonum, vel æquale, sed attenda est ratio vouentis Quia cum vota tendant in Dei obsequium à vouente exhibendum, non semper Deo fit gratius, vouentem gerere quod est excellentius, sed quod pro tempore, & loco, & vouentis dispositione magis eius saluti spirituali congruit. Ideo non semper melius, aut æquale reputatur, quod ex sua natura est tale, sed quod hîc & nunc est gratius, aut æque gratum, à vouente præstari. Suarez *tom.* 2.*de Relig. libr.* 6. *capit.* 18. *num.*8.

322. *Habenda ratio finis, ad quem res promissa ordinatur.*

Habenda est ratio finis, ad quem res promissa ordinatur. Quia dignitas materiæ promissæ augetur ex fine digniori, & ideo maiori egebit commutatione. v. gr. si quis vouit non ludere causa vitandi periuria, maiori commutatione opus habet, quam si finis solum esset vitare prodigam pecuniæ iacturam. Sanch. *l.*4.*Moral.c.*56.*n.*9.

323. *Habenda ratio difficultatis implendæ rem promissam.*

Habenda ratio difficultatis implendæ rem promissam ac materiam subrogatam. Qnia difficultas auget meritum. Vnde votum ieiunij à paupere emissum si in eleemosynam commutetur, potest in minorem commutari, quam si dies illud emisisset. Quia pluris facit Deus teruntium inopis, quam diuitis drachmam. Suar.*tom.*2. *de Relig.l.*6.*c.*19.*n.*16. Sanch. *l.*4. *Moral.c.*54.*n.*11. Ludou.Cruz. *disp.*1. *c.*7.*n.*10.

324. *In voto peregrinationis habenda ratio laboris itineris, & expensarum.*

In commutatione voti peregrinationis attendendus labor itineris & expensæ ratione peregrinationis absumendæ. Quia etsi expensæ illæ non sint necessario pecuniis redimendæ: at quia augent pondus, & æstimationem voti, ideo earum est est habenda ratio ad materiæ subrogatæ æqualitatem. V. gr. eras in itinere diebus singulis sex nummos argenteos absumpturus, & domi tantum tres: his tribus deductis reliqui sunt in commutatione computandi: quia illi tantum ratione voti causantur. Suar. *tom.*2. *de Relig. lib.*6.*cap.*19. Sanch.*l.*4.*Moral.c.*56.*n.*12.

325. *Computandæ etiam itineris pericula.*

In peregrinationis voto sunt etiam pericula itineris computanda, & damnum quod ex vouentis absentia domui ipsius erat obuenturum, & tributa quæ soluturus erat infidelibus, vt transitum concederent. Quia omnia hæc Deo obtulit, & augent meritum, votique æstimationem Sanch. *l.*4. *Moral.c.*56.*n.*19. Rodrig.*to.*2. *sum.c.*100.*n.*5.*docum.*5.

326. *Computanda expensa commorationis.*

Computandæ etiam expensæ in commorando in loco peregrinationis promissæ; v. gr. si vouens promisit, se viginti diebus, aut nouem inibi moraturum. Quia eas ad complementum voti pertinere

nere quis dubitet ? Sanch. *citat. numero.* 20.

327. *Non est necessario ratio habenda personæ aut loci.* Non est necessarium, vt ratio habeatur personæ, vel loci, in cuius fauorem eleemosyna voto promissa cedebat, ita vt in eius fauorem debeat commutatio cedere ; consentaneum tamen rationi est, vt in iis casibus loci ac personæ ratio habeatur quantum geri possit. Quia sic materia voti prioris, & intentio magis retinetur. Suarius *de Relig. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 19. *num.* 18. Sanch. *lib.* 4. *Moral. c.* 56. *num.* 21. *&* 22.

328. *Habenda ratio maioris laboris* Si peregrinationem mendicando promisisti, in commutatione non habenda expensarum ratio, habenda tamen ratio maioris illius laboris pedestris peregrinationis, & maioris illius obsequij diuini ex paupertatis actu exercendo. Sanch. *citat. num.* 23.

329. *Opus reale commutetur in opus reale, personale autem in personale opus.* Opus reale, v. gr. expensæ peregrinationis, in aliquod opus reale commutetur: opus vero personale, v. gr. laboritineris commutetur in opus personale. Ex gr. si pedestris futura erat peregrinatio, in huius diei ieiunium commutetur vnius diei peregrinationis labor ; si autem non futura erat pedestris, labor quatuor aut quinque dierum in vnicum commutetur ieiunium. Sayr. *in claui. l.* 6. *c.* 12. *n.* 20. Azor. *to.* 1. *l.* 11. *c.* 19. *q.* 13. Non autem talis modus commutandi est sub præcepto potest enim votum personale in reale commutati, & è contra: v. gr. votum personale peregrinationis Ierosolymitanæ in eleemosynam, quæ est quid reale, commutatur. Sanchez *lib.* 4. *Moral. c.* 56. *n.* 24. Cruz *disp.* 1. *c.* 7. *dub.* 1. *n.* 11. *&* 12.

330. *Non est necessarium, vt materia subrogata sit æqualis magnitudine, duratione, ac numero.* Necessarium non est ad voti commutationem, vt materia subrogata sit æqualis priori promissæ magnitudine, duratione, aut numero: dūmodo sit æqualis in ratione diuini obsequij. Quia diuturnitas, aut maior quātitas, maiorve numerus prioris operis poterit qualitate & grauitate operis subrogari, minori tempore exequi, minori magnitudine & numero compensari. Vnde votum perpetuum potest in temporalem æqualis obsequij diuini commutari materiam: & votum implendum certa die potest commutari in opus exercendum in alia. Sanch. *l.* 4. *Moral. c.* 56. *n.* 27. Henriq. *l.* 7. *c.* 10. *n.* 6.

331. *Considerandæ dubietatis ratio in voto conditionali.* Si votum conditionale nondum impleta conditione commutetur in obligationem absolutam, perpendere debet confessarius quā dubius sit conditionis euentus: nam quo magis dubius fuerit, eo in minorem obligationem absolutam id votum commutandum. v. g. promisisti Religionem, si pater incolumis euaserit : debet hoc votum antequam pater tuus euadat incolumis in plus aut minus cōmutari iuxta maius aut minus paterni morbi periculum Sanch. *l.* 4. *Moral. c.* 56. *n.* 30.

332. *Quid si ante impletam conditionem commutatio fiat.* Si ante impletam conditionem commutatio fiat in aliam obligationem conditionalem, debet fieri commutatio in materiam æqualem priori. Quia nulla securitas materiæ promissæ sub conditione præstatur in materia subrogata : sed simili dubio euentui vtraque obligatio subiicitur. Si autem in commutatione apponatur magis certa conditio, debet materia subrogata imminui : & è contra debet augeri, si conditio apposita dubia magis existat. Sanch. *citat. n.* 31.

333. *Quid si post impletam.* Si post impletam conditionem commutatio fiat, debet geri in rem æqualem materiæ promissæ, perinde ac si votum esset absolutum. Quia impleta conditione obligatio iam est absoluta, & intrinseca materia bonitatis rei promissæ. Adhuc Sanch. *n.* 32.

334. *Idem dicendum de voto pœnali.* Idem prorsus dicendum de voto pœnali, quando post impletam conditionem & subinde incursa pœna est commutandum : debet enim materia subrogata æqualis esse proinde ac si votum esset absolutum. Quando vero antè impletam conditionem, & subinde nondum incursa pœna commutatur consideranda est materiæ promissæ dignitas, tum etiam pœnæ impositæ. v. gratia si lusero, voueo Religionem. Sanch. *l.* 4. *Moral. c.* 56. *n.* 35.

335. *Voti dilatio modica commutationi suppletur.* Quando non commutatur votum principale, sed sola voti explendi dilatio commutatione conceditur, potest modica commutatione suppleri, si non multum diuino conducit obsequio die destinata adimpleri: & quo maior est dilatio, eo maior commutatio esse debet. Si autem valde diuino obsequio conduceret non differri, multo maior deberet esse commutatio. Sanch. *citat. n.* 37. Ludou. Cruz. *disp.* 1. *c.* 7. *dub.* 1. *n.* 16.

336. *Aspectanda est vouentis fragilitas.* Spectanda est vouentis fragilitas, curandumque ne nimis grauetur, ita vt maneat periculo transgrediendi materiam subrogatam expositus. Vnde proderit commutare votum in res illas, quas ipse solitus est exerere ; verbi gratia si solet quotidie calculos Virgineos recitare, aut sacro interesse, aut alibus diebus ieiunare: in hæc opera commutare votum erit prudentiæ consentaneum. Lessius *lib.* 2. *de Iust. c.* 40. *dub.* 11. *num.* 87. Sanch. *lib.* 4.

Moral.

Moral. cap. 56. num. 38. Cruz *disp. 1. cap. 7. dub. 1. num. 13.*

CAPVT XXIII.

De secundæ Bullæ acceptione, de Indulgentiarum per Bullam suspensione, & reualidatione.

337. *Potes bis Bullam accipere.* OCTAVO §. concedit Pontifex, vt, anno publicationis durante, fideles quibus Bulla conceditur, possint bis Bullam accipere, bisque indultis ac indulgentiis eius potiri; hoc est, vt valeant bis frui illis facultatibus, gratiis, & indulgentiis, quæ semel tantum in anno per vnam Bullam conceduntur. Henriq. *l. 7. c. 20. n. 7.*

338. *Indulta accipientium bis Bullam.* Igitur secundam Bullam accipiens, potest bis in vita, & bis in articulo mortis à reseruatis Papæ absolui: & bis in vita, & bis in mortis articulo plenaria indulgentia potiri. Potest frui bis indulgentia, quæ morte repentina obeunti, vel in absentia Confessoris, conceditur: & bis in die indulgentias stationum lucrari. Potest denique bis accipi Bulla pro defuncto, & bis indulgentia applicari. Non tamen ad effectum fruendi indultis poteris plusquam duas Bullas accipere. Rodrig. §. 11. & alij, & apertè constat ex Bullæ tenore.

339. *Omnes indulgentiæ similes ac dissimiles suspenduntur.* Porro in fine Bullæ Cruciatæ, ne tantæ expeditionis impediatur effectus, concedit Pontifex commissario generali facultatem generalem omnes indulgentias similes, vel dissimiles iis, quæ in Bulla Cruciatæ conceduntur, suspendendi, easque assumpta Bulla iterum reualidandi. Cui facultati generalis Commissarius innixus, suspensionem indulgentiarum, & reliquarum Bullæ facultatum, earumdemque reualidationem gessit. *Bulla §. 9.*

340. *Has Commissarius suspendit, & reualidat.* Virtute itaque præfatæ facultatis duo commissarius egit. Alterum est, indulgentias, & facultates Bullæ contrarias, aut ei similes derogare respectu eius qui Cruciatæ Bullam non accipit, ita vt eas sine Bulla consequi non possit. Alterum est, easdem reualidare respectu eius qui habet Bullam. Porrò hæc suspensio solummodo habet vim in terris, seu locis, vbi Bulla Cruciata publicatur, vt patet ex illa §. 9. clausula: *In Regnis, insulis, terris, locis, & dominiis præfatis, &c.* In aliis autem Regnis, quibus Bulla non conceditur, Commissarius Bullæ nullam circa præfata obtinet facultatem.

341. *Suspenduntur indulgentia, ac facultates, quæ Bullæ sunt cõtrariæ.* Per Bullam igitur suspenduntur solùm indulgentiæ, & facultates à Pontifice concessæ, quæ sunt contrariæ intentioni Cruciatæ, seu similes iis, quæ in ipsa conceduntur, aut eis dissimiles, & in aliquo similes. Non itaque suspendit Bulla omnes indulgentias, omniaque indulgentias, omniaque indulta, sed ea tantum quæ ipsi sunt contraria, eiusque intentioni, ac expeditioni repugnant. Innuunt aperte illa verba: *Ne tam pium opus impediatur.* quod est causa finalis huius suspensionis, nempe vt fideles in Regis Philippi ditione Bullam accipiant ad Belli subsidium, quam non acciperent, si possent sine illa similibus indultis, ac gratiis potiri. Rodrig. §. 12. *num.* 1. ex Felin. *in cap. Nonnulli, de rescript.* Villalob. *tract. 27. claus. 12. numer. 2.* Cruz *disp. 1. cap. 9. dub. 1. num. 2.*

342. *Suspenditur priuilegiũ sepulturæ, assistendi diuinis, lucrandi indulgentias vel in articulo mortis.* Colligo ex præfatis, per Bullam suspendi priuilegium assistendi diuinis tempore interdicti, si quis extra Bullam illud habet: & priuilegium sepeliendi in loco sacro, lucrandi indulgentias, vel Iubileum visitantibus tale Templum concessum. Suspenduntur indulgentiæ concessæ in articulo mortis, & quæ conceditur calculis benedictis, & imaginibus. Quia cõmissarius generaliter loquitur de omnibus indulgentiis concessis locis, & personis, tum etiam confraternitatibus, & aliis piis locis, imo & Religionibus quoad sæculares. Habetur in Bulla. *Quibusuis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, &c.* Suspenduntur denique omnes indulgentiæ sæcularibus concessæ quæcumque illæ sint. Quia hæ aliquo pacto contrariæ sunt Bullæ intentioni, quatenus impediunt, vel impedire possunt eius executionem: & omnia indulta, gratiæ & priuilegia, quæ Cruciatæ impedire executionem videantur. Rodrig. §. 12. *num.* 1. Henriq. *lib. 7. cap. 21. numer. 8. & cap. 22. num. 1. & 2.*

343. *Non suspenditur priuilegiũ testandi, & alia quæ non sunt contraria.* Colligo præterea, per Bullam non suspendi priuilegium testandi, dispensandi in matrimonij impedimentis, aut voti, nec priuilegia Religionum, Vniuersitatum, aut aliarum personarum circà diuersas materias ab iis, quæ in Bulla continentur: nec priuilegia, quibus fruuntur, qui in generali Academia student, aut laurea, graduve sunt insigniti. Quia talia priuilegia in Bulla non conceduntur, nec sunt ipsius intentioni, vel executioni contraria. Henriquez

lib.7. cap.22. num. 1. & 2. Rodrig. §. 12. *num. 1.*

344. *Quidnam intelligatur per verba illa. similes, vel dissimiles, &c.*

Per verba illa: *Omnes similes, vel dissimiles indulgentias, & facultates*, non intelliguntur indulgentiæ & facultates omnino dissimiles iis, quæ in Bulla conceduntur: huiusmodi enim non suspenduntur. Quia Bullæ non impediunt expeditionem. Suspenduntur solummodò illæ indulgentiæ gratiæ, & facultates, quæ in aliquo sunt similes, in aliquo verò dissimiles iis, quæ in Bulla conceduntur. v. gr. Mendicantes ob priuilegium Prædicatorum Religioni concessum possunt admittere ad Ecclesiasticam sepulturam in suis Templis vsque ad quindecim secularium cadauera interdicti tempore, sine pompa tamen etiamsi sit moderata. Hoc priuilegium dicitur dissimile, & per Bullam suspenditur & si aliqua sunt huiusmodi. Ob idque suspenduntur indulgentiæ non plenariæ à Papa concessæ; quia sunt similes, ac dissimiles. Ludou. Cruz. *disp.1.c.9. dub.2. n.14.* Ioan. Cruz *de statu Relig.l.2. c.7. dub.3. concl.3.* Nauar. *notat. 25. de indulg. num.2.* Villalob. *tr.27. clau.12. num.1.*

345. *Non auferuntur indulgentiæ concessæ ab Episcopis.*

Per reuocationem à Commissario factam indulgentiæ ab Episcopis concessæ non auferuntur. Quia per Bullam tantùm suspenduntur indulgentiæ à sede Apostolica immediatè dimanantes, quales non sunt Episcopales indulgentiæ, quas possunt Episcopi ex Ordinaria iurisdictione promulgare. Vnde vt fideles possint indulgentiis immediatè ab Episcopis per ordinariam potestatem concessis frui, Bulla non indigent. Villalob. *tr. 27. clauſ. 12. num.17.* Nauar. *notab. 28. num. 12. & 17. & notab. 27. num.12.*

346. *Nec facultates iuri communi inserta.*

Non suspenduntur per Bullam priuilegia, ac facultates, quæ iuri communi insertæ, & incorporatæ reperiuntur, & quę, iuxta consuetudinem approbatam, vim obtinent. Quia ad horum reuocationem requiritur expressa mentio, & clausula, *Non obstantibus, &c.* quod non reperitur in Bulla. Vnde initiati minoribus possunt tempore interdicti interesse diuinis absque Bulla; quia hoc est eis in iure concessum. Ob eandem rationem non suspenditur facultas, qua Religiosi datis literis, quas vocitant *Cartas de hermandad*, admittunt benefactores suos ad participationem bonorum communitatis, & Religionis; quia eis hoc non ex priuilegio, sed iuri communi competit. Rodrig. §.12. *num.13.* Villalob. *tr.27. clauſ. 12. num. 14.15. & 16.* Dian. *pag.1. tract. 11. resol. 87.*

347. *Nihil reuocatur antè Bullæ publicationem.*

Per Bullam præfatæ indulgentiæ & indulta reuocantur, dum promulgatur in singulis locis, & non anteà: & reualidantur tunc pro iis, qui eam accipiunt. Quia in ipsa Bulla disponitur, vt indulgentiæ, & priuilegia illius per integrum annum vigeant à die publicationis in singulis Oppidis computandum; ergo tam ipsa Bulla, quam indulgentiæ, & indulta per eam reualidata non cessabunt, donec sequens Bulla publicetur in eisdem locis anno terminato. Trul. *l.1.§.1. dub.11.*

348. *Suspensio hæc se extendit ad indulta futura.*

Hæc Bullæ suspensio etiam se extendit ad gratias & indulgentias futuras huius expeditioni contrarias. Quia licet lex regulariter solum futura respicere soleat *cap. 2. & cap. final. de const.* priuilegium aliquando futura respicit, maxime in præsenti, cum ad expeditionem conducat, vt per id suspendantur gratiæ, ac indulta futura. Nauar. *notab.2. de indulg. cap.7.*

349. *Non præditatur alia indulgentia.*

Commissarius similiter prohibet, prædicare indulgentias, & facultates quascumque concessas Monasteriis, Hospitalibus, locis piis, Confraternitatibus, & particularibus personis. Rodrig. §. 12. *in addit. num. 10.* Alfons. Perez *lib. 1. pag. 137.*

350. *Potest Prælatus pro subditis publicare indulgentias à Papa concessas.*

Potest tamen Prælatus Regularis indulgentias Ordini vel alicui superiori per Papam concessas pro subditis, ac familiaribus, promulgare, nec talis facultas per Cruciatam reuocatur. Quia ipsa excipit facultates datas superioribus Mendicantibus quoad suos. Similiter potest Episcopus publicare indulgentias, quas ipse iuxta iuris dispositionem concedere potest. Henriq. *lib. 7.cap.28.num.2. lit. O.* Henriq. *in addit. ad §.12.num.10.*

351. *Commissarius generalis examinat indulgentias, ac Iubileos.*

Commissarius Cruciatæ generalis potest examinare omnes indulgentias, nec possunt indulgentiæ, Iubilei, & aliæ similes facultates promulgari, nisi prius ab ordinario iuxta tenorem Bullæ Alexandri anno 1403. die 27. Iulij, tum etiam à generali Commissario, vel ab eius subdelegato examinentur. Alfons. Perez *lib.2. pag.133.*

352. *Reualidantur indulgentiæ similes, & aliquo modo dissimiles.*

Porrò per Bullam reualidantur illæ facultates, & gratiæ, quæ sunt similes, & aliquo modo dissimiles iis quę per Bullam sunt suspensæ. Quia eadem quæ suspenduntur, eadem & reualidantur, dummodo in reualidatione non comprehendantur priuilegia, facultates, & indulta expressis

expressis in Bulla, contraria. Vnde reualidari colligo priuilegia pro cessationis tempore, dispensationes in irregularitate, iuramenti relaxationes, vel si presbyter, aut Regularis habeat ex alio priuilegio licentiam vtendi ouis, aut lacticiniis in Quadragesima. Quare si sacerdos habeat aliud priuilegium pro cibis in Quadragesima prohibitis, & pro tempore interdicti, ac cessationis, quod ad familiares, ac commensales suos extendatur: possent hi absque Bulla (dummodo eam Dominus habeat) alieno priuilegio per Bullam confirmato potiri. Quia licet Pius V. & alij Pontifices per suam Bullam id non concedant, non tamen tollunt alias dispensationes præsenti Bulla reualidatas. Henriq. *l.* 7. *c.* 21. *n.* 8.

353. *Non suspenduntur indulgentia, & indulta ordinum Mendicantium.* Priuilegia, gratiæ, facultates, & indulgentiæ concessæ ordinibus mendicantium (vt innuimus) quoad ipsos tantum per Bullam non suspenduntur nec reuocantur; vnde præfati Religiosi possunt ipsis sinè Bulla potiri. Constat ex illis verbis: *Exceptis tamen concessis ordinibus Mendidicantium superioribus quoad eorum fratres tantum.* Sunt autem Religiosi Mendicantes Prædicatores. Minores, Augustiniani Carmelitæ, Minimi, Clerici Societatis Iesu, & Fratres Seruorum. Ludou. Cruz. *disp.* 1. *c.* 9. *dub.* 1. Rodrig. §. 12. *num.* 5. Azor. *to.* 1. *l.* 12. *c.* 23.

354. *Secus priuilegia non Mendicantium.* Illa clausula, *Exceptis superiorum Mendicantium &c.* apertè innuit, suspendi priuilegia & indulta concessa superioribus ordinum non Mendicantium. Quia exceptio firmat regulam in contrarium. Vnde non Mendicantes non possunt vti hoc priuilegio exceptionis à suspensione per communicationem priuilegiorum cum Mendicantibus. Quia hæc exceptio expresse ad Mendicantes limitatur: aliàs sequeretur hanc suspensionem esse fruſtraneam quoad ordines. Mendicantium. Henriq. *l.* 7. *c.* 22. *n.* 4. *lit. V.* Valer. *in diffi. vtriusque fori, ver. Absolutio n.* 45. Rodrig. *addit. ad* §. 12. *dub.* 1.

355. *Suspenduntur indulta particulari Mendicanti concessa non ad instantiam superioris.* Priuilegia, & indulgentiæ concessæ alicui Regulari in particulari ex Mendicantibus ad instantiam Regis, aut alterius personæ particularis, qui non sit superior in Religionibus Mendicantium, per Bullam suspenduntur. Quia ibi expresse dicitur, *Exceptis concessis superioribus ordinum Mendicantium.*

356. *Nouitij Mendicantes sine Bulla fruuntur sui ordinis indultis.* Nouitij sine Bulla possunt frui priuilegiis, gratiis, indulgentiis & facultatibus suis superioribus concessis. Quia nouitij in fauorabilibus sub nomine Religiosi veniunt, & communiter *Fratres* vocitantur, atque adeo sub illis verbis: *Quoad eorum Fratres* comprehenduntur. Rodrig. §. 12. *num.* 6. Villal. *tr.* 27. *clauſ.* 12. *n.* 12. Ludou. Cruz. *disput.* 1. *c.* 9. *dub.* 5. *n.* 2.

Ordinum Mendicantium Moniales possunt sine Bulla indulgentiis, ac indultis concessis superioribus Mendicantium frui. Quia sub verbo *Fratres* etiam *sorores* intelliguntur: & quia priuilegia concessa viris, intelliguntur etiam concessa fœminis, etiamsi strictè interpretentur, quando quod conceditur, ad ipsas potest pertinere. Tiraq. *retractat. consang.* §. 1. *Glos. l. n.* 221. Menoch. *de adipis. possess. remed.* 4. *n.* 61. 62. & 63. & alij. Cast. Pal. legendus *tr.* 3. *disp.* 4. *punct.* 12. *n.* 1. 357. *Potiuntur & Moniales.*

CAPVT XVII.

De commissarij Cruciatæ facultate.

AMplissima facultas, quam Pontifex commissario generali Cruciatæ impendit duo continet, primum ea quæ ad beneficium fidelium, & animarum vtilitatem spectant: secundum ea, quæ ad huius Bullæ expeditionem concernunt. Igitur §. 1. concedit Pontifex generali commissario, vt possit inquirere: an ordinarij, nempe Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, seu alij quicumque dignitate fulgentes, & iurisdictionem in foro exteriori habentes applicationem pœnarum ipsis præscriptam inibi omiserint: tum etiam aliqui patrarint aliquid in huius expeditionis præiudicium. Concedit item, vt omnes præfatos qui in aliquo horum deliquerint, pœnis coercere ac punire valeat. 358. *Duo continet hæc amplissima facultas.* 359. *Potest inquirere, an ordinarij circa hoc Bullæ negotium rectè se gesserint.*

At §. 2. datur eidem facultas deputandi, eligendique commissarios subdelegatos, qui quidē eadem facultate potiuntur circa causas cōcernentes ad Cruciatæ expeditionem tam ciuiles, quam criminales, possūtque quoscumq; iudices Ecclesiasticos & sæculares à cognitione causarū cōcernentium, & dependentiū à Cruciata inhibere: & cōtra eos per censuras Ecclesiasticas, ac pœnas procedere: & dispēsare in casibus, in quibus virtute Bullæ potest cōmissarius generalis, (nisi eis expresse à generali cōmissario ipso sit prohibitū) sic Bul. 360. *Potest deputare Commissarios.*

Potest etiam cōmissarius generalis, & eius subdelegatus, elapso tēpore publicationis Bullæ absoluere literas & negotia cœpta 361. *Potest, Bulla tempore elapso absoluere negotia cœpta.*

cœpta, perinde ac si annus non fuisset elapsus. Quia vbi cœptum est iudicium, ibi finiri debet. Secus si anno elapso res esset integra, & iudicium non cœptum. Patet ex illis verbis; *Expirante anno.*

362. *Potest per censuras compellere tabellliones, &c.* Potest item quoscumque manumissores, & testamentorũ executores, ac tabelliones, qui testamenta receperunt; & alios quoscumque, qui testamenta, & scripturas retinent, vt ea exhibeant, per censuras compellere. Perez *l. 2. pag. 60.*

363. *Habet quandam iurisdictionem temporalem.* Præter iurisdictionem spiritualem, quam commissario hoc §. 2. concedit, habet aliam iurisdictionem temporalem, à Rege Philippo acceptam non solum indirectè, & in subsidium, quemadmodum brachium seculare subsidium assolet Ecclesiastico brachio pręstare; sed etiam directè, ita vt habeat speciale tribunal, ac consiliarios ad definiendum causas temporales Cruciatæ concernentes inter sæculares; à quo quidem consilio non datur ad aliquem iudicem appellatio. Alfon. Perez *l. 2. pag. 124.*

364. *Potest dispensare circa irregularitates ex delicto.* Commissarius generalis habet potestatem dispensandi circa irregularitates, quæ ex delicto proueniunt, non vero ad eas, quæ ex defectu lenitatis, vel repræsentationis oriuntur. Henriq. *l. 7. c. 13. num. 5.* Rodrig. *in addit. ad §. 13. n. 3.*

365. *Et circa eam, quæ contracta est ex eo, quod ligatus censura celebrauit.* Potest itaque Commissarius dispensare in omni irregularitate contracta ex eo, quod quis censura illigatus celebrauit, v. gr. si excommunicatus, suspensus, vel interdictus alicuius ordinis sacri actum exercuit. Henriq. *l. 7. c. 13. n. 5.* Rodrig. *in adidit. ad §. 13. n. 3.*

366. *Potest dispensare in præfatis, quamuis publicæ sint.* Potest dispensare in præfatis irregularitatibus, quamuis publicæ sint, & in foro exteriori. Quia Pontifex huiusmodi facultatem ad occultas irregularitates non restringit, sicut Tridentinum *sess. 24. c. 6. de reform.* restringit, vbi solum datur Episcopis facultas, in foro interno, & in casibus occultis dispensandi. Vnde circa hoc caput plus potest Commissarius generalis Cruciatæ, quam virtute Tridentini possint Episcopi. Auil. *p. 7. disp. 10. dub. 5.* Henriq. *l. 7. c. 13. n. 5.* Rodrig. *in addit. ad §. 13. num. 1.*

367. *Non potest cum illegitimo, &c.* Non potest Commissarius cum illegitimo, neque cum eo, qui habet naturale vitium corporis, aut animi, neque cum iudice, aut duce auctoritate publica occidente iuste malefactorem cum defectu lenitatis, dispensare. Quia hæ irregularitates non procedunt ex delicto, quæ solummodo cadunt sub Commissarij potestate. Henriq. *l. 7. c. 13. n. 5.*

368. *Nec cum irregulari ex bigamia.* Nec potest dispensare in irregularitate ex Bigamia vera, nec interpretatiua, v. gr. quando quis contraxit bis matrimonium consummatum, vel quando contraxit cum iam corrupta vel vidua à priori viro cognita. Doctores præfati.

369. *Quatuor Irregularitates excipiuntur.* Postquam hoc in §. Commissario generali Pontifex facultatem concessit dispensandi super qualibet irregularitate ex delicto proueniente, excipit ab hac generali facultate, quatuor irregularitates, in quibus nec in foro externo, nec interno dispensare potest. Prima est, quæ ex homicidio oritur voluntario. Secunda, quæ ex peccato simoniæ realis, & perfectæ prodit. Tertia, quæ ex hæresi vel apostasia nascitur. Quarta quæ ex iniqua ad sacros ordines promotione procedit. *Bulla expressè.*

370. *Non potest dispensare in homicidio voluntario.* Igitur Commissarius in homicidio voluntario dispensare non potest. Quia à Bulla prohibetur. Per homicidium voluntarium intelligo illud, quod in se directè, & formaliter est volitum, & ex affectatione patratur. Nauar. *c. 27. num. 240.* Sayr. *de censur. l. 7. c. 7. n. 7.*

371. *Potest in voluntaria mutilatione.* In mutilatione voluntaria dispensare potest. Quia Pontifex solum irregularitatem ex homicidio voluntario excipit. Nauar. *c. 27. n. 194.* Rodrig. *in addit. ad §. 9. c. 6.*

372. *Et in homicidio casuali.* Potest similiter in irregularitate ex homicidio casuali dispensare. Quia potest Episcopus, cui quidem Tridentinum facultatem concedit dispensandi in irregularitatibus ex occulto delicto prouenientibus, excepta irregularitate ex homicidio voluntario, seu facto ex proposito. Homicidium autem casuale cum non sit ex proposito, à voluntario condistinguitur, atqui hæc ratio militat respectu commissarij; ergo poterit non solum in foro interno, sed & in externo dispensare. Rodrig. *in addit. ad §. 9. n. 6.* Villal. *p. 1. tr. 27. clauſ. 12. n. 7.* Nauar. *c. 27. n. 140.* Sayr. *l. 7. c. 7. n. 20.*

373. *Non potest in Irregularitate quæ oritur ex Simonia in Ordine.* Commissarius dispensare non potest in irregularitate, quæ præcisè oritur ex simonia in ordine, id est, eo quod per simoniã quis ordinatus est in probabili illa sententia docente huiusmodi simoniacum etsi occultũ esse irregularẽ, quam videtur hic Pontifex approbare. Quia excipit à facultate commissarij irregularitatẽ ex simonia contractã; atqui ex nulla simonia cõtrahitur nisi ex hac; ergo. &c. A fortiori non poterit in irregularitate, quæ ex simonia publica in ordine exoritur. Cum autem non possit in hac irregularitate dispensare, ita nec valet reualidare titulum beneficij per simoniam accepti. Rodrig. §. 13. *n.* 3.

374. Commmissarius potest dispensare in irregula

374. *Potest in irregularitate cõtracta ex eo quod in actu Ordinis Censuram violauit.*

irregularitate, quam contraxit simoniacus ex eo, quod in actu Ordinis excommunicationem quam ratione simoniæ, hæresis, aut, apostasiæ violauit. Quia Pontifex absolutè concedit facultatem commissario dispensandi in irregularitate contracta ex eo quod quis cẽsuris quibuslibet ligatus celebrauerit, vel diuinis se immiscuerit, sine vlla hac in parte exceptione; non enim excipit eos, qui celebrauerint censuris illigati, quæ ex supradictis delictis oriuntur; sed solùm irregularitates, quæ præcisè ex simoniæ vitio, apostasiæ, & hæresis contrahuntur: irregularitas autem quæ ex ipso crimine simoniæ, apostasiæ, & hæresis nascitur diuersa est ab illa, quæ ex violatione censuræ oritur. Pontifex enim in exceptione solummodo loquitur de irregularitatibus, quæ ex præfatis criminibus exoriuntur. Rodrig. *in addit ad* §. 13. *n.* 11. Ludou. Cruz *disput.* 1. *c.* 9. *dub.* 7. *n.* 7.

375. *Potest item reualidare titulum beneficij post hanc Irregularitatem accepti.*

Dispensare potest Commissarius non solum in irregularitate contracta ex violatione censuræ præfati delicti positæ: sed etiam titulum beneficij post hanc irregularitatem accepti reualidare, infamiam & inhabilitatem inde ortam abolere, fructuum compositionem facere, & executionem Ordinum non malè susceptorum concedere. Quia postquam Pontifex concessit Commissario facultatem dispensandi, ac componendi super quacumque irregularitate ex violatione censuræ contracta, adidit: Cum retentione beneficiorum, & fructuum ex eis perceptorum, & infamiæ, ac inhabilitatis indè prouenientis abolitione, & executione Ordinum non male susceptorum. Quod igitur Commissario prohibetur, est, vt non possit dispensare in irregularitate proueniente præcisè ex simonia, &c. nec titulum beneficij sic accepti reualidare, nec super fructibus ipsius facere compositionem. Villalob. *tr.* 27. *clauf.* 13. *n.* 10.

376. *Non potest dispensare circa Irregularitatẽ ex occulta hæresi, aut apostasia.*

Pontifex secutus illam probabilem sententiam affirmantem, apostatam & hæreticum occultum esse irregularem, eximit à Commissarij facultate hanc irregularitatem, ita vt in ea dispensare non possit. & à fortiori quando hæresis vel apostasia est publica. Quia tunc sunt propriè irregulares ratione infamiæ ab hæresi, seu apostasia subortæ. Potest tamen dispensare in irregularitate, quam de nouo contraxit hæreticus vel apostata ex eo quod excommunicatione illigatus in Ordine ministrauit. Quia habet indifferenter potestatem dispensandi in irregularitate contracta ex violatione censuræ in actu Ordinis, Rodrig. *in addit. ad* §. 13. *n.* 11. Lud. Cruz *disp.* 1. *c.* 9. *n.* 6.

377. *Non potest dispensare in Irregularitate ob malam Ordinum susceptionem.*

Denique dispensare non potest in irregularitate contracta ob malam Ordinum susceptionem in hisce casibus: Primò quando quis scienter per ignorantiam crassam (secus si sit probabilis) excommunicatus maiori, suspensus, vel interdictus ordines maiores exercet. Secundo quando quis ordinatur ab Episcopo excommunicato maiori, suspenso, interdicto, depositò, degradato, simoniaco, hæretico, schismatico, nisi inuincibilis ignorantia excuset. Tertio quando vnico die recipit quatuor minores Ordines, & subdiaconatum vel duos Ordines maiores absque Episcopi dispensatione. Quarto quando ab Episcopo qui loco ac dignitati renunciauit, maioribus quis Ordinibus initiatur: secus si minoribus, vel si tantum loco renunciarit Episcopus. Quinto quando sacro aliquo Ordine initiatur antè legitimam ætatem, vel extra tempora, vel absque literis dimissoriis. Septimo quando per saltum siue scienter, siue ignoranter ordinatur, siue ex laico immediatè fit Presbyter. Porrò quicunque aliquo ex supradictis modis Ordines susceperit secundum communem Doctorum propriè & formaliter est suspensus: & improprie, ac aliquo modo secundum aliquos est irregularis. Pontifex igitur horum Doctorum (quos Henriq. *de irregul. c.* 6. & Sayr. *l.* 7. *de censur. c.* 10. *n.* 12. referunt) opinionem secutus à facultate Commissarij dispensationem ab hac irregularitate eximit. Latè Henr. citatus. Rodrig. §. 13. *n.* 5. Profecto sicut non potest Commissarius dispensare in hac irregularitate, ita nec vt talis possit Ordinem suum exercere. Quia hæc duo coincidunt, & consequenter se habent.

378. *Non prohibetur ei dispensare cum eo qui sacris initiatur per saltum, &c.*

Existimo pene certum, non prohiberi Commissario, dispensare cum eo, qui sacris initiatur per saltum, aut absque literis dimissoriis, aut extra tempora, aut cum eo qui non impleuit ætatem antequam ordinatus fuerat. Quia hi tantnm suspensi sunt; nec enim apertè constat in his casibus præter suspensionem irregularitatem incurri; commune autem axioma est: *Nemo censendus irregularis nisi expressè habeatur in iure.* Henriq. *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 5.

379. *Non potest reualidare titulum beneficij simoniacè accepti, &c.*

Non potest reualidare titulum beneficij simoniacè accepti, nec eius cõpositionem facere. Quia Pontifex in hac facultate, quam commissario concedit, vt dispensare

& compositionem facere super quibusdam irregularitatibus, cum retentione fructuum ex eis perceptorum valeat, expresse excipit irregularitatem ex simonia, homicidio voluntario, hæresi, & apostasia. Rodrig. *in addit. ad* §.13. *numer.* 9. Villalob. *tract.*27. *claus.*13. *n.*13.

380. *Sed potest dispensare cum illo, qui Censuram in actu Ordinis violauit.*

Potest tamen reualidare titulum beneficij, seu potius dispensare, vt idem beneficium retineat ille, qui illud existens irregularis accepit, ex eo quod excommunicationem, suspensionem, aut interdictum in actu Ordinis violauit. Similiter poterit iuxtà taxam compositionem facere circa fructus ex tali beneficio male acceptos, infamiam, & inhabilitatem inde ortam abolere, & Ordinum concedere executionem, quamuis delictum sit publicum, & in externo foro. Constat ex Bulla Rodrig. *in addit. ad* §.13. *n.*9.

381. *Potest in primo & secundo gradu affinitatis fornicariæ dispensare matrimonio contracto.*

Potest Commissarius, (vt §.4. præscribitur) matrimonio contracto, in primo vel secundo gradu affinitatis fornicariæ dispensare; & valet dispensatio, siue ille gradus sit in linea transuersali, siue in linea recta. Quia vt constat ex Cruciatæ tenore, concessio ei facta est absque distinctione, & vterque gradus est solo iure Pontificio inductus iuxta veriorem opinionem. Rodrig. §.13. *num.*6. & *in addit. n.*16. Sanch. *l.*8. *de Matr. disp.*6. *n.*23.

382. *Sed vt in his gradibus dispensare possit. septem debent conditiones expleri.*

Attamen vt dispensare possit in hisce affinitatis gradibus septem debent conditiones expleri. Prima est, vt matrimonium sit iam contractum. Patet ibi, *Matrimonio contracto.* Secunda, vt matrimonium sit contractum bona fide saltem ex parte alterius. Sic Bulla: *Et alter contrahentium tempore contracti matrimonij impedimenti ignarus extiterit.* Tertia, vt id matrimonium sit contractum seruata Tridentini forma, nempe præmissis denunciationibus, & parocho, ac testibus assistentibus. Vnde si denunciationes culpabiliter essent omissæ, non posset dispensare Commissarius; quia mens Pontificis non est fauere iniquitati, secus si ignoranter contractum sit matrimonium aut ex Ordinarij licentia denunciationes fuerint omissæ; quia tunc non temerè contemnuntur, aut omittuntur, quod Concilium exquirit. Sanch. *l.*2. *de Matr. disp.*40. *num.* 4. Villalob. *p.*1. *tr.*27. *claus.*13. *n.* 14. Dian. *part.*1. *tract.*11. *resol.*117. Quarta est, vt hoc matrimonij impedimentum sit occultum. Patet ibi: *Et impedimenta huiusmodi matrimonij penitus occulta sint.* Sumitur autem hic occultum vt distinguitur contrà publicum. Quinta, vt coniux, qui ignorauit impedimentum, certior fiat de prioris consensus seu matrimonij nullitate, ita vt vtrique constet, matrimonium fuisse nullum, & nouo indigere contractu, & reualidatione. Non tamen postulat Pontifex, vt causa nullitatis in particulari exprimatur, vt vitentur scandala. Sic Bulla: *Altero impedimentum ignorante, de nullitate prioris consensus prius certificato, tacitaque, si sibi videbitur, causa nullitatis, ad euitanda scandala.* Sexta, vt ex dissolutione matrimonij sequatur scandalum, quod comminiter sequi ex criminis occulti reuelatione est præsumendum. Ibi: *Si ad euitanda grauia scandala dispensandum iudicauerit.* Septima tandem, vt hæc dispensatio solummodo pro foro conscientiæ valeat. Patet ibidem: *In foro conscientiæ dumtaxat.* Vnde facienda non est publice cum Notario, & testibus, nec explicanda nomina eorum, cum quibus dispensatur. Lege Rodr. §.13. *n.*6. *& in addit. ad* §.9. *n.*14. Villalob. *p.*1. *tr.*27. *claus.*13. *n.*18. Dian. *p.*1. *tr.* 11. *resol.*119. Ludou. Cruz. *disp.*1. *c.*9. *dub.* 8. *n.*6. Sanch. *l.*8. *de Matr. disp.*6. *n.*27.

383. *Potest legitimam decernere prolem ex huiusmodi matrimonio irrito.*

Potest Commissarius non solum dispensare in matrimonio irrito propter impedimentum affinitatis fornicariæ, sed etiam vt prolem ex eo tantum matrimonio irrito & nullo habitam legitimare. Bulla illo §.4. *Prolemque susceptam & suscipiendam exinde legitimam decernere.* Quæ quidem legitimatio solum proderit pro conscientiæ foro, ideóque secreto gerenda, sicut de dispensatione ipsa fornicariæ affinitatis dixi.

384. *Prodest hæc legitimatio ad omnes Ordines suscipiendos.*

Prodest huiusmodi legitimatio facta in foro conscientiæ quoad omnes Ordines suscipiendos, & ad quæuis beneficia. Quia absolutè conceditur ei potestas legitimandi. *Henriq. l.*7. *c.*13. *n.*5.

385. *Nequit legitimare prolem nisi dispensando in matrimonio.*

Attamen nequit Commissarius prolem dicto modo legitimare, nisi simul dispensando in matrimonio, vt de nouo ineatur. Vnde si alter parens obiit, vel si iam ambo nolunt contrahere, non potes susceptam legitimare prolem. Quia Pontifex quasi dependenter concedit facultatem legitimandi à facultate dispensandi in tali matrimonio irrito, de nouoque ineundo. Villal. *p.*1. *tr.*27. *claus.*13. *n.*18.

386. *Potest dispensare, vt impediti coniuges petant debitum.*

Potest Commissarius dispensare, vt coniuges petant debitum, quando fuerint impediti ratione fornicariæ affinitatis legitimo superuenientis matrimonio: v. gr. si alter coniux consanguineam coniugis alterius in primo vel secundo consanguinitatis gradu cognouit. Rodrig.

§.13.

§. 13. n. 7. & addit. n. 16. Sanch. *lib.* 7. *de Matr. disput.* 44.

387. *Potest dare facultatem celebrandi ante auroram.* Potest Commissarius dare facultatem celebrandi sacrum per horam antè lucem id est, ante primam lucis irradiationem, quæ nomine auroræ intelligitur. Quod quidem intelligo secundum anticipationem totius temporis in quo sine priuilegio potest Missa inchoari. Vnde cum huiusmodi Commissarij priuilegium concedat vnius horæ anticipationem poterit Missa inchoari per duas horas & quartam vel dimidiam partem vnius ante ortum solis. Quia aliàs priuilegium nihil operaretur, debet autem operari quantum sonat. Rodriguez. *in addit. ad* §. 13. *num.* 18.

388. *Et post meridiem.* Potest item concedere facultatem nobilibus, & iis, qui iuxta ipsius Commissarij arbitrium qualificati fuerint, vt possit Missa inchoari post vnam integram horam post meridiem. Patet ex *Bulla Latina* §. 5.

389. *Habet facultatem decidendi circa difficultates Bullæ.* Commissarius circa executionem contentorum in Bulla Cruciatæ, & circa dificultates, quæ super clausulas Bullæ insurgunt, habet facultatem decidendi, declarandi, interpretandi, quoties oportuerit: cui declarationi, & interpretationi standum est non solum respectu priuatarum personarum, sed etiam quorumcumque Iudicum, & auditorum Curiæ Apostolicæ, & Cardinalium S. R. Ecclesiæ, quibus omnibus aufertur facultas, aliter intepretandi, & declarandi. Perez *in compen. trium grat. l. 2. pag.* 60.

390. *Et ad eleemosynam taxandam, & Bullam vertendam in vulgarem linguam.* Conceditur Commissario facultas pro Bulla Cruciatæ accipienda eleemosynam taxandi, & vertendi Bullam Latinam in vulgarem sermonem, seruata tamen illius substantia. Certe procemium, quod initio Bullæ Hispanæ apponitur, & summarium Indulgentiarum Stationum Romæ à Commissario apponitur Apostolica autoritate, quæ ei conceditur, dum datur ei facultas vertendi Bullam cum summario Indulgentiarum. Alia priuilegia particularia referuntur, quæ Pius IV. & Paulus III. Commissario Cruciatæ motu proprio concesserunt; an autem sint in vsu ipse Commissarius consulendus. Perez *lib.* 1. *fol.* 61. & 62.

CAPVT XXV.

De Bulla Compositionis.

PONTIFEX in Bulla Latina Cruciatæ facultatem Commissario generali concedit, vt possit compositionem facere super male ablatis, & certis legatis, data aliqua eleemosyna ad arbitrium ipsius Commissarij in belli subsidium, Cui facultati hærens Commissarius in Bulla Hispana, quæ Compositionis vulgo vocitatur, casus, in quibus huiusmodi compositio locum habet, assignat, quos ex Bulla Latina desumpsit ab illis verbis: *Ac super illicitè habitis, &c.*

391. *Potestas Commissarij circa Bullam compositionis.*

392. *Tutus manet in conscientia qui vsus fuerit compositione hac.* Profectò tutus manet in conscientia, qui huiusmodi vsus fuerit compositione. Quia potest Pontifex, ad salutem spiritualem personarum, ac temporalium bonorum dominus, Bullam compositionis super bonis incertis siue iniuste siue iuste habitis elargiri. Sayr. *in Clavi lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 2. *numer.* 23. Villalob. *tract.* 29. *à num.* 2.

393. *Rex, & Respublica possūt compositionem facere de bonis incertis licite habitis.* Rex aut Respublica posset compositionem facere de bonis incertis licitè acquisitis. Quia iure gentium Respublica loco domini incerti succedit, & Rex, qui est caput eius, potest remittere huiusmodi bona incerta ei, qui ea inuenit, vel cum eo compositionem facere. Sic apud nostram Hispaniam lege cautum est, vt res viuentes inuentæ, quæ dicuntur bona mostrenca, Vrbi, aut certè Religioni applicentur. Henriq. *l.* 7. *c.* 3. *n.* 4. Villalob. *tract.* 29. *n.* 11.

394. *Solus Commissarius potest virtute Bullæ facere compositionem.* Generalis Commissarius Cruciatæ, facultate sibi à Pontifice facta, potest incertorum bonorum compositionem concedere, & designare quantitatem pro qua sit gerenda compositio. Virtute autem Bullæ nullus præter Commissarium potest facere compositionem, quod sub pœna excommunicationis prohibetur §. vltimo Bullæ Compositionis Hispanæ, aliàs irrita erit compositio. Potest tamen Confessarius declarare casus aliquos præter eos qui in Bulla designantur, in quibus compositio fieri possit. Quia Pontificis facultas generalis eos cunctos, comprehendit. Sic expresse *Bulla*.

395. *Prodest Bullæ Compositionis omnibus qui-*

Bulla Compositionis prodest omnibus, quibus Bulla viuorum. Vnde Gallus apud Hispaniam inuentus potest ac-

bus Bulla viuorum, catechumenis, & defunctis.

cipere compositionis Bullam vel se cum Commissario componere. Prodest Catechumeno fideli, qui se sponte subiicit Ecclesiæ. Prodest defuncto, si ipse antequam obiret, iussit suo hæredi aut alteri, vt sibi tot compositionis Bullas, pro exoneratione suæ conscientiæ sumeret, cum sapientum consultatione. Rodriq. *hic n.* 12. Henriq. *l.* 7. *c.* 34. *n.* 3.

396. *Non prodest iis, qui eius cõfidentia bona aliena illicitè acquisierunt.*

Non prodest compositionis Bulla iis, qui praua eius confidentia bona aliena illicitè acquisierunt. Quia id expresse in Bulla vulgari Commissarius apposuit, quod tanquam conditionem omnino necessariam requirit, quam potuit licitè apponere, etiamsi clarè in latina non habeatur, facultate generali sibi in eadem Bulla à Pontifice concessa. Per confidentiam autem intelligo positiuam tantum, id est, quando Bulla Compositionis est immediatum motiuum & finis principalis iniustæ acceptionis. Vnde non prohibetur compositio, si fiducia tantum est negatiua, nempe si iam decreuerat furta facere, aut ea diutius retinere, & tamen negligenter se habet ad restitutionem ob Bullæ confidentiam, & aufert scrupulum aut timorem, vt faclius id præstet. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 34. *num.* 3. Ludou. Cruz. *disput.* 3. *dub.* 5. *num.* 2. & 4. Rodrig. *num.* 75.

397. *Qui retinet aliena, non est in statu iniquo dum parat facere compositionem.*

Qui bona retinet aliena, iniquo non est in statu, dum parat Cõmissarium adire, vel Compositionis Bullam accipere, dummodo habeat animum restituendi, si ad compositionem non admittatur, vel Bullam Compositionis accipere non possit. Henriq. *l.* 7. *c.* 34. *n.* 7.

398. *Compositionis quantitas per Bullam acceptam.*

Si fiat compositio per Bullæ acceptionem, quantitas de qua nunc fieri potest compositio pro vna Bulla sunt duo millia dipondia seu, vt vulgariter exponam, *dos mil marauedis*, stipes autem pro tali Bulla accipienda sunt duo argentei, seu *dos reales de plata*. Potestque fieri compositio per acceptionem Bullæ Compositionis vsque ad centum mille dipondiorum quantitatem, accipiendo quinquaginta Bullas intra annum publicationis. Constat ex *Bullæ clausula*.

399. *Compositionis quantitas per Commissariũ.*

Si autem per ipsum Commissarium geratur compositio, nullis Bullis acceptis, potest fieri compositio pro toto debito incerto, cuiuscumque summæ & quantitatis existat. Quia ipsi non est limitata quantitas, pro qua gere possit compositionem. Porro taxa pro huiusmodi compositione non est à Commissario designata; solet autem fieri datis decem pro cento. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 33. *n.* 1.

400. *Æque tutus vterque compositionis modus.*

Hunc modum componendi aliqui tutiorem reputant, tutum tamen primum profitentur. Ego quidem æque tutum reor vtrumque. Quia vterque fit à Commissario Pontificis autoritate, præcipue cum primus per Bullarum acceptionem sit facilior ad maiorem summam pro belli subsidio cemparandam. Sic aduers. Henriq. *lib.* 7. *c.* 34. *n.* 5. Trul. *l.* 3. *dub.* 3.

401. *Super quæ bona potest fieri compositio.*

Iam verò potest fieri per Bullam, aut per Commissarium compositio super bonis alienis bene vel male habitis. Patet ex serie casuum in Bulla expressorum. Nec obstat, quod Bulla Latina solum videatur mentionem de illicite acquisitis gerere; quia cum maius sit concedere compositionem super illicitè habitis, videtur à fortiori super licitè possessis concessa; militat enim eadem ratio, & de maiori ad minus in eodem genere valet argumentum. Rodrig. *hic dub.* 1. Sayr. *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 23. Sotus *lib.* 4. *de Iust. quæst.* 7. *art.* 1. *ad* 3.

402. *Debent esse bona incerta.*

Hæc bona aliena debent esse incerta, id est, debet dominus ignorari, facta debita diligentia, vno casu excepto, nimirum quando legatarius negligens fuerit in legati exactione per vnum annum. Patet ex Bulla. *Si in omnibus præmissis casibus &c.* Vnde colligunt Doctores, hanc regulam. In omnibus casibus, in quibus obligat restitutio, & non inuenitur creditor certus, cui fieri possit, locum habet compositio; & hanc aliam: Quotiescumque aliqua cedunt pauperibus, vel locis piis, potest fieri compositio. Rodrig. §. *vnico, n* 34. & 46.

403. *Si creditor sit certus, non habet compositio locum.*

Si creditor sit certus non habet compositio locum. Quia quando creditor est notus debitori, seu quando debita sunt certa, non potest Concilium generale, Ciuitas, Rex, imò Pontifex contra Domini voluntatem remittere id absque iniuria. Neque enim Papa potest priuare quemquam re sua nisi ob aliquod crimen cuius punitio ad suum attinet tribunal, & ob quam delinquens dignus huiusmodi pœna esset. Sayr. *in claui l.* 10. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 22. Sylu. *Restitutio VII. q.* 2. Nauar. *lib.* 4. *de Restit. c.* 2. *dub.* 6. *n.* 50.

404. *Hæc compositio pro foro exteriori non prodest.*

Porro hæc compositio pro foro exteriori non prodest. Sicut enim absolutio Bullæ regulariter loquendo à peccatis & censuris in foro exteriori non liberat, ita nec compositio. Vnde si fortè verus Dominus inueniatur, & conueniat hominem illum qui se composuit Bullæ, vel

Commissarij

Commissarij (ex Bulla) beneficio : Iudex eum ad soluendum compellet. Antè condemnationem autem tutus est in conscientia, nec se ad solutionem tenetur offerre, sed sufficit, ad obediendum iustæ sententiæ esse paratum. Henriq. *l.* 7. *c.*34.*n.*6.

405. *Fit compositio super illicite habitis.* Enim vero vt possit memoriæ facile præsentare totam Compositionis huiusce materiam decem supra nouem casus, in quibus potest compositio fieri, leui calamo expono. Primo fit compositio super illicite habitis. Bulla sic *Nec non super male habitis, & per vsurariam prauitatem, aut alias male acquisitis. Si in omnibus præmissis casibus personæ, quibus restitutio seu solutio facienda est, præstito per restituentem iuramento, de diligentia per eum facta pro inueniendo creditore, & minime inuento, componere, & ita debitores liberari possint.* Igitur bona ablata esse non debent ex positiua Bullæ confidentia. Præmittenda diligentia debita pro domino inueniendo. Iurare debet se debitam diligentiam gessisse, & non potuisse creditorem inuenire ; quod quidem iuramentum solummodo ineundum quando cum Commissario fit compositio.

406. *Super fructibus beneficiorum.* Secundò fit compositio super fructibus beneficiorum, &c. ex horarum canonicarum omissione. Bulla ait. *Etiam datur facultas eidem Commissario componendi cum iis, qui ad restitutionem fructuum ex omissione horarum canonicarum tenentur, ita vt quantitas compositionis pro medietate Ecclesiis, vel aliis locis, quarum vel quorum ratione horas prædictas recitare debet & pro altera medietate in subuentionem huius negotij detur.* Beneficiarius igitur, qui officium omisit recitare, & ratione huiusce omissionis tenetur fructus restituere, potest sumpta compositionis Bulla se super his componere, & ab hac restitutione liberare datis pro singulis Bullis quatuor argenteis, quorum duo Commissario in belli subsidium tradendi; duo Ecclesiæ, vbi illud beneficium situm est, erogandi. Quod si quantitas restituenda centum millia dipondiorum excedat, fiatque cum Commissario compositio, debet similiter compositionis medietas Commissario tradi, reliquum fabricæ Ecclesiæ.

407. *Non potest super quotidianis distributionibus.* Porro super quotidianis distributionibus non potest fieri compositio. Quia hæc non debentur pauperibus, vel fabricæ Ecclesiæ sed aliis accrescunt. vnde datur dominus certus in cuius iniuriam Papa non potest concedere compositionem Henriquez *l.*7.*c.*36.*n.*3. Villalob. *tr.*29.*n.*20. Ludou. Cruz *disp.*2.*dub.*8.*n.*1. Rodrig. *c.*1.*dubio* 2.*n.*16.

408. *Nec super fructibus, quos Episcopus ac Parochus non residentes perceperunt.* De fructibus item, quos Episcopus, vel Parochus perceperunt non residentes vltra tempus sibi indultum à Trid. *sess.*23. *cap.* 2. *de refor.* non potest compositio fieri. Quia Consilium expressè prohibet, nè super his fructibus fiat compositio : & decernit illos non residentes absque alia declaratione in conscientia fructus suos non facere Henriquez *lib.* 7. *cap.* 36. *num.* 3. Nauar. *cap.* 25. *num.* 121. Rodrig. *casu* 1. *num.*18.

409. *Potest Pontifex hanc facere compositionem.* Potest quidem Pontifex de fructibus beneficij male acceptis compositionem facere. Quia eorum administratio ad ipsum pertinet, nec sunt certæ rei applicati. Suarez *l.*4.*de Relig.c.*43.*n.*26.

410. *Fit super legatis.* Tertiò fit compositio super legatis Bulla fatur. *Item super medietate legatorum omnium, quæ propter male ablata facta sunt, si legatarij in exactione per annum negligentes fuerint.* Exempli gratia Antonius legauit Petro inopi, aut Monasterio alicui centum aureos in suæ conscientiæ exonerationem pro rebus male ablatis : Si Petrus, aut Monasterium in recuperando legato, per annum negligens fuerit, potest hæres defuncti Antonij legantis tot Bullas sumere, quot sufficiant ad medietatis legati compositionem gerendam. At si forte legati medietas centum mille dipondiorum summam excedat, tunc de excessu debet cum Commissario fieri compositio. Porrò altera medietas legatario negligenti est exhibenda. Procedit autem huiusmodi compositio quamuis sciatur quisnam sit legatarius Henriq. *l.* 7. *c.vlt. num.* 3. Rodrig. *hîc*, *n.*9. Ludou. Cruz *disp.*3.*n.*9.

411. *Potest hoc in casu Pontifex valide & licite compositionem concedere.* Potest quidem Pontifex hoc in casu valide ac licite compositionem præfatam concedere. Quia bona hæc de quibus legatum, sunt incerta, quorum dominus ignoratur, & male ablata & legatum illud in exonerationem conscientiæ factum. Et quamuis legatarius habeat aliquod ius acquisitum, ex morte testatoris, non tamen est omnino perfectum, sed à Pontifice reuocabile ob causam, nempè ob negligentiam legatarij per vnum annum, qui quidem à die notitiæ talis legati facti debet computari Henriq. *l.*7.*c.vlt.n.*3.

412. *Fit compositio super legatis factis, ac faciendis.* Quartò fit compositio super legatis factis aut faciendis, cum legatarius ignoratur. Bulla Sic : *Item super illis, quæ facta erant, & quæ dicto anno durante fient,*

fient, si legatarij inueniri non potuerunt. Loquitur de omni legato, licet non sit propter malè ablata, & in animæ exonerationem. Quia Bulla indistincte profatur. Requiritur tamen necessario, vt legatarij, facta debita diligentia, ac iuramento præstito, non inueniantur. Potest autem hæc compositio fieri pro toto legato; Bulla enim absolute loquitur. Quod si totum legatum summam cētum mille dipōdiorum excedat, de excessu per commissarium fiet compositio. Procedit casus de legatis factis ante publicationem, & tempore publicationis Bullæ, nempe toto anno ipsius durationis. Henriq. *l.7.c. vlt.n.*3. lege Villalob. *tr.*29. *n.*22.

413. *Fit compositio super male ablatis ex iniusta sententia, &c.*

Quintò fit compositio *super malè ablatis*, si Iudex aliquis Ordinarius, aut delegatus assessor receperit pecuniam, aut rem aliquam ob iniustam sententiam; aut ob causæ dilationem, partis quidem iniuria: vel ob quamlibet similem iniquam actionem circa muneris ministerium; dummodo parti læsæ satisfactio geratur. Scio grauem volui quæstionem (de qua alibi) num acceptum ob turpem causam, vel ob peccatum committendum sit necessario restituendum. Negant D. Thom. 2.2.*q.*62.*a.*5. Caiet. *ibi* Lessi. *l.*2.*c.*14. *dub.*8. & alij. Affirmant autem Sotus *l.*4.*q.*7. *a.*1. *ad* 2. Couarr. *ad regu. peccat. p.*2.§.2 *n.*6. & alij. Si ergo primam sententiam sequaris, nulla in hoc quinto casu requiritur compositio, Si autem secundæ sententiæ hæreas, quam ad maiorem securitatem sequutus est Commissarius: tunc poterit fieri per Bullam vsque ad centum mille dipondia compositio: & pro excessu per ipsum Commissarium.

414. *Fit compositio super male ablatis ex aduocati iniusta acceptione.*

Sextò fit compositio *super malè ablatis*, si aduocatus aliquid accepit ob causæ iniustæ patrocinium sua parte sciente: dummodo parti læsæ geratur satisfactio. Certè Commissarius hic hæsit sententiæ eorum, qui affirmant, acceptum ob turpem causam esse pauperibus exhibendum; nam iuxta aliam opinionem probabilem quidem cum possit ab accipiente retineri, nulla requiritur compositio. Villalob. *tr.*29.*n.*24.

415. *Et ex testis, seu accusatoris iniusta mercede.*

Septimo fit compositio *super malè ablatis*, si testis aut fiscalis, aut accusator ob testimonium falsum, aut mendacem accusationem, aut quod non accusauit cum teneretur, aliquid accepit, parte tamen satisfactione affecta Villalob. *tr.*29.*n.*25.

416. *Et ex tabellionis munere iniusto.*

Octauò fit compositio *super malè ablatis* si officiales, tabelliones, vel secretarij ob iniquam sui muneris administrationem aliquid receperunt: dummodo parti læsæ restitutio geratur. Porrò si dans aduocato, testi, aut tabellioni ignorabat causam esse iniustam, aut testimonium falsum: tunc qui accipit pro iis pretium, non potest super illo componi, sed est danti restituendum. Quia per ignorantiam in turpitudine non participat. Verùm damnum parti illatum (vt innuimus) ab aduocato, teste, accusatore, tabellione est ei restituendum in integrum, nec potest fieri super illud compositio. Quia datur certus Dominus. Nec enim Pontifex vult cum tertij præiudicio priuilegium concedere. Henriquez *lib.*7. *cap.* 35.*n.*4. Villalob. *tract.*29. *num.* 26.

417. *Fit compositio ex iniusta subordinatione pro iure debito.*

Nono fit compositio *super malè ablatis*, si Iudices sæculares & Ecclesiastici in temporalibus causis aliquid pro iure debito administrandū à litigatoribus accepere. In cuius expositionem præmitto duplici modo posse aliquem aliquid Iudici ex exhibere, vt iustam pro se ferat sententiam. Primo libere & gratis, sciens se non teneri id exhibere. Secundo existimans ex ignorantia se teneri ad aliquid elargiendum. Quando igitur datur primo modo censetur datum animo subornandi Iudicem, & sic censetur consors in pari turpitudinis causa; nam sicut Iudex malè accipit, ita & dans male largitur. At cum constet ex opinione probabili, datum ob turpem causam esse restituendum (id suppono ex materia de Restitutione) pauperibus, proinde Commissarius hanc opinionem secutus asserit in hoc posse per Bullam fieri compositionem. Profecto quando datur ob ignorantiam, existimans largitor muneris ad id teneri, turpitudini accipientis non cooperatur, ac proinde ius ad rem non amittit. Quia censetur inuoluntariè dedisse: atque adeo in hoc casu non habet locum Compositionis Bulla, cum restitutio ipsi danti sit gerenda. Rodrig. §. *vnico casu* 7.*n.*26. Henriq. *l.7.c.*35.*n.*3.

418. *Fit compositio ex acceptione tabellionum vltra taxam.*

Decimò sit compositio *super malè ablatis*, cum notarij, tabelliones, aut secretarij, alijque ministri aliquid vltra taxam ob gerendum munus acceperint contra leges, seu ordinationes, dummodo non dignoscantur personæ quibus facienda sit restitutio. Tunc igitur solùm potest hoc in casu fieri compositio, cum præfati officiales vltra taxam recipientes ignorant, facta debita diligentia à quibus acceperint. Nam si id constat, dantibus est

resti

restituendum: nisi forte ipsi dantes in turpi acceptione consortes exti terint : tunc enim non ipsis , sed pauperibus , iuxta opinionem probabilem , est restituendum : vnde locum habebit compositio. Rodrig. §. *vnico. num.* 28. Sayr. *in Claui lib.* 12. *c.* 22. *vsque ad c.* 25. Salon. 2. 2. *q.* 71. *art.* 3.

419. *Et ex accepta mercede ob intercessionem iniquam*

Vndecimo fit compositio *super male ablatis*, si aliquis iniuste seu indebite pecuniam aliudve pretio æstimabile accepit , vt intercessione sua impediret, ne ius suum alicui gereretur , aut è vinculis solueretur, qui criminum merito erat illigatus: dummodo parti læsæ fiat restitutio. Sequitur Commissarius opinionem eorum , qui affirmant , acceptum ob turpem causam esse restituendum pauperibus , atque adeo posse per Bullam geri compositionem. Nisi fortè daret ad veram vexationem redimendam, tunc enim cum nulla ex parte dantis turpitudo reperiatur, ipsi, & non pauperibus est restituendum : vnde tunc non habet locum compositio. Rodrig. §. *vnico. num.* 29. Villalob. *tract.* 29. *num.* 29. Ludou. Cruz. *disp.* 3. *dub.* 22.

420. *Et ex iniusta in ludo lucratione.*

Duodecimo fit compositio *super malè ablatis*. si ex iniusta per ludum acceptione teneantur aliquid pauperibus exhibere loco restitutionis. At si ex dolo lucrum factum fuerit , vel ex persona quæ non potuit alienare quod amisit : compositio geri non potest , & iniquus lucrator tenetur noto amittenti restituere. Quod si ignoretur ille , iustè opera dabitur compositioni. Concedit igitur Commissarius facultatem componendi super rebus male partis in ludo, eo quod per fraudes , iuxta leges ludi non permissas, aut à persona, quæ in ludo alienare non poterat , sint acquisitæ : dummodo personæ, à quibus acquisitæ sunt , facta debita diligentia , non inueniantur ; nam si notæ sint , ipsis erit restituendum ; si autem ignotæ , pauperibus , ac proinde tunc solum locum habebit compositio. Ludou. Cruz. *disp.* 3. *dub.* 13. Rodrig. §. *vnico, casu* 7. *à n.* 30. Henriq. *l.* 7. *c.* 35. § 7.

421. *Et ex simulatione sanctitatis, aut inopiæ ad eleemosynã accipiendam.*

Decimo tertio fit compositio *Super malè ablatis*, si aliquis simulans sanctitatem , paupertatem , aut consanguinitatem (sic explico particulam illam Bullæ Compositionis Hispanicæ : *Dissimulando en si loque no ai en el.*) quæstus , ac eleemosynas acquirit : dummodo nesciantur illi, quibus facienda sit restitutio. Concedit Pontifex , vt possit per Bullam aut Commissarium componi , qui eleemosynam , aut aliquid aliud acceperit, fingens paupertatem , aut aliquid quod in se non habet : dummodo dominus ignoretur, & res accepta sit obnoxia restitutioni ; nam si non est , potest retineri , & nulla desideratur compositio. v. gr. si vir doctus, ficta per hypocrisim sanctitate , recipit beneficium , quod digne administrat , potest id retinere. Quia huiusmodi dignitates absolutè & sine conditione conferuntur. At quia Altisiodorensis, & Adrianus aliique existimarunt , esse restituendum , proinde ratione dubij conceditur compositio. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 35. *num.* 5. Rodrig. §. *vnico, num.* 48. Ludou. Cruz. *disp.* 3. *dub.* 14. *num.* 1.

422. *Et ex rebus inuentis.*

Decimo quarto fit compositio *super malè ablatis* ex rebus inuentis, modo fiat debita diligentia primùm, vt verus dominus inueniatur. Ad huius casus intelligentiam præmitto res , quæ inueniri possunt , in triplici differentia versari. Aliæ enim nunquam dominum habuere, vt lapilli, gemmæ, quæ in æquoris littore reperiuntur , mineralia , metalla fossilia auri, argenti, &c. Aliæ à tempore immemoriali dominum habuerunt , modo tamen non habent, vt thesauri in terræ visceribus absconditi , vel in communi loco occulti. Aliæ denique in propinquo dominum habent, non tamen inuenitur, vt sunt res , quæ passim in viis , vel aliis locis perditæ reperiuntur. His præhabitis, si inueniſti res primi generis pretiosos scilicet lapillos, ac gemmas, nulla eges compositione. Quia hæc bona sunt primo occupantis , ac proinde ea potest inuentor sibi retinere. Neque locum habet compositio in metallorum inuentore. Quia hæ venæ aut ad dominum fundi pertinent , aut ad Regem vbi eas sibi ex lege applicauit , aut ad ipsum inuentorem. Cum igitur in iis detur dominus certus ; non potest fieri compositio. At si inueniſti thesaurum propriè dictum, id est depositionem pecuniæ , seu rei pretiosæ cuius non extat memoria , vel extat circa illius dominum : locum non habet compositio. Quia si ob ignotum dominum, ad ipsum pertinet inuentorem , est in bonis ipsius : si vero ad alium (de quo alibi) datur dominus certus. Si autem inueniſti res tertij generis, illas scilicet, quæ in propinquo habent dominum , & passim perduntur : & facta debita diligentia , dominus non appareat , & sequi velis probabilem admodum opinionem asserentium has esse inuentoris , nullam super his compositionem geres. Verum si

hæreas

hæreas sententiæ communiori affirmantium, domino non apparente, in pauperes, ali ósve vsus esse conuertendas, quam hoc in casu sequitur Commissarius, propriè habet locum compositio. Addiderim locum non obtinere compositionem in bonis se mouentibus, seu *de monstrenco*. Quia hæc de iure naturæ ad inuentorem, de iure autem scripto ad Regem, vel Rempublicam, a utaliumpriuilegiatum. In bonis demum naufragij, & in rebus fluuialibus, & quæ in incendio proiiciuntur, locum compositio non gerit. Quia hæc vel vero domino reseruantur, vel fiunt primo occupantis. Quare hic casus quartus decimus solum habet locum in rebus, quæ passim per vias, & plateas deperduntur, & facta debita diligentia, ac domino non apparente, pauperibus sunt ex opinione, quam sectatur Commissarius, restituendæ. Trul. *lib.* 3. *casu* 15. & alij.

423. *Et ex depositio, cuius dominus non inuenitur.* Decimo quinto fit compositio *super malè ablatis*, si habeas apud te pecunias, aut res alias, quas Antonius (v.gr.) deposuit, vt custodires, & Antonius in regionem longinquam profectus est, nec scitur, facta debita diligentia vbi nam commoretur, nec breui rediturus speratur. Porro hæc assertio intelligenda, quando qui deposuit non apparet, aut tam longè existens agnoscitur, vt res ad eum sine magnis expensis non valeat immitti. Item requiritur, vt non adsint hæredes illius, quibus, vero domino non apparente, gerenda est restitutio. Lessi. *l.* 2. *dub.* 6. *n.* 34.

424. *Et ex damnis illatis ex venatione, &c.* Decimo sexto fit compositio *super malè ablatis* ex damnis, quæ quis gessit, dum venationi operam daret, aut gregum, vel armentorum irruptione, aut aliter in agris segetibus, vineis, dummodo ignoretur ille, cui damnum fuerit illatum. Igitur si dominus agri, vineæ, montis, luci, facta debita diligentia, non comparet, potest per Bullam, vel Commissarium fieri compositio. Si autem notus est, ipsi est necessario restituendum. De piscatione autem, & aucupio idem assertum puta. Rodrig. *hîc casu* 12.

425. *Et ex turpi lucro fœminarum, aut virorum.* Decimo septimo fit compositio *super male ablatis*, quando fœminæ, quæ non sunt in manifesto meretrices pecunias, aliudve acceptant ex impudicitia: vel quando viri ex fœminis solutis aliquid simile recepere. Profecto meretrices publicæ nulla indigent Bullæ compositione, vt acceptum ob turpem actionem sibi valeant retinere. Quia absolutè & simpliciter tanquam veræ dominæ possunt illud accipere. Et casu quod teneantur restituere, eo quod à non potente alienare, aut aliquod excessiuum, aut per vim seu fraudem acceperint: datur dominus certus, cui facienda est restitutio, vnde compositio locum non obtinet. At occultæ meretrices, si sequamur probabilem opinionem asserentium posse sibi acceptum sicut publicæ retinere, nulla compositione indigent. Sed si hæreamus sententiæ affirmantium teneri pauperibus restituere, aut piis operibus, quam in hoc casu sequitur Commissarius, ad maiorem securitatem poterit super his compositio geri. Porro viri accipientes aliquid à fœminis coniugatis, non possunt super hisce se componere, restitutio enim est facienda maritis; quia coniugatæ non possunt bona non paraphernalia pro libito distribuere. Quod si à fœminis non coniugatis acceperunt, & probabilem opinionem sequamur acceptum ob turpem causam posse retineri, compositione non indigent. Si verò hereamus sententiæ asserentium debere acceptum aptari pauperibus, quam Commissarius sequitur, possunt super huiusmodi acceptis se viri componere; quia, vt sæpe expressimus, quotiens restitutio facienda est pauperibus, locum obtinet compositio. Lege Nauar. *cap.* 17. *num.* 40. Sayr. *in Claui lib.* 10. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 36. Henriq. *l.* 7. *c.* 35. *n.* 3. *lit. E.*

426. *Et ex tabernariis vinum aqua diluentibus, & ex dolis in ponderе ac mensura.* Decimo octauo fit compositio *super malè ablatis*, si aliquis vinum aqua dilutum vendidit, aut fallacibus est vsus mensuris, aut ponderibus, vel quid pro quo tradidit. Certe huiusmodi fraudes perpetrantes tenentur damna illata restituere: hæc autem restitutio facienda est iis, quibus damnum illatum, dum constiterit, quis nam ille. At si, facta debita diligentia, dominus ignoratur, restituendum est pauperibus, & in hoc casu potest per Bullam fieri compositio: & si restituenda mille dipondiorum summam excedant cum Commissario excessus componendus. Hoc tamen semper intellige, vt præfatæ fraudes seu doli positiua Bullæ confidentia perpetrati non fuerint. Sic tabernarij, macellarij, caupones, pistores, &c. qui falsis ponderibus, vel mensuris ab emptoribus aliquid plus iusto accepere, & à quibus acceperint ignorant, poterunt per Bullam ac Commissarium componi. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 35. *numer.* 7. Rodriguez *casu* 14. *à num.* 68.

427. *Et ex vsura, lucro, &c.* Decimo nono denique fit compositio *super malè ablatis*, generatim, cum quis

quis illicite rem familiarem quamlibet acquisiuit ex vsura, lucro, officio, contractu : dummodo proprius dominus ignoretur, & qui studet compositioni, præfata, non abstulerit ex beneficij Bullæ confidentia. Itaque ex casu hoc euidenter constat, compositionem generaliter fieri posse in omni euentu, in quo constat faciendam esse restitutionem ratione rei malè acceptæ vel iniustæ acceptionis secundum restitutionis regulas, duobus tamen concurrentibus: vnum, vt facta debita diligentia, dominus certus, aut hæres eius non appareat : alterum, vt hæc bona ablata non sint ex huius Bullæ praua, ac positiua confidentia. Quas conditiones colligit Commissarius ex Bulla Latina. Rodrig. *in hoc casu n.*75.

428. *Bona furantis ex confidẽtia Bullæ addicendæ Cruciatæ,nõ pauperibus.*

Addit Commissarius, si bona illa expositiua Bullæ confidentia sublata fuerint, non posse per Bullam aut Comissarium fieri compositionem, sed bona hæc integra & sine diminutione, domino non apparente, esse exhibenda non pauperibus, sed sanctæ Cruciatæ, seu Commissario in belli contra infideles subsidium. Quod posse facere Pontificem nemini dubitare licet; potest enim Papa ea quæ in vsus pauperum cedunt, in Ecclesiæ conuertere vtilitatem. At passo Commissarium hanc addere clausulam licet in Bulla latina non contineatur, colligitur ex facultate ampla, quam ei Papa concedit, vt compositionem facere, & taxam assignare super rebus malè ablatis possit. Rodriguez. *in hoc casu* 19. *num.*75.

CAPVT XXVI.

De Bulla defunctorum.

429. *Pro defunctis plenaria Indulgentia.*

POstquam Pontifex concessit indulgentiam plenariam proficiscentibus, vel mittentibus ad bellum contra infideles, vel Bullam, data eleemosyna à Commissario assignata, accipientibus, addit : *Item eadem indulgentia suffragabitur per modum suffragij etiam animabus defunctorum, pro quibus in huiusmodi subsidium proficisci, vel milites mitti contigerit : aut pro quibus non euntes, nec mittentes, de bonis suis iuxta taxam per Commissarium, personarum qualitate inspecta, faciendam pro religionis defensione contulerit.* Ex qua clausula Commissarius Bullam, quam defunctorum vocitamus, composuit, eamque vulgari idiomate seorsim à Bulla viuorum typis expressit. Sic autem defunctorum Bullam descripserim : Indulgentia plenaria fidelibus defunctis in Purgatorio existentibus à summo Pontifice in Bulla Cruciatæ medio aliquo opere à fideli viuo præstando concessa. Sic *Clausula Bullæ.*

Per hanc indulgentiam concessam in Bulla defunctorum anima, pro qua Bulla accipitur, & applicatur à pœnis purgatorij eripitur. Quia cum sit totalis, omnes pœnas, quas anima in purgatorio erat luitura adæquat : & ex alio capite indulgentia per modum suffragij defunctis concessa tam infallibilem habet effectum, ac ea, quæ per modum absolutionis viuis conceditur. Vnde probabiliter credo, immò moraliter loquendo pro certo habeo, per vnam Bullam vnam è pœnis purgatorij animam liberari. Carril. *in Bulla defunct. pag.* 2. *cap.* 7. *numer.* 2. *&* 11. 430. *Per hanc indulgentiam è purgatorio liberatur anima, pro qua Bulla accipitur.*

Porrò pro defunctis in Bulla latina triplex indulgentia conceditur. Prima habetur statim initio illius : *Eadem enim indulgentia suffragabitur animabus defunctorum, pro quibus in huiusmodi subsidium proficisci, vel milites mitti contigerit.* Quæ indulgentia plenaria, seu totalis est ; quia est eadem, quæ immediatè antè viuis pro se in bellum proficiscentibus conceditur, & quæ in anno Iubilæi centesimi publicatur, quæ quidem plenaria, siue totalis est. Ad lucrandum autem huiusmodi indulgentiam pro defuncto, necessum est ad bellum contra infideles proficisci, vel ad illud immittere aliquem, vel ibi aliquod obsequium, aut ministerium præstare, ea tamen expressa intentione, vt hæc gerat animo hanc indulgentiam pro aliquo defuncto lucrandi. Sic expressè Bulla : *Eadem indulgentia suffragabitur animabus defunctorum, pro quibus in huiusmodi subsidium proficisci, vel milites mitti contigerit.* 431. *Triplex indulgentia de fidelis in Bulla latina conceditur. Prima indulgentia.*

Secunda indulgentia quæ pro defunctis conceditur, habetur in eadem clausula verbis immediatè sequentibus: *Aut pro quibus non euntes aut mittentes de bonis suis, iuxta taxam per Commissarium, qualitate personarum inspecta, faciendam pro religionis defensione* 432. *Secunda indulgentia in Bulla defunctorum exprimitur.*

contulerint. Quæ indulgentia etiam est plenaria & totalis; quia est eadem, quæ proficiscentibus, vel mittentibus ad bellum pro se ipsis aut pro defunctis conceditur. Ad huiusmodi vero indulgentiam comparandam in Bulla defunctorum contentam requiritur in primis duas drachmas argenteas, (seu valorem earum) quæ sunt à Commissario taxatæ, exhibere. Deindè Bullam reuera accipere. Tertio acceptam Bullam certo defuncto applicari. Quarto Bullam pro vno solum applicari defuncto; Pontifex enim non concedit nisi vnius defuncti fauorem. Expressit Commissarius, *Per quanto vos distes dos reales por el alma de N.*

433. *Non requiritur accipientem hanc Bullam esse in gratia.* Non requiritur, quod accipiens Bullam pro defuncto sit in gratia. Quia indulgentia applicatur à Pontifice medio opere fidelis viuentis, ac proinde sufficit defunctum in gratia existere, & fidelem viuum præstare id quod Pontifex præcipit nimirum duas drachmas elargiri. Certè status gratiæ solum requiritur ad tollendum indulgentiæ obicem, & ideo per se solum est dispositio necessaria in eo, qui recepturus est indulgentiæ effectum; atqui homo viuus non est illum effectum recepturus, sed defunctus, cui viuus tanquam minister per illud opus ad indulgentiam requisitum eam procurat. Henriq. *lib. 7. cap. 9. num. 6.* & apud ipsum multi. Villalob. *tract. 28. num. 2.* Alibi plura.

434. *Potest hæc Bulla bis sumi, & applicari.* Potest hæc Bulla bis in anno sumi, & bis defuncto ipsi, quem viuens eligit, applicari. Patet ex particulari indulto, quod Gregorius XIII. anno 1573. concessit, & Bullæ latinæ habetur in calce.

435. *Omnis ij, quibus viuorum Bulla conceditur, possunt hanc Bullam sumere.* Possunt autem pro defunctis Bullam sumere omnes illi, quibus viuorum Bulla conceditur, & pro se ipsis valent assumere. Id indicant illæ Bullæ particulæ: *Item conceditur prædicto Philippo Regi: Necnon omnibus & singulis, &c. Item omnes, qui nec ibunt, nec mittent, si ex bonis sibi à Deo collatis, &c.* Vnde Gallus in Hispania repertus sicut pro se, ita pro suis defunctis Bullam accipere potest. Trul. *lib. 4. dub. 12.*

436. *Moneo fideles de Bulla accipienda curare.* Monuerim equidem fideles morti proximos, postquam Ecclesiæ sacramenta sumpserint, & se gratos Numini probabiliter existimauerint, in suis testamentis aut aliter suis hæredibus imperitare vt pro se ipsis iam defunctis Bullam accipiant defunctorum. Plus enim defuncto proderunt, quam si spontaneè hæredes, aut amici pro ipsis vltro Bullas acceperint. Quia sic prodest etiam Bulla ex opere operantis ob piam legantis intentionem, & affectionem ad indulgentias. Henriq. *lib. 7. cap. 20. num. 8.* Rodriguez *§. vnico, num. 6.*

437. *Tertia Indulgentia pro defunctis quinque altarium visitatio.* Tertia demum indulgentia quæ in Bulla latina defunctis conceditur, est indulgentia stationum: sic illa profatur: *Item qui dicto anno durante, in singulis diebus stationum, &c. tam pro se, quam per modum suffragij pro defunctis, pro quibus visitauerint consequantur.*

438. *Multæ indulgentiæ quotidie possunt virtute Stationum defunctis applicari.* Porrò etsi non sit adeo certum, an omnibus diebus anni stationum indulgentias lucremur Bullæ virtute, id intelligo de plenaria indulgentia, non vero de aliis partialibus, & non totalibus. Quare mihi compertum est, singulis diebus posse Bullam sumentes maximam vim indulgentiarum comparare. Quia Commissarius in Bullis in annis 1625. & 1626. in calce summarij indulgentiarum plenariarum adiecit: *Y todos los demas dias del anno se ganan indulgencias, per auer las en Roma.* Quod si ex alicuius sententia (de quo sect. 2.) singulis totius anni diebus aliqua Romæ indulgentia lucranda proponatur, diebus singulis quinque altarium visitatione comparabitur, & non improbabiliter pro defunctis poterit offerri. Trul. *l. 4. dub. 12.*

439. *Anima cui Bulla indulgentia applicatur disponitur, vt alia indulgentia liberetur.* Per indulgentiam in Bulla defunctorum concessam de pœnis purgatorij ea anima eripitur, pro qua quis Bullam accipit, & cui indulgentia applicatur: etsi fortè sufficienter huiusmodi anima non fuerit disposita, disponitur per illam indulgentiam, vt alia accepta Bulla, vel multiplicatis aliis suffragiis, è purgatorio liberetur. Carril. *in expos. Bul. pag. 2. cap. 9.*

440. *Altaris priuilegiati suffragium, fortius, quam Bulla.* Supposita æquali causa, & certitudine indulgentiæ altaris priuilegiati, vtilius, & efficacius est animæ purgatorij pro ea in altari priuilegiato Missam celebrare, quam pro ea Bullam defunctorum accipere. Quia etsi indulgentia, quæ ratione Bullæ defunctorum, & illa, quæ ratione Missæ in altari priuilegiato defuncto applicatur, in ratione indulgentiæ sint æquales, eo quod totales sint omnes, differunt tamen, quòd indulgentia, quæ ratione Missæ in altari priuilegiato animæ conceditur habet insuper coniunctum illum gradum satisfactionis sacrificio Missæ ex diuina institutione respondentem, quem defunctorum Bulla non includit, ac proinde

exteris

cæteris paribus, vtilius esse poterit Missam pro animabus purgatorij in altari priuilegiato celebrare, quam pro ea Bullam defunctorum accipere.

441. *Bullæ suffragium aliquando fortius, quàm altaris priuilegiati.* Verùm si causa concedendi indulgentiam non est tam proportionata & certa in altari priuilegiato, sicuti est illa, ratione cuius defunctorum Bulla conceditur: vtilius est defuncto pro eo accipere Bullam defunctorum, non quia hæc indulgentia sit maior, aut locupletior: sed quia certior est, & adeò vtilior, & efficacior. Quare regulariter loquendo, cum inter causas concedendi indulgentias, maior ac certior videatur illa ratione cuius Bulla conceditur, nimirum bonum commune Ecclesiæ, quale est belli subsidium contra infideles: ideo regulariter loquendo, videtur vtilius ratione certitudinis indulgentiæ, Bullam defunctorum pro anima accipere, quam pro ea Missam in altari priuilegiato celebrare. Etenim, communiter loquendo, causa ob quam indulgentia in altari priuilegiato conceditur, assolet esse particularis, v.gr. deuotio alicuius Diui, indulgentia Ecclesiæ, &c. quæ quidem tantam præ se non videntur ferre certitudinem, sicuti causa generalis, ratione cuius Bulla conceditur. Carril. *de expos. Bul. defunct. p. 2. c. 9. num. 7.*

CAPVT XXVII.

De lacticiniorum Bulla.

442. *Indulti clausula.* INdultum hoc in Bulla latina continetur tanquam pars in toto, & est extensio quædam illius priuilegij, quod laicis dat, posse tempore quadragesimali vti ouis, ac lacticiniis, inibi enim excipiuntur Patriarchæ, Archiepiscopi, &c. Hoc verò indulto ipsis conceditur posse illis prohibitis vesci alimentis. *Venerabilibus* (inquit Pontifex) *Patribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis inferioribus Prælatis, necnon Presbyteris sæcularibus prædictis dumtaxat, vt quadragesimali tempore (hebdomada tamen maiori excepta) ouis similiter, & lacticiniis pro eorum libito vti, & vesci Apostolica authoritate tenore præsentium indulgemus.*

443. *Omnia, quæ de Bulla viuorum dixi, possunt huic Bullæ aptari.* Hinc fit, omnia, quæ de Bulla viuorum diximus, respectiuè Bullæ huic posse adaptari. Vnde hæc Bulla solum prodest personis & locis, quibus Bulla magna conceditur. Solum potiuntur huius Bullæ indulto eam recipientes, & apud se retinentes modo supra expositio. Recipiens hanc Bullam debet esse intra Regna, in quorum gratiam illa conceditur, ideo si extra Regna proficiscaris post Bullæ acceptionem, non poteris ouis ac lacticiniis vesci. Quia hoc priuilegium est extensio priuilegij, quo sæcularibus eis vti conceditur.

444. *Non prodest indultum hoc Regularibus.* Certè hoc indultum Regularibus minimè prodest. Quia nulla fit Regularium mentio, sed illorum solummodo, qui expressis dignitatibus sunt insigniti, & Presbyterorum sæcularium. Attamen eis proderit si sint Patriarchæ, Primates Archiepiscopi, Episcopi, vel Abbates. Quia Pontifex hisce hoc indultum elargitur, nulla facta ad sæculares seu Regulares restrictione.

445. *Cardinalibus prodest, si sint Patriarchæ, &c. Secus si Regulares sint, & aliqua ex præfatis dignitatibus non fulgeant.* Cardinales, qui à priuilegio edendi lacticinia excluduntur (vt vidimus) gaudent hoc indulto, si sint Patriarchæ, Archiepiscopi, seu Episcopi. Quia illis personis sæcularibus hoc indultum conceditur, quibus erat in Bulla magna prohibitum; atqui solis Cardinalibus, Sacerdotibus, Regularibus, aut aliquam habentibus prælaturam erant prohibita lacticinia; Ergo, &c. At si Cardinales sint Presbyteri Regulares, non autem sint aliqua ex præfatis dignitate decorati, non gaudent indulto. Quia hoc non conceditur Presbyteris Regularibus, sed sæcularibus, nisi Presbyter Regularis sit Patriarcha, Primas, Archiepiscopus, Episcopus, vel alius inferior Prælatus, & Abbas.

446. *Computatio anni huius Bullæ.* Annus computationis huius Bullæ non est more Mathematico computandus à momento in momentum, sed more Ecclesiastico à publicatione in publicationem, eo modo, quo Bullam viuorum computandam expressimus. Quia hæc Bulla est quædam Bullæ viuorum extensio, & simul cum ea publicatur.

447. *Non possunt ex hac Bulla priuilegiati vesci lacticiniis in Palmarum Dominica.* Præfatæ personæ hoc indulto gaudentes non possunt lacticiniis, ouisque vesci in Palmarum Dominica. Quia excipiuntur hoc indulto dies hebdomadæ maioris: *Excepta hebdomada maiori*; hebdomada autem septem continet dies, qui à Dominica inclusiuè annumerantur. Dixi, *Ratione huius indulti*; nam virtute Cruciatæ poterunt. Quia sacerdotibus sæcularibus licent ouа ac lacticinia omnibus Dominicis quadragesimæ, eo quod tantum sint dies abstinentiæ, non vero ieiunij; at in priuilegio Bullæ viuorum respectu illarum personarum, solum

solummodo ieiunij quadrageſimalis dies excipiuntur.

448. *Huius Bullæ taxa pro his quorum redditus trecentorum ducatorũ ſummam ex æquat.*

Illi, quorum redditus annui, fructus, ſeu emolumenta non deſcendunt à ſumma, ſeu non attingunt ſummam trecentorum ducatorum tenentur pro acceptione Bullæ huius ſex dachmarum eleemoſynam exhibere. Per ducatum verò hic intelligitur vndecim drachmarum ſumma; hæc enim taxa fit à Commiſſario in Regno Caſtellæ, vbi vndecim drachmæ vnum ducatum exæquant. Hæc autem ſumma trecentorum ducatorum intelligenda eſt de Eccleſiaſticis bonis, & ratione beneficij Eccleſiaſtici acquiſitis; non de patrimonialibus, propriaque comparatis induſtria. Addo, intra valorem trecentorum ducatorum computandas eſſe quotidianas diſtributiones; quia etſi diſtributiones ſtrictè, ac propriè loquendo, non veniant nomine fructuum, veniunt tamen ſub nomine redditus, ac prouentus beneficij: præſertim ſi beneficium nullos habeat redditus præter diſtributiones. At trecentorum ducatorum ſumma intelligenda eſt omnibus oneribus, expenſiſque beneficiorum deductis; ſolum enim illa quantitas, quæ ab omni onere libera remanet eſt beneficiarij redditus annuus. Idem dicendum reſpectiuè de taxam quatuor drachmarum ſoluentibus.

449. *Patriarchæ, &c. tenentur ad taxam ibi aſſignatam.*

Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ac Canonici ad taxam ibi aſſignatam teneri, ſiue habeant redditus ſiue non: ſiue redditus ſint magni, ſiue exigui. Quia Commiſſarius abſolutè loquitur, & ſolùm requirit, vt hi præfatis qualitatibus decorentur.

450. *Non tenentur ij, quorum redditus trecentorum ducatorum ſunt, tamen non attingunt.*

Beneficiarij, quorum redditus ſummam trecentorum ducatorum non attingunt, ad ſex drachmas non tenentur exhibendas, etiamſi diſtantia ſit parua & modica. Quia Commiſſarius profatur: *Cuia renta no vage de trecientos ducados.* Ac ſi diceret, eos ad ſex drachmas non teneri, quorum redditus reuera trecentorum ducatorum, valorem non attigerint.

451. *Coadiutores Canonicorum & Dignitatum ad huiuſmodi taxam ſoluendam non tenentur.*

Coadiutores Canonicorum ad eiuſmodi taxam ſoluendam non tenentur, nec coadiutores dignitatum. Quia Coadiutor Canonici non eſt verè ac propriè Canonicus, vt docet Garcia *de Benef. p. 4. c. 5. n. 74. & 76.* Barbo. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 61. n. 14.* Æſtimanda ergo horum ſolutio iuxta eorum facultates, habito ad alia capitula taxæ reſpectu. Recognoſce Bullæ tenorem & lege Trul. *in expoſ. huius Bullæ.*

SECTIO SECVNDA.

De Bulla Cruciatæ Problemata.

CAPVT XXVIII.

Circa principia generalia Bullæ Cruciatæ.

PROBL. I.

Epiſcopus poteſt, & non poteſt Bullam concedere, quæ contineat facultatem abſoluendi à caſibus, quos ipſe ſibi reſeruat: diſpenſandi, ac commutandi in iis, quæ ipſe iure ſuo Ordinario poteſt diſpenſare, vel commutare: & indulgentiam quadraginta dierum.

452. *Non poteſt.*

NOn poteſt eiuſmodi Bullam Epiſcopus concedere. Quia conceſſio prædictarum facultatum, data pecunia etiam in opus pium, eſt ſimonia, iure ſaltem humano prohibita, in qua nullus inferior Papa poteſt diſpenſare: diſpenſat autem, quando Cruciatam pro belli contra infideles ſubſidio concedit. Sic Nauar. *conſ.* 18. *lib.* 5. *de pœnitent. & remiſſ. à numer.* 1. *ad* 5. Rodriguez *in addit. ad Paragraphum* 1. *num.* 2.

453. *Poteſt planè.*

Poteſt quidem Epiſcopus in Hiſpania, & India, quæ diſtant à Papa, ſi ipſe Pontifex Bullas non concederet, indulgere, data Bulla, ea quæ ad illorum facultatem extenduntur. Sic Epiſcopi Hiſpaniæ anno 1571. ad Regis inſtantiam ferè ſimiles Bullæ Cruciatæ conceſſerunt circa peccata, & Cenſuras Epiſcopo reſeruatas, & vt fieret quædam pro incertis compoſitio. Ita Henriquez *lib.* 7. *capit.* 31. *num.* 1. *litter. C.* Trullench, *in Proœmium dubio* 2.

454. *Proximam ſententiam magis probo.*

Cum his ſentio, & Henrici mei ſententiam abſque ſimoniæ labe poſſe defendi hiſce

hiſce additis limitationibus: Prima, vt Papa Bullam Cruciatæ non conceſſerit. Secunda vt vrgens, ac ingens neceſſitas adſit. Tertia, vt pecunia, quæ pro illius conceſſione exhibetur, nullo modo ipſius Epiſcopi applicetur in vſus, ſed in pium opus ad bonum ſpectans commune. A ſimili confirmo. Nam etſi Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 18. de reform.* prohibeat, ne aliquid temporale in diſpenſationibus tanquam illarum pretium recipiatur: nihilominus poteſt Epiſcopus abſque ſimoniæ labe, dum diſpenſat vota, in quæ ipſe habet poteſtatem, largiendi pauperibus, vel Monaſterio eleemoſynam, onus adiicere. Quia Tridentinum (Doctore Leſſio *l. 2. cap. 35. dub. 9. nnm. 57.*) tantum prohibet, nè diſpenſans inde ſibi aliquod temporale commodum referat. Ergo dum Bullam ſuam concedit Epiſcopus, poterit abſque ſimoniæ labe in commodum vniuerſalis, aut particularis Eccleſiæ eleemoſynæ onus imponere.

PROBL. II.

Duratio Bullæ computanda eſt à die publicationis factæ in Oppido, vbi quis Bullam accepit: & non eſt computanda ab iſto die, ſed à die publicationis factæ in Oppido, vbi inuenitur, quando ſequens Bulla publicatur.

455. *Duratio Bullæ computatur à die publicationis in loco, vbi accipitur.* SI Bullam aſſumo Madriti, vbi Dominica prima Aduentus publicatur, & me Burgos conferam, vbi die D. Sebaſtiani Bulla exponitur: ſolum fruar indultis vſque ad illum diem, in quo annus completur, computatus à die publicationis factæ Matriti. Sic Ludou. Cruz *diſput. 1. cap. 10. dub. 1. num. 2.* Rodrig. §. 5. *num. 3.*

456. *Minime ab ea die computatur.* Duratio Bullæ eſt computanda à die publicationis factæ in Oppido, vbi verſor quando ſequens Bulla promulgatur. Vndè qui apud Madritum prima die Aduentus accepi, & Burgos venio, vbi Bulla D. Sebaſtiani ſolemni promulgatur: fruor Bulla, quam accepi Madriti vſque ad vigeſimam Ianuarij ſequentis anni diem, quamuis ſciam, iam Madriti nouam Bullam eſſe publicatam. Ita Sanctius *in ſelect. diſp. 55. n. 8.*

457. *Cum hac reſtrictione.* Hanc putarim eſſe Pontificis intentionem, ne ſine culpa illorum dierum interſtitio, quo Bulla noua apud Oppidum, quo commoror non publicatur, cogar tanto bono priuari. Adididerim tamen in peregrinis computationem à loco vbi Bullam accepere, ne in fraudem differant Bullam vſque ad annum & dimidium anni alterius accipere, quærentes locum, vbi tardius Bulla publicatur.

PROBL. III.

Annus durationis Bullæ eſt, & non eſt ſolaris ſeu naturalis: computanduſque & non computandus modo phyſico, ac mathematico.

458. *Annus Bullæ eſt naturalis, non Eccleſiaſticus.* ANnus durationis Bullæ eſt ſolaris, ac naturalis, computaturque modo phyſico, ac mathematico. Quia Bulla ſolummodo per integrum annum conceditur: annus autem ex communi vſu pro ſolari, ac naturali ſumitur, niſi alias in aliquo euentu ipſa conſuetudo aliter interpretetur. Hinc infertur, cum in eodem loco promulgatio Bullæ ſequentis per aliquot dies ante finem anni Bullæ antecedentis anticipatur, priorem Bullam non cenſeri reuocatam per anticipatam nouæ Bullæ promulgationem, ſed durare vſquedum annus naturalis, & ſolaris Bullæ antecedentis completur. At ſi poſt integrum annum promulgationis Bullæ per aliquot paucos dies alterius Bullæ promulgatio differatur, prior iam ſpirauit Bulla nec poteris illis paucis diebus illius indultis potiri; quia annus naturalis iam eſt exactus. Sic Rodrig. §. 5. *num. 2.* & alij.

459. *Annus Bullæ non eſt naturalis, ſed Eccleſiaſticus.* Annus durationis Bullæ non pro ſolari, ac naturali, ſed pro Eccleſiaſtico ſumendus eſt, ita vt computatio non modo phyſico, ac mathematico fiat, ſed more Eccleſiaſtico, id eſt à publicatione Bullæ vnius vſque ad alterius Bullæ promulgationem: quamuis aliquando plures, aliquando pauciores dies publicationis annus obtineat; dummodo noua publicatio Bullæ ſit certa, & in proximo vt fiat. Quia ſic de facto in anno confeſſionis, Communioniſque contingit. Ita Henriq. *l. 7. c. 20. num. 2. lit. O.* qui refert conſultos Doctores Salmanticenſes id aſſeruiſſe. Villalob. *lib. 27. clauſ. 4. n. 8.* Ludou. Cruz. *diſput. 1.*

460. *Hanc mentem ſector.* Hanc probabiliorem puto ſententiam, quæ quidem (fateor) à priori approbari non poteſt, à ſimili autem illo annuæ Confeſſionis, & Communionis aptè exiſtimant confirmari præfati Doctores. Addiderim merito ex quadam æquitate declarari poſſe, mentem Pontificis eſſe,

vt illo in euentu Bullæ potiamur indultis, donec alia publicetur; nam ea est intentio Papæ Bullam per sexennium concedentis, vt qui quolibet anno tempore publicationis accipit Bullam, nullo de sexennij die indultis priuetur. Profecto in praxi sententiam hanc securissimam existimo eo quod iam inter fideles per consuetudinem scitam, ac toleratam à commissario videam; quod sat est ad consensum huic consuetudini præstandum, cum Commissario ipsi concessa sit vniuersa de re Bullæ facultas.

PROBL. IV.

Quando suscipis Bullam, debes, & non debes in gratia existere.

461. *Non requiritur gratiæ status ad Bullam accipiendam.* VT eligas confessarium, vesci possis ouis, ac lacticiniis, aliisque similibus Bullæ perfruaris indultis, non requiritur gratiæ status. At ad indulgentias consequendas, debes esse in statu gratiæ, cum accipis Bullam. Quia contritos ipsa exigit accipientes: *Contritis, &c.* Sic. Caiet. *tract. 1. de indulg. q. 2.* & Sotus *in 4. dist. 21. q. 2. a. 3.* circa hoc dubius ostenditur.

462. *Gratia status requiritur.* Vt quis cunctis Bullæ priuilegiis, imò & indulgentiis frui valeat, non est necessarium in gratiæ statu existere, cum Bullam accipit, sed cum, completis omnibus requisitis, consequendæ indulgentiæ instans exponitur. Quia Bulla non exigit vt suscipientes in gratiæ statu adsint: illud enim, *Contritis* non refertur ad susceptionis Bullæ tempus, sed ad consequendæ instantiam indulgentiæ. Ita Villalob. *tom. 1. tr. 27. num. 5.* Henriq. *l. 7. c. 9. n. 7.* Acost. *in Bulla Cruc. q. 15.*

463. *Hoc docendum puto.* Hoc omnino docendum existimo. Vnde si quis in iubilco aliquo feria quarta, sexta, & sabbato in peccato existens ieiunauerit, die autem Dominica per sacramentum confessionis redeat ad gratiam, proculdubio indulgentiam assequetur. Alibi plura.

PROBL. V.

Scis, patrem, sororem, vel amicum tuum quolibet anno tibi Bullam sumere: potes, & non potes eius frui priuilegiis, antequam certior fias de Bulla tuo nomine accepta.

464. *Non potes frui indultis.* NOn potes Bullæ indultis potiri. Quia in tanti ponderis negotiis, & in tantorum priuilegiorum vsum certitudo moralis seu præsumpta licentia non sufficit. Sic Vega *in sum. tom. 1. cap. 43. cas. 6.* Rodr. §. 12. *addit.*

465. *Potes indultis frui.* Potes quidem Bullæ frui priuilegiis, antequam certior fias. Quia sufficit moralis certitudo, quam adstruit experimentum circa patris, sororis, aut amici officium ad Bullæ sumptionem. Ita Henriq. quem citat, ac sequitur. Villalob. *tom. 1. tr. 27. claus. 12. num. 25.* Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 90.*

466. *Idem sentio.* Horum quidem hærens opinioni, si experimento vnius aut alterius anni comperissem, propinquum, aut amicum meo nomine Bullam accipere ad priuilegiorum vsum sic me gererem, ac si Bulla meas peruentasset ad manus; quia experientia illa certitudinem moralem efficit, quæ ad moralia sufficit.

PROBL. VI.

Si ante annum primæ Bullæ elapsum, secunda Bulla promulgetur: potes, & non potes primæ Bullæ priuilegiis potiri, anno primo durante.

467. *Non potes frui indultis primæ Bullæ.* NOn potes frui primæ Bullæ indultis. Quia publicatione secundæ Bullæ iam prima videtur reuocari. Sic Gomez *in expos. Bul. claus. 5. num. 1.* Villalob. *to. 1. tr. 27. claus. 4. n. 11.*

468. *Potes illis frui.* Potes quidem primæ Bullæ frui priuilegiis, alterius non obstante publicatione. Quia mens Pontificis est, vt anno integro integri anni Bulla accipientibus suffragetur. Quod autem secunda iam sit Bulla promulgata, accidentarium debet reputari. Ita Rodrig. §. 5. *n. 2.*

469. *His hæreo.* Existimo planè contra voluntatem Pontificis, ac Regis secundam prædicari Bullam, ac primam suspendi antè publicationis annum expletum. Vnde Parochi ac Rectores, dum viderint Cruciatæ ministros ante prioris Bullæ tempus exactum posteriorem publicare, ab eis petant, vt ex suggestu doceant auditores, primam Bullam minime exspirare, nisi anno penitus exacto. Legendi Vega *sum. tom. 1. cap. 43. cas. 10.* & Sanct. *in select. disp. 55. num. 4.*

***

CAPVT

CAPVT XXIX.

Circa eos, quibus Bulla prodest.

PROBL. VII.

Si pro defuncto excommunicato Bullam accipias tempore Interdicti: posset, & non posset defunctus ab excommunicatione reseruata absolui, & sacro in loco sepeliri.

470 *Excommunicato prodest Bulla si pro eo defuncto accipiatur.*

POsset quidem. Quia etsi mortuus directè à Censura absolui non possit, non enim iam est huius fori: potest tamen indirectè, si cum signis contritionis cessit è vita. Operatur autem hæc absolutio, vt sacro in loco possit sepeliri, & pro eo Ecclesiæ offerri suffragia. Porro quia ante mortem per Bullam à reseruata censura poterat ille absolui ex Bulla, posset etiam post mortem: & si fortè tunc Bullam non haberet, posse te pro illo eam accipere, vt à reseruata Censura absoluatur, & sacro sepeliatur in loco. Sic Henriq. *lib.7. c.20. n.8. lit.Y. & Z.*

471. *Non prodest defuncto excommunicato.*

Non posset planè. Quia Bulla viuorum pro viuis, & non pro defunctis conceditur; pro defunctis enim iam datur alia Bulla, in qua præfata facultas non continetur, sed sola indulgentia plenaria per modum suffragij, eo quod defunctus iam sit fori alterius. Quare vt Bulla viuorum eam habenti prosit, requiritur, vt eam ipse viuens, vel alius pro eo acceperit. Trul. *l.1.§.1.dub.7.*

472. *Improbo sententiam primam.*

Fateor, nunquam mihi primam sententiam extitisse probabilem, legenti scilicet illa Bullæ verba: Item conceditur omnibus supradictis, qui nec ibunt, nec mittent, si de bonis suis, &c. Et Bullæ Hispanæ illam particulam. *Per quanto vos distes dos reales, &c.* Quæ quidem ad viuos, non ad defunctos manifestè diriguntur. At etsi mortuus possit ab excommunicatione absolui, non tamen per Bullam, sed ab eo, qui poterat dum viueret, vt docent Nauar. *cap.26.n.32. & c.27.n.171.* Sayr. *in Thesau. l.1.c.8.n.10.* Illam Bullæ clausulam perpende: *Vt possit eligere Confessarium, qui eum etiam à reseruatis Papæ absoluere possit.* Mortuus quidem nec valet Confessarium eligere, nec confiteri; ergò nec à Censuris per Bullam absolui.

PROBL. VIII.

Accipis in mortali Bullam, pro cuius acceptatione indulgentia plenaria conceditur: obice recedente, reuiuiscit, & non reuiuiscit indulgentia.

473. *Non reuiuiscit indulgentia.*

NOn reuiuiscit. Quia huiusmodi reuiuiscendi priuilegium solis sacramentis est concessum. Sic Suar. *in 3.p.to.4. disp.52. sect.2. à n.12.*

474. *Reuiuiscit indulgentia.*

Reuiuiscit quidem. Quia est opus Christi, sicut gratia Baptismi recedente fictione per contritionem subsequentem. Ita Henriq. *lib.7.c.9.n.3.*

475. *Primam sequor sententiam.*

Suarij mentem magis probo in rigore Theologico, sacramento enim priuilegium id solummodo concessum existimo. Vnde accipiens in mortali Bullam, aut Bullæ gerens stationes, illam indulgentiam plenariam, quæ accipienti & acceptanti Bullam conceditur, & eam, quæ stationibus tunc erat comparanda, prorsus amittit.

PRROBL. IX.

Indulgentiæ Bullæ prosunt, & non prosunt excommunicato.

476. *Non prodest Bulla quoad indulgentias excommunicato.*

VIdimus sect. 1. Bullam prodesse excommunicato quoad omnia priuilegia præter indulgentias, quod quidem de excommunicato contumaci intellexi; quia ad lucrandas indulgentias status gratiæ requiritur. Quæsierim tamen, an non contumax possit indulgentiarum lucratione potiri. Porro non prodest Bulla quoad indulgentias huiusmodi excommunicato. Quia vnus ex effectibus excommunicationis maioris est, excommunicatum ab Ecclesiæ suffragiis excludere, quales sunt indulgentiæ. Sic Henriq. *l.7.c.18.n.2.* & alij.

477. *Prodest Bulla quoad indulgentias excommunicato.*

Si excommunicatus sit contritus, & non stet per ipsum, quominus à Censura absoluatur, prodesse indulgentias Bullæ sicut & alia Ecclesiæ suffragia. Quia talis præsumitur pia matris Ecclesiæ intentio. Ita Nauarus *notab. 19. numer. 19.* & idem Henriquez *lib.7.cap.9. numer. 6. litter. Z.* Rodriguez *in addit. ad §. 1. numer. 9.*

478. *Huic assentior.*

Piam quidem ac probabilem hanc sector opinionem, cum videam huiusmodi excommunicatum nullo hic præcepto prohiberi, quominus præstare possit ea opera, pro quibus indulgentia conce-

ceditur ; potest enim inuisere altaria, inibique exorare.

PROBL. IX.

Incurrenti in casus reseruatos, ac Censuras : emittenti vota ex abusu, ac praua confidentia positiua Bullæ, ipsa proficit, & non proficit.

479. *Non prodest Bullæ ei, qui ex confidentia positiua delinquit, aut vouet.*

QVi ex confidentia Bullæ accipiendæ, aut acceptæ in casus se sc reseruatos ac Censuras præcipitat, aut vota emittit, non potest virtute Bullæ absolui, nec possunt ei vota commutari. Quia Bulla non expedita fuit ad liberiorem delinquendi licentiam, aut imprudentem vouendi facilitatem, sed in animi medicinam, facilioremque iugi deportationem. Ita Cordub. *de casib. q.* 25. & aliqui, quos Cenedo *quæst.* 25. *n.* 1. citat. Lopez *de Bul. c.* 8. qui quidem licet hanc sententiam iudicat tutiorem, oppositam tamen non condemnat.

480. *Prodest plane.* Peccans ex positiua Bullæ confidentia potest illius virtute à reseruatis, & Censuris absolui, & votorum commutationem efflagitare. Quia secundum regulam ab omnibus receptam Doctoribus, verba priuilegij tenenda, ac obseruanda sunt iuxta proprietatem, & extra illam non sunt ad restringendum priuilegium extrahenda, nisi quando vel ad id cogit iustitiæ ratio, vel aliunde talis voluntas concedentis rationabiliter præsumitur. Ratio huius regulæ est manifesta ; quia in legibus intelligendis & obseruandis proprietas verborum attenditur, quod etiam procedit in priuilegiis ; nam priuilegium est lex priuata. Ergo cum priuilegio Bullæ absolutè impendatur facultas absoluendi à reseruatis, non est cur restringatur, vt non extendi possit ad reseruata ex positiua confidentia commissa, aut emissa vota ex confidentia commutationis. Sic Suar. *tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 13. numer. 6.* Sanch. *lib. 4. Moral. cap. 54. n.* 18. Villalob. *tr. 27. clauf. 9. §. 2. n. 19.* Dian. *part. 1. tract. 11 resol. 16.*

481. *Cum his sentio.* Cum his sentio, quia rationabiliter præsumere nequeo, à Pontifice huiusmodi geri restrictionem, cum videam circa alios casus expressè restrictionem apponi, nempe in consequutione indulgentiæ in mortis articulo, & in compositione bonorum incertorum ; ergo cum similis restrictio in priuilegio Confessarium eligendi ad effectum absolutionis à reseruatis, & votorum commutationis non adhibeatur, non est cur nos eam vltro adhibere velimus. Tradunt hercle Doctores grauissimi olim in Bullis eiusmodi restrictionem solitam apponi, ideoque ex antiquis nonnulli contra nos sentiunt ; nunc verò in nouis Bullis ea restrictio non reperitur ; ergo euidens est, specialem esse Pontificis voluntatem, vt priuilegium extendatur ad quæuis reseruata crimina quouis intuitu, ac confidentia commissa absoluenda, & ad quæuis vota commutanda. Quod si abutentes Dei benignitate per summum Præsulem expressa, suæ ruinæ ansam arripiant, non beneficio Bullæ, sed suæ malitiæ tribuendum.

CAPVT XXX.

Circa priuilegium audiendi Missam &c. Interdicti tempore.

PROBL. X.

Nomine consanguineorum quos secum potest adducere ad sacra, qui Bullæ fruitur priuilegio tempore Interdicti, intelliguntur, & non intelliguntur affines.

482. *Intelliguntur affines.* VB Nomine consanguineorum intelliguntur affines. Quia affinitas ex matrimonio ducit originem : atqui cum matrimonium faciat vt duo coniuges sint in carne vna, qui ex huiusmodi fonte ducunt necessitudinem consanguineorum numero sunt addicendi. Sic Henriq. *l. 7. c.* 13. & alij. Bulla etiam Hispana id videtur innuere, *En presencia de sus familiares, y parientes.* Communiter autem receptum est, sub nomine *Pariente* adscribi affines.

483. *Non intelliguntur affines.* Sub nomine consanguineorum non intelliguntur affines. Quia Bulla Latina expresse de consanguineis loquitur, affines autem non sunt consanguinei ; & cum hoc priuilegium sit in actu, & contra ius commune, non latè, sed strictè est interpretandum, vt verba sonant. Ita Lopez *c. 6. de Clauib.* & Doctores, qui in expositione huius §. 3. de consanguineis loquuntur, nullam de affinibus gerentes mentionem.

484. *Idem censeo.* Existimo verius sub nomine consanguineorum solum comprehendi eos, qui verè, ac propriè sunt consanguinei ab eodem stipite descendentes siue per lineam ascenden

ascendentium, vel descendentium rectam, siue per lineam collateralem. Approbo autem, priuilegium hoc stricte esse interpretandum, dummodo aliquid operetur, ne reddatur inutile. Sic priuilegium afferendi secum familiares restingitur ad eos tantum, qui dominum assolent comitari.

PROBL. XI.

Qui priuilegium habet ex Bulla ad audiendum sacrum Interdicti tempore, familiaribus, ac consanguineis comitatus: potest, & non potest pluribus Missis interesse.

485. *Non potest pluribus Missis assistere.* SI habeas familiares, & consanguineos, poteris quidem simul cum eis vni assistere Missæ, non pluribus. Quia licet Bulla profetur, *In sua, ac familiarium, & domesticorum, ac consanguineorum suorum præsentia Missas celebrare, vel per alium celebrare facere.* tò *Missas* referendum ad plurium dierum vnicam celebrationem, non ad vnius diei plura sacrificia: & sicut vnica est ipsiusmet priuilegiati celebratio ita & vnica esse debet auditio. Sic Auila *de Censur. part.* 5. *disput.* 4. *section.* 2. *dub.* 7. §. 5.

486. *Potest assistere pluribus Missis.* Potest dominus aut propinquus plures audire Missas. Quia Bulla ad vnicam non limitat Missam. Licet enim particula, *Missas celebrare* ad plures dies sit referenda, (nisi adsit Dominici Naralitij dies, aut in Regno aliquo dies defunctorum fidelium) at particulæ, *Vel per alium celebrare facere*, nulla adiicitur limitatio. Sic Henriq. *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 4. & Auila ipse satis probabilem adiudicat hanc suæ oppositam opinionem.

487. *Idem assero.* Poterit planè dominus, vel consanguineus in Ecclesia aut oratorio aliam Missam celebrare facere simul cum reliquis familiaribus, vel consanguineis. Bullæ enim verba præfato sensu non late interpretantur, sed propriæ vocabuli significationi addicuntur. Quid si dominus vel consanguineus habens plures familiares, & consanguineos, cum aliquibus Missam audiuit, & reliqui cupiant eodem priuilegio potiri? Poterit quidem dominus, aut cognatus alij assistere Missæ vt reliqui exaudiant; non autem absente illo ipsi audire poterunt.

***

PROBL. XII.

Qui possint ratione Bullæ, aut alterius priuilegij Interdicti tempore Missam audire, tenentur, & non tenentur exaudire illam.

488. *Non tenetur audire.* NOn tenetur Missam audire festa die Interdicti tempore, qui priuilegio Bullæ potitur. Quia nemo cogendus suo priuilegio vti, Cap. *situa, de priuileg.* quod enim alicui in sui fauorem conceditur, non debet in illius grauamen retorqueri. Regula *Quod ob gratiam de reg. iuris in* 6. *reg.* 61. Sic Auila *p.* 4. *disp.* 4. *sect.* 2. *dub.* 6. *concl.* 2. aliqui Salmanticenses, quos refert Henriq. *l.* 13. *c.* 48. *n.* 5. *lit. D.* & 7. *c.* 13. *n.* 3. *lit. I.* approbat Dian. appellans probabilem, & alij sequuntur.

489. *Audire tenetur.* Tenetur Missam audire qui priuilegio Bullæ fruitur, nisi interdictus sit ipse, vel causam dederit Interdicto, festa die Interdicti tempore. Quia si potest audire Missam, procul dubio tenebitur: Interdictum enim in tantum ab obligatione Missam audiendi excusat, in quantum apponit impedimentum ad illam audiendam: vnde quacumque ratione hoc tollatur impedimentum obligatio præcepti suam vim exerit, & excusatio tollitur. Ita Suar 3. *p. q.* 83. *a.* 3. *disp.* 88. *sect.* 6. *l.* 7. *c.* 3. *n.* 3 Azor. *to.* 1. *l.* 7. *c.* 2. Rodrig. §. 5. *n.* 6. & alij multi.

490. *Hanc opinionem sector.* Hanc sequor, & à simili confirmo, si detento in carcere concedatur licentia ad audiendam Missam eundi, eam teneturaudire vt communiter Doctores affirmant; ergo etiam in nostro casu. Ideo enim in carcere detentus, si licentiam obtineat, tenetur Missam audire, quia ei sublatum est impedimentum; sed respectu habentis Bullam etiam est impedimentum sublatum; ergo etiam tenebitur exaudire. Scio respondisse Auilam, impedimentum carceris esse ipsius personæ, sicut est impedimentum infirmitatis, & ideo illo cessante instare audiendi Missam, obligationem: at verò impedimentum Interdicti impedimentum esse iuris, cui potest, si velit, se conformare. Profecto mei pace Doctoris, sicut quodcumque impedimentum siue iuris, siue personæ sit, excusat à præcepti obligatione: ita cuiusvis impedimenti cessatio est causa cur obliget præceptum. Vnde quemadmodum qui potest è carcere exire tenetur audire Missam, quia cessat impedimentum: ita etiam qui habet Bullam, per quam impedimentum

pedimentum cessat, exaudire tenebitur.

PRROBL. XIII.

Qui Paschatis tempore præcepto Communionis satisfecit, potest, & non potest in Oratorio ex deuotione ipsa die Paschatis virtute Cruciatæ sacram synaxim accipere.

491. *Communicare non potes.* NOn poteris virtute Bullæ ex deuotione communicare in Oratorio Paschatis die. Quia verbo illo Bullæ, *Excepto die Paschæ* non solum intelligitur Communio temporis Paschalis, sed quæ fit ipso Paschatis die. Probatur ex concessionis Sixti IV. & Leonis X. clausula: *Præterquam in die Resurrectionis Dominicæ* & Nicolai V. *Præterquam in festo Paschæ Resurrectionis Dominicæ.* Vbi Pontifices ab illa concessione ipsum primum diem Resurrectionis Dominicæ excipiunt. Ratio autem exceptionis est, quia hoc priuilegium est contra ius commune. Solis enim Parochis, vel illorum superioribus, & Pastoribus de iure communi competit Eucharistiæ ministratio. Sic Nauar. *c.* 21. *n.* 52. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 30. *q.* 7. Trul. *lib.* 1. §. 3. *dub.* 7.

492. *Poteris communicare.* Poteris in Oratorio Paschatis die sacram Communionem ex deuotione accipere. Quia per Communionem diei Paschæ intelligitur Communio ex præcepto tantùm. Probatur, nam in Cap. *Omnis vtriusque sexus.* Solum præcipitur semel communicare in Paschate, id est intra Paschale tempus iuxta Eugenij IV. declarationem. Vnde qui intra id tempus ratione præcepti communicauit, communioni Paschali satisfecit: ergo per Communionem Paschatis intelligitur ea, per quam præcepto Paschalis Communionis fit satis, quam præcipit Pontifex, vt in propria recipiatur Ecclesia, & prohibet vt extra illam in Oratoriis aut Monasteriis Regularium ministretur. Ita Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 9. *n.* 264. Fagund. *in* 3. *præc. l.* 5. *cap.* 5. *num.* 9. Ludou. Cruz. *disput.* 1. *cap.* 5. *dub.* 6. *numer.* 11. Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. quæst.* 56. *art.* 3.

493. *Cum his sentio.* Cum his sentio dum lego meum Suarium 3. *p. q.* 82. *art.* 3. *disp.* 72. *sect.* 3. asserentem, Pontificis mentem in priuilegio Regularium (& in Bullæ indulto) fuisse, excipere Communionem Paschalem non materialiter, id est, quæ in die Paschatis fit; sed formaliter, siuè provt est præceptum in lege, quæ præcipit semel in Paschate communicare. Igitur qui præceptum impleuit antè Pascha, vel impleturus est immediatè pòst, intra illos octo dies; potest ipsa Paschæ die in Ecclesiis Regularium, vel in Oratorio sacram Communionem accipere.

PROBL. XIV.

In Bulla conceditur, & non conceditur facultas, vt eam habentes possint à quocumque sacerdote Eucharistiam omni tempore accipere sine Parochi licentia, excepto Paschæ die.

494. *Conceditur hæc facultas.* COnceditur in Bulla huiusmodi facultas, fante Pontifice: *Que puedan aun en tiempo de Entredicho recebir el sacramento de la Eucharistia, y los demas sacramentos: saluo en el dia de la Pascua:* Vbi Pontifex absolutè facultatem impertit accipiendi Eucharistiam, die Paschæ excepto: & cum non restringat, vt solùm recipiatur à proprio, à quolibet sacerdote recipi poterit, proprio non requisito, quolibet tempore, aut anni die, illo excepto Paschatis solemni. Sic Vasq. *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 219. *cap.* 5. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 9. *numer.* 263. Dian. probabilissimam, & in praxi tutam appellat *part.* 1. *tract.* 11. *resolut.* 20.

495. *Non conceditur.* Per Bullam non conceditur facultas eligendi sacerdotem. qui possit eam habentibus sacram synaxim ministrare sine proprij licentia: sed tantum conceditur, vt interdicti tempore eâ possit accipere in Ecclesia, vel Oratorio, ab eo tamen qui aliàs de iure eam poterat ministrare. Quia si talis facultas concederetur, maxime in ea facultate, in qua conceditur fidelibus, vt possint tempore interdicti Eucharistiam accipere in Ecclesiis, & Oratoriis, præter quam in die Paschatis; at in ea talis facultas non conceditur: Bulla enim solum intendit tollere impedimentum interdicti ratione proueniens: vnde in ea solum habetur ratio temporis, vt scilicet Interdicto non obstante, possint fideles sacro epulo hærere, non tamen indicat, à quolibet posse recipi sacerdote, sed id terminis iuris communis relinquit, nempè vt recipiatur ab eo, qui eam aliàs de iure poterat ministare, vel ab alio de illius licentia. Ita Henriq. *lib.* 7. *cap.* 13. *numer.* 4. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disput.* 72. *sect.* 2. *dub.* 1. Auil. *part. disp.* 4. *section.* 1. *dub.* 8. Rodrig. *in addit. ad* §. 5. *n.* 9.

496. *His nil hæret.* Cum his opinor; asserens illa Bullæ clausula

clausula minimè Pontificem in iure communi dispensare; si enim hoc voluisset, expressisset omninò, sicut expressit, quando concedit facultatem, vt absolui à reseruatis quis possit; vbi non solum impendit licentiam indefinitè à reseruatis absoluendi, sed etiam exprimit, te posse eligere Confessarium sæcularem, aut Regularem, qui te valeat à reseruatis absoluere. Itaque cum in casu nostro non exprimat Pontifex, Euchariſtiam à quolibet posse recipi, existimandum planè est, in iure communi minimè dispensare: nec præsumendum, iurisdictioni Pastorum, quæ Ordinaria est, & adeò in iure fauorabilis esse per dubia priuilegij verba derogatum; præsertim cum priuilegium, quod contra ius commune est, non sit latè, sed strictè interpretandum, & sufficit ad eius validitatem, vt aliquid operetur.

CAPVT XXXI.

Circa facultatem vescendi carnibus, ouis, ac lacticiniis Quadragesimalibus diebus.

PROBL. XV.

Ille, cui virtute Bullæ, vel alterius priuilegij, vel iustæ causæ, licet in Quadragesima, vel extra illam vesci carnibus, potest, & non potest cœnare, & pluries in die comedere.

497. *A ieiunio non excusatur.* SI causa sit pro viribus restaurandis, certum est, posse te sæpius in die comedere, nec enim teneris ieiunare. At si dispensatio datur viro robusto, eo quod pisces, & alij cibi ei nocere assolent à ieiunio non excusatur. Quia Bullæ indultum solum supplere intendit, in quo visus est deficere infirmus. Sic Rodrig. §. 6. *num.* 4. & alij, quos refert, Henriq. *lib.* 7. *c.* 13. *n.* 12. *lit.* O. Ludou. Cruz *disp.* 1. *c.* 5. *dub.* 11. *n.* 1.

498. *Excusatur à ieiunio.* Porrò qui carnibus ex Bullæ indulto, aut ex alio priuilegio, aut ex iusta causa vescitur omninò à præcepto ieiunij excusatur. Quia is; cui licet bina comestio ampla in die, non prohibetur sæpius in illo die comedere; imo qui illicitè comedit bis non peccat, dum eodem die addit vlteriores cibos; (de quo alibi) ergo cui licent carnes in die ieiunij, potest sæpius comedere. Probo consequentiam, quia sicut est de essentia ieiunij Ecclesiastici vnica comestio in die, ita de essentia ieiunij est abstinentia à carnibus, imò principalior est ieiunij pars; quia magis nutriunt, & earum abstinentia magis corpus affligit; atqui cui licet secunda comestio est liber à ieiunio: ergo similiter is, cui licet vsus carnium. Ita Caiet. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 7. *& art.* 8. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 10. *q.* 3. & alij.

Quibus subscribo, sciens eum, qui à parte præcipua excusatur, à toto opere excusari præcepto; v. gr. qui solum potest paucis ieiunare horis, non tenetur ieiunio: & qui tantum potest ex Horis Canonicis vnum aut alterum recitare Psalmum, non tenetur recitandi præcepto. Atqui præcipua & essentialis pars ieiunij est à carnibus abstinentia; ergo cui licet vsus carnium, liber est à ieiunio. 499. *Hoc probabilius iudico.*

PROBL. XVI.

Laici in Dominicis Quadragesimæ possunt, & non possunt sine Bulla ouis, ac lacticiniis vesci.

POssunt sæculares sine Bulla aliove indulto Dominicis Quadragesimę vti ouis, & lacticiniis. Quia Dominicæ Quadragesimæ cum diebus Quadragesimalibus minimè computandæ, quippe quæ quadragenario numero completo, videntur superfluere. Sic Anton. Gom. *in expos. Crucia. clauſ.* 7. *numer.* 7. Llamas 3. *part. cap.* 5. §. 26. & alij, quos refert Cordu. *quæstion.* 168. 500. *Possunt vti ouis & lacticiniis.*

Omnibus etiam laicis in Dominicis Quadragesimalibus oua & lacticinia iure communi prohibentur, sicut in omnibus aliis Quadragesimalis ieiunij diebus. Apertè id statutum est in Cap. *Denique, dist.* 4. vbi dum fit de tempore Quadragesimæ sermo, textus ait: *Par autem est, vt quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis ducunt ieiunemus, à carne videlicet, caseo, & ouis*; Cum ergo in Dominicis diebus Quadragesimæ æque abstinentia à carnibus præcipiatur, sicut & in diebus ieiunij Quadragesimæ: æquè quoque præcepta manebit ab ouis, ac lacticiniis abstinentia; vnde nec laici, nec Clerici, nec Religiosi in Dominicis Quadragesimæ poterunt sine aliquo priuilegio absque mortali ouis ac lacticiniis vesci. Ita Henriq. *lib.* 7. *cap.* 13. *numer.* 10. Sanct. *in Select.* 501. *Non possunt.*

Selectis. disput. 51. *numer.* 18. Villalob. *tract.* 23. *diffic.* 8. *numer.* 1. & alij apud Sanctium.

502. *Hoc verius.* Ego quidem probabilem satis puto primam sententiam: sed veriorem, communiorem, ac iuri conformiorem reor secundam.

PROBL. XVII.

In Quadragesimæ Dominicis Episcopi, Prælati, sacerdotes, Religiosi per indultum Bullæ possunt, & non possunt ouis, ac lacticiniis vesci.

503. *Non possunt lacticiniis vti.* NOn licet his personis exceptis in Bulla ex eius indulto oua, ac lacticinia in diebus Dominicis Quadragesimæ comedere. Quia ita Commissarius ex consultatione Papæ declarauit: & quia in Bullis antiquioribus habebatur clausula, quæ negabat præfatis personis oua & lacticinia solum in diebus Quadragesimalis ieiunij; nunc autem Bulla Hispana habetur, vt nequeant ea comedere in diebus Quadragesimæ, inter quos dies Dominicæ annumerantur; ergo modo Bullæ virtute non possunt præfatæ personæ ouis ac lacticiniis vesci. Sic Henriq. *l.* 7. *c.* 13. *n.* 10. Rodrig, §. 6. *n.* 8. Sancti. *in select. disp.* 51. *n.* 25.

504. *Possunt lacticiniis vesci.* Bullæ indulto licet his personis exemptis oua, & lacticinia diebus Dominicis Quadragesimæ comedere. Quia in Bulla Latina prohibetur Sacerdotibus, & Regularibus aliisque exceptis vsus ouorum, ac lacticiniorum in diebus ieiunij Quadragesimæ; ergo extra hosce dies possunt illis vesci; atqui dies Dominici non sunt Quadragesimalis ieiunij dies, sed tantum dies abstinentiæ à cibis prohibitis, scilicet à carnibus, ouis, & lacticiniis, vt experientia constat; ergo in illis possunt excepti per Bullam oua & lacticinia comedere. Ita Cordu. *in sum. q.* 168. Ant. Gomez *clauſ.* 7 .*n.* 7. §. 8. *dub.* 5. Approbat Villalob. *tract.* 27. *clauſ.* 6. *n.* 11. & valde probabilem existimant Dian. *p.* 1. *tr.* 11. *resol.* 5. & Ludou. Cruz *disp.* 1. *c.* 5. *dub.* 18. *num.* 5.

505. *Amplector hanc mentem.* Ego quidem hanc veriorem iudico, fundamenta sententiæ primæ infirma iudicans. Nec enim nobis constat iuridice illa Commissarij ex Papæ consultatione declaratio, imo contrarium Bulla ex Latina constat, cui standum, dum aliud iuridice promulgatum non fuerit. Et quia dies Dominicæ in Quadragesima non sunt Quadragesimæ dies: idem enim sunt dies ieiunij Quadragesimæ, ac dies Quadragesimæ; atqui dies Dominici non sunt dies ieiunij Quadragesimæ; ergo nec Quadragesimæ dies. Ostendo autem apertè Dominicas Quadragesimæ non esse Quadragesimæ dies. Quadragesima incipit à Dominica prima post dies Cinerum & in die Cœnæ Domini terminatur; quia eo in die Dominus Pascha celebrauit: vt vero compleretur quadraginta dierum numerus, ex quibus constat Quadragesimale ieiunium, statuit Ecclesia illos dies quatuor ante Dominicam primam Quadragesimæ, & alios duos Veneris, & sabbati post Cœnam Domini esse dies ieiunij Quadragesimalis, loco sex dierum Dominicarum Quadragesimæ. Legendum diuinor. Offic. Rationale *lib.* 6. *cap. de Dominica* 1. *in Quadragesimæ.*

PROBL. XVIII.

Tenetur quis ieiunare vel ex voto, vel ex pœnitentia, satis-facit, & non satis-facit præfatis ieiuniis in Quadragesima, si ouis & lacticiniis sine Bulla vescatur.

506. *Satis-facit his ieiuniis.* SAtis-facit quidem hisce ieiuniis, nisi fortè Confessarius in pœnitentiæ impositione, vouens in emissione voti id expresse prohibuerit. Quia præceptum ieiunij etiam in quadragesima non obligat ad ouorum, ac lacticiniorum abstinentiam: sed hæc abstinentia distinctum est præceptum à præcepto essentialis ieiunij. Sic Sanch. *lib.* 4. *Moral. c.* 11. *n.* 53. Ludou. Cruz *disp.* 1. *c.* 5. *dub.* 14. *n.* 12.

507. *Non satis-facit.* Non satis-facit hisce ieiuniis edendo in quadragesima oua & lacticinia sine Bulla. Quia etsi abstinentia ab ouis, & lacticiniis non sit de essentia ieiunij, est tamen quædam pars integralis, & circumstantia annexa ieiunio Quadragesimali ex Ecclesiæ præcepto. Ita Trul. *lib.* 1. §. 4. *dub.* 8.

508. *Idem puto.* Cui adhærere libuit: nam eo ipso, quod voto, pœnitentia, vel Iubileo ieiunium iniungitur, censetur iniungi eo modo, quo ab Ecclesia est institutum non tantum quoad essentialia, quæ sunt abstinentia à carnibus, vnicaque comestio: sed etiam quoad circumstantias ieiunio annexas, qualis est certa hora comedendi in omni ieiunio, & in Quadragesimali ab ouis, & lacticiniis abstinentia.

PROBL.

PROBL. XIX.

Generales, Prouinciales, ac Præpositi Religionum possunt, & non possunt Bullæ indulto circa oua ac lacticinia in ieiunio quadragesimali potiri.

509. *Potiuntur indulto.* DIximus, Bullæ indultum circa ouorum ac lacticiniorum vsum in ieiunio quadragesimali non prodesse Regularibus nisi sint *Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & alij inferiores Prælati.* Quæsierim, an Generales, Prouinciales, aliique Præpositi locales intelligendi sint, vt Bullæ indulto potiantur? Potiuntur planè. Quia sub nomine inferiorum Prælatorum illæ personæ intelligendæ. Sic Rodrig. §. *n.* 16.

510. *Non potiuntur.* Non potiuntur. Quia nomine inferiorum Prælatorum solum intelliguntur Abbates, seu Parochi, qui hoc nomine assolent insigniri. Vnde Commissarius per inferiores Prælatos solum intellexit Abbates: nam postquam Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos apposuit vulgari idiomate, loco illorum verborum. *Et inferiores Prælati*, expressit *Abbates.* Ita Trulleñc. *in expos. Bullæ lactic.*

511. *Hoc verius.* Cuius sententiam veriorem existimo; nam ratione perfectioris status strictius Prælati Regulares ad strictiorem abstinentiam obligantur: etsi Papa eos voluisset alleuiare; proculdubio expressisset.

PROBL. XX.

In ieiuniis per Iubileum indictis, ex priuilegio Bullæ poteris, & non poteris ouis, ac lacticiniis vesci.

512. *Non poteris lacticinijs vesci.* NOn poteris ouis, ac lacticiniis vti. Quia Iubilæus ad indulgentiarum lucrationem aliorumque indultorum fruitionem ieiunium perfectius indicit. Ita Nauar. *l.* 3. *de obseru. ieiun. consil.* 4. *vel* 5. *in* 2. *edit.* Iacob. de Graf. *tom.* 1. *decis. p.* 1. *lib.* 2. *c.* 37. *num.* 60.

513. *Poteris vesci lacticinijs.* Poteris plane in ieiunijs per Iubileum indictis ouis ac lacticiniis vesci. Quia iure communi non prohibentur oua, ac lacticinia per annum nisi adesset quadraginta annorum præscripta consuetudo. Sic Sanch. *lib.* 4. *Moral. c.* 11. *n.* 49. Filliuc. *tom.* 2. *tr.* 27. *c.* 3. *n.* 59. Villalob. *tom.* 1. *tr.* 27. *claus.* 6. *num.* 5. & alij.

514. *Poteris vel sine Bulla.* Non solum ex priuilegio Bullæ poteris ad Iubilei ieiunia perficienda vesci ouis ac lacticiniis per annum extra quadragesimam, sed & sine Bulla. Existimo enim non solum de iure, sed neque de consuetudine in die ieiunij extra quadragesimam oua ac lacticinia interdici. Sed quidquid de hoc, certum est, ex priuilegio Bullæ Iubilei ieiunia impleri posse cum ouorum, ac lacticiniorum vsu. Quia Iubileus strictius non requirit ieiunium, quam est ieiunium quadragesimæ; sed quadragesimæ ieiunium cum esu lacticiniorum ex indulto Bullæ completur: ergo & ieiunium a Iubileo præscriptum.

CAPVT XXXII.

Circa Confessarij ex indulto Bullæ electionem.

PROBL. XXI.

Parochus beneficio dimisso, vel Confessarius ad annum approbatus, anno elapso potest, & non potest per Bullam eligi.

515. *Anno elapso eligi non potest.* ABSOLVTE, & simpliciter approbatus ad annum Confessarius, intrà annum potest per Bullam eligi: anno autem elapso eligi valide non potest. Quia iam approbatio cessauit. Sicut Parochus, beneficio Parochiali dimisso, eligibilis non est; quia eius cessauit approbatio. Sic Henriq. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 3. *lit. I.* & alij.

516. *Eligi potest.* Anno elapso adhuc ille approbatus manet, & per Bullam eligi potest. Quia absolutè fuit approbatus, quod Bulla requirit. Ita Rodrig. *in addit ad* §. 9. *n.* 3. Dian. *p.* 1. *tr.* 11. *resol.* 11. asserit hanc opinionem posse admitti, si absque limitatione approbetur, nisi postea reprobetur ex causa. Approbat Acosta *in expos. Bullæ q.* 39. *& q.* 40.

517. *Primam sequor opinionem.* Primæ sententiæ hærendum mihi; quia etsi vnus & alter approbati fuere, non tamen approbatio manet, nam vnus fuit approbatus ratione beneficij & per ipsius collationem; ergo dimisso beneficio expirat approbatio, sicut elapso anno, alterius annualis approbatio cessat. Verùm si anno elapso, aut dimisso beneficio, approbationis cessatio ignoratur, & communiter reputantur absolutè approbati

siquidem ipsi tanquam approbati se gerunt, si bona fide eligantur, valet confessio, vt docet Henriq. *lib.3.cap.6.§.3.lit.E.* Quia error communis cum titulo colorato dat iurisdictionem.

PROBL. XXII.

Approbatus ad audiendos solos viros ætatis defectu solùm potest, & non potest virtute Bullæ à fœminis eligi.

518. *Non potest eligi à fœminis.* SI Confessarius approbatur cum limitatione ad certas personas v. gr. ad viros solum modo audiendos, ex ætatis defectu, non potest à fœminis eligi Bullæ virtute. Quia non censetur absolutè approbatus. Sic Henriq. *l.3.c.6.num.*8. Led. *tr.de pœnit.c.*13.*concl.*1.*dub.*9.

519. *Potest eligi à fœminis.* Confessarius, qui ratione ætatis approbatur cum limitatione ad viros solum audiendos potest ex indulto Bullę à fœminis eligi, dummodo sit idoneus sufficiens, pius & doctus. Quia hic censetur simpliciter approbatus, & limitatio iurisdictionis se tenet ex parte ætatis solius. Ita Barbos. *tom.*2. *allegat.*25.*n.*17. *de offic.& potest. Episc.* Gutier. *l.* 1. *can. qq. cap.* 27. *num.* 18. & 19. Et Henriq. ac Ledesm. probabilem satis hanc opinionem censent.

520. *Idem iudico.* Idem asserendum à me iudico, dummodo limitatio illa ad virorum solum modo confessiones audiendas non duceret ortum ex leuitatis aut immodestiæ suspicione. Lege Sanch. *l.*4.*de Matr.disp.* 34.*num.*16.Bonac.*tom.*1.*disp.*5.*q.*7.*pun.* 4. §. 1.*num.* 22. & Dianam affirmantem *p.* 1. *tract.* 11. *resol.* 7. hanc sententiam æque esse probabilem, quam oppositam. Ego vero qui post factum non condemnarem, in praxi non consulerem nisi adhibita conditione illa vt sit ample & non strictè approbatus,& aliàs sit pius & doctus, cuique non apposita fuerit propter leuitatem limitatio.

PROBL. XXIII.

Regularis approbatus ab vno Episcopo potest, & non potest vbique eligi Bullæ indulto.

521. *Indiget noua approbatione.* SCio, Regularem approbatum ab Episcopo simpliciter, quandiu habitat in diœcesi per Bullam à quolibet eius priuilegiis gaudente eligi posse. Scio, si contingat, huiusmodi Regularem discurrere peregrinando, posse per Bullam vbique eligi; quia non mutat habitationem, neque Ordinarium. Quæsierim tamen, quid si mutet ille domicilium? Regularis approbatus à suo Ordinario Episcopo si domicilium mutet in locum alterius diœcesis, indiget noua alterius diœcesis Episcopi approbatione, vt eligi per facultatem Bullæ valeat. Quia Religiosus vt eligi possit debet esse à suo approbatus Ordinario; ergo cum iam alium Ordinarium habeat, alia eget approbatione Sic Suar. *tom.*4. *in* 3.*p.disp.*28.*sect.* 7.*num.* 8. & 10. Ludouic. Cruz *disput.* 1. *cap.* 2.*dub.* 15. & alij.

522. *Non indiget noua approbatione.* Religiosus ab aliquo Ordinario absolutè ac simpliciter approbatus, est vbique per Bullam eligibilis, etiamsi domicilium mutet, nec noua eget approbatione. Quia Bulla solùm requirit, Confessarium esse ab Ordinario approbatum; at qui in aliqua diœcesi approbatus est, verè dicitur approbatus ab Ordinario esse; ergo vbique per Bullam erit eligibilis. Ita Henriq. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.*7.Glos.*lit.A.*Valer.*in differ.vtriusque fori verbo Absolu.diffic.*1.*n.*7.Reginal. *tom.* 1.*l.*6.*c.*16.*q.*4.*n.*188.

523. *Idem asserо.* Idem asserendum opinor, & ad quandam Cardinalium declarationem, quam Auctores contrariæ sententiæ adferunt, asseruerim, de illa authentice non constare. Imo Valerus & Suarius afferunt pro secunda sententia alias Cardinalium declarationes. Monuerim verò, sub Ordinarij nomine Abbates, Religionum Prælatos, Episcoposque titulares non esse intelligendos. Vnde Confessarij à profatis approbati non possunt per Bullam eligi.

PROBL. XXIV.

Obtinens beneficium Curatum, seu Parochiale, potest, & non potest Bullæ eligi indulto.

524. *Non potest eligi.* NOn potest eligi sine expressa Ordinarij approbatione. Quia in Bulla Pontifex mentionem gerit de Confessario approbato ab Ordinario, & nec verbum adiicit de illo, qui beneficium obtinet Parochiale. Sic Gutier. *qq. canon.l.*1.*c.*27. *num.*21.Nugnus *in addit. ad* 3.*p.tom.*2. *q.* 8.*art.*5.*dub.*9.

525. *Eligi potest.* Potest eligi sine expressa alia Ordinarij approbatione. Quia per Tridentinum beneficium Parochiale obtinens absolutè approbatur: nec Concilium exprimit, vt ab hoc vel illo Episcopo reputetur

reputetur idoneus; est igitur vbique proxime capax iurisdictionis, si aliunde conferatur ab eo,qui delegare potest,vel mediante Bulla,vel simili eligendi Confessarium priuilegio. Ita Valer.*in differ.vtriusque foriuer.Absol.diffic.*1.*n.*16. citãs Blanco doctissimum ac sanctissimum Archiepiscopum Compostellanum. Villalo. *to.*1. *tr.*9.*dub.*56. *n.*4. Suar.*in* 3.*p. to.*4.*disp.*28. *sect.*4.*n.*18. Reginal. *tom.* 1. *l.*1. *c.* 16.*q.* 3. *numero* 189. Fagund. *de præc. Eccl. tractatu* 2. *l.* 7. *cap.*2. *num.* 35.Filliuc. *tom.*1. *tr.*7.*n.*237.

526. *Subscribo.* Subscribo libenter, sed submonuerim hanc sententiam procedere quo ad illos, qui Parochiale beneficium actu retinent, non autem si habuerint, & renunciauerint, vt patet ex illis Concilij verbis: Nisi aut parochiale beneficium habeat,vt docet Fagund.*tr.*2.*l.*7.*c.*2.*n.* 38. licet alij probabiliter. Rodrig.*in addit. ad* §.9.*n.*4.& alij defendant. Deinde submoneo, nomine beneficij parochialis superiora beneficia includi, nempe Abbates, Archipresbyteros, & huiusmodi habentes curam animarum & in foro interno iurisdictionem. Sic Suar. citat.*n.* 21. Reginal.*n.*190.Filliuc.*to.*1.*tr.*7.*c.*9.*n.*257.

PROBL. XXV.

Sacerdos approbatus pro vno. Oppido Diœcesis tantum est eligibilis,& non est eligibilis indulto Bullæ ab iis, qui in Diœcesis eiusdem Oppido alio commorantur.

527. *Eligibilis non est.* NOn est eligibilis. Quia qui cum præfata limitatione approbatur, non est absolutè ac simpliciter habilitatus sed cum restrictione: vnde ex mente & voluntate approbantis non videtur aliis locis vti aptus exponi. Sic Filliuc.*to.* 1. *tr.*7. *c.*9.*n.*262.Nugn.*in addit. ad* 3.*p.to.*1.*q.* 8. *a.*5.*dub.*9.*in resp.ad* 9.& alij.

528. *Eligibilis est.* Eligibilis plane est.Quia Pontifex non exprimit, Quod Sacerdos eligibilis per Bullam sit approbatus illimitatè pro vniuersa Diœcesi: sed tantum requirit, vt sit approbatus ab Ordinario; ergo sufficit, pro vno tantum loco esse approbatum, præcipue cum versemur circa materiam fauorabilem non restrigendam,sed potius ampliandam. Ita Henriq. & Medin.apud Fagund.*de Præc.Eccl. tr.*2.*l.*7.*c.*2.*n.*18. & 22.Acost.*q.*39.

529. *Distinguendũ existimo.* Ego quidem distinguendum putarim. vel enim huiusmodi Sacerdos est approbatus in illo tantum oppido ex defectu scientiæ vel non: si ex scientiæ defectu, non est per Bullam eligibilis; quia non est absolutè approbatus, sed cum limitatione propter eius insufficientiam: & ideo constat de approbantis,seu exponentis mente, quod illum non aliter,nisi pro illo paruo oppido approbaret. At si limitatio ex scientiæ defectu non procedat, eligibilis est. Quia absolutè ab Ordinario approbatus Sacerdos eligitur, nec sub est fundamentum, vt de contraria exponentis voluntate suspicari possimus,

PROBL. XXVI.

Confessarius quidam sæcularis approbatus fuit olim ab Ordinario, postmodum autem sine causa reprobatus: potesthic eligi,& non potest eligi Bullæ virtute.

530. *Eligi potest.* POtest eligi. Quia Ordinarius iniuste eum reprobans ex pertinacia,aut maleuolentia proculdubio deliquit, & vere ille non est iurisdictione priuatus. Sic Acost. *in expos. Bul.q.*40.& Ioan. de la Cruz probabilem esse docuit loco infra citando.

531. *Eligi non potest.* Eligi non potest Quia iam huiusmodi Sacerdos approbatus non est. Innuit Bulla plumbea, dum ait, licere per Bullam eligere Confessarium sæcularem ab ordinario approbatum & de Regularibus semel approbatum: ergo de sæcularibus Sacerdotibus eligibilis non est qui aliquando fuit approbatus modo tamen approbatus non est, cum id solis Regularibus concedatur. Ira Ioan. de laCruz *in Direct. p.*2. *tract. de pœnit. q.* 5. *dubio* 8. *concl.*4.

532. *Prima sententia hæresco.* Primam sententiam magis probo. Igitur si non ex culpa propria, vel ex crimine inducente infamiam, aut indecentiam ad audiendas confessiones sed ex Ordinarij maleuolentia, aut in pœnam alicuius inobedientiæ ab exercitio audiendi confessiones prohibeatur, virtute Cruciatæ eligibilis erit ab eo, cui constiteri de iniuria aut causa reprobationis; nam si id non constet, in dubio pro iudicio ordinarij præsumendum.

***

PROBL. XXVII.

Regularis ab Episcopo est approbatus, sed à Prælato Religionis cum causa aut sine causa prohibitus est: hic per Bullam potest, & non potest eligi.

533. *Non potest eligi.* NOn potest eligi, Quia Episcopi potestatem audiendi confessiones conferunt Regularibus dependenter à propriis Prælatis præsentantibus Religiosos Episcopis: ergo cum Prælatus reuocat præsentationem, facultas Episcopi reuocata censebitur. Ita Angelus apud Adria *q.* 1. *de confes. dub.* 1. & alij neoterici.

534. *Eligi potest.* Eligi potest. Quia talis Sacerdos habet potestatem ordinis, & iurisdictionis; ergo valide poterit confessiones audire independenter à Prælati suspensione, si tamen aliis defectibus, quibus iurisdictione iustè priuetur, laborare non videatur. Ita *to.* 1. *tr.* 9. *dub.* 50. *n.* 4. Homob. *de exam. Eccl. p.* 1. *tr.* 5. *c.* 2. *q.* 13. Salas *de legib. disp.* 16 *sectio* 10. *n.* 43.

535. *Idem existimo.* Assero (cum his opinor) Episcopum non esse intelligendum conferre Regulari potestatem cum illa limitatione, nisi id expresse significet. Nam si Episcopus licentiam conferret iuxta propriæ Religionis dispositionem fatus, tantum valere facultatem illam sicut in regulis Religionis sancitum est, & Religiosus confessiones audiret contra Prælatorum prætextum, nulla esset absolutio. Porro Episcopi non assolent in dimissoriis huiusmodi limitationem apponere. Confessarius igitur ab Episcopo approbatus, sed à suo Prælato suspensus eligi potest per Cruciatam, quando aliis defectibus non laborat. Delinquet tamen grauiter, si ex ea sit Religione cuius constitutiones obligant sub mortali: nullius autem culpæ reus erit, vbi regularum transgressione piaculum non committitur.

PROBL. XXVIII.

Religiosus non præsentatus à suo Prælato potest, & non potest ab Ordinario approbari, de eius licentia confessiones sæcularium audire, & per Bullam eligi.

536. *Non potest approbari.* NOn potest Religiosus sine præsentatione Prælati ab Episcopo approbari, ideoque non potest per Bullam eligi. Quia Regularibus ius commune medio Prælatorum consensu communicat sua priuilegia: quod colligitur ex constitut. Iulij III. Sic Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 60. *a.* 3.

537. *Approbari potest.* Potest Religiosus sine Prælati præsentatione approbari ab Ordinario, & de illius licentia sæcularium confessiones audire, & per Bullam eligi. Quia potest Episcopus subdito alterius Episcopi facultatem respectu suarum ouium contra voluntatem eiusdem proprij Episcopi exhibere; ergo idem poterit Religioso exempto præstare. Et quamuis concedamus iurisdictionem, quæ datur à Papa, iuxta statuta Religionis, mediis superioribus præberi: tamen hoc non procedit in Episcopali iurisdictione, quam potest Episcopus sicut Sacerdoti seculari, ita Religiosis concedere. Cui sententiæ fauere videtur Tridentinum *sess.* 23. *c.* 15. vbi solum requiritur ad secularium confessiones audiendas, esse ab Ordinario approbatum. Ita. Acost. *in expos. Bullæ. q.* 41. Villalob. *p.* 1. *tr.* 9. *diffic.* 50. *n.* 4. Ludou. Cruz *disp.* 1. *c.* 2. *dub.* 16. *n.* 5. Ledes. *in sum c.* 13. *de pœnit. dub.* 12.

538. *Sub distinctione fero iudicium.* Certe si Regularis ob causam iuridice & per sententiam est à prælato priuatus iurisdictione, & approbatione Episcopi, non potest per Bullam eligi. At si nulla adest iuridica prohibitio, sed aut simplex prohibitio, aut non præsentatio, quia nondum expositus Religiosus est, eligi poterit. Quia si ex Tridentino solum requiritur approbatio ab Episcopo facta, & iurisdictio: approbatio non deest, Concilium enim non petit Prælati approbationem: iurisdictio adest, nam per electionem pœnitentis virtute Bullæ factam Religiosus acquirit iurisdictionem à summo Præsule: nec vllam hic iniuriam Regularibus Prælatis irrogat; quia cum supremus sit Pastor potest cuilibet fideli per Bullam, aut aliud priuilegium facultatem concedere vt valeat Religioso peccata aperire, ab eoque, Prælato contradicente, absolui.

PROBL. XXIX.

Confessarius Regularis semel ab Episcopo approbatus, & reprobatus postmodum potest, & non potest virtute Bullæ eligi.

339. *Potest eligi, quia Episcopus non potest approbationē reuocare.* REgularium approbationes quoad sæculares ab Episcopis absolutè & simpliciter factæ in eo Episcopatu sunt perpetuæ nec possunt ab Episcopo concedente

cedente reuocari, nec ab eiusdem successore, nec pro eius libito rursum examinari, reprobari, aut suspendi, nisi ex iusta causa, v. gr. si Regularis scandalosus sit, vel errores in confessionum ministerio disseminet. Quia Benedictus X I. in extrau. *Inter cunctas*, *de priuil.* concessit vt Religiosus semel approbatus, rursum non teneatur approbanti Episcopo, aut eius successori præsentari. Idem conceditur in Clement. *Dudum de sepultur.* quæ quidem Clementina & Extrauagans non sunt per Tridentinum *sess.* 23. *c.* 15. reuocata; quia tam Clementina, quam Extrauagans habent vim legis, Concilium autem solum derogat priuilegia contraria, hoc autem non est contrà Trident. quia iam fuerunt Religiosi illi ab Episcopo approbati, quod Concilium requirit. Rodriguez, §. 9. *à numero* 31. *& in addit. à num.* 30. *& tom.* 1. *qq. Regul. quæst.* 59. *artic.* 4. Henriquez, *lib.* 3. *cap.* 6. *numer.* 6. Lopez *de Bulla cap.* 8.

540. *Non potest eligi, quia Episcopus potest approbationem reuocare.* Attento solo iure communi, eodem modo potest Episcopus approbationem sæcularium, ac Regularium reuocare; quia id nullo expresso iure prohibetur, & quia Episcopus successor est verus Pastor, & propriam induit obligationem, nec tenetur ratas habere approbationes ab antecessore factas: & vt suæ conscientiæ satisfaciat, potest ad examen omnes approbatos reuocare, & reprobare, quos idoneos non inuenerit. Quod supponere videtur Pius V. in Motu proprio anno 1571. *Romani Pontificis*, Vbi de Mendicantibus etiam ait posse pro maiori suæ conscientiæ quiete à successore examinari, ergo supponit hoc esse de iure communi. Porro speciali ex priuilegio concessum est Regularibus vt ab eodem Episcopo non possint iterum examinari, ac reprobari: ab alio vero sueecessore posse. Pius V. de Regularibus sic: *Qui semel ab Episcopo in Ciuitate, & Diœcesibus suis præuio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non possunt examinari: ab Episcopo autem successore pro maiori conscientiæ quiete examinari de nouo poterunt.* Extat manifesta huius Constitutionis declaratio. Cardinalium tempore Sixti. V. de qua Ludouicus Cruz *disput.* 1. *cap.* 2. *dub.* 9. *n.* 2. Ita Suarez, *tom.* 4. *in* 3. *part. disputat.* 28. *sect.* 8. *num.* 4. Barbo. *tom.* 2. *alleg.* 25. *num.* 28. Sancti. *in select. disp.* 48. *à num.* 16.

541. *Huic hæreo sententiæ.* Huic hæreo sententiæ, qui de oppositæ veritate dubitabam, iam autem non dubito; puto enim omnino falsam esse postquam Vrbani VIII. Constitutionem editam anno 1629. die 30. Ianuarij, quam refert Barbosa *lib.* 1. *de Iure vniuerso cap.* 43. *num.* 212. legi. Vbi primo statuitur, Regulares posse iterum ab Episcopo successore examinari & si minus idonei fuerint, reprobari iuxta Pij V. constitutionem. Secundo, approbatos ab Episcopo ad certum tempus, non posse confessiones audire absque noua ipsius Episcopi approbatione, præuio etiam si ei libuer it, nouo uo examine. Tertio, illos, quos ipsemet Episcopus semel admiserit ad confessiones audiendas simpliciter, & absque vlla temporis prædefinitione ab eodèm reprobari non posse absque noua causa. Quarto denique, Episcopum non teneri ipsis Regularibus aperire subsit ne causa, necne: sed sedi Apostolicæ dumtaxat, vbi eam sibi iusserit aperiri. Porro verba Bullæ à Gregorio XIII. concessæ non obstant, *Et quod Regulares, qui semel tantum ab Ordinario fuerint approbati*; nam intelligenda iuxtà Pij V. constitutionem, & Congregationis declarationem.

PROBL. XXX.

Sufficit, & non sufficit petere approbationem, vt Regularis, (si iniuste ei denegetur) censeatur vere approbatus, & valeat per Bullam eligi.

542. *Non sufficit petere approbationem.* SVfficit approbationem petere, & si ei iniuste denegetur, vere approbatus censetur Religiosus, & potest per Bullam eligi. Quia Sacerdotes Regulares à suis superioribus electi ad audiendas sæcularium confessiones, & Episcopo præsentati, habent à iure approbationem, & iurisdictionem, si eos sic electos, & Episcopo præsentatos Episcopus approbare noluerit. Concessit Bonifac. VIII. in *Extrau. super cathedram*, *de sepult.* Benedict. XI. *in Extrau. Inter cunctos*, *de priuileg.* & Clemens V. *in Clement Dudum*, *de sepult.* qui reuocauit extrauagantem Benedicti, & reduxit rem ad statum in quo per Bonifacium erat constituta. Vnde Regulares legitime secundum dispositionem Clementinæ *Dudum* Episcopo præsentati, iniustè tamen expulsi sunt ipso iure approbati, etiam post Tridentinum. Quia *sess.* 23. *cap.* 15. Concilium præfatam concessionem minimè

derogauit quoad Regulares Prædicatores, & Minores, quoad alios derogauit; eo enim quod respectu Prædicatorum & Minorum concessio illa sit in corpore iuris inserta legis communis rationem habet: respectu vero aliarum Religionum tantum habet vim priuilegij; Concilium autem solum ibi derogat priuilegiis, & consuetudinibus. Sic Henriq. *l.* 3.*c.*6.*n.*6. Rodrig. 1. *tom. Regul. qq. q.* 59.*artic.* 2. Lopez *de Bul. c.*8. Nauar. *c.*27.*num.*264.

543. *Non sufficit petere approbationem.* Non sufficit, approbationem petere, sed vel Dominicanis, ac Seraphicis necessaria est post Tridentinum approbatio re ipsa obtenta; vnde quamuis legitimè præsententur, si eis, licet iniustè, approbatio denegetur, non censentur approbati, nec possunt valide per Bullam eligi, quamuis delinquet Episcopus sine iusta causa approbationem denegans. Inde colligitur Clementinam *Dudum* per Tridentinum esse reuocatam. Quia illa exceptio repugnat expresse illis generalissimis Concilij verbis: *Nullus Sacerdos secularis, aut Regularis*: vbi Concilium eos in hoc æquiparat; atqui sæcularis quamtumuis iniustè ei approbatio denegetur, non censetur approbatus; ergo nec Regularis: & sicut particula illa *Nisi* est conditio sine qua non respectu sæcularium, sic & Regularium respectu; Clementina igitur illa per Tridentinum est reuocata. Ita Suar. *to.*4. *in* 3.*p. disp.*28.*sect.* 5.*num.*13. Fagund. *de præc. Eccle. l.* 7. *c.*2. *n.* 13 Ludou. Crux *disputatio.* 1. *capite* 2. *dubio* 19. *c.* 7. Rodrig. §. 9. *numer.* 32. qui quidem *in Regul. to.* 1. *q.* 59*a.*2. sententiam mutauit.

544. *Cum his opinor.* His hæresco Doctoribus, & cum Suario rogito, an Concilium aliquid nouum statuat circa Regulares, nec ne, si nihil, cur eos nominat; & si aliquid, ergo aliquid addit his, quæ antea statuta erant, & id quod de nouo statuit, vult ad Regulares extendi; statuit autem, vt requiratur approbatio obtenta, vt vidimus; ergo vult hanc Regularibus etiam esse omnino necessariam; & hoc est, quod addit iuri antiquiori, per quod in hac re Clementina *Dudum* derogatur.

PROBL. XXXI.

Si Regularis confessarium eligat virtute Bullæ, debet, & non debet eligere ab Ordinario approbatum.

545. *Tenetur approbatum ab Ordinario eligere.* QVi omninò falsum existimo posse Regulares Bullæ virtute sine Prælatorum facultate Confessarium eligere, qui eos à reseruatis absoluat, differendi gratia (inferius elucido quæstionem) suppono probabilem esse, & requiro, an Confessarius à Regularibus eligendus debeat esse ab Ordinario approbatus, vel sufficiat approbatum à proprio superiore Regularem eligere; Certè si virtute Bullæ à Regulari Confessarius sit eligendus, siue illum eligat de licentia Prælatorum, siue sine illa, vt valida sit electio, & vt vt priuilegio Bullæ gaudere possit, tenetur ab Ordinario approbatum eligere, & non sufficit à suo Prælato eligere approbatum. Quia expresse id constat ex Bullam requirente, vt electio sit sacerdotis ab Ordinario approbati. Loquitur autem Bulla indifferenter, ac generaliter, & ideo certum est nemini concedi id priuilegium nisi sub ea conditione; non possunt ergo excipi Regulares, sed si vti possint hoc priuilegio, eandem tenentur seruare conditionem. Porro nomine Ordinarij nequit intelligi Prouincialis, vel alius ipsius Religiosi Prælatus, tum quia Pontifex, dum addit, vt approbatus sit ab Ordinario, vult Tridentinum seruari, & petit approbationem ab illo præscriptam, quæ quidem est actio propria Episcoporum Tum etiam quia verba illa generalia sunt, & eandem respectu omnium significationem habent. Cōstat autem, respectu reliquorum omnium fidelium requiri Episcopi approbationem; ergo respectu Regularium. Sic Suar. *to.*4. *in* 3.*p. disp.*28.*sect.*6.*n.*11. Henriq. *l.*3.*c.*6. *n.*6. *& l.*7.*c.*12.*n.*4. *& c.*20.*n.*5. Lopez 1.*p. instr. c.*26.

546. *Non tenentur eligere ab ordinario approbatum.* Vt Regulares à reseruatis absolui possint Bullæ virtute non tenentur Confessarium approbatum ab Ordinario eligere, sed sufficit à proprio Prælato approbatum adire. Quia Tridentinum nihil quoad Regulares innouauit *sess.* 23. *capite* 15. solum enim disponit, vt Confessarius audiens sæcularium confessiones, sit ab Episcopo approbatus: de Regularibus autem nihil disponit; ergo cum ante Tridentinum poterant de licentia Prælatorum aut ex Bullæ indulto quemcumque idoneum eligere, similiter & post Tridentini dispositionem. Idoneus autem Sacerdos pro Religiosis absoluendis reputatur, qui à Prælato proprio est approbatus. Ita Sayr. *disp.*49.*num.*11. Dian. *in addit. resol.* 4.*part.*1.*tract.*3. *miscel. resol.*47. Ludouic. Cruz, *disp.*1. *cap.*2. *dub.* 24. qui citat Filliuc. *tom.*1. *tract.*8. *cap.* 10. *num.*275. Bonac. *de pœnit. disput.* 5. *quæst.*7. *punct.*4. *numer.* 25.

Primæ

547. *Primam sequor opinionem.* Primæ sententiæ subscribo Doctoribus. Igitur vt Religiosus à casibus reseruatis virtute suorum priuilegiorum absoluatur, sufficit Confessarium à suo Prælato approbatum esse. At si ad absoluendum à casu aliquo Religiosus non habeat per sua priuilegia facultatem, vnde ad eius absolutionem Bulla requiratur, tunc si virtute Bullæ sit absoluendus, tenebitur approbato ab ordinario Confessori peccata aperire.

PROBL. XXXII.

Regulares possunt, & non possunt virtute Bullæ à casibus suo Prælato reseruatis, absque eorum licentia absolui.

548. *Possunt Regulares absolui à reseruatis, Bullæ indulto.* POssunt Religiosi absolutè & simpliciter Bullæ virtute absolui à reseruatis Prælatis Regularibus etiam repugnantibus, & contradicentibus. Quia verba concessionis generalia sunt pro omnibus fidelibus. Et quia ipsa Bulla omnia priuilegia contraria reuocantur. Quare ipse Cruciatæ Commissarius, ad quem pertinet Bullæ sensum declarare, sæpe de hoc interrogatus ita respondit. Alij id concedunt saltem quando Bulla à Religiosis fuit cum licentia Prælatorum accepta: tunc enim aiunt, non posse Prælatos postea restringere facultatem: secus quando sine Prælati licentia accepta fuit. Sic aliqui Doctores, quos suppresso nomine refert Suar. *tom.4. de Relig. tract.9.lib.2. cap.16.num.2.* Valer. *in differ.vtriusque fori differ.1.concl.5.* Trul. *in expos. Bul.lib.1. §.7.cap.1. dub.9.* Sancti. *in select. disp.44. num.10.& 13.* Ponti. *de Matr.l.5.cap.20. num.7.& l.8.c.19.§.2.num.13.& 14.* Freit. *in Memoriali peculiari de hoc articulo.* Commissarius Cruciatę in Regno Lusitaniæ die 7. Martij anno 1630. publico edicto declarauit, omnes Religiosos sine Prælati licentia posse Bullam accipere, & eius facultate vti ad Confessarium eligendum, & absolutionem à reseruatis obtinendam: ipsisque Prælatis Regularibus sub grauissimis pœnis prohibuit, ne subditis huiusmodi vsum prohiberent, suorum ordinum Constitutionibus non obstantibus. Denique alij multi Doctores Theologiæ, ac Iuristæ Salmanticenses quos suppresso nomine memorat eminentiss. Cardinal. de Lugo *tom. de pœnit. disp.20.sect.9. num.131.* & expresse Trullench loco citato.

549. *Non possunt Confessarium* Religiosi saltem Mendicantes non possunt absque Prælatorum facultate Confessarium eligere, qui eos virtute Cruciatæ à reseruatis absoluat. *eligere, vt absoluantur à reseruatis.* Quia extat expressa, & sæpissimè repetita summorum Pontificum declaratio, qui contrariam doctrinam vt falsam omninò reprobarunt. Mitto antiquiora decreta Alexandri IV. pro Cistercensium ordine, & Innocentij VIII. pro Augustinianis, & eiusdem pro Minoribus, & alia modernorum Pontificum, quæ omne dubium auferre videntur, expono. Gregorius XIII. die 3. Maij ann. 1575. in Bulla, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, declarauit, *non esse, nec fore vnquam mentis suæ, aut sedis Apostolicæ, vt personæ Societatis, absque expressa superiorum eiusdem Societatis licentia, vtantur facultatibus, quæ in Iubileis, Bullis Cruciatæ, confessionalibus, aut aliis quibuslibet Apostolicis indultis, siue Communitatibus, siue priuatis personis, siue piis locis, aut quomodocumque hactenus concessæ sunt, aut in posterum concedentur: etiamsi in illis expresse indulgeatur, vt omnes Regulares etiam Mendicantes huiusmodi facultatibus vti possint.* Clemens VIII. literis expeditis die 14. Iunij anno 1595. decernit, *nulli Religiosorum Societatis licere facultatibus Cruciatæ in quacumque mundi parte publicatæ, vel publicandæ, quo ad eligendum Confessarium, & obtinendam absolutionem à casibus reseruatis, vti: nec eis, quoad hanc eligendi Confessarium, & obtinendi absolutionem, prædictam facultatem Cruciatæ huiusmodi suffragari: sublata omnibus Ordinariis, & delegatis aliter iudicandi, & interpretandi facultate.* Vnde merito Sexta nostra Congregatio *decreto* 5. grauissimè prohibuit, *ne vllus nostrorum* auderet vel docere, vel in praxi contrariam tenere sententiam. Hoc ipsum pro omnibus vtriusque sexus Regularibus Mendicantibus Clemens VIII. literis ad hoc expeditis in forma Breuis declarauit, nempe *concessionem sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluendi à casibus reseruatis, cum Fratribus, ac sororibus Monialibus quorumcumque Ordinum, ac Congregationum cuiuscumque Instituti Mendicantium tam Prouinciæ Hispaniæ, quam extra eam vbilibet, locum minimè habere, neque censeri: sed suæ intentionis fuisse, quod iidem Fratres, & Moniales quantum ad Sacramentum pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subiecti essent. Iisdem tamen Prælatis, vt in vsu huiusmodi potestatis se cum subditis*

ditis faciles, & benignos exhiberent, præcepit. Quas Clementis literas retulit Paulus V. in alio Breui dato die 24. Decembris anno 1608. vbi eas, ac earum præceptum, & decretum, declarationemque perpetuo confirmauit,& approbauit, illisque perpetuæ ac inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiecit, & ad omnes Religiosos etiam non Mendicantes extendit. Hoc itaque irrefragabili declarationis Pontificiæ fundamento hærentes hanc sententiam defendunt Corduba, Ledesma, Garcia, Passarellus,quos refert, ac sequitur Suar. *tom.4.de Relig.tract.9. lib.2. c.16.n.2.* Llamas, Coriolanus, Vecchius, Portellus, Acosta, Miranda, Reginaldus, quos affert, & sequitur Diana *p.1. tr.11. resol.14.& part.3.tract.4. miscel. resol.43.* Henriq. *l.6.c.16.§.7. & l.7.c.22.*vbi recenset plures Doctores Salmanticenses, qui lectis Pontificum declarationibus idem affirmarunt.Rodrig. §.9.*dub.7.n.24.& 25.* Qui quidem licet addat contrariam sententiam aliquam habere probabilitatem, id tamen intelligit de Religionibus, in quibus Prælati id tacitè permittunt, vt ex contextu, rationibusque constat inibi allatis, Vberrime demum eminentissimus Condiscipulus, Magister, inquam meus doctissimus *tom. de pœnit. disputat. 20. sect. 9. à num.153.* Cardinalis de Lugo, cuius Tractatus eruditissimi vel vnicum verbum prætermittere duxi piaculum.

550. *Declaratio Pontificum comprehendit omnes Societatis Religiosos post vota simplicia emissa.*

Igitur tot subscribo Doctoribus & contra aduersariorum duritiem pugnæ præter morem exurgo. Igitur Seraphinus Freitas *in illo Memor. num.* 23. ad hasce Pontificum circa nostram Societatem declarationes respondet illam Gregorij XIII.non esse vniuersalem, sed solum pro solemni professioni addictis quatuor votorum, qui pauci annumerantur. Nescio tamen ex quonam Bullæ verbo id potuerit colligere, cum Pontifex profetur expresse id intelligi *de personis Societatis*, & Clemens VIII. asserat, *nulli Religiosorum Societatis id licere.* Certum autem est,omnes, qui Nouitiatu expleto in Societate vota etiam simplicia emiserunt, esse verè ac propriè Religiosos, & de corpore Societatis, Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Ascendente Domino* definiuit, anno 1584. declarans contrariam doctrinam temerariam esse.

551. *Præfata indulta per sequentem Bullam non reuocantur.*

Præfata Indulta (aiunt magis vniuersaliter)quæcumque illa sint postmodum per Bullam sequentem reuocantur,in qua reuocantur omnia contraria. Vnde non solum declarationes factæ pro aliis Religionibus,sed etiam illę quę verbis strictissimis factæ sunt pro Societate nostra, a Cõmissario suspenduntur,& à Põtifice per clausulam reuocatoriam in Bulla contentam reuocantur. Certè non possunt per verba illa Cruciatæ præfata indulta, ac Decreta Pontificum derogari,nisi Pontifex habeat animum illa derogandi: hunc autem animum nullus Pontifex habet, vel habuit; ergo per illa verba non derogantur. Minorem ostendo;quia ipsi Pontifices sæpius interrogati, & non interrogati semper asseruere,nunquam intendisse iis verbis huiusmodi Religiosos exceptos comprehendere, vt constat ex Decretis Iulij II. Leonis X. Sixti IV. Innocentij VIII. Alexandri VI. Clementis VII. Pij V. quæ videri poterunt apud Rodrig. *tom.2. qq. Regul. q.62.a.4.*Henriq.*l.6.c.16. in Glos.lit. P. & l.7. c.22.* §.2. An non Pontifices, qui ita vniuersaliter declararunt, non comprehendi huiusmodi Religiosos in concessione Cruciatæ publicandæ, nec eam fore vnquam *Sedis Apostolicæ mentem*, sciebant, Cruciatam in posterum publicandam cum illis clausulis derogatoriis? Quis audeat abnegare? Attamen declararunt, non reuocari, nec comprehendi hanc exceptionem per illas clausulas futuras; quomodo ergo sine manifesta Pontificum ipsorum iniuria potest aliquis priuatus Auctor asserere,per illam clausulam communem Cruciatæ id totum reuocari?Porro hoc esset manifestè dicere,errasse Pontifices, dum dixerunt, per Cruciatam publicandam postea cum illis clausulis,haud fore præfatam exceptionem reuocandam. Audi,quæso Vrbani VIII. Decretum ab omni te abstrahens dubitatione, omnem quidem euasionem de cætero auferens. Die 19. Iunij anno 1630. Pontifex declarauit, *Concessionem Sanctæ Cruciatæ, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluendi à casibus reseruatis cum Regularibus quorumcumque Ordinum, & Congregationum, Societatisque, & Instituti Mendicantium vtriusque sexus locum minimè habuisse, neque habere, nec illis vllo modo suffragari potuisse, neque posse: & quod ijdem Fratres,& Moniales quantum ad Sacramenti Pœnitentiæ seu Confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & sedi Apostolicæ, quoad sibi reseruata, subiecti sint.* Ablata deinde facultate Nunciis Apostolicis, ac Cruciatæ Commissariis facultatem aliter interpretandi, vt latius constat ex Bullæ tenore,

re, ex qua vides iam omnino illam corruere euasionem.

552. *Potuerunt Pontifices successorum suorum mentem declarare.*

Potuere quidem (instant) Pontifices suam mentem declarare non tamen suorum successorum: quare viuente Gregorio non potuere Religiosi per Bullam subsequentem ab eodem Gregorio concessam absolui; quia iam ipse Gregorius suam mentem expresserat. Mortuo tamen (v.g.) Gregorio poterunt per Cruciatam absolui ab eius successore concessam, cuius non potuit prædecessor manus ligare, nec explicare mentem, quominus per verba generalia non intelligerentur omnes comprehendi. O quam sine pondere obiectio! Num vestras vmquam peruenit ad aures ex communi Doctorum (de quo Sanch. *l. 8. de Matr. disp. 23. n. 49.*) non expirare morte Pontificis Decretum quod verbo hoc: *Sedis Apostolicæ* roboratur? Cardinalis de Lugo *tom. de Pœnit. disput. 20. sect. 9. num. 165.* fatur verbum illud, *sedes Apostolica facit, quod Decretum non expiret morte Pontificis*. Quid Gregorius XIII? *Non esse, nec fore vnquam mentis nostræ, aut sedis Apostolicæ.* Quid Clemens VIII. & Paulus V? *Prædictas literas Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & Apostolicæ firmitatis robur adiicimus.* Hinc Vrbanus VIII. de iis Religiosis, qui prætextu Cruciatæ se fecerant absolui, aperte dicit, eos malè & inualidè id gessisse: & ideo addit se non *sine animi id audiuisse molestia*: & demum declarat, eos omnes nullo modo id potuisse gerere. E qua declaratione constat apertè, mortuo Pontifice. non incipere Bullam Religiosis prodesse; nam si hoc esset, potuissent vtique Religiosi vti huiusmodi facultate mortuo Paulo V. qui suam intentionem pro omnibus Religiosis declarauerat: Gregorius enim XV. & ipse Vrbanus VIII. nullam adhuc fecerant talem declarationem pro omnibus Religiosis: & & tamen Pontifex declarat, omnes confessiones illo prætextu factas, & omnes absolutiones obtentas inualidas fuisse: ergo apertè supponit, intentionem illam excludendi Religiosos morte prædecessoris non expirasse, sed perseueresse in successoribus, etiam antequam quidquam de nouo declararent: alioquin non debuissent declarari inualidæ absolutiones præteritæ, prout ab Vrbano declarantur. Qua declaratione posita, non video, quomodo iam opinio illa possit amplius (verbis vtor Cardinalis de Lugo) sine grauioris censuræ nota sustineri: cum iam non agatur de veritate facti, an scilicet Papa habeat, vel non habeat talem intentionem, sed de veritate doctrinæ, an scilicet sit vera doctrina, quam Pontifex sua Constitutione declarauit fuisse falsam, & Religiosos pœnitentes deceptos fuisse ab iis, qui talis doctrinæ prætextu eos absoluebant.

553. *Vim non habet primum aduersariorum fundamentum.*

Ex præfatis quis non videat aduersariorum infirmata esse fundamenta adeò vt exædificatio omninò corruisse conspiciatur. An robur habeat argumentum ex concessione generali omnibus fidelibus absque vlla exceptione facta ad Confessarium eligendum? Certe sub illa vniuersitate verborum non comprehenduntur Religiosi saltem Mendicantes; & quia Pontifex non habet intentionem eos comprehendendi, vt ex declaratione, & attestatione tot Pontificum constat; & quia in ipsa Bulla implicitè excluſi sunt, dum dicitur, non reuocari in ipsa facultates concessas eorum Prælatis, ex quibus vna est, ne possint vti hac Bulla, ad eligendum Confessarium sine eorum licentia; & quia per alia Decreta Pontificia sunt iam expresse ab hac excluſi vniuersalitate; & quia illa vniuersalis concessio ordinatur ad eos, qui capaces sunt, non ad incapaces, nisi id explicetur; cum ergo Religiosi redditi sint incapaces huius concessionis per Constitutiones Pontificias, non mirum, quòd ab eius participatione excludant?

554. *Nec secundum.*

An vigeat argumentum desumptum ex derogatione, vel suspensione facultatum, & priuilegiorum contrariorum, quæ habentur in fine Bullæ, quæ cum sit posterior, videtur per illam derogari omnibus illis Decretis Pontificiis anterioribus contrariis? Minime, quia regula illa, *Quod posteriori priuilegio derogatur priori*, intelligenda, quando cætera sunt paria, vel aliunde non constat de contraria voluntate concedentis, prout in casu nostro constat, Pontificem illa sua derogatione in Bulla Cruciatæ non velle derogare Decretis suis anterioribus. Quod quidem constat & ex verbis Bullæ, quibus excipiuntur ab illa derogatione facultates concessæ Prælatis Mendicantium; & quia ipsimet Pontifices ita declararunt, se non habuisse talem intentionem reuocandi per illam derogationem generalem Decreta sua circa Religiosos: & nouissime Vrbanus VIII. declarauit, irritum quod talis derogationis prætextu factum esset.

555. *Nec tertium.*

An validum sit argumentum ex declaratione

ratione Commissarij Cruciatæ, qui sæpe declarauit, Religiosis Mendicantibus Bullam prodesse ad eligendi Confessarium effectum, & à reseruatis obtinendum absolutionem : & Commissarius Lusitaniæ edicto publico id promulgauit anno 1630 ? Profecto vltima declaratio facta fuit à Lusitaniæ Commissario die 7. Martij anno 1630. eodem autem anno die 29. Iunij ob eam fortasse causam Vrbanus VIII. Constitutione edita declarauit irritam Confessionem prætextu illius facultatis factam, ablata Commissario licentia aliter interpretandi, & declarandi. Quamuis in aliquo (fateor) sensu sustineri quidem potuisset Commissarij declaratio : illa enim non loquitur de Religiosis habentibus aliquam prohibitionem sedis Apostolicæ : sed de iure communi solùm ; in quo sensu declarat, posse eos virtute Cruciatæ absolui, non obstantibus quibuslibet constitutionibus earumdem Religionum ; non tamen declarat, id procedere, stantibus declarationibus sedis Apostolicæ, quibus redduntur incapaces illius facultatis, propter quas Pōtifex illas absolutiones præteritas irritas declarauit.

556. *Nec quartum.* An polleat fortitudine argumentatio ex Bulla, qua assolent Pontifices Iubileum extraordinarium concedere cum facultate eligendi Confessarium, & à reseruatis absolutionem obtinendi : quam facultatem habent proculdubio etiam tunc Religiosi, licet in Bulla Iubilæi non derogentur magis specialiter eorum facultates, & priuilegia, quam in Bulla Cruciatæ : quod idem dicendum de facultate, quæ in Bulla Cruciatæ conceditur? E quidem magnum discrimen est inter casum Bullæ Cruciatæ & Iubilæi ; quia in Bulla Cruciatæ excipiuntur expressè facultates concessæ Prelatis Mendicantium in ordine ad suos subditos à suspensione illa generali, quæ exceptio in Bulla Iubilæi non habetur ; & quia admodum diuersa est formula reuocationis in vtraque Bulla: nam in Bulla Iubilæi reuocantur expressè pro illa vice, statuta, & Indulta etiam illa, quibus statutum est à sede Apostolica, vt per Bullas aut Iubilæum non possit dari absolutio sine speciali mentione illius prohibitionis. Porrò hæc differentia inter concessionem Iubilæi & Cruciatæ constat apertè ex declaratione ipsorum Pontificum, qui declararunt, in Iubilæo se velle comprehendere quoscumque Regulares, quando illi clausulis vtuntur : è contra vero circa clausulas Bullæ Cruciatæ interrogati, semper responderunt, & declararunt, se noluisse reuocare prohibitiones, quibus Regulares ab vsu illius facultatis prohibiti fuêre.

557. *Nec quintum.* An vim præseferat argumentum illud: Cruciata concessa est Regi : non solent autem Pontifices, nec intendunt derogare priuilegiis, quæ Regibus, vel ad eorum conceduntur instantiam, nisi id exprimant. *arg. text. in Cap. Fin. de offic. deleg. lib. 6. Cap. Ne aliqui de priuil. lib. 6.* Tridentin. *sess. 25. capit. 9. de reform.* ? Verùm licet eiusmodi expressio requireretur, satis id expressere Pontifices in constitutionibus supra adductis, in quibus expressè asserunt, nolle se Religiosis concedere facultatem eligendi Confessarium virtute Cruciatæ, quæ in Hispania publicatur. Cum enim Cruciata illa concessa fuerit Regibus, eo ipso quod illam nominat, explicat Pontifex se derogare illi facultati concessæ ad Regum instantiam. Addiderim, falsum Seraphinum de Freitas (cuius hoc argumentum) supponere, quòd scilicet hoc sit priuilegium Regibus iam concessum : nam Cruciata concessa fuit pro tempore determinato, quo finito, de nouo pro sex annis conceditur, ita vt singulis sexenniis sit noui priuilegij concessio. Potest ergo Pontifex, licet non deroget priuilegio iam concesso : nolle tamen illud de nouo concedere ita amplum, nec nouum, hoc est, in ipsa Cruciata, cum Pius V. addiderit de nouo illam exceptionem facultatum Mendicantium, quæ antea non erat.

558. *Nec sextum.* An robur exerat excogitatio illa quod Cruciatæ concessio est quasi contractus onerosus, seu concessio remuneratoria; obligat enim se mutuo Rex ad soluenda multa aureorum millia pro fabrica S. Petri : eiusmodi autem priuilegia ex contractu oneroso non censentur per posteriores Constitutiones, & per alia Indulta præsertim gratuita reuocari, vt Iuristæ asseruere? Planè licet priuilegium ex pacto oneroso reuocari non soleat, potest tamen Pontifex declarare postea, qualem in concessione intentionem habuerit : de facto autem declararunt Pontifices, se non intendisse illam facultatem Religiosis concedere,

559. *Improbabile omnino iudico contrariam opinionem.* Rogas denique, num contraria sententia, quæ tot Auctoribus cincta exponitur, probabilis adeò sit, vt possit pœnitens, vel confessarius se illi conformare, eamque practicè sequi, quo casu ratione probabilitatis dabitur iurisdictio? Respondeo,

deo, quidquid sit de eorum auctoritate, qui id asseruerunt, quique fortasse re non satis examinata iudicarunt: iam tamen accedente declaratione sedis Apostolicæ, quæ confessiones illas irritas fuisse declarauit, cessare omninò quamlibet probabilitatis speciem, quæ reuera sit probabilitas; ignorantia enim, vel pertinacia alicuius, qui sinè sufficienti fundamento teneat, vel dicat iam id esse probabile, quod probabile non est, non sufficit ad acquirendam iurisdictionem. Certe iam, mihi credite, opinio hæc (vt in Examine Confessariorum innui) qui laxa admodum conscientia affecti facili student Confessionis ex indulto Bullæ remedio, grauiori, heu, vulnere saucij.

PROBL. XXXIII.

Religiosi virtute Bullæ possunt, & non possunt Confessarium eligere, qui eos à peccatis mortalibus non reseruatis absoluat.

560. *Possunt eligere Confessarium, qui eos à mortalibus non reseruatis absoluat.*

POssunt quidem. Quia Pontifices solum videntur loqui de absolutione à reseruatis. Nam Clemens VIII. in illo Breui pro Religiosis Societatis expedito anno 1595. videtur solum absolutionem à reseruatis prohibere, *Sancimus*, inquit, *nulli Religiosorum eiusdem Societatis licere, facultatibus Cruciatæ huiusmodi publicatæ, vel publicandæ, quoad eligendum Confessarium, & obtinendam absolutionem à casibus reseruatis, vti: nec eis quoad hanc eligendi Confessarium, & obtinendi absolutionem, prædictam facultatem, Cruciatam huiusmodi suffragari.* Eadem omnine habet Gregorius XV. in suo Breui expedito anno 1622. pro eisdem Religiosis Societatis. Eodem modo loquitur Vrbanus VIII. in sua Constitutione. *Concessionem*, ait, sanctæ Cruciatæ, aliorumque indultorum huiusmodi, quantum ad prædictum articulum *eligendi Confessarium, & absoluendi à prædictis casibus reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis cum Fratribus, & Monialibus prædictis, quorumcumque Ordinum, &c. locum minime habuisse, neque habere, nec illis vllo modo suffragari potuisse, neque posse.* In quibus verbis solum prohibetur facultas Confessarium ad casus reseruatos eligendi. Itaque si Religiosi casibus reseruatis Pontifici, aut propriis Prælatis non grauentur, possunt beneficio Cruciatæ absolui. Sic Rodrig. *in sum. to. 3. c. 7.* Trul. *l. 1.* §. 7. *c. 1. dub. 9.* & supponunt Doctores cuncti, qui affirmant à reseruatis etiam posse.

Non possunt. Quia intentio Pontificum fuit non solum absolutionem à reseruatis, sed omnem prorsus Cruciatæ vsum Religiosis prohibere in ordine ad sacramentum pœnitentiæ. Pius V. in suo Breui anno 1571. verbis generalibus vtitur; *Sed nostræ intentionis existere, quod iidem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramentum pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuo declaramus.* Idem constare videtur ex verbis Gregorij XIII. in Bulla adducta superius pro Religiosis Societatis. *Non esse*, ait, *nec fore vnquam mentis nostræ, aut sedis Apostolicæ, vt personæ societatis absque expressa superiorum eiusdem societatis licentia, vtantur facultatibus, quæ in Iubileis, Bullis Cruciatæ, Confessionalibus, &c. hactenus concessæ sunt, aut in posterum concedentur.* Vbi vtramque facultatem aperte comprehendit, cum vtraque in Bulla Cruciatæ concedatur, scilicet & eligendi Confessarium, & obtinendi absolutionem à reseruatis. Idem colligitur ex verbis Clementis VIII. in illo proprio Motu edito pro omnibus Religiosis, in quo declarauit, *suæ intentionis fuisse, quod iidem Fratres, ac Moniales quantum ad Sacramentum pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti essent.* Hæc demum videtur esse mens Vrbani VIII. quia in præfata Constitutione expresse confirmat, & innouat totam Clementis declarationem, cuius verbis relatis subdit: *Præfatæ Clementis prædecessoris declarationi inhærentes, illamque tenore præsentium innouantes, ac quatenus opus sit ampliantes.* Ex hisce generalibus verbis quibus vtraque facultas aufertur, exprimitur sensus illorum verborum, quibus de sola absolutione à reseruatis loqui videbantur. Nam in his etiam de vtraque loquuntur: non enim negant copulatiuè solum facultatem eligendi Confessarium, & obtinendi absolutionem à reseruatis; sed etiam diuisim quamlibet illarum facultatum. Ita eminentiss. Cardinalis de Lugo. *tom. de Pœnitent. disputat. 20. section. 9. numer. 195. 196.*

561. *Non possunt eligere.*

Cui quidem mihi subscribendum, sensum enim illum non gratis, sed cum necessario fundamento expressit. Primo, (vt cum eodem loquar) quia iidem Pontifices

562. *Subscribo Eminentissimo Cardinali.*

Pontifices Clemens VIII. & Gregorius XV. qui illa verba pro sententia prima allata habent, præmittunt pro ratione illius decreti: *sanè, cum ratio doceat, & experientia compertum sit, Religionibus valde perniciosum existere, vt earum Religiosis licitum sit, Confessarium sibi eligere.* Non dixerunt ad reseruata, sed in vniuersum, *Confessarium sibi eligere*; ergo totam illam facultatem pernicio-sam eligendi Confessarium voluerunt auferre. Secundo, quia idem Clemens, in alio Decreto voluit, omnes Religiosos Mendicantes, quoad Sacramentum pœnitentiæ, subditos esse suis Prælatis, non obstante Cruciata; ergo non habuit in illo alio decreto intentionem subiiciendi Religiosos Societatis Prælatis solum quo ad casus reseruatos. Tertio quia idem Clemens VIII. & Gregorius XV. in illo Breui adducto pro parte contraria referunt Bullam Gregorij XIII. qua tota facultas ablata fuerat: quare contra illos, qui dicebant, per Bullam Cruciatæ derogari Decreto Gregorij XIII. illud de nouo declarant; ergo idem omninò voluerunt declarare, quod Gregorius XIII. declarauerat: alioquin non concessissent id quod petebatur. Quartò, quia idem Vrbanus: cuius etiam verba pro contraria opinione afferebantur, in eadem sua constitutione innouat decretum Clementis VIII. quod vniuersaliter subiecerat Religiosos Prælatis, quo ad Sacramentum pœnitentiæ; ergò non potuit velle limitare illam subiectionem solum quo ad casus reseruatos; alioquin videretur sibi contradicere, dum dicit, se innouare, & ampliare decretum Clementis, si alio ex capite illud magna ex parte reuocaret, & limitaret, scilicet quoad omnia peccata mortalia non reseruata; oportet ergo fateri, illa verba: *Facultatem eligendi Confessarium, & absoluendi à casibus reseruatis*, non collectiuè stare, sed distributiuè; vt scilicet illæ facultates, & earum quælibet non habeat locum pro Religiosis.

563. *Ad clausulã Vrbani stricti-orem respondeo.* Solum obiici possunt quædam verba, quæ Vrbanus subiicit: sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quod iidem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramentum pœnitentiæ, seu confessionis administrationem Ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & sedi Apostolicæ, *quoad sibi reseruata subiecti sint.* Quibus verbis aliqui asseuerare voluisse Pontificem, quoad hoc limitare decretum Clementis, in quo illa particula, *Quoad sibi reseruata*, non inuenitur, & declarare, totam hanc prohibitionem solùm esse in ordine ad absolutionem à reseruatis. Respondeo, verborum *Quoad sibi reseruata* sensum esse diuersum; non enim referuntur ad Prælatos, sed ad sedem Apostolicam, cui immediatè apponuntur: ita vt sensus sit, Religiosos subiici debere dispositioni suorum Prælatorum, atque etiam sedis Apostolicæ quo ad reseruata eidem Apostolicæ sedi. Voluit autem Pontifex addere particulam; *Quoad sibi reseruata*, non vt limitaret decretum Clementis; sed ne daretur causa errandi. Addidit etiam illa verba, *Et sedi Apostolicæ*, quæ non erant in decreto Clementis, ne fortasse, dum dicebatur absolutè, Religiosos pendere omninò à suis Prælatis quo ad absolutionem Sacramentalem, cogitaret aliquis eos ita plenè pendere à suis Prælatis, vt sicut sine illorum licentia à nullo peccato mortali possunt absolui: ita de eorumdem licentia, ab omnibus possent absolui peccatis: quod cum de iure communi falsum sit, propter peccata aliqua summo Præsuli reseruata, à quibus sine speciali licentia eiusdem non possunt à Prælatis absolui: ideo addita sunt, ad hanc errandi occasionem tollendam verba illa: *Et sedi Apostolicæ, quo ad sibi reseruata*; quoad reliqua enim à sola Prelatorum dispositione pendent. Quem sensum quia non ita exprimebant verba Clementis, prudenter Vrbanus voluit ad vberiorem claritatem adiungi.

PROBL. XXXIV.

Religiosi possunt, & non possunt virtute Cruciatæ absolui etiam à reseruatis: dummodo Confessarij, quos per Bullam eligunt, sint ex deputatis, & approbatis ab eorum Prælatis, ad eorum confessiones audiendas.

564. *Possunt absolui.* POssunt plane. Quia Bulla Clementis VIII. quam confirmauit Vrbanus, prohibet tantum eligere Confessarios, extra Religionem, vt Regulares absolutionem à reseruatis obtineant, vt constat ex petitione in proœmio facta hisce verbis: *Et illorum prætextu eligunt Confessorem aliquando præter eos, qui à suis*

suis Prælatis eorum confessionibus deputati sunt, quod aliquando in speciale eorum vergit detrimentum. Certe ex proœmio animus legislatoris, & intentio totius Decreti colligitur, illudque limitatur, vt docet Tiraquel. *tr. Cessante causa, lim.* 1. *num.* 65. Sic Villalob. *tom.* 1. *tract.* 23. *claus.* 9. §. 2. *num.* 12. asserens ita opinatos esse viros doctissimos Alfonsum Curiel, Antolinez Augustinianum, Cornejo Carmelitam, Ocampo, & alios : addensque idem iudicasse Patres Collegij Regij Salmanticensis nostræ Societatis.

565. *Absolui non possunt.* Minimè possunt. Quia Pontifices omninò intenderunt vsum Cruciatæ Religiosis in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ prohibere, vt Problem. 33. aperte ostenditur. Ita Cardinal. Ioan de Lugo *de pœnit. disput.* 2. *sect.* 9. *num.* 195.

566. *Idem fero iudicium.* Idem fero iudicium, P. Henrici de Villalobos venia, non admittens Societatis Iesu viros doctos conscientiæque timoratæ asseruisse, quod nostra in Societate tam absurdum obiicitur. Possunt quidem Confessarij à superiore assignati à peccatis mortalibus non reseruatis absoluere sine Bullæ prætextu, at à reseruatis minimè sine recursu ad superiorem. Fateor in aliquibus Religionibus non omninò improbabile, sufficere tacitam Prælatorum licentiam, vt Religiosus possit Bullam Cruciatam sumere ad effectum eligendi Confessarium pro reseruatis : sicut sufficit, vt possint per Bullam vesci cibis prohibitis. Quia qui tacet potens impedire, & non prohibet, videtur consentire, & tacitum consensum dare iurisdictionem Nauar. affirmat *Cap. Placuit, de pœnit. dist.* 6. *num.* 96. & alij. In Religionibus itaque, vbi vident Prælati subditos suos Bullam accipere ad effectum absoluendi à reseruatis, & hanc esse vniuersalem suorum Ordinum consuetudinem, & tacent, nec prohibent, consentire censentur. Ita Henriq. *l.* 7. *cap.* 22. *num.* 4. Rodrig. §. 9. *num.* 25. Ludou. Cruz *disput.* 1. *cap.* 1. *dub.* 13. *num.* 1.

***

CAPVT XXXIII.

Circà facultatem absoluendi à reseruatis.

PROBL. XXXV.

Facultas data per Bullam absoluendi aliquem in articulo mortis, extenditur, & non extenditur ad mortis periculum.

567. *Non extenditur.* NON extenditur. Quia cum iura dicunt, quemlibet sacerdotem iurisdictionem habere absoluendi à peccatis, de articulo mortis loquuntur; eodem etiam modo loquitur Bulla, cum dat facultatem Sacerdoti approbato ab Ordinario absoluendi à reseruatis, nempe in mortis articulo. Sic Cano, Valent. quos citat. Sanch. *l.* 2. *Moral. c.* 13. *n.* 1. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 4. qui quidem sumunt articulum mortis strictè, & à periculo mortis distingunt.

568. *Extenditur.* Etsi metaphysicè loquendo hæc duo distingui videantur, moraliter tamen, & quo ad effectum absoluendi ab omnibus peccatis & Censuris, articulus mortis, & & periculum mortis pro eodem in iure sumuntur: vnde sicut in articulo mortis potest quilibet Sacerdos ex priuilegio iuris absoluere ab omnibus peccatis & censuris : sic in mortis periculo. Quia in cap. *Si quis suadente* 17. *q.* 4. posita reseruatione excipitur periculum mortis. Et in *Cap. Non dubium, de sententia excommunicationis*, facta mentione exceptionis illius dicitur esse in articulo mortis, qui in mortis periculo versatur; ex quibus apertè constat, duo hæc in iure distingui, & pro eodem reputari. Ita Nauar. Medi. Paluda. Adria. Sylu. quos refert, & sequitur Suar. *tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 26. *sect.* 4. *n.* 3. Sanch. *l.* 2. *Moral. c.* 13. *à n.* 1. Ludou. Cruz *disp.* 1. *c.* 3. *dub.* 16.

569. *Cum his opinor.* Certè (vt cum his opiner) morale periculum in moralibus perindè existimari debet, & ita caueri sicut euentus ipse; vnde certissimum est, exponentem se morali periculo culpæ lethalis, peccare mortaliter; ergo idem de periculo corporalis mortis asserendum. Certè non satis Ecclesia de remedio prouidisset, si tantum pro eo tempore præcisè articuli mortis illud concederet; quia si in periculoso morbo

morbo id expectares, posset aliquid accidere, quo iam confessio geri non posset, aut non vti fieri deceret. Cum ergo ægrotum obligemus huic præcepto ante illum articulum satisfacere, vt opportuno tempore sibi prouideat; eadem ratione dicendum, Ecclesiam opportuno tempore remedium prouidisse. Duo tamen obserua, vt periculum mortis, & articulus mortis æquiparentur. Vnum, vt mortis periculum prope sit, & velut in fieri, id est, prudenter timeatur, & sequatur probabiliter. Alterum: vt morali necessitate cogente absoluendus in id periculum incidere debeat, v. gr. si necessarium sit illi ex causa vrgente nauigationem periculosam, aut bellum inire; quando enim sponte periculo implicaris, haud diceris esse in mortis periculo. Sic Sanch. *vbi supra.* Limito tamen hanc conditionem, vt solum procedat, antequam nauigationem, aut bellum aggrediare: nam quando es iam actualiter in nauigatione aut bello, existimo, te posse à quolibet à reseruatis absolui; quia vere in mortis periculo versaris, & parum refert, quod illius voluntariè aut cogente necessitate fueris aggressus.

PROBL. XXXVI.

Indulto Bullæ poteris, & non poteris toties quoties absolui à casibus Pontifici reseruatis; si sint occulti.

570. *Non poteris toties quoties absolui.* NOn poteris absolui ab hisce casibus quantumuis occultis, nisi semel in vita & rursum in articulo mortis. Quia quamuis ab his casibus occultis possit absolutè Episcopus ex concessione Tridentini absoluere; hæc tamen concessio ex speciali iure, & particulari priuilegio ob auctoritatem personæ Episcopi concessa, oritur. Ita Henriq. *l.6.c.14.num.7.* Bannes 2.2.*q.64.art.vlt.* Ludou. Cruz *disp.* 1. *c.3. dub.13.n.3.*

571. *Poteris toties quoties absolui.* Poteris toties quoties absolui à casibus Papalibus occultis Bullæ virtute: illaque restrictio, semel in vita, & iterum in articulo mortis tantum est intelligenda de iis casibus, quando sunt publici, & manifesti. Quia Bulla solos casus Pontifici reseruatos excipit, ne liceat ab illis absolui toties quoties; at ij casus occulti iam non sunt Pontifici reseruati, sed competunt Episcopis non ex aliqua delegatione speciali; sed iure Ordinario tanquam perpetuo Episcopali dignitati annexo. Ita Sanch. *l.4.Moral.c.54. n.27.* Trul. *l.1.§.7.c.2.dub.6.* Dian. *p.1.tract. 11. resol. 12.*

572. *Probabiliorem puto hanc sententiam.* Probabiliorem iudico hanc sententiam, sciens, reseruationem vt odiosam esse limitandam, quando verba talem limitationem patiuntur; atqui illa restrictio potest addici soli absolutioni casuum, qui sunt publici; ergo solummodò respectu eorum facultas repetendi in eodem anno absolutiones toties quoties oportuerit ex indulto Bullæ denegabitur. Certe ipse Henriquez profitetur, talem facultatem non esse priuilegium Episcopis concessum, sed potius restitutionem iurisdictionis, quam iure communi habebant, quæquidem ipsis cum hac limitatione, quod casus sint occulti restituitur.

PROBL. XXXVII.

In generali licentia Bullæ latinæ absoluendi semel in vita, & semel in morte à casibus reseruatis Papæ, etiam in Bulla cœnæ expressis (nisi in Bulla Hispana aliud fuisset declaratum) tribueretur, & non tribueretur facultas absoluendi hæreticum internum, & externum occultum tamen & iam emendatum.

573. *Tribueretur facultas absoluendi hæreticum occultum.* TRibueretur quidem. Quia in Bulla latina facultas conceditur absoluendi semel in vita, & iterum in articulo mortis à reseruatis etiam in Bulla cœnæ Domini, & ibi hæresis non excipitur. Patet in latina Bulla Gregorij XIII. Porro in Hispana Bulla, cui fides adhibenda, expresse affirmatur, hæresis absolutionem in præsentis Bullæ generali concessione non contineri: *Excepto* (ait) *el crimen de la heregia.* Quæ additio facta est à Commissario Cruciatæ de licentia Greg. XIII. *Motu proprio*, qui incipit, *Officij nostri partes. anno 1576. die 22. Septemb.* At ante huiusmodi Commissarij declarationem generalis illa facultas ad hæresim debebat extendi. Sic Sotus *in 4.dist.22. q.2.a.3. in 1.casu cœnæ*, Cordub. *in sum.q.8.*

574. *Non tribuetur.* In nulla generali facultate absoluendi à casibus etiam Bullæ cœnæ, absolutio ab hæresi continetur, siue talis facultas detur per Bullam, siue per Iubileum. Quia concessio generalis absoluendi ab excommunicatione, & à casibus cœnæ, non comprehendit eam, cuius absolutionem verisimili coniectura iudicatur delegantem non commisisse, vt constat ex

Cap.

Cap. *In generali*, *de regul. iuris in 6.* at hæresis absolutio adeo reseruata est; vt verisimiliter eam Pontifex non concessisset; ergo eius absolutio sub generali concessione non comprehenditur. Præterea id apertè definiuit Gregorius XIII. in illo Motu proprio; ergo etiam si aliud fundamentum non daretur, asserendum esset, in generali concessione, & facultate absoluendi à casibus etiam Bullæ cœnæ, hæresim minimè comprehendi. Ita Henriquez *lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 2. Azor. *tom.*1.*lib.*8. *cap.*10. *quæst.* 12. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.*12. *num.* 10. Suarez *tractat. de Fide disputat.* 21. *sect.* 4. *numer.*21. Barbos. *de potest.Episc.tom.*2.*alleg.*40.*n.*31.

575. *Hoc mihi certum.* Idem asserendum existimo, cùm quia stylus & vsus Curiæ Roman. habet, vt sub huiusmodi clausula generali hæresis non comprehendatur: tùm etiam quia Inquisitoribus concessum est, vt ipsi simultatem habeant absoluendi ab hæresi; ergo non videtur per clausulam generalem talis facultas concedi; derogaret enim magna ex parte priuilegio Inquisitorum, cui Pontifex non assolet per generales cencessiones sic derogare.

PROBL. XXXVIII.

Legentes, habentes, & imprimentes Hæreticorum libros, defensores, receptatores, ac fautores eorum, si reuera hæretici non sint: possunt, & non possunt virtute Bullæ semel in vita, & iterum in mortis articulo absolui.

576. *Possunt absolui.* SI reuera hæretici non sint, & tradant Inquisitoribus libros hosce, absolui possunt Bullæ ex indulto semel in vita, & iterum in mortis articulo: & similiter virtute Iubilæi casus Cœnæ absolutionem specialiter concedentis. Quia nullo iure contrarium probatur, neque ij casus ea tam speciali reseruatione afficiuntur, atque ipsa hæresis, vt propterea speciali indigeant mentione. Sic Henriquez *lib.*3. *cap.*16. *num.*2. *lit. I.* Sanch. *lib.*2. *Moral. cap.* 12. *n.*12. Suarez *de Fide disp.*24. *sect.* 1. *num.*11. & alij apud Diana *part.*1. *tract.*11. *resolut.* 29. quorum sententiam asserit probabilitate non carere.

577. *Non possunt absolui.* Non possunt absolui licet re vera hæretici non sint, & libros Inquisitoribus tradant. Quia extat Motus proprius Pauli IV. id expresse in fauorem Sanctæ Inquisitionis prohibens. Ita Rodriguez §.9. *num.*70. *& in addit. ad* §. *eundem num.*66. *&* 67. qui quidem testatur se Motum proprium hunc apud archiuum S. Inquisitionis Vlysiponensi in vrbe vidisse.

578. *Cum prima sententia Doctoribus opinor.* Certè (vt cum primæ sententiæ Doctoribus feram iudicium) talis Motus proprius nostræ non officit sententiæ; quia in eo tantum prohibetur sub excommunicatione Pontifici, vel Inquisitori generali reseruata, ne habentes libros hæreticorum, vel ab Inquisitoribus prohibitos absoluantur à Confessoribus, nisi prius illos Inquisitoribus tradiderint. Quare cum illa excommunicatio sit Pontifici reseruata, & non sit in Bulla excepta, fit inde posse virtute Bullæ absolui illos, si libros Inquisitoribus tradiderint.

PROBL. XXXIX.

Potest quis, & non potest absolui ab excommunicatione annexa alicui casui reseruato posita in Motu proprio aliquo concesso post Bullæ concessionem, in quo expresse dicitur, nè virtute Bullæ Cruciatæ possit absolui.

579. *Absolui non potest.* SI Motus proprius fuit concessus ante Bullæ concessionem, certum est, posse quem Bullæ virtute ab illa excommunicatione absolui; quia Bulla Cruciatæ posterius concessa dat Commissario generali facultatem, vt possit suspendere (vt de facto suspendit) quamlibet gratiam Bullæ contrariam. At quando Motus proprius concessus fuit post Bullæ concessionem, absolui non poterit. Quia non est præsumendum, Pontificem velle Motu proprio eodem tempore, quo illud concedit derogare, derogaret autem si quis per Bullam posset absolui. Sic Rodrig. *in addit. ad* §.9. *n.*57.

580. *Absolui potest.* Potest adhuc per Bullam absolui licet Motus proprius concessus fuerit post concessionem Bullæ: huiusmodique Motus proprius à Commissario reuocatur per suspensionem eorum, quæ sunt Bullæ contraria. Quia id declaratum fuit à Commissario generali in casu Constitutionis latæ per Sixtum V. anno 1590. contra aborsum. Ita Henriq. *lib.* 3. *cap.*10. *n.*2.*lit. K.* Trul.*lib.*1.§.7.*c.*2.*dub.*8. Ludou. Cruz *disp.*1.*c.*4.*dub.*6.*n.*7.

581. Illa declaratione suppositâ, hanc

Hoc mihi probabilius. sententiam probabiliorem puto ; quia Commissarius generalis habet à Pontifice facultatem interpretandi dubia, & priuilegiis contrariis derogandi præsumique potest in fauorem Cruciatæ hanc esse summi Præsulis intentionem.

PROBL. XL.

Quando aliquo edicto sub excommunicationis pœna præcipitur, aliquod delictum denunciari : ille qui omisit denunciare hæreticum, aut illa quæ se sollicitantem Confessarium non denunciauit : poterit, & non poterit virtute Bullæ absolui, si denunciare proponat.

582. *Potest absolui cum proposito denunciandi.* POterit absolui ille, seu illa ab excommunicatione quam ob omissam denunciationem contraxit, si cogente, vt debet Confessario, Inquisitoribus delictum id aperire proponat. Quia si retinens alienum potest bis, aut ter absolui cum proposito restituendi, cur non etiam qui denunciationem omisit, quamprimum denunciare proponens ? An non contumax eo quod non vult ad iudicium venire poterit absolui, si cautionem de standō iudicio præstiterit ? Ergo similiter qui promittit denunciare. Sic Nauarr. *lib.* 5. *consil. tit. de hæretic. cons.* 3. *num.* 2. Seraph. Freit. apud Roderic. Acuña *quæst.* 21. *num.* 31. & ipse Acuña in hanc videtur inclinare sententiam.

583. *Non potest absolui cum proposito denunciandi.* Si vir, aut fœmina confiteatur, post habitam notitiam delicti, & post terminum lapsum, negligentem se præstitisse circa criminis delationem, ne quidem semel poterit absolui (iusta tamen causa non intercedente) etsi fidem det, se illico denunciaturam. Quia non est absoluendus qui excommunicatur, donec concubinam eiiciat, nisi prius sit expulsa, nec sufficit, vt proponat expellere ; ergo similiter. Ita Ioann. Sanct. *in select. disput.* 11. *numero* 62. Trul. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 9.

584. *Idem iudico.* Res tanti momenti circa fidei versans puritatem magna indiget circunspectione, & morali certitudine. Vnde primam sententiam minimè in praxi auderem admittere nisi in casu, quo ex iusta & vrgenti causa posset denunciatio differri, & persona denunciaturam se promittens esset fide digna ; nec enim in re tam graui facilè adhibenda est fides promittenti denunciare. Vnde sententia prima etsi stando in iure communi, & attenta solùm præcepti natura, posset sustineri : at supposita excommunicatione, minimè tenenda.

PROBL. XLI.

Absolutio ab excommunicatione, & aliis Censuris valet, & non valet pro foro exteriori, & iudiciali.

585. *Numquam valet pro foro exteriori.* ABsolutio excommunicationis vel alterius Censuræ ratione Bullæ, vel Iubilæi data solum valet pro foro interiori, numquam pro exteriori, & iudiciali. Quia priuilegium nunquam prodest in exteriori foro, nisi id exprimatur : & quia Iudici qui excommunicationem tulit iniuria videtur irrogari. Sic Villalobos *part.* 1. *tractat.* 27. *clauf.* 9. §. 2. *numer.* 24. Couarruu. 2. *variar. c.* 10. *num.* 3.

586. *Aliquando valet pro foro exteriori.* In aliquo casu etiam prodest hæc absolutio pro foro exteriori, nimirum si parti læsæ fuerit realiter satisfactum, vel cum ea concordia inita. Quia similis concessio facta fuit à Pio V. in quodam Iubilæo anni 1568. die 17. Octobris : & in aliis Iubilæis à Gregorio XIII. & XIV. concessis. Ij enim Pontifices postquam in præfatis Iubilæis concesserunt facultatem absoluendi à Censuris reseruatis explicarunt, huiusmodi absolutionem non prodesse in foro externo, seu contentioso, nisi parti satisfecerint pœnitentes : quæ proxima verba apertè innuunt, talem absolutionem, satisfacta parte, etiam in externo foro valere ; ergo similiter cum Cruciata absolutionem à Censuris concedat, cum partis læsæ satisfactione, & non limitet huiusmodi absolutionem ad forum internum : satis probabiliter asseri potest, etiam, parte satisfacta in exteriori foro valere. Ita Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 2. *lit. V.* Rodriguez §. 9. *num.* 56. & 57. & *in addit. ad* §. 9. *n.* 51. Nauar. *c.* 26. *n.* 26.

587. *Hoc mihi probabilius.* Idem asseruerim, sciens, id praxim Pontificum insinuare ; nam dum in suis Iubilæis facultatem concedunt absoluendi à Censuris reseruatis, addunt, *In foro conscientiæ dumtaxat.* Significantes quidem, satisfacta parte absolutionem à Censuris valere etiam pro foro exteriori, nisi pro foro conscientiæ limitetur, vti Sixtus V. limitauit in Iubilæo anni 1585. & Paulus V. anni 1605. Quo in casu nullà Iudici qui excommunicauit,

cauit, irrogatur iniuria, eo quod parti, quæ illam efflagitauit ferri excommunicationem, sit iam realiter satisfactum, quod Iudex intendit. Monuerim tamen excommunicatum Bullæ beneficio absolutum parte satisfacta, à Confessario habere chirographum, quo asserat absoluisse illum satisfacta parte, ne Iudex eum possit corripere, & à diuinis officiis velut excommunicatum arcere.

PROBL. XLII.

Nominatim excommunicatus denunciatus, cum manifestum est, eum illigari huiusmodi Censura, potest, & non potest ratione Bullæ, vel in foro conscientiæ absolui.

588. *Non potest licite absolui.* QVando excommunicatio Petri (verbi gratia) nominatim annunciati manifesta est, per se loquendo non potest licitè absolui etiam in conscientiæ foro. Quia talis absolutio saltem iudicis perturbaret iurisdictionem, coram quo lis pendet, & magnum oboriretur scandalum. Vnde Tridentinum *sess. 24. cap. 6.* non concessit Episcopis facultatem à Censuris reseruatis absoluendi iam ad forum contentiosum deductis; ne scilicet exterior iurisdictio perturbaretur. Sic Auila *part. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 10. concl. 4.* Sylu. *ver. Excommunicatio 2. dub. 12. & ver. Pœna*, §. 18. Rodriguez §. 9. *num. 58. lib. 7. cap. 13.* Henriquez *num. 2. & in Glos. lit. Q.*

589. *Potest licitè absolui.* Quando excommunicatio Petri nominatim denunciati publica est, potest licitè absolui in foro conscientiæ. Quia huiusmodi absolutio potest sine scandalo geri, & cum solum pro foro interno valeat, iurisdictio exterior minimè perturbatur; potest enim iudex ita aduersum eum processus exserere, ac si absolutionis beneficio fruitus non esset: nec excusatur ille, quin se se Iudici præsentare teneatur, & exterius vti excommunicatum se ostendere; nulli igitur irrogatur iniuria huiusmodi impertiendo absolutionem. Ita nonnulli recentiores, quos presso nomine memorat Trullench *de Bulla libr. 1. §. 7. capite 2. dub. 10.* eorumque probabilem asserit opinionem.

590. *Primam sequor, & expendo opinionem.* Priorem sententiam mihi eligendam duxi. Licet enim inde nullum sequatur scandalum; adhuc autem per se loquendo videtur iniuriam Iudici haben-

ti integrum ius procedendi contra illum irrogari, & eius perturbari iurisdictionem; reus enim eo ipso, quod est absolutus etiam pro interno foro tantum, minus Iudicis iacula timet, & liberius se gerere solet: vnde plena Iudicis turbatur iurisdictio. Dixi *persequendo*, scio enim licitè Petrum quatuor in casibus pro foro conscientiæ posse absolui. Primò, si Iudex & pars longè absint, potest Confessarius per Bullam ex causa publicum denunciatum absoluere impotentem satisfacere cum cautione iuratoria, si meliorem nequit exhibere; secundo, si parti omninò satisfecerit, vel cum ea concordauerit. Tertio, quando Iudex malitiosè absolutionem denegat iuxta textum Cap. *Venerabilius*, §. Sanè *de sent. excommunicat. in 6.* Quarto, quando Iudex etsi absolutionem malitiosè non deneget, abnegat tamen rigidè; verbi gratia cum non vult illum absoluere nisi cum status sui detrimento satisfaciat. Hosce casus Auila admittit, dummodo pœnitens moneatur, huiusmodi absolutionem minime ei pro externo foro prodesse.

PROBL. XLIII.

Dato, quod absolutio nominatim excommunicati, suspensi, vel interdicti sit valida etiam in foro externo: Iudex ex rigore iuris tenetur, & non tenetur, acceptare, & approbare.

591. *Tenetur Iudex acceptare, & approbare.* CErtum est, posse ex æquitate benignum Iudicem dissimulare, eamque approbare absolutionem, liberumque reputare reum excommunicatum ab exterioris fori pœna. Quæsierim, num ex iuris rigore eam acceptare teneatur? Certè iuxta opinionem asserentium talem absolutionem, parte satisfacta realiter, valere etiam pro externo foro, tenetur Iudex eam acceptare, & approbare, cum ex Confessarij testimonio ei de absolutione constiterit. Quia, parte realiter satisfacta, nulla irrogatur Iudici iniuria, nec parti, nec vlla iurisdictionis perturbatio sequitur. Id colligi licet ex declaratione Pij V. in Iubileo à se concesso 15. Kalend. Nouemb. anno 1568. vbi asserit absolutionem Censuræ valere etiam in exteriori foro, parte satisfacta; si valet,

ergo tenetur eam acceptare. Sic Valer. *verb. Absolutio, differ. 2. n. 4.* & alij.

592. *Non tenetur.* Iuxta opinionem affirmantium, absolutionem excommunicationis pro externo foro non prodesse, etiam parte realiter satisfacta: non tenetur Iudex talem absolutionem ex iuris acceptare, & approbare rigore. Quia licet parti sit satisfactum, semper in aliquo iurisdictioni exterioris fori detrahitur, & Iudicis auctoritari: vnde Iudex si velit, potest contrà sic absolutum procedere. Ita Villalob. *p. 1. tr. 27. claus. 9. §. 2. n. 24.* Couar. *2. variar. c. 10. n. 3.*

593. *Primam sententiam sector.* Ego quidem, qui aliquando pro foro externo absolutionem huiusmodi valere *Probl. 41.* affirmaui, primam magis probo sententiam. Si enim pro foro externo prodest, ergo tenetur eam Iudex acceptare; alias enim nullius roboris esset pro foro externo, si Iudex posset contra eum ac si non esset absolutus, procedere. Profecto etsi secunda à me approbanda magis fuisset opinio monuissem Iudices ex benignitate & æquitate debere in mitiorem partem inclinare, quando constat ipsis ex confessarij testimonio, aut alias, reum esse absolutione donatum. Sic Rodriguez *1. tom. qq. Regul. quæst. 61. art. 10.*

PROBL. XLIV.

Si in Bulla non adiiceretur declaratio illa, scilicet posse fieri satisfactionem parti per hæredes aut alios: sufficeret & non sufficeret iuris cautio, vt posset quis talis indulti vi validè absolui.

594. *Non sufficeret iuris cautio.* QVando facultas absoluendi conceditur adiecta clausula, *Parte satisfacta*, si absoluendus non potest realiter satisfacere, poterit (vt *sect. 1.* vidimus) valide, ac licite absolui, si iuris cautionem pignoratitiam, vel fideiussoriam, aut saltem iuratoriam præstiterit. Quæsierim tamen si in Bulla non esset talis apposita limitatio, sed absolutè concederetur absoluendi ab excommunicatione facultas parte satisfacta, non adhibita illa modificatione: *Si non possit fieri per ipsum, fiat per heredes, aut alios*: num sufficeret iuris cautio, vt quis posset validè Bullæ priuilegio absolui? Certe non sufficit iuris cautio, vt quis possit validè absolui Bullæ indulto, quamuis impotens ad soluendum, seu realiter satisfaciendum existat. Quia alias debitus iuris ordo perturbaretur. Sic Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. a. 3.* Trul. *l. 1. §. 7. c. 2. dub. 12.*

595. *Sufficeret iuris cautio.* Sufficit iuris cautio in eo, qui realiter non potest satisfacere, vt valeat absolui Bullæ indulto. Quia cum Pontifex ait *satisfacta parte*, intelligendus est, quantum pœnitens satisfacere potest, nec enim est verisimile Pontificem conditionem impossibilem postulare, aut voluisse excludere à beneficio absolutionis eos, qui nequeunt realiter satisfacere. Ita Auila, *p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 8.* Medin. *in sum. l. 2. c. 12.* Dian. *p. 1. tr. 11. resol. 24.*

596. *Auctoris mens.* Ego autem in hunc me morem gererem. Non absoluerem huiusmodi pœnitentem excommunicatum parti ex debito, aut Iudici ex offensa notoria subiacentem: sed eum ad partem immitterem, qua renuente licentiam absoluendi concedere, remittam ad Iudicem excommunicantem; at si hic longe absit, ad Ordinarium loci reum pergere faciam, cui quidem Ordinario absens censetur tacitè suas vices commisisse. Quod si pars & Iudex longè dissiti commorentur, eum absoluam Bullæ indulto, cautione iuratoria præmissa; quia rationabiliter præsumerem Iudicis intentionem, aut partis, aut Pontificis hanc esse, ne qui præstat, quod potest, excommunicationis vinculo maneat illigatus. Verùm si excommunicatio sit occulta, v. gr. si generaliter pro furto sis excommunicatus, non perturbatur ordo iuris, si per indultum Bullæ pro foro conscientiæ, cautione iuratoria præmissa, absoluaris. Henriq. *l. 7. c. 13. n. 2.*

PROBL. XLV.

*Pœnitens potest commodè parti læsæ satisfacere, nihilominus sacerdos delegatus eum virtute Bullæ illam clausulam continentis, (*satisfacta parte*) contentus iuris cautione absoluit: certè huiusmodi absolutio est, & non est non solum illicita, sed inualida.*

597. *Inualida est absolutio.* NOn solum est hæc absolutio illicita, sed & inualida. Quia Bulla ipsa limitat potestatem nolens illam nisi sub tali conditione impertire; ergo huiusmodi conditione non existente, factum non tenebit; nec enim credibile est, Pontificem suam delegare iurisdictionem in alterius præiudicium, maximè cum apponat illam limitationem,

satisfacta

satisfacta parte. Sic Suar. *de censur. disp. 7. sect. 5. num. 44.* Henriq. *l. 5. c. 13. n. 2.* Sayr. *in Thes. l. 1. c. 18. n. 11.*

598. *Valida est absolutio.* Absolutio hæc illicita quidem est, sed valida. Quia verba illa, *satisfacta parte*, non inducunt nouam formam, nec limitant potestatem; sed tantum sunt iuris admonitio, qua Confessarius ad iuris excitatur obseruationem. Ita Auil. *de censur. p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 9.* Sanch. *de Matr. l. 3. disp. 33. n. 1. 2. & 6.* probabilissimam vocitat. approbat Ludou. Cruz *disp. 1. c. 4. dub. 9. n. 9.* Dian. *part. 1. tract. 11. resol. 22.*

599. *Primam sententiam tueor.* Primam sententiam tueor, ratus, illa limitationis verba, *satisfacta parte*, plus significare, quam iuris admonitionem: nimirum talem concessionem esse conditionalem. Vnde vt vera sint, & aliquid operentur, debet verificari conditio, ita vt satisfactio realiter fiat, si commodè fieri possit: sin minus cum aliqua iuris cautione, quæ omnino est etiam in foro interno necessaria. Equidem verba Bullæ, quibus satisfactio huiusmodi postulatur sunt perpendenda, an illam exigant tanquam conditionem necessariam: nam quando sunt huiusmodi absolutionem aliter factam proculdubio irritant. Sunt autem huiusmodi, quando expresè abnegant potestatem, siue actiuè, siue passiuè proferantur; verb. gr. cum dicitur, *Aliter non possit absolui*, vel, *Aliter non possit absoluere*, vel, *Aliter absolutio non valeat* Certe in his ac similibus casibus absolutio est irrita, parte non realiter satisfacta, quando commodè fieri potest; illa enim particula, *satisfacta parte* habet vim conditionis, Henriq. *l. 7. c. 13. n. 2.* Suar. citat. Nauar. *c. 27. n. 37.* Medin. *l. 2. c. 12.* Caiet. *Absolutio, c. 4.*

PROBL. XLVI.

Indulto Bullæ poteris & non poteris ab excommunicatione extra confessionem sacramentalem absolui.

600. *Non potest absolui.* IN Bullis olim circa facultatem absoluendi à reseruatis apposita erat illa particula: *Vt auditis eorum confessionibus, possint &c.* Nunc vero in Bullis à Gregorio XIII. vsque adhuc concessis talis clausula non reperitur: sed absolutè dicitur, vt habens Bullam possit eligere Confessarium, qui eum valeat ab omnibus peccatis, & censuris absoluere. Hinc oboritur difficultas, num quis Censura illigatus possit extra confessionem sacramentalem absolui? Non potest. Quia licet modo in Bulla illa clausula, *Auditis eorum confessionibus*, non apponatur, tamen illa æquiualens habetur: *Vt possit eligere Confessarium ex approbatis ab Ordinario, qui eos absoluat semel in vita & semel in mortis articulo ab omnibus peccatis, & Censuris quouis modo reseruatis.* Atqui si extra confessionem posset virtute Bullæ ab excommunicatione absolui, illa facultas soli approbato Confessario non committeretur, sed cuicumque primæ tonsuræ Clerico. Sic Nauar. *c. 26. num. 31.* Lopez *de Bul. cap. 8.* Rodrig. §. 9. *n. 54.* Suar. *tom. 5. in 3. part. disput. 7. sect. 5. num. 38.*

601. *Potest absolui.* Cum constet, in nostra Bulla non adesse clausulam illam: *Qui audita confessione, possit absoluere à peccatis, & censuris*, potest virtute illius concedit ab excommunicatione absolutio extra sacramentum pœnitentiæ. Quia nulla est ex natura rei necessaria connexio inter absolutionem à Censuris, & absoltionem à peccatis. Imo non rarò occurrit casus, in quo expedi statim ab excommunicatione absoluere; dies enim solemnis ad est, nec reus sufficienter separatum ad confessionem exponit. Adde, Bullam non indicere iam, *Auditis confessionibus*: at quando priuilegium non restringit expresse, vt absolutio ab excommunicatione in confessione geratur, aut in pœnitentiæ foro, non est opus confessione, licet petat vt Confessor approbatus absoluat; nomen enim Confessoris magis est muneris, quam actualis exercitij. Ita Rodriguez *in addit. ad §. 9. n. 54.* mutans sententiam. Henriq. *lib. 7. c. 13. num. 2. lit. O.* Ludou. Cruz *disp. 1. c. 4. dub. 5. num. 2.* qui multos Doctores Salmanticenses consultos idem asseruisse testatur.

602. *Idem affirmo.* Idem prorsus affirmo, imo addiderim, etiamsi in Bulla illa clausula: *Auditis confessionibus, &c.* nunc apponeretur, posse absolutionem excommunicationis virtute illius extra confessionem Sacramentalem impendi. Quia cum adeo distent inter se absoluere à peccatis, & absoluere ab excommunicatione, neque hoc vltimum confessione Sacramentali indigeat: non est credendum, Pontificem velle totum priuilegium limitatè intelligi per illum ablatiuum absolutum, *Auditis confessionibus*; sed singula singulis esse referenda. Vnde illa clausula, *Auditis confessionibus* referenda est ad absolutionem à peccatis, non vero ad absolutionem ab excommunicatione; ea est enim regula iuris, vt clausula apposita in vna dispositio-

nis parte, siue ponatur in principio, siue in medio, siue in fine, ad omnia in ea clausula contenta referri censeatur Cap. *Secundo requiris, de appellat.* quando videlicet omnium est eadem ratio, vt latè Menoch. *de præsumpt. l.* 4. *præsumpt.* 181. *num.*2. Rogitas, cur ergo ad huiusmodi solutionem extra sacramentum requiritur Confessarius approbatus? Certè ne eligeretur aliquis ignarus ad absoluendum ab excommunicatione, qui nesciret, vtrum excommunicatus satisfacere teneretur, num deberet, præmisso iuramento absolui, &c.

PROBL. XLVII.

Bullæ virtute potest quis, & non potest ad reincidentiam absolui.

603. *Absoluere non potest.*

ABsolui ad reincidentiam est ad certum tempus, vel ad certum actum pro certo tempore absolui, ita vt tempore, aut actu transacto, statim absque noua sententia excommunicationem excidas in priorem: quæ quidem absolutio est vera, sed cum limitatione; v. gr. excommunicatus absolueris conditione apposita, quod intra mensem restituas, vel compareas, alias reincidas; si intra terminum præfixum id non gesseris, proculdubio reincides. Igitur qui solum potest absoluere Bullæ virtute, vel similis priuilegij, nequit absoluere ad reincidentiam, nisi expresse in priuilegio talis facultas concedatur, quæ quidem in Bulla non habetur. Quia ad absoluendum ad reincidentiam requiritur iurisdictio sufficiens ad excommunicandum; elapso enim præfixo tempore, vel actu, qui erat absolutus in nouam, aut similem excommunicationem reincidet; sed per priuilegium Bullæ non conceditur ad excommunicandum iurisdictio; ergo nec ac absoluenoum ad reincidentiam. Sic Nauar. *cap.*27. *num.* 278. Rodriguez. §.9. *num.*57. Henriq. *l.*9. *c.*28. *n.*1. *lit. I. & M.* Villalob. *tract.*27. *clauſ.* 9. §. 2. *diffic.*25. *& tract.*26. *diffic.*20. *&.*23. *num.*2.

604. *Potest absoluere.*

Vel qui solum potest absoluere Bullæ virtute, potest excommunicatum ad reincidentiam absoluere. Quia excommunicatio illa, in quam ad certum tempus, vel actum absolutus, præscripta non implens reincidit, non est noua censura, sed eadem moraliter, ac proinde sufficit contumacia, quæ præcessit tempore, quo primum excommunicatio fuit imposita, nec requiritur iurisdictio, aut potestas ad nouam excommunicationem infligendam. Ita Suar. *in* 3. *p. tom.*5. *disp.* 7. *sect.*8. *à n.*16. sed præcipue *n.*27. Sayr. *in Thesau. l.* 2. *c.*16.

605. *Primæ sententiæ hæreo.*

Primam sector opinionem; quia maius est absoluere ad reincidentiam quam absolutè & simpliciter absoluere; ad absoluendum enim absolutè & simpliciter non requiritur iurisdictio quæ sufficiens sit ad excommunicandum, sed minor sufficit; ad absoluendum autem ad reincidentiam requiritur iurisdictio ad excommunicandum potens; est namque noua culpa & noua infligitur excommunicatio. Quare Bulla concedens facultatem ad absoluendum simpliciter, non censetur eam concedre ad absoluendum cum reincidentia. Quando igitur Antonius (exempli gratia ad instantiam Petri excommunicatus de consensu ipsius Petri absoluitur Bullæ virtute, conditione apposita, quod debitum propter quod fuit excommunicatus intra certum terminum soluat, aliàs eo elapso in eandem excommunicationem reincidat: Antonius etiam si possit, & non soluat, non reincidet; quia suspendere, ac prorogare excommunicationem est iurisdictionis actus, Petrus autem læsus non habet iurisdictionem ad excommunicandum; ergo nec ad consentiendum absolutioni ad reincidentiam. Quare si Petrus consentiat, vt Bullæ virtute Antonius per dies triginta absoluatur, credens Antonium non soluentem tempore præfixo rursum censura illigandum: Confessarius non probè Antonium absoluet, nisi prius Pettum admoneat absolutum per Bullam postmodum non reincidere: aliàs contrà Petri intentionem se gereret, ignorantia enim causaret in voluntarium. Lege Auilam *de censur. part.*2. *cap.*7. *disput.* 3. *dub.* 14.

PROBL. XLVIII.

Potest quis, & non potest Bullæ indulto absolui à suspensione, quæ ob receptionem Ordinum ante ætatem legitimam incurritur.

606. *Non potest absolui*

POsse Confessarium virtute Bullæ electum absoluere ab omni suspensione siue à Iure siue ab homine toties quoties si non sit reseruata: si autem reseruata sit, semel in vita & semel in mortis articulo, est certum; quæsierim tamen, an etiam eodem indulto possit quis absolui ab

ab ea suspensione, quæ ob receptionem Ordinum antè legitimam ætatem incurritur? Non potest. Quia Commissarius ipse, cuius potestas maior est potestate confessarij non potest huiusmodi suspensum absoluere Bullæ virtute. Sic Rodrigez *in addit. ad* §.9.*n.*59. *& tom.*2.*sum.c.*79.

607. *Potest absolui.* Potest quidem. Quia Bulla absolutè & simpliciter concedit facultatem absoluendi ab omni censura: & alio ex capite nec explicitè nec implicitè excipit huiusmodi suspensionem; ergo cum illa suspensio sit censura, in illa generali facultate absoluendi ab omni censura, comprehenditur. Ita Medi. *l.* 1.*c.*11.§.8. Auila *p.*3.*c.*6.*dub.*2. Henriq. *l.*7. *c.*13.*n.*3. *lit.T. & lit.C.* Ludou. Cruz. *disp.*1.*c.*4.*dub.*10.*n.*3.

608. *Idem mihi certum.* Idem mihi asserendum existimo. Poterit itaque suspensus ob malam ante ætatē legitimam ad Ordines promotionē virtute Bullæ absolui, non tamen in Ordine ministrare antè ætatis complemētum; quia absolutio suspensionis quidem potest impedimentum tollere, non ætatis. Porrò ex eo quod hæc facultas non concedatur Commissario, haud sequitur Confessario non concedi; nam hæ duæ facultates distinctæ sunt, & à diuersis non fit illatio. Plura (fateor) potest gerere Commissarius præcipue quo ad forum externum, quæ Confessarij per Bullam non possumus; facultas enim Commissarij præcipue respicit forum externum: vnde mirum non est posse per Bullam ab hac suspensione Confessarium, non verò Commissarium absoluere. Itaque Cōfessarius potest ex Bullæ indulto absoluere ab omni suspensione siue in sacramento pœnitentiæ, siue extra illud, siue suspensio sit à iure siuè ab homine, siue generalis, siue nominatim dummodè pars læsa sit satisfacta: quod si satisfactio sit realis poterit absolutio pro externo foro acceptari.

PROBL. XLIX.

Virtute Bullæ potest quis, & non potest absolui ab Interdicto locali.

609. *Absolui potest.* DIxi sect.1 virtute Cruciatæ posse quem ab omni Interdicto personali absolui, dummodo parti læsæ satisfiat; quia hoc interdictum propriè est censura, at Bulla concedit facultatem ab omni Censura absoluendi. Quid autem de Interdicto locali dicendum? Profectò absolui quis potest ab Interdicto locali locali. Quia verè est Censura; ergo si Bulla facultatem impertit absoluendi ab omni Censura, eius indulto ab Interdicto locali absolui quis poterit. Ita Rodrig. *in addit, ad* §.9.*n.*60. Qui dubitat, an interdictum locale sit Censura, asseritque absolui posse, si Censura sit: cum autem ex communi Doctorum constet esse censuram, consequenter patet ex Roderici sententia posse per Bullam absoolui.

610. *Absolui non potest.* Bullæ indulto non potest quis absolui ab Interdicto locali. Quia Interdictum locale non potest tolli proprie per absolutionem, sed per Iudicem, cum capax non sit absolutionis. Sic Henriq. *lib.*7. §.3. Auil. *part.* 5. *disput.* 6. *dubio* 2. Villalob. *tr.*27. *clauf.*9.§.2.*n.*26.

611. *Idem affirm* Idem assero; quia facultas absoluendi siuè actiuè siuè passiuè personis, & non locis conceditur, vt ex illis verbis Bullæ colligo: *Qui possit intelligere Confessarium, qui eos possit absoluere ab omnibus peccatis, & Censuris*; at locus nec peccat nec potest eligere; Confessarium; ergo quamuis Interdictum locale sit vere Censura, non videtur, sub illa generali facultate absoluendi ab omnibus Censuris comprehendi; quia scilicet pœnitentibus, & non locis concedi videtur.

PROBL. L.

Per Bullam tollitur, & non tollitur Irregularitas, quæ est pura pœna peccati.

612. *Tollitur huiusmodi irregularitas.* PEr Bullam vt (vidisti sect.1. tolli non potest illa Irregularitas, quæ est pura in habilitas, & quæ contrahitur ex bigamia, homicidio, & illegitimitate, & quæ simul est pœna & in habilitas, nempe quæ contrahitur ex homicidio iniusto voluntario vel mutilatione. Solum ergo quæsierim, circa Irregularitatem quæ est pura pœna peccati, qualis est contracta ex mala sacramentorum administratione, v. gr. cū excommunicatus, aut alia illigatus Censura celebras, vel alium Ordinis actū exerces. Certè Bullæ indulto tollitur huiusmodi Irregularitas. Quia Irregularitas est pœna & Censura Ecclesiastica; ergo cum in Bulla generaliter detur facultas ab omnibus absoluendi Censuris, & in aliquibus Bullis addatur. Ab omnibus pœnis, planè dispensatio ab Irregularitate potest per Bullam exeri. Sic Medi. *in sum. l.* 1.*c.*11.§.9. Cordu. *in sum. q.*28. *&* 144. Salon. 2.2.*q.*64. *a.*8 *contr.*1. Sotus *dist.*22.*q.*3.*a.*1. Dian. *p.*1. *tr.*11. *resol.*27.

613. *Non tollitur.* Secundum tenorem Bullarū, quæ post Pium V. conceduntur, in quibus non reperitur hæc particula, & ab aliis pœnis imo

&

& iuxta illarum tenorem, in quibus erat apposita, non potest Confessarius in Irregularitate huiusmodi dispensare. Quia in iure nomine Censuræ solum comprehenduntur excommunicatio, suspensio, & Interdictum. Cap. *Quærenti*, *de verborum significat.* Vbi Innocentius definiuit, sub nomine Censuræ præfatas tres comprehendi species; ergo inferri videtur præter hasce nullam aliam esse censuram. Deinde quia per Bullam conceditur Confessario electo facultas absoluendi à Censuris, & olim etiam à pœnis; at Irregularitas non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem; ergo nunquam per Bullam fuit concessa facultas tollendi Irregularitatem. Ita Henriq. *l.* 7. *c.* 23. *n.* 6. *& lib.* 14. *c.* 17. *n.* 4. Suar. *in* 3. *part. tom.* 5. *disput.* 1. *sect.* 3. *n.* 5. Cenedo *q.* 32. *à n.* 6. Auil. *part.* 7. *disput.* 10. *dub.* 4. Nauar. *c.* 27. *num.* 194.

614. *Subscribo hisce Doctoribus.* Subscribendum his duxi, videns, in Iubileis amplissimis communiter id non concedi, imo expresse prohiberi; ergo nec in Bulla verba per generalia conceditur; nec enim crediderim voluisse Pontificē in Iubileis restringere, quod iam concessisset in Bulla, Quid igitur illi particulæ *A pœnis* respondendum? Profecto τὸ *A pœnis* est prioris illius verbi *A Censuris*, declaratio, nempe quando per modum sententiæ & pœnæ Censura profertur. Lege Henricum Auilamque citatos.

PROBL. LI.

Quando per Bullam alicui conceditur facultas dispensandi in omnibus Irregularitatibus, excepta ob homicidium voluntarium est, & non est dispensabilis ex iusto homicidio Irregularitas.

615. *Potest dispensari.* POno, per aliquod priuilegium, aut Bullam concedi alicui facultatem dispensandi in omnibus Irregularitatibus excepta Irregularitate, quæ ex homicidio voluntario contrahitur. Certe potest ille in Irregularirate ex homicidio iusto contracta dispensare. Quia hæc non est propriè ex homicidio Sic Ludouic. Cruz *disputatio* 1. *caput.* 4. *dubio* 12 *numer.* 2. Caiet. *ver. Irregularitas*, Couar. *Clement. Si furiosus p.* 2. §. 3.

616. *Dispensari non potest.* Non potest ille in Irregularitate ex homicidio iusto contracta dispensare. Quia hæc Irregularitas vere, ac propriè est ex homicidio voluntario, etsi non peccaminoso. Ita Nauar. *c.* 27. *n.* 200. Trul. *l.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 18.

Ego quidem hanc sententiam ve. io- 617. remexistimo, quam apud Auctores reperi communiorem. *em, puto.*

PROBL. LII.

Habens facultatem absoluendi à Censuris virtute Bullæ potest & non potest absentem absoluere.

SVppono, si in priuilegio expresse di- 618. catur, absolutionem intra sacramentum conferendam, non posse absentem ab excommunicatione, suspensione, aut Interdicto absolui; quia sacramentalis absolutio non potest absenti conferri. At si in priuilegio non limitetur absolutio Censuræ ad pœnitentiæ forum intra sacramentum, sed absolutè concedatur facultas absoluendi ab excommunicatione, non exprimendo vt fiat intra vel extra sacramentum pœnitentiæ, vt contingit in Bulla Cruciatæ: certè virtute Bullæ poteris absentem à Censuris absoluere Quia absolutio Censuræ quæ independens est ab absolutione à peccatis, ex natura sua potest absenti conferri, vt tenent communiter Doctores, nisi expressè à concedente priuilegium limitetur ad sacramentum pœnitentiæ; at in nostra Bulla absolutio Censuræ ad sacramentum pœnitentiæ non limitatur, nec vt in præsentia conferatur, adiicitur; ergo virtute Bullæ poterit quis absens à Censuris absolui. Sic Henriq. *l.* 3. *cap.* 14. §. 7. Rodrig. §. 9. *num.* 79. Trul. *l.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 18. *Poteris absentem absolui uere.*

Nun poteris Bullæ virtute absentem 619. à Censuris absoluere. Quia absolutio à Censuris virtute Bullæ fit in foro interiori, & conscientiæ; ergo non potest absenti conferri. Ita Doctores illi, qui asserunt, virtute Bullæ non posse quem extra sacramentum pœnitentiæ à Censuris absolui, quod memorat Trul. *l.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 18. *Non poteris absentem absoluere.*

Equidem cum sit probabile admo- 620. dum, ac in praxi tutum, virtute Cruciatæ præsertim prout modo conceditur sine illa clausula; *Auditis eorum confessionibus*, posse quem extra Sacramentum absolui à Censuris, primam sententiam præponendam existimo, sciens vtique forum internum diuidi in forum pœnitentiæ & forum conscientiæ. Fateor, forum pœnitentiæ absolutionem in præsentia requirere *Primam sententiam tueor.*

rere, non autem conscientiæ forum. Patet, quia per Tridentinum conceditur Episcopis facultas absoluendi à reseruatis Papæ in foro interiori, & conscientiæ: & tamen potest ab illis Censuris extra Sacramentum pœnitentem absoluere. Monuerim tamen etiam si virtute Bullæ, seu similis indulti possit valide absens à Censuris absolui, non tamen id communiter ob Censuræ reuerentiam geri expedire, nisi in casu aliquo, nempe si cùm expediens valde sit excommunicato absolutio, ipse non queat facile, aut sine scandalo Confessarium adire.

PROBL. LIII.

Virtute Bullæ eligis Confessarium, apud quem confessionem irritam geris, à reseruatis absolutionem obtinens: reseruata ea crimina sunt, & non sunt iam reseruata, ita vt possis, & non possis postmodum à quolibet Confessario absolui.

621. *Reseruata manent.* SI pœnitens scit illam confessionem esse irritam, adhuc manent illa crimina reseruata: secus si confessionis haud aduerteret ille nullitatem. Quia Pontifex concedit facultatem absoluendi à reseruatis in ordine ad indulgentiarum susceptionem: sed qui scienter confessionem irritam gerit, indulgentias minimè consequi potest: ergò reseruationem non tollit ex Bullæ indulto ficta absolutionis acceptio. Sic Ledes. *sum. tom.* 1. *tract. de pœnit. cap.* 13. *concl.* 2. *dub.* 7. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 27. *clauf.* 9. §. 2. *num.* 16. Acost. *de Bul. q.* 45.

Qui fictè confessus est casum reseruatum Bullæque indulto absolutionem impetrauit inutilem, postmodum mente meliore requirere potest quemlibet confessarium, qui tum ab aliis peccatis tum à reseruatis illis criminibus eum poterit absoluere. Quia legi Ecclesiasticæ reseruationis iam satisfecit, quamuis legi diuinæ confessionis minime fecit satis. Ita Comitol. *in resp. Moral. l.* 1. *q.* 30. *num.* 2. Caiet. *ver. Casus reseruatus*, Armil. *ibid. n.* 4. Sylu est. *ver. Confessio* 1. *q.* 19. *n* 21. à quo Paluda. & Antonin. opinionis huiusce auctores nominantur.

622. *Non manent reseruata.* Porro qui virtute Bullæ peccata reseruata confitetur fictè, seu sine contritione, haud dubium, quin postea possit à quo libet Confessario de illis etiam sine Bulla absolutionem obtinere; nec enim Bullæ indulta ad lucrationem indulgentiarum solummodo expenduntur. At in confessione facta virtute Iubilei, non tam facilè admittendum; quia absolutio datur in ordine ad lucrandas indulgentias, & verè pœnitentibus. Scio tamen Comitolum citantem multos, asseruisse eum qui Iubilei tempore fictè confessus est reseruata crimina, posse postea à quolibet confessario absolui, cui hærendum duxi.

PROBL. LIV.

Absolutus fuisti virtute Cruciatæ sine vlla mentione, aut intentione reseruatorum tam ex parte tui, quam Confessarij, & à reseruatis oblitis remanes absolutus: profectò manes, & non manes liber ab obligatione illa peccata reseruata legitimo superiori iterum confitendi.

623. *Non manes liber.* NOn quidem manes liber, nec reseruatio tollitur per quamcumque absolutionem à legitimo Confessario facultatem reseruatorum habente collatam; sed per absolutionem datam à Confessario, qui reseruati piaculi habuit cognitionem, vel quamcumque reseruationem auferendi. Quia quando superior, qui habebat facultatem super reseruata, vel Confessarius virtute Bullæ electus non habuit intentionem aliam, quam communem ministrandi Sacramentum, nihil aliud efficit, quam alius sacerdos, qui non intendit auferre reseruationem. Sic Suar. 3. *part. tom.* 4. *disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 18. Vasq. *in* 3. *part. tom.* 4. *quæst.* 91. *art.* 3. *dub.* 5. Bonac. *de sacram. disput.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 5. §. 5. *num.* 5.

624. *Liber manes.* Licet pœnitens explicitè non petas à reseruatis absolutionem, censeris interpretatiue petere, & libet manes ab obligatione illa peccata legitimo superiori rursum aperiendi, si amplius non habeas Cruciatæ Bullam, sed à quocumque Confessario poteris absolui. Quia ad confessionem accedis, vt quantum fieri possit, à peccatis omnibus libereris, & si conscius fuisses te reseruatis illigari peccatis, petiisses reseruationem tolli. Vnde Confessarius censetur hic & nunc velle te absoluere à peccatis quantum licitè potest, & consequenter reseruationem tollere.

Ita

Ita Coninch *de Sacram. disput.* 8. *dub.* 12. *n.* 98. Nugn. *in addit. ad* 3. *part. tom.* 2. *quæst.* 9. *art.* 2. *part.* 2. *dub.* 4. Reginal. *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 7. *num.* 99.

625. *Idem censeo.* Idem censeo, sed cum Auila *de Censur. p.* 2. *c.* 7. *disp.* 3. *dub.* 9. *concl.* 2. moneo, si aliquis excommunicatus censura exigente satis-factionem partis, oblitus est Censuram huiusmodi confiteri, per generalem absolutionem, quæ ad cautelam datur, non manere ab huiusmodi Censura absolutum; quia non est præsumendum Confessarium velle absoluere ab excommunicatione, quæ si à pœnitente referaretur, & eum ab ea sine satisfactione absolueret, mortaliter delinqueret.

PROBL. LV.

Qui Bullæ indulto ab excommunicatione sine satisfactione partis absolutus fuisti, teneris, & non teneris iterum confiteri.

626. *Teneris rursũ eadem peccata confiteri.* QVasi minimè absolutus siue nulliter, aut non legitimè, teneris rursum eadem aperire peccata, quibus excommunicatio erat annexa. Quia Bulla per illam clausulam, *Prius satisfacta parte*, potestatem Confessario restringit. Sic Coninch *de Sacram. disp.* 14. *dub.* 16. *num.* 211. Suar. *in* 3. *part. to.* 5. *disp.* 7. *sect.* 5. *num.* 41. Filliuc. *to.* 1. *tract.* 11. *c.* 9. *n.* 295. Henriq. *l.* 7. *c.* 13. *n.* 2.

627. *Non teneris.* Non teneris, iterum confiteri. Quia Pontifex per illam clausulam non intendit nouam formam inducere, nec limitare potestatem: sed solummodo Confessarium suam monere obligationem, nempe vt excommunicatum, præmissa reali satisfactione, vel si hæc geri non valeat, saltem data cautione à iure communi requisita. Ita Sanch. *de Matrim. tom.* 1. *lib.* 3. *disput.* 33. *num.* 3. Barbos. *in collect. tom.* 2. *tit.* 40. *cap.* 23. *numer.* 3. Auil. *de Censur. p.* 2. *c.* 7. *disp.* 3. *dub.* 9. *concl.* 2.

628. *Idem puto.* His assentior submonens, illis verbis Bullæ, *Prius satisfacta parte*, nomine partis intelligi illum, cui irrogata est iniuria ex delicto, cui inflicta fuit excommunicatio: non Iudicem cui ipso iure pœna pecuniaria applicatur; vnde per Cruciatam potes absolui, antequam iura Iudici aut Tabellioni soluas.

PROBL. LVI.

Percussit quis Monachum cui quidem solùm, non simul Monasterio satisfecit: virtute Bullæ potest, & non potest absolui.

629. *Non potest absolui.* NOn potest absolui, si Monasterio satisfactio non etiam fiat. Quia iniuria facta Monacho, facta Abbati, ac Monasterio censetur, Leg. *In personam*, *ff. de pactis.* Sic Bonac. *tract. de Censur. disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 5. *n.* 5. Ricci. *in Decis. Curiæ Archiep. Neap. p.* 1. *decis.* 86. *n.* 4. Idem asserit Bonacina de Clerico.

630. *Absolui potest.* Absolui potest. Quia quando damnum in famiæ tangit principaliter infamatum, & minus principaliter bonum publicum, sufficit condonatio eius ad quem principaliter pertinet, ex Cap. *Quamuis pactum* iuxta Glos. *de pactis in* 6. Ita Nauar. *cap. Inter verba coroll. vlt. n.* 376. *& in Manu. c.* 18. *n.* 46. Auil. *de Censur. p.* 2. *c.* 7. *disp.* 3. *dub.* 11. *concl.* 2.

631. *Idem existimo.* Certè licet percutiens Clericum, vel Monachum, etiam Ecclesiæ, ac Monasterio irroget iniuriam, tamen satisfacto percusso, vel iniuriam remittente, pars censetur *satisfacta*, & consequenter potest absolui. Sicut enim ex percussi subditi iniuria Ecclesiæ, aut Monasterio iniuria deriuatur, ita ex eodem satisfactionem accipiente in Ecclesiam, aut Monasterium refluit satisfactio.

PROBL. LVII.

Quis Censura grauatur ob perpetratum crimen nec potest parti læsæ satisfacere: certè hic debet, & non debet absolui.

632. *Inualida absolutio est.* NOn debet absolui, & si absoluatur erit absolutio nulla. Quia Bulla sine exceptione indicit absolutionem gerendam Sic Cordu. *tr. de indulg. quæst.* 43. Ledes. *in sum. tom.* 1. *tract. de excom. cap.* 8. *dub.* 3. Cutier. *qq. Canon. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 29. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 2. quem nonnulli Moderni sequuntur.

633. *Absolutio est valida.* Debet absolui. Quia non credendum, Pontificem per illam clausulam: *Satisfacta parte* voluisse à beneficio absolutionis excludere eum, qui parti læsæ non valet satisfacere. Nec enim verisimile, à summo Pastore, ad quem de ouis reductione negotium pertinet, conditionem impossibilem postulari. Ita Coninch. *de sacram. disp.*

disp.14.dub.16.n.206. Vasq. *in 3.p.to.4.tr.de excom.dub.20.n.2.* Filliuc. *to.1.tr.11.c.9.n.295.* Auila *p.2.c.7.disp.3.dub.3.*

634. *Cum his sentio.* Mea sententia est, si pœnitens non valeat satisfacere ex toto, debere ex parte satisfacere; & si non potest satisfacere sine graui iactura, & detrimento famæ, vel bonorum vendendo scilicet ea notabiliter vilius, licitè posse absolui, dummodo creditor detrimentum non patiatur æquale. At si absolute impotens satisfactioni sit, licet in priuilegio solus mortis articulus excipiatur, vt absoluatur quis, parte non satisfacta; etiam extra mortis articulum crediderim probabiliter talem esse absoluendum, Ita Sanch. *l.2.Moral.c.20.n.19.* scio tamen Suarium *in 3.p.to.5.disp.23. sect.5.n.27.* contrarium asseruisse.

PROBL. LVIII.

Legisti librum hæreticum qui ex professo de religione non tractat, nec plures, sed vnam tantum continet hæresim: incidisti, & non incidisti in Bullæ Cœnæ excommunicationem: egesque, & non eges ad absolutionem obtinendam Bullæ indulto.

635. *Non incidisti in excommunicationem, nec Bullæ indiges indulto.* NEc in excommunicationem incidisti, nec eges indulto Bullæ ad absolutionem obtinendam. Quia vt excommunicatio Bullæ Cœnæ incurratur, necesse est, vt liber ex professo de religione tractet, aut hæresi, non autem si de aliis materiis sit præcipua tractatio, & incidenter aliqua hæresis exponatur. Sic Sayr. *de Censur. l.3.c.5.num.12.* Graf. *in decis.p.1.l.4.c.18. num,40. & 42.*

636. *Incidisti, & eges Bulla.* Incidisti in Bullæ Cœnæ excommunicationem, & Bulla Cruciatæ indiges, vt absolutionem obtineas. Quia Bulla Cœnę solum requirit, vt liber hæresim contineat quod quidem verificatur, si vnicam tantum exponat hæresim. Ità Sanch. *l.2.Mor. c.10.num.34.* qui citat Suar. Bonac. *de censur. disp.2.q.5.pun.4.n.19.* Portel. *in addit. ad dub. Regul. ver. Libri prohibiti n.8.*

637. *Secùdam sententiam magis probo.* Ego quidem, Sanctij mei venia, non existimo primam sententiam reprobandam (quam Filliucius *to.2.tr.22.c.7.n.204.* etiam tuetur) quia absolutè non vocitandus liber hæreticus, qui incidenter vnam hæresim solummodo continet. Attamen quia sic fidei puritas exigit vberior, secundam opinionem sector, eamque probabiliorem assero.

PROBL. LIX.

Non legis librum hæreticorum, seu de religione tractantem, sed audis alium, qui te incitante, aut petente, illum legit: incidis, & non incidis in excommunicationem; & consequenter eges, & non eges Bullæ indulto, vt possis absolui.

638. *Incurris, & eges Bulla.* INcurris in excommunicationem, & Bulla indiges ad beneficium absolutionis obtinendum. Quia per se ipsum legit, qui per alium legere curat. Sic Azor. *to.1. l.88.n.6.q.4.* Layman. *l.2.tr.1.c.15.n.6.* Reginal. *to.1.l.9.c.14.n.251.* Suar. *tr.de Fide disp.20.sect.2.n.19.*

639. *Nec incurris, nec Bullæ eges.* Non incurris in excommunicationem, nec eges Bullæ indulto, vt absoluaris. Quia audire, non est legere: & verba legis pœnalis propria, ac stricta in significatione sunt intelligenda. Ità Filliuc. *to.1. tr.16.c.3.n.45.* Sanch. *l.2.Moral.c.10.n.48.* Bonac. *de Censur. disp.2. q.5.pun.4. n.11.* qui quidem malè citat Reginaldum primæ sententiæ sectatorem.

640. *His assentior.* Hoc verum censeo etiam si is, qui audit legere, legentem induxerit, ad legendum; inducere enim alium vt legat, non est legere: & censura contra facientem lata non illigat consulentem, nisi in Bulla exprimatur, incurret verò Censuram famulus legens, nisi ignorantia excusetur.

PROBL. LX.

Legis epistolam hæretici, in qua hæresis aliqua exprimitur: incurristi, & non incurristi in excommunicationem: indiges & non indiges ad absolutionem Bullæ beneficio.

641. *Incurris & Bulla eges.* SVppono, librum aliquam hæresim continentem à te minime posse legi sine piaculo, ac Censuræ vulnere, & rogito, an hæretici literas familiares hæresim aliquã continentes legere possis sine excommunicationis vulnere? Certè huiusmodi epistolam legens excommunicationi subes, vnde indiges Bullæ indulto, vt possis absolui. Quia si liber hæresim continens prohibetur ne sit causa ruinæ, in idem periculum potes incidere epistolam huiusmodi perlegendo. Sic Megala *ad 3.p.l.3. c.1.num.55.* & alij.

642. *Non eges Bulla, quia non incurris.* Non indiges Bullæ indulto, non enim excommunicationis vulnere sauciaris

epistolam legens hæretici continentem errorem. Quia epistola ex communi, ac vsitato loquēdi modo liber non vocitatur, in Bulla autem Cœnæ damnantur, qui hæreticorum libros perlegunt. Ita Sanch. *l. 2. Moral. c.10. n.29.* Portel *in addit. ad dub. Regul. ver. libri prohibiti, n.7.* Laym. *l.2.tr.1. c.15.n.3.* Duard. *in exp. Bul. Cœnæ l.2.can.1.q.55.num.11.*

643. *Hoc iudico.* Existimo quidem, in literis, seu epistolis non eandem ac in libris militare rationē; liber enim multo amplius extenditur, ac diutius permanet; vnde probabilius assero contrà legentem libros hæreticorum minas ad legentem epistolam non esse extendendas.

PROBL. LXI.

Librum hæreticum perlegis Latina lingua, quam non tenes, scriptum hæreses continentem: incidis, & non incidis in excommunicationem: vnde indiges, & non indiges Bullæ beneficio.

644. *Incidis, & indiges Bulla.* IN excommunicationem incidis, & eges Bullæ indulto, vt absoluaris. Quia Bulla Cœnæ non finem, sed factum ipsum spectat. Sic Megala *in 3.p.l.3.c.1.num.45.* & alij.

645. *Non indiges, quia non incidis.* Non indigebis cruciatæ indulto, in excommunicationem enim nulla incidis ratione. Quia inibi ratio legis cessat; nec enim inde periculum imminet, nec cum hæretico est in doctrina communicatio. Ita Suar. *tr.de Fide disp.20. sect.2.num.18.* Sanch. *l.2. Moral. c.10.n.51.* Filliuc. *to.2. tr.22.c.7.num.207.*

646. *Cum his sentio.* Necessarium puto, ad excommunicationem incurrendam, vt non tantum sit exterior lectio, sed cum verborum intelligentia; nam si quis ignorans prorsus linguam Latinā vel eam, in qua liber scriptus est, illum perlegat, non incurret cēsuram, nec perse loquendo mortaliter delinquet; quia illa non est formalis, ac vera lectio; sed solummodo materialis.

PROBL. LXII.

Comperisti, aliquem librum esse hæreticum, quem quidem inquisitoribus noluisti tradere, sed ipse flammis dedisti: incidisti planè, & non incidisti in canonis Cœnæ excōmunicationem.

647. *Incidis in excommunicationem.* INcidisti quidem. Quia Iulius III. præcepit sua constitutione, vt nullus audeat propria auctoritate hæreticos comburere libros, sed illos Inquisitoribus deferre teneatur. Sic Suar. *tr.de Fide, disp.20 sect.2. n.23.* Azor. *to.1.l.8.c.16.q.11.* Delri. *Magic. disquis.to.3.l.5.sect.17.* Farinac. *de hæresi.q. 180.n.40.* Barbos. *de potest.Episc.p.3.alleg. 90.num.5.*

548. *Non incidis.* Excommunicationem non incurrit, qui propria auctoritate hæreticos hosce libros igni tradit, vnde non indiget Bullæ indulto ad absolutionem. Quia comburens huiusmodi libros, eos non retinet, quod Bulla Cœnæ prohibet. Ita Filiuc. *to.2. tr.22. c.7.n.208.* Bonac. *de Censur. disp.2.q.5. pun. 4.n.20.* in noua edit. non improbat, imò videtur admittere hanc opinionem.

649. *Peccas, sed non incidis.* Non audeo à peccato excusare eum, qui propria auctoritate huiusmodi libros combusserit: sed quidquid sit de peccato, certū puto, excommunicationem minime incurrere. Didici à Sanct. *l.2. Mor.c.10.n.56.*

PROBL. LXIII.

Imponentes gabellas super rebus, quæ ad proprium vsum, vel familiæ emuntur, incidunt, & non incidunt in Bullæ Cœnæ excōmunicationem: & indigēt, ac non indigent Cruciatæ beneficio.

550. *Incidunt, & egent Cruciata.* INcidunt, & egent Cruciatæ indulto ad absolutionem. Quia præter quam quod huiusmodi gabellæ prohibentur. *leg. vniuersi. Cap. de Vectigal.* Vbi pœna capitis imponitur his, quidē rebus ad proprium vsū necessariis, exigunt vectigalia: ex *Leg. Omnium Cap. de vectigal.* Vbi determinatur, vt gabellæ tantum exigantur è rebus mercimonij & negociationis causa asportatis, aut delatis: certè iniustæ esse patet; in illis enim pauperes velut diuites onerantur contra iustam tributi formam: imo plus pauperes quam diuites persoluunt: nam panem, vinum, oleum &c. Frequentius pauperes emunt; æque denique petegrini ac incolæ pergrauantur, cum tamen causa tributi ad peregrinos non attineat. Sic Tolet. *l.5. c.74.* Caiet. *sum. ver. Vectigal.* Armil. *ver. Gabella* Medi. *l.2.q.96.a.4.* Gabri. *in 4.dist.25.q.5.concl.2.lit.Z.*

651. *Non egent Cruciata, quia non incidunt.* Non egent Cruciata, cum non incidant in huiusmodi excommunicationem. Quia huiusmodi gabellæ sunt iustæ, seruatur enim in illis, quantum fieri potest, æqualitas; nam licet pauperes plures frequenter habeant filios, tamen communiter qui pauperes sunt, minus emere assolent ex iis rebus quæ ad vitæ vsum sunt necessaria, quam diuites. Deinde licet pauperes in his gabellis æque contribuant

buam, ac diuites, aut etiam amplius: hoc ipsum tamen à ditioribus compensatur; quo enim cariora sunt, quæ victum pertinent ad communem, eò solent carius vendi operæ, quas pauperiores in Republica præstant. Ita Malder. 2. 2. *tr.* 5. *c.* 6. *dub.* 6. Suar. *de legib. l.* 5. *c.* 16. Turrian. 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 44. *dub* 3. *num.* 4. Ioan. Cruz *in direct. p.* 1. *præc.* 1. *a.* 3. *dub.* 1. *concl.* 1. Dian. *p.* 1. *tr.* 11. *resol.* 38.

652. *Idem censeo.* Subscribens hisce addiderim, vectigalia, quæ ex mercibus coguntur soluere mercatores, non tam in grauamen ipsorum quam in grauamen eorum, qui ex ipsis sunt empturi, redundare; mercatores enim quo carius emunt merces, quas asportant, & quo ex eis grauiora persoluunt tributa, eò carius eos diuendunt; Quo fit vt grauamen eiusmodi magna ex parte exundet in populum. Quæ ergo inæqualitas obiicitur ex eo quod tributum soluatur ex mercimoniis asportatis, quæ venduntur, & emuntur ad subleuandam propriam necessitatem, accidit similiter ex eo, quod mercatores vectigalia soluant è rebus, quas asportant, emunt, aut vendunt negotiationis causa: si quidem ex pretij exorbitantia tandem tributa hæc soluunt qui eas res emunt ad propriam necessitatem subleuandam.

PROBL. LXIV.

Sub fine anni, quo Cruciata expirat incepisti gerere confessionem, sed ob causam iustam non perfeciſti, nec absolutionem accepisti: Confessarius, anno demum elapso, virtute præcedentis Bullæ poterit, & non poterit te à reseruatis delictis absoluere.

653. *Non poterit absoluere.* NOn poterit, nisi tunc cum confessio inchoatur absoluat pœnitentem à reseruatis postmodum opportuno tempore reliqua peccata auditurus. Quia iam Bullæ prælapsæ non viget indultum. Sic Henriq. de Iubileo locutus. *l.* 7. *c.* 11. *n.* 3.

654. *Poterit absoluere.* Si confessio incipiat tempore habili, intra terminum scilicet publicationis Bullæ, potest Confessarius de cætero totam audire pœnitentis confessionem, illumque à reseruatis & Censuris absoluere. Quia causa illa habili fuit tempore cœpta. Ita Sanch. *l.* 2. *Moral. cap.* 13. *n.* 15. Ledes. *in sum. tom.* 1. *tr. de Sacram. Confes. c.* 12. *concl.* 5. *dub.* 2. Rodr. §. 5. *n.* 2. Villalob. *tr.* 27. *claus.* 4. *n.* 12. Acost. *in Bul. q.* 36.

Bscob. & Mend. Theol. Mor. *T. I.*

Idem mihi asserendum dixi. Vnde existimo, instante anni, seu Bullæ termino, posse Confessarium pœnitenti maius tempus concedere ad vberiorem peccatorum reseruatorum, aut voti emissi recordationem: si huius speciem memoria non tenet, aut illorum numeri non satis recordatur: & post annum Bullæ exactum eum potest à peccatis reseruatis absoluere, & votum commutare. Hinc elicio iurisdictionem commissarij, ac ministrorum Cruciatæ durare, quousque omnes causæ incœptæ spectantes ad commodum Cruciatæ finiantur. Sic expressit Acosta *q.* 110. 655. *Id mihi certum.*

CAPVT XXXIV.

Circà potestatem commutandi vota.

PROBL. LXV.

Vota virtute Bullæ possunt & non possunt dispensari.

656. *Possunt dispensari.* VERITVR in quæstionem, an virtute Bullæ vota non tantum commutari, sed & dispensari valeant? Possunt planè dispensari. Quia cuius commutare est, etiam est dispensare; at Confessarius virtute Bullæ electus potest commutare vota; ergo & dispensare. Sic Tolet. *l.* 4. *c.* 18. Sylui *ver. votum* 4. *q.* 3.

657. *Non possunt dispensari.* Dispensari non possunt. Quia maioris facultatis est dispensare, quam commutare votum: nam qui dispensat, omninò tollit obligationem; qui verò commutat, non tollit, sed eam in aliam materiã transfert. Ità Lud. Cruz *disp.* 1. *c.* 6. *dub.* 7. *n.* 11. Suar. *l.* 6. *de Voto, c.* 12. *n.* 4. *to.* 2. *de Rel.* Angl. *in flor.* 4. *sent. qq. de Voto, a.* 8. *dub. vlt. concl.* 2. Lop. 1. *p. inst. c.* 47. & 48. Trul. *l.* 1. §. 7. *c.* 3. *dub.* 1.

658. *Idem tenco.* Certè cum dispensatio non contineatur sub commutatione, concessa facultate ad commutandum, ad dispensandum concedi minimè censetur. Vndè cum in nostra Bulla solum concedatur Confessariis facultas commutandi vota non possunt huius indulti vi vota dispensare. Hinc existimo falsum esse, quod Toletus, & Syluius affirmant, eũ qui habet facultatem ad cõmutandũ, absque alia noua facultate dispensare posse, nisi de ordinaria potestate intelligant. Certũ enim est, eũ qui potestate ordinaria potest dispensare posse commutare, & è contra; quia huius potestas non

est limitata. Sic ergo existimo, Toletum meum intelligendum.

PROBL. LXVI.

Ille, cui delegatur facultas dispensandi vota, potest, & non potest eadem commutare.

659. *Non potest commutare.* NOn potest. Quia facultas delegata iuxta præscriptionis tenorem intelligenda est; Ordinarius enim fortasse Confessario dispensandi votum delegat facultatem, qua ad commutandum non delegaret; nec enim tanta peritia requiritur, ad obligationem voti omninò tollendam, quam ad transferendam eam in materiam aliam. Sic Nauar. *cap.* 12. *n.* 79. Azor. *l.* 11. *cap.* 18. *dub.* 7. Lud. Cruz *disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 7. *n.* 10.

660. *Potest commutare.* Potest quidem. Quia commutare, est minus quam dispensare; at qui potest maius poterit & minus sub maiori contentum. Ita Sotus *l.* 7. *de iust. q.* 4. *a.* 1. Tolet. *l.* 4. *c.* 18. Lessi. *l.* 6. *de Iust. c.* 11. *n.* 94.

661. *Hanc mentem amplector.* Verissimum mihi, quando delegatur alicui facultas dispensandi vota, posse per eandem facultatem eadem commutare; quia cum commutatio contineatur sub dispensatione, concessa facultate ad dispensandum, ad commutandum concessa procul dubio est. Quis enim Ordinarius dubitabit de peritia ad commutationem faciendam illius, quem ad gerendam dispensationem aptum adiudicat?

PROBL. LXVII.

Virtute Cruciatæ possunt, & non possunt commutari iuramenta simpliciter sumpta, id est: quæ in solius Dei honorem emittuntur.

662. *Non possunt cõmutari iuramenta.* COmmutari non possunt. Quia quamuis iuramentum, & votum conueniant generice in virtute Religionis, differunt tamen specie. Vnde qui potest Bullæ indulto commutare votum, non ideo censetur posse iuramentum commutare. Deinde etiam si demus iuramentum minoris obligationis esse, quam votum, attamen non est pars voti, nec eius species; sed concesso maiori non censetur concedi minus, quando id neque est pars, neque species illius: ergo facultas commutandi vota non est extendenda ad iuramenta. Sic Az. *to.* 1. *l.* 11. *c.* 10. *q.* 2. Less. *l.* 2. *c.* 42. *dub.* 12. *n.* 62. & 63. Lud. Cruz. *disp.* 1. *c.* 6. *dub.* 5. *n.* 2.

663. Commutari possunt. Quia vinculum voti, & iuramenti votiui, etsi in rigore speculatiuo & metaphysico specie differant, moraliter tamen & quoad effectum dispensandi, & commutandi æquiparantur, & omninò conueniunt. Tota enim obligatio & materia vinculi vtriusque ad solum Deum, eiusque honorem ordinatur, & Deus est solus eius obligationis creditor; quia vtriusque obligatio ex Religionis virtute promanat: & ideo votum & iuramentum votiuum eundem dispensationis ac commutationis modum habent, eundem finem, & eandem connexionem, attento talium concessionum fine, & spectata communi fidelium existimatione, qui tanquam vota iuramenta votiua reputant: at dispositum in vno æquiparatorum dispositum censetur in altero leg. *Tantum ff. de seruo corrupto*, iuncta leg. *si quis seruo*, *Cap. de furtis*, docente Glos. *Cap. si postquam, ver. Prouisionem, de elect. in* 6. Certè iuramenta & vota æquiparantur: ergo quod dispositum est in vno, dispositum censetur in alio Ita Saa *ver. Iuramentum, n.* 32. & *ver. Votum, n.* 16. Henriq. *l.* 7. *c.* 30. *n.* 5. Suar. *tom.* 2. *de Relig. ti. de Voto, l.* 6. *c.* 14. *n.* 6. *vsq. ad n.* 16. Sayr. *in Claui. l.* 5. *c.* 8. *n.* 9. Sanch. *l.* 8. *de Matr. disp.* 2. *n.* 18. & *l.* 4. *Moral. c.* 53. *n.* 8. Dian. *p.* 1. *tr.* 11. *res.* 41. *Possunt commutari iuramenta.*

664. *Hos sequor.* Hos sequor, eorumque roboro fundamentum. In Bullæ priuilegio conceditur facultas remittendi, vel commutandi obligationem ex virtute Religionis soli Deo tanquam creditori acquisitam: & solum spectatur, an etiam homini ius comparatum sit, vti in iuramentis non Deo, sed homini præstitis accidit: atqui tam voti, quam iuramenti soli Deo præstiti obligatio soli Deo acquiritur, ergo facultas circa vota ad iuramenta emissa in Dei honorem extenditur. Id quod reputo verum, etiamsi iuramentum non habeat promissionem inclusam, sed absque ea soli Deo fiat; quia quomodocumque fiat Deo soli tanquam votum reputatur, cum soli Deo ex illo ex Religionis virtute quæratur.

PROBL. LXVIII.

Virtute Bullæ possunt, & non possunt commutari vota iurata, id est, Votum & iuramentum simul concurrentia. si non fiat iuramentum in Voti confirmationem, sed independenter ab illo emittatur.

665. *Non possunt commutari* SI iuramentum exponatur ad voti emissi confirmationem v. gr. si voueo ieiunium,

vota iurata si simul concurrant circa eandem materiam.

ieiunium, & huiusce Voti memor iures id seruaturum, *sect.* 1. asserui virtute Bullæ posse commutari. Quæsierim tamen, quid si iuramentum circa eandem materiam non præstetur in voti emissi confirmationem, sed independēter ab illo: v.gr. si prius voueas ieiunium, & postea immemor voti, seu omninò independenter iures idem ieiunium à te instituendum? Priuilegium Bullæ erga Voti commutationem non extenditur ad votum & iuramentum simul concurrentia circa eandem materiā. Quia tunc sunt duo vincula diuersæ speciei, neque vnum sic dependet ab alio, vt illo sublato, cesset; ergo illa duo vincula sunt, ac fortiora vno solo, ad quod tollendum conceditur Bullæ priuilegium: duplex enim vinculum difficilius absoluitur. Confirmo, quia cum nostra Societas habet à Paulo III. priuilegium commutandi vota Gregorius XIII. illud ad vota iurata sine tertij præiudicio extendit; ergo signum est, ad talia vota prius non extendi priuilegium. Sic Lessi. *l.2. cap.40. dub.11. n.94.* Azor. *l.11. c.10. q.2.* Sanch. *de Matr. l.8. disp.2. n.23.* Henriq. *l.7. c.30. n.5.*

666. *Possunt commutari vota iurata etiam simul concurrentia.*

Etiamsi Votum & iuramentum circa eandem materiam immediatè cadant, & vnumquodque per se obliget ad Dei honorem: priuilegium commutandi ad vtrumque extenditur. Quia in Bulla Hispana aperte habetur, vt possint vota etiam iurata commutari: *Podra tambien el dicho Confessor commutarles qualesquier votos, aunque sean hechos con Iuramentos.* Præterea quia ille, cui concessa est simpliciter potestas commutandi in votis, qualis per Cruciatam conceditur, potest non semel tantum, sed sæpius cum eadem persona commutationem gerere in obligatione Religionis erga Deum contracta per vota, vel iuramenta æquipollentia; ergo postquam huiusmodi commutator commutationem gessit in voto, poterit eam in Iuramento præstare: & eadem ratione poterit vtrumque simul impendere, quasi duas commutationes concedendo. Ita Suar. *tom.2. de Relig. l.6. de Voto, cap.14. à num.19.* cuius sententiam Dian. *part.1. tract.11. resol.43. & tract.5. Misc. resol.24.* probabilem existimat Trul. *l.1. §.7. c.3. dub.3.* iudicat probabiliorem.

667. *Huic horæ sententiæ.*

Subscribo planè, siue huiusmodi commutatio per duos actus fiat, quorum vnus directè tendat ad tollendum vinculum Voti, alter verò ad tollendum etiam directè vinculum iuramenti; siue per vnum solummodo actum commutationis, directè feratur ad commutandum votum, & indirectè ad commutandum iuramentum; ideſt, vt commutato voto tanquam principali, eo ipso quasi consequēter commutetur iuramentum. Sententiam autem nostram illustro. Si quis haberet votum recitandi Rosarium, & non ludendi iuramentum, posset (vt vidimus) per facultatem Bullæ vtrumque commutari, non minus quam si vnum & aliud esset votum; ergo licet vtrumque illorum in materiam cadat eandem, poterit quoque ex vi eiusdem Bullæ potestatis auferri; nam ratio æquiparantiæ eodem modo militat quandò votum & iuramentum super eandem materiam cadunt, ac cum super diuersam.

PROBL. LXIX.

Facultas commutandi vota per Bullam extenditur, & non extenditur ad emittenda post eius promulgationem.

REstringenda huiusmodi facultas ad vota iam emissa antè Bullæ promulgationem, non extēdenda ad ea quæ postmodum emittenda erunt. Quia cum vota sint tanti momenti, absurdum videtur iudicare, Pontificem priuilegium exēptionis ab eorum obligatione concessisse, antequam illa emitterentur. Sic Lopez *p.1. instr. c.50.* Angles *in Flor.2. p.q.vnic de voto, a.8. diffic.9. prop.3.* Sotus *l.7. de iust. p.4. a.3.* Cordub. *in sum. q.149.* & alij quos refert Sanch. *l.4. Moral. c.53. n.25.* 668. *Non extenditur ad emittenda.*

Possunt per cruciatam commutari vota siuè antè, siuè post eius promulgationem emissa. Quia forma concessionis est, vt Confessarius *possit commutare omnia vota*, queis pœnitens fuerit illigatus, *tribus tantum exceptis.* Quæ verba generalia & indefinita extenduntur etiam ad futura ex doctrina Glossæ Cap. *Quia circà ver. sed futuri, de priuileg.* vbi docet, verba indefinitè & generaliter expressa in priuilegiis extendi ad futura; cum ergo verba Bullæ sint generalia, & indefinita ad vota etiam futura extenduntur. Ita Azor. *to.1. l.11 c.18. q.9.* Saa *ver. votum*, Rodrig. §.9. *n.111.* Henriq. *l.6. c.16. n.3. lit. N. & l.7. c.30. n.5.* Lopez *c.9. de clauib.* Nauarr. *c.12. n.80.* 669. *Extenditur ad emittenda.*

Certè cum ea concessio quatenus est commutandi potestas, sit gratia, ac fauor Principis, restringenda non est, sed amplianda, quantum propriissimè verba patiuntur. Nam etsi verba priuilegij extendenda non sint, at non sunt restringenda ita, vt id quod sonant, rescindere videantur. Illa autem cruciatæ verba propriissime hunc sensum admittunt, nimirum 670. *Idem existimo.*

vt facultas intelligatur de omni voto siue ante, siue post emisso. Quod autem hinc facilius vouendi ansa exhibeatur, non sufficit, vt priuilegij vis sit restringenda. Maius certè inconueniens videri posset, viam patere similem obtinendi absolutionem à censuris, ac casibus reseruatis in futurum committendis: nec tamen Pontificis benignitas Bullæ indulta exponentis, sed delinquentiũ iniquitas damnanda.

PROBL. LXX.

Quandò votum conditionale est pœnale, & conditio est de futuro (v.g. si luscro promitto Religionem:) potest, & non potest Episcopus dispensare: potest, & non potest, confessarius virtute Bullæ commutare illud, siue ante siue post impletam conditionem.

671. *Potest dispensare Episcopus, & Confessarius commutare.*

POtest Episcopus dispensare, & confessarius commutare. Quia cum hæc reseruatio sit odiosa, & per consequens restringenda, votum hoc tunc reseruatum censeri debet, quando est rei simpliciter reseruatæ, vt votum absolutum Religionis, castitatis, &c. At vota pœnalia conditionalia non sunt absolutè & simpliciter emissa: cum enim votum sit actus religionis, quo quis rem sibi gratam, & acceptam offert Deo in eius cultum, & honorem, id simpliciter, absolutè, & perfectè dicetur tale, quod ex vera, & directa rei promissæ oritur voluntate. At in votis pœnalibus conditionalibus nullus est affectus, nullaque voluntas directa rei in pœnam promissæ: sed potius hanc sibi proponit voluntatem tanquam odiosam, & non vult eam absolutè & simpliciter, imo potius habet propositum cauendi eius obligationem: quare vota absoluta aliàs Pontifici reseruata, si sint conditionalia pœnalia, iam non censentur ei reseruata, eo quod à perfecta voti ratione deficiant; vnde possunt ab Episcopo dispensari, & à Confessario Cruciatæ commutari virtute. Sic Henriq. *l.7.c.30. num.6.* Tolet. *l.4.c.18. num.11.* Saa *ver Votum, num.11.* Suar. *tom.2. de Relig. tract. de Voto, lib.6.c.23.n.1. & 6.* Sanch. *lib.8. de Matr. disp.10.n.8.* Dian. *p.1. tr.11. resol.52.*

672. *Nec Episcopus dispensare, nec Confessarius commutare potest.*

Non potest Episcopus dispensare, nec Confessarius virtute Bullæ huiusmodi commutare votum siue ante siue post adimpletam conditionem. Quia ante incursam pœnam nondum est Religionis votũ; ergo non potest ab Episcopo dispensari, nec commutari Bullæ virtute; dispensatio enim vel commutatio haud potest circa id, quod non est versari. Ita *aliqui*, quos tacito nomine refert Philiar. *de offic. sacer. to.p.2.l.3.c.22. vers. penult.* eorum sententiam probabilem iudicans; probabilem etiam existimat Trullench contrariæ sectator *l.1.§.7.c.3. dub.6.*

673. *Mediam tero viam.*

Ego quidem mediam tero viam, vnam tamen & alteram appprobans opinionem. Potest Episcopus dispensare, & Bullæ virtute commutari huiusmodi votum ante impletam conditionem, non vero post. Quia incusa pœna, & sic impleta cõditione, obligatio ad Religionem est omninò absoluta, & à futuro independens euentu; sed in his votis, si absoluta sint, non potest Episcopus dispensare; ergo nec in pœnalibus, iam adimpleta cõditione. A me Azor. *lib.11.c.10.q.3. & c.20.q.13.* Nauar. *c.12. n.43.* Lessi. *l.2.c.40. dub.13.n.106. casu 7.* lege Sanctium, *de Matr. l.8. disp.10.n.7.*

PROBL. LXXI.

Quando votum Pontifici reseruatum, est vere conditionale, non pœnale, & conditio est de futuro contingens, nec tacitè inest: potest, & non potest Episcopus dispensare, & Confessarius Bullæ commutare indulto.

674. *Est dispensabile, & commutabile hoc votum.*

NEc ante nec post impletam conditionem potest Episcopus dispensare, nec Confessarius commutare Bullæ virtute. Quia in his votis non militat ratio, quæ in pœnalibus; emittuntur enim ex affectu Religionis (v.gr.) promissæ, quamuis obligatio perfecta suspendatur in conditionis euentum; at pœnalia ex amore rei promissæ exoriuntur. Sic Azor. *l.11.c.20 q.13.* Sotus *l.7. de Iust. q.2. a.1. ad 4.* Nauar. *in man. lat. c.1.n.43.* & alij apud Sanch. *l.8. de Matrim. disp.10.n.8.*

675. *Nec dispensabile, nec commutabile est.*

Potest Episcopus dispensare in votis hisce mere cõditionalibus in materia alias reseruata Pontifici, & Confessarius commutare vi Bullæ siue antè siue post impletam conditionem. Quia ad dignoscendũ, an Episcopus possit in hisce votis dispensare, non spectanda est sola obligatio, quæ impleta conditione ex his consurgit, sed consideranda sunt origo, initium, ac radix obligationis: vnde si ea à perfecti voti reseruati natura deficit, poterit Episcopus dispensare, & consequenter Confessarius Bullæ dispensare virtute; quia etsi impleta conditione obligatio iam sit absoluta: at radix illius obligationis fuit imperfecta;

cta; certè hæc imperfectio in voto cõditionali reperitur: radix enim eius obligationis fuit imperfecta voluntas à futuro pendens euentu, quæ in ipsa obligatione quasi imbibita manet. Ita Tolet. *l.4.c.18. num.* 11. Sanch. *l.8. de Matr. disp.10. n.* 13. *& l.4. Moral.c.40.n.99.* Ludou. Cruz *disp.* 1. *c.6. dub.9.n.5.* Dian. *p.1.tr* 11. *resol.54.*

676. *Auctoris sententia.* Mea sententia est, posse Episcopum dispensare, & Confessarium Bullæ commutare virtute ante impletionem conditionis, non autem post. Quia & si contractus fuerit à principio conditionalis, & imperfectus: at impleta conditione, non minus obligat absolutè & independenter, ac si à principio id votum omninò absolutè factum esset; ergo sicut absolutè emissum est reseruatum, ita emissum sub conditione, quando illa est iam adimpleta, Mecum Lessi. *l.2.c.40. dub.13. n.106. casu 7.* Sayr. *in Claui, l.6.c.6.c.* 11. *n.77.* Suar. *to.2. de Relig. tr. de voto l.6.c.22. n.3. &* 11. At primam, & secundam sententiam æque probabilem iudicarim.

PROBL. LXXII.

Per Bullam possunt, & non possunt commutari vota quo ad pœnam pecuniariam ex eorum fractione.

677. *Non possunt commutari.* VOuit quis, se non lusurum sub pœna erogandi centum drachmas egenis, quoties luserit: sæpe votum violauit, & ideo debitor multarum drachmarum existit: Quæsierim, num per Bullæ commutationem non solum possit tolli huiusmodi votum quoad futuram obligationem, sed etiam quoad pecuniariam ex eius fractione pœnam. Non potest. Quià priuilegium Bullæ solius voti commutationem indulget: at aliud est, cõmutare votum, & pœnam ex illius fractione debitam commutare: hanc enim pœnam non produxit votum, sed eius violatio: ergo solum vnum absque alio potest per Cruciatam auferri. Sic Sayr. *in Claui, c.12.n.20.* Azor. *to.1.l.11. c.18.q.11.* Nauar. *l. 3. Consil. tit. de voto in priori edit. cons.35. & in poster. cons.32.*

678. *Possunt commutari.* Potest per bullã commutari votũ quoad pecuniariam illam pœnam. Quia tota illa obligatio soluendi pecunias, procedit ex voto, quod ab initio obligauit ad illarũ solutionem vel absolutè, vel aduenientè conditione: ergo commutandi potestas in huiusmodi voto se extendit ad pecunias iam debitas, & non solum ad eas debendas in posterum, ità Suar. *to.2. de Relig. l.6. c.20.n.18.* Sanch. *l.8. de matr. disp.15.n.14.* Villalob. *tr.27. clauf.9.§.3.n.32.* Filliuc. *tr. 26.c.10. num.295.*

679. *Hoc mihi probabilius.* Hoc puto probalius. Quia votum absolutum & directum erogandi quotidie aliquod egeno subsidium, potest commutari etiam quando fractum est votum, vt habet communis praxis teste Suario citato; ergo similiter votum pœnale reale etiam post illius violationem; v.gr. quotiens lusero, promitto hospitali decẽ aureos exhibere. Ratio est, quia tota obligatio in vtroque essentialiter pendet à voto, in quo solus Deus est creditor, per quod votum etiam post illius fractionem nullum ius est tertio alicui acquisitum, sed soli Deo; vnde in vtroque euentu poterit per Bullam commutari.

PROBL. LXXIII.

Voti commutatio bullæ indulto debet, & non debet necessario fieri in confessione.

680. *Debet fieri intra confessionẽ necessario.* DEbet quidem. Quia Bulla petit hanc commutationem à confessario approbato fieri; ergo intra confessionẽ: nec enim Pontifex approbatum ab Ordinario Sacerdotem requireret, si extra confessionem gerenda esset voti commutatio. Sic Rodrig. §.9.n.113. Villalob. *tr.27. clauf.9. §.3.n.36.* Sanct. *in select. disp.14.* Sayr. *in Claui l.6. c.11. n.115.*

681. *Non debet fieri intra confessionem necessario.* Possunt virtute Bullæ vota extra Sacramentum confessionis commutari à Confessario per Ordinarium approbato. Quia Bulla id priuilegium concedens nullatenus præscribit, vt auditis confessionibus commutatio fiat. Certè dispensatio, vel commutatio voti (vt Sotus aptè) ad forum pœnitentiæ non pertinet, sed est distincta facultas, quam Pontifex suscipienti Bullam concedit. Ita Sanch. *lib.8. de Matr. disp.15. num.25. & l.4. Moral.c.54. n.15.* Henriq. *l. 7. c.30. n.6.* Ludouicus Cruz. *disp.1.c.6. dub.1. n.6.* Dian. *p.1. tr.11. resol.45.*

682. *Hoc probabilius iudico.* Hanc sententiam probabiliorem quidem eligo, sciens ex eo quod Bulla requirat fieri huiusmodi cõmutationem à confessario approbato, non sequi, vt fieri debeat, intrà confessionem; solùm enim vult Pontifex commutaturum vota esse approbatum ab Ordinario, quia talis vir doctus præsumitur ad huiusmodi munus gerendum; nec enim modica doctrina ac prudentia requiritur ad votorum gerendam commutationem.

PROBL. LXXIV.

Voti commutatio Bullæ virtute in diuitibus necessario gerenda est, & non gerenda in subsidium temporarium belli: sufficit enim & non sufficit, in spirituale fieri.

683. *Debet fieri in subsidium tẽporale solùm*

QVæstio hæc potest vel in diuitibus vel in pauperibus potest exagitari. Vt igitur voti commutatio valida sit in diuitibus requiritur, quod fiat in aliquod temporale belli subsidium contra infideles. Quia praxis id satis testatur, cum enim Bulla preces vult sufficere, v.gr. ad indulgentias comparandas, id exponit; Et quamuis Bulla solùm asserat, in subsidium huius expeditionis per eundem Confessorem commutari, Pontificis intentio est de temporali subsidio, eo quod valde conducat ad bellum, eiusque finem comparandum. Sic Rodriq. §.9.*n.*109.*& in addit.n.*109. Nauarr.*c.*12.*n.*80. Sanch. *l.*4.*Moral.c.*54.*n.*56.*&* 57.*& l.*8.*de Matr. disp.*15.*n.*1. Sotus *de iust.l.*7.*q.*4.*a.*3.

684. *Potest fieri etiam partim in subsidium spirituale.*

Etiam in diuitibus potest fieri in spirituale subsidium commutatio. Quia Bulla solum dicit: in subsidium huius expeditionis per eundem Confessarium commutari; de alia autem Pontificis intentione non constat, præcipuè cum spiritualia subsidia validiora sint belli fulcimenta placato Numine, quam tẽporalia: & cum ad temporaria præsidia iam qui Bullam accepit, temporalem erogauit stipem. Attamen non sufficit, totam commutationẽ fieri in spirituale subsidium, sed necessarium est, partim in temporale geri. Id colligitur ex verbis illis: *In aliquod subsidium huius expeditionis commutari.* Ac si dicat, aliquam commutationis partem debere esse in eleemosynam pecuniariam, aliquam verò in pia opera pro belli expeditione. Ita Henriquez *lib.* 7. *cap.*30. *num* 6. Suar. *tom.*2. *de Relig. tract. de Voto, lib.*6.*cap.* 19.*num.* 18. Villalob. *tr.* 27. *clauf.* 9. §. 3. *num.* 38. Sanch. *l.*4. *Moral. c.*54.*n.*58. Ludouic. Cruz *disp.*1.*c.*6. *dub.*2. *num.* 5.

685. *Idem iudico.*

Profecto hanc esse Regis Catholici Bullam impetrantis mentem, haud obscure collegerim, quia si tota commutatio pecuniaria esse deberet, graue onus ei, cui commutatur votum addiceretur & in Regis præiudicium redundaret, quia, pauci vellent huiusmodi priuilegio vti. Attamen crediderim, satis non esse minimam pecuniæ contribuere quantitatem facta reliqua in pia opera commutatione; hoc enim videtur Bullæ intentioni aduersari, quæ quidem præcipuè intendit belli roborare temporaria subsidia. Quare prudentis Confessarij erit quantitatem subsidij præscribere iuxta qualitatem voti, ac vouentis substantiam.

PROBL. LXXV.

Voti commutatio in pauperibus potest, & non potest fieri tota in subsidium spirituale.

686. *Non potest.*

NOn potest tota commutatio fieri in spirituale subsidium belli. Quia licet maxime conferat spirituale præsidium ad fælicem belli exitum, Bullæ intentio regulariter loquendo de subsidio est temporario ad belli administrationem. Sic innuunt Sayr. *in Clau.*6. *c.*12.*n.*19. Henriq. *lib.*7.*cap.*30. *num.*6. Rodrig. §.9.*num.*140. *& in addit. num.*120. asserentes expedire pauperibus adire Episcopos, aut Regulares, qui quidem absque subsidij temporarij onere vota possunt commutare. Ergo hi non tutum omnino iudicant in pauperibus posse fieri in spirituale subsidium totam voti commutationem.

687. *Possunt quidem.*

Possunt vota vouentis pauperis omnino in aliquod spirituale subsidium commutari, si nullam, aut adeò exiguam pecuniam erogare possint, vt moraliter pro nihilo reputetur. Quia quamuis Bullæ intentio sit de temporali acquirendo subsidio, tamen in pauperibus habet locum eiusmodi interpretatio; illa enim conditio pecuniariæ commutationis morali modo debet intelligi. Ita Suari. *tom.*2.*de Relig.lib.*6.*cap.*19.*num.*18. Sanct. *lib.*4.*Moral.cap.*54.*num.*56. Dian. *part.* 1. *tract.*11. *resol.* 21. Gomez *in Bull. clauf.* 10. *numero* 54.

688. *Primam sententiam puto probabiliorem.*

Satis probabilem, & in conscientia tutam hanc puto sententiam; at quia probabiliorem primam iudico, ad omnem tollendum scrupulum pauperes monuerim ad Episcopos, seu ad Regulares sua vota commutatum accedere, qui sine Bullæ id onus exigentis indulto ea poterunt in pia solùm opera commutare.

***

PROBL.

PROBL. LXXVI.

Licet, & non licet fieri votorum commutationem propria, aut Confessarij auctoritate; quando res non est manifestè melior, est autem euidenter æqualis.

689. *Licet auctoritate Confessarij, nō propria.* LIcet plane auctoritate Confessarij, non propria. Quia cum vtraque materia sit æque grata Deo, nil refert vtra illarum eligatur; vtrumque enim votum absque voto factum Deo æquè placeret, æqueque illud Deus acceptaret, si à principio fuisset promissum. Sic Henriq. *lib.* 5. *cap.* 20. *numer.* 5. *& lib.* 7. *cap.* 30. *num.* 5. Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 20. *n.* 4. Less. *lib.* 2. *de Iust. cap.* 40. *dub.* 11. *num.* 87.

690. *Nec propria nec Confessarij licet.* Nec propria authoritate nec Confessarij carentis potestate delegata ad commutandum, possunt vota in rem manifestè æque bonam commutari. Quia non est certum, huiusmodi commutationem à Deo acceptari, cum nulla in ea vtilitas eluceſcat: ergo oportet voluntatem Præsulis interpretantis vice Dei eam voluntatem intercedere: & alio ex capite iurisdictio Ordinaria Confessoris solum ad pœnitentiæ forum extenditur, ad quod nec dispensandi, nec commutandi potestas pertinet sed ad Ecclesiæ in foro externo gubernationem Ita Tolet. Azor. Ledesm. Sayr. & alij apud Sanch. *lib.* 4. *Moral c.* 49. *n.* 12. Caieta. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 12. Couar. *de pactis, p.* 1. §. 3. *n.* 4.

691. *Hanc opinionem tueor.* Opinionem hanc communiorem, ac probabiliorem existimo. Attamen submonuerim, sententiam asserentium posse propria autoritate commutari votum in æque bonum, quando vtriusque materiæ æqualitas esset manifeste euidens, dubium tamen est, an posterior, in quam fit commutatio, sit melior, aut probabile est, eam esse meliorem omnino esse veram. Quia tunc euidens est, commutationem in maiorem Dei cedere honorem, si quidem potest augere, non tamen imminuere Dei cultum. At quia moraliter difficillimum est vtriusque materiæ æqualitatem euidenter cognoscere, tutius est in his commutationibus Præsulis auctoritatem spectare. Infero, promittenrem certam Religionem inire, non posse propria auctoritate ad aliam diuertere; quia difficilius est de hac qualitate, hac in materia, quam in aliis iudicare.

PROBL. LXXVII.

Cum commutatio voti fit in rem æqualem, requiritur, & non requiritur causa.

692. *Nulla causa requiritur.* DVm constat, probabile esse, posse fieri voti commutationem propria auctoritate in rem euidenter æqualem, & si non sit dubium, an materia subroganda sit melior probabiliter etiam asseritur, in hoc casu nullam, aut valdè modicam causam requiri, nempe quod vouens hilarius votum in alia materia adimplebit. Quia hoc in casu fit pro ratione voluntas. Sic Trul. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 13. Henriq. *lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 5. *& lib.* 7. *cap.* 30. *num.* 5. Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 20. *numer.* 4.

693. *Requiritur causa.* Dum constat, probabile esse hanc non posse fieri propria auctoritate commutationem, probabile est, aliquam causam requiri. Quia aliter commutans non censeretur fidelis sui Domini dispensator, si nulla vtilitate suadente rem Domino offerret æqualem. Ita Sotus *lib.* 7. *de Iust. q.* 4. *art.* 3. Tolet. Ledes. Azor. Sayr. quos cit. & sequitur Sanch. *lib.* 4. *Moral. cap.* 49. *num.* 12.

694. *Hoc mihi probabilius.* Ego quidem, qui probabilius iudico non posse in rem æqualem geri propria auctoritate commutationem, probabilius asserо, aliquam causam requiri. Eo enim, quod materia subrogata non est melior, est magis consentaneum debitæ Numini fidelitati promissam ei materiam soluere, cum non adsit causa, quæ aliam æqualem materiam satius eligibilem persuadeat.

PROBL. LXXVIII.

Ad commutationem voti in rem æqualem, requiritur, & non requiritur causa ad dispensandum requisita.

695. *Requiritur ad cōmutationem eadem causa, quæ ad dispēsandum.* IN commutantibus vota per potestatem delegatam simpliciter, & absolutè in rem æqualem absque vllo onere, causa requiritur in omnibus illis casibus, in quibus sect. 1. dixi, causam requiri, vt Prælati commutent. Quia si habens potestatem Ordinariam nequit absque causa commutare, multo minus poterit ab eo delegatus. Variant tamen Doctores, qualis causa requiratur. Requiritur quidem causa obstans executioni voti; v. gr. si vouens peregrinari, aut ieiunare, sit ad id debilis

debilis. Itaque pro iustis causis ad commutandum requisitis numerantur omnes quæ ad dispensandum petuntur. Quia solùm hæ obstant voti executioni. Sic Sylvest. *ver. votum* 4. *quæst.* 6. Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *c.* 19. *quæst.* 3. Sayr. *in Clavi, lib.* 6. *c.* 12. *n.* 26. Vide Coninch. *disp.* 33. *de Matr. dub.* 5. *concl.* 2.

696. *Non requiritur ad commutandum causa, quæ ad dispensandum requiritur.* Non requiruntur causæ ad dispensandum requisitæ, & obstantes voti executioni. Quia per dispensationem votum omnino tollitur, in commutatione verò idem vinculum manet in materiam translatum æqualem, ex quo parum aut nihil cultus diuinus leditur. Ita Caiet. 2. 2. *q.* 88. *a.* 12. Henriq. *l.* 7. *c.* 30. *n.* 5. Lessi. *l.* 2. *c.* 40 *dub.* 11. *n.* 96. Suar. *to.* 2. *de Relig. l.* 6. *c.* 19. *à numer.* 5.

697. *Levis, meâ sententia, causa requiritur ad commutationem.* Ad commutandum quidem, puto leuem requiri causam; quia leuis est per commutationem facta remissio. Imo pro causa sufficere censeo, vt vouens petat commutationem; quia semper cum illa petitione promptior voluntas vouentis in materiam subrogatam exponitur. Vnde cedere censeo in Dei honorem, Ecclesiæque vtilitatem, si vouens Dei benignitatem experiatur, faciliusque in posterum ad vota Deo dicanda inducatur.

PROBL. LXXIX.

Quando commutatio voti fit in minus sine causa respectiuè proportionata, irrita est, & non est irrita.

698. *Fit irrita,* CVm commutatio voti fit sine causa respectiuè proportionata, præcipuè si fiat in minus bonum: fit irrita plane. Quia Deus, qui creditor est, non censetur tali commutationi consentire, eo quod in minus sinè causa geratur. Sic Nauar. *lib.* 3. *consil. tit. de voto in priori edit. conf.* 5. *n.* 1. *in poster. conf.* 19. *num.* 1. Azor. *tom.* 1. *l.* 11. *c.* 19. *q.* 12. & alij, quos citat Sanch. *l.* 4. *Moral. c.* 51. *n.* 2. 3. 4.

699. *Non fit irrita.* Commutatio voti, licet in minus, facta sine causa proportionata, valida est, cum obligatione tamen supplendi id, quo ad æqualitatem materiæ subrogatæ cum promissa defuit. Quia Deus creditor huiusmodi commutationi censetur annuere eo quod postmodum, defectus suppleatur. Ita Sanch. citat. & multi apud ipsum.

700. *Idem iudico, si satisfactio detur.* Iudico posse hunc defectum ab ipso vouente suppleri, etiamsi votum superioris sit commutatum auctoritate. Quemadmodum cum quis viliori pretiosiorem emit valet venditio cum obligatione supplendi pretij defectum.

PROBL. LXXX.

Regularis Confessarius, qui petenti commutationem voti, priuilegij eiusdem Regularis virtute, non concesserit: delinquit, & non delinquit.

701. *Delinquit quidem.* MOnui sect. 1. peccare Confessarium, qui requisitus per Bullam, votum noluerit alicui commutare, dum putat iustam adesse causam; quia est Iudex delegatus in fauorem pœnitentis, qui ex indulto Bullæ acceptæ habet ius. huiusmodi efflagitandi commutationem. Quæsierim tamen, an delinquat Confessarius Regularis, qui postulanti sibi commutationem voti fieri ex Regulari priuilegio, eam sine iusta causa denegauerit? Peccat quidem. Quia id videtur contrà charitatem. Sic Trul. *lib.* 1. § 7. *c.* 3. *dub.* 14. & alij.

702. *Non delinquit.* Non peccat. Quia non adstringitur, vti suo priuilegio. Ita Sanch. *l.* 4. *Moral. c.* 54. *n.* 11.

703. *Idem asseuero.* Crediderim, nec leuiter delinquere Regularem abnegantem huiusmodi commutationem, nisi cum commutationem valde pœnitenti ipse viderit expedire. At si culpa aliquo in casu est, venialem esse iudicarim.

PROBL. LXXXI.

Vouet quis disiunctiuè Religionem, aut ieiunium multorum mensium, quorum votorum primum est Papæ reseruatum, secundum minime: si eligat reseruatum, potest, & non potest per Bullam commutari.

704. *Non poterit commutari.* POtest planè eligere reseruatum, & potest eligere non reseruatum; si eligit non reseruatum, dixi sect. 1. posse Bullæ virtute commutari, quia illud minimè reseruatum est. At si eligat reseruatum, & per Bullam exceptum, v. gr. Religionem, per Bullam commutari non poterit. Quia nec ab Episcopo dispensari. Sic Sanch. *lib.* 4. *Moral. c.* 40. *n.* 44. Ludou. Cruz. *disp.* 1. *dub.* 11. *n.* 6.

705. *Commutari poterit.* Etiam si reseruatum eligat commutari poterit indulto Cruciatæ, modò de nouo non promittat illud, quod eligit. Quia si ex vi primæ promissionis potest eligere non reseruatum, dum de nouo quod eligit-

git, non promittit, adhuc poterit variare. Ita Dian. *p.* 1. *tract.* 11. *resol.* 65. Malder. 2. 2. *tract.* 10. *c.* 5. *dub.* 10.

706. *His hæresco.* Fateor huiusmodi electionis varietatem ex leuitate animi ortum habere, assero tamen non impedire, dum non additur nouæ promissionis confirmatio, quominus votum disiunctiuum valeat commutari, ex iure quod vouens habet eligendi, quod reseruatum minimè existit.

PROBL. LXXXII.

Pontifex tibi castitatis votum in confessionem menstruam commutauit, aut Confessarius virtute Bullæ votum ieiunandi singulis sextis feriis in Rosarij recitationem, tu verò commutationem non impleuisti teneris planè, & non teneris, prius castitatis aut ieiunij votum obseruare.

707. *Teneris prius votum obseruare.* POrrò, si multi transiere menses absque confessione, vel multi dies absque Rosarij recitatione: teneris prius aut castitatis, aut ieiunij votum repetere. Quia sub tali conditione videtur votum fuisse commutatum. Sic aliqui apud Sanch. *l.* 8. *de Matr. disp.* 9. *n.* 21. Rodrig. *in addit ad* §. §. 9. *n.* 117. *&* 118.

708. *Non teneris.* Ille qui ratam habuit; & acceptauit commutationem voti, quamuis culpa suam omiserit materiam, in quam est commutatum, non tenetur ad priorem voti materiam, nempe castitatem, vel ieiunium. Quia per legitimam commutationem votum prorsus extinguitur circà priorem materiam, & obligatio voti in materiam subrogatam transfertur Ità Sanch. *l.* 8. *de Matr. disp.* 9. *n.* 21. Azor. *l.* 11. *c.* 19. *q.* 10. *&* 12. Lessi. *l.* 2. *cap.* 40. *dub.* 11. *n.* 97. Ludouic. Cruz *disp.* 1. *c.* 6. *dub.* 17. *n.* 1. *&* 2.

709. *Hanc eligo sententiam.* Certè per commutationem remanente vinculo tollitur prior materia ea lege, vt loco illius acceptet vouens aliam sub eiusdemmet voti obligatione. Vnde secundam eligo opinionem, nec enim vllo iure probatur, commutationem sub illa conditione à primæ sententiæ Doctoribus apposita fieri, cum de illa nulla adsit mentio. Fateor, si apponeretur, aut tacitè inesset, siuè culpate siuè inculpatè materia, in quam votum est commutatum executioni non mandaretur, materiam priorem voti reuiuiscere.

PROBL. LXXXIII.

Votum vltra marinum & peregrinationis in D. Petrum, & D. Iacobum quocumque modo fiant, sunt, & non sunt summo Præsuli reseruata.

710. *Non sunt reseruata, cum solius deuotionis causa fiunt.* TRia hæc vota, duplici possunt geri prætextu, primo in subsidium Terræ Sanctæ, seu in defensionem Basilicæ Petri ac Iacobi, si ab hostibus impugnaretur: Secundò solùm deuotionis causa, visitandi scilicet loca sancta. Certè non sunt reseruata Pontifici, quando solius deuotionis causa fiunt, sed cum in subsidium eorum locorum emittuntur: proindeque quando ex sola deuotione sacrantur, valet Episcopi dispensatio, & commutatio Bullæ. Quia sic odium laboriosæ peregrinationis restringitur, & Bullæ indultū ampliatur. Sic Saa *ver. Votum n.* 11. *& ver. Iuramentum n.* 33. Graph. *p.* 1. *decis. l.* 2. *c.* 31. *n.* 21. & alij apud Sanch. *l.* 4. *Moral. c.* 40. *num.* 5.

711. *Sunt reseruata, quocumque modo fiant.* Sunt planè tria hæc vota summo Præsuli reseruata quocumque modo fiant, siue ex deuotione, siuè ex subsidio. Quia vniuersali Ecclesiæ consuetudine id est approbatum, nec aliter assolet quis hæc vota proferre. Ità Azor. *tom* 1. *l.* 11. *c.* 20. *q.* 3. *&* 4. Lessi. *l.* 1. *c.* 40. *dub.* 13. *num.* 104. Suar. *de Relig. to* 2. *l.* 6. *c.* 21. *num.* 4. *&* 5. & alij, quos citat. & sequitur Sanch. *l.* 4. *Moral. c.* 40. *n.* 6.

712. *Hoc mihi verius.* Hoc verius existimo, nec alio modo interpretari auderem, quod vniuersali Ecclesiæ consuetudine video esse approbatum.

PROBL. LXXXIV.

Votum conuertendi debita incerta in Terræ Sanctæ subsidium potest, & non potest Bullæ virtute commutari.

713. *Non potest commutari.* HIusmodi votum est à commutatione per Bullam exceptum, Quia est Pontifici reseruatum. Sic Sylvest. *ver. Votum* 4. *q.* 3. *dicto* 5. Angel. *ver. Votum* 4. *q.* 13. Sayr. *in Clavi, l.* 6. *c.* 11. *n.* 35. *&* 36.

714. *Potest commutari.* Huiusmodi votum non est Pontifici reseruatum, adeóque potest dispensari ab Episcopo, ac Bullæ indulto commutari. Quia talis reseruatio nec à iure, nec à consuetudine probatur. Ita Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *c.* 21. *n.* 13. Sanch. *l.* 4. *Moral. c.* 40. *n.* 8. Trul. *in Decal. l.* 2. *c.* 1. *dub.* 49. *n.* 27. Nauar. *c.* 12. *n.* 78.

Hos

715. *Hos sequor.* Hos sequor, sed intelligo ante huiusmodi voti conuertendi debita incerta in Terræ sanctæ subsidium, acceptationem; nam si acceptatum sit, tunc à solo Pontifice poterit dispensari: non quia ipsi sit reseruatum; sed quia solus Papa est iurium Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum dispensator.

PROBL. LXXXV.

In commutatione voti expensæ ratione peregrinationis gerendæ, iuxta statum vouentis computandæ sunt, & non computandæ.

716. *Computandæ sunt iuxta statum vouentis.* Asserui sect. 1. in commutatione voti peregrinationis duo esse consideranda, & laborem itineris & expensas causa peregrinationis faciendas, vt constat ex *Cap. Magnæ, de voto.* Quæsierim num sint computandæ iuxta statum vouentis? Computandæ quidem sunt iuxtà vouentis statum, & moralem ipsius in simili itinere consuetudinem, quod non ostentationis gratia, sed deuotionis aggreditur. Quia quamuis in rigore hoc non promiserit, sed tantum proficisci; atque adeò voto satisfaceret, si solus peregrinaretur: at res æstimandæ sunt moraliter & prout in re ipsa futuræ sunt. Aliàs enim asserendum esset nullas expensas computandas, quia satisfaceret voto, si pedester, & mendicans illud exequeretur. Sic Suar. *tom. 2. de Relig. l. 6. n. 20.* Sanch. *l. 4. Moral. c. 54. n. 14.* Lud. Cruz *disp. 1. c. 7. dub. 2. n. 3.*

717. *Non sunt computandæ iuxta vouentis statum.* Non sunt computandæ iuxta statum vouentis aut moralem illius in simili itinere consuetudinem: sed disiunctiuè tenetur vouens ad expensas, quas solus, aut cum vno, aut altero famulo erat facturus. Quia expensæ illæ per accidens se habent ad votum, cum absque aliquo comitatu procedens illi voto satisfaceret, Ità Henriq. *l. 7. c. 30. n. 5.* Sayr. *in Clavi l. 6. c. 12. n. 20.* & alij.

718. *Primam eligo opinionem.* Primam sententiam iudico tutiorem. Attamen cum Ledesma *tom. 2. sum. tr. 10. c. 8.* assero virum nobilissimum, v. gr. Ducem, Comitem, Marchionem teneri duos famulos adhibere: virum nobilem, qui sine famulis nunquam iter gerere assolet, vnum: virum mediocrem, quia aliquando cum famulis, aliquando vero sine illis iter facit, nullum.

PROBL. LXXXVI.

In commutatione voti peregrinationis, computandæ, & non computandæ sunt expensæ, quas in eundo, & redundo vouens erat facturus.

719. *Solum computandæ expensæ eundi.* Solummodo sunt eundi expensæ computandæ, redeundi minimè. Quia reditus non fuit promissus votoque plenè satisfacies, non redeundo. Sic Henriq. *l. 7. c. 30. n. 5.* Rodrig. §. 9. *n.* 107. Graph. *p. 1. decis. l. 2. c. 30. n. 10.* & alij.

720. *Etiam computandæ expensæ redeundi.* Non solum computandæ sunt eundi expensæ, sed & redeundi. Quia etsi redire non voueris, cum votum intelligatur morali modo, & prout res se habitura sit, clauditur tacitè huiusmodi reditus in voto, eiusque meritum, & æstimationem auget, estque illi accessorium, & quasi cõsummans opus Religionis eo voto Deo dicatum. Ita Suar. *tom. 2. de Relig. cap. 19. n. 20.* Sanch. *l. 4. Moral. cap. 56. num. 11. & 16.* Ludouic. Cruz *disput. 1. cap. 6. dub. 2. num. 4.* Lopez *de Bul. c. 9.* Rodriguez *in addit. ad* §. 9. mutans sentiam.

721. *Hæc sententia probabilior mihi.* Hanc sententiam puto probabiliorem; quia se offerens ad eundum aliquo computat etiam expensas reditus ad iustam itineris mercedem, quamuis redire non teneatur, redituque sit inutilis immittenti. Addo, in Cap. *Magnæ, de voto* expressè circa votum Ierosolymitanum & eundi, & redeundi computari in commutatione expensas: *Expensas, quas fueras eundo, morando, & redeundo facturus.* Fateor tamen primam sententiam securè teneri posse; non enim inclusæ videntur in voto nisi expensæ in eundo, & in commutando solum sunt computandæ expensæ quæ fiunt vsque ad voti impletionem; cæteræ autem sunt extrinsecæ, & quasi per accidens ad votum, cum sufficienter, illis non consideratis, sit voto satisfactum.

PROBL. LXXXVII.

Cum quis voto castitatis adstrictus transit ad Nuptias, potest, & non potest Confessarius virtute Bullæ hoc votum commutare, vt valeat petere debitum.

722. *Potest Confessarius commutare.* POtest Confessarius virtute Cruciatæ huiusmodi commutare votum, ad debitum petendum. Quia ad petendum id,

potest

potest Episcopus dispensare. Sic Viuald. *in candelab. p. 3. c. 14. num. 41.* Posse autem dispensare Episcopum asserit. Valent. *tom. 4. disp. 10. quæst. 5. pun. 5.* Henriq. *l. 12. cap. 2. num. 9.* Saa *ver. debitum coniugale, num. 4.* Tolet. *l. 7. cap. 14. num. 4.* Potest Episcopus dispensare? ergo & Confessarius commutare Bullæ indulto.

723. *Non potest.* Non potest Confessarius Cruciatę virtute hoc commutare votum ad petendum debitum. Quia quando Episcopus dispensat ad petendum debitum cum illo, qui contraxit matrimonium voto castitatis adstrictus, non id gerit, quod sibi ex iure communi competat; sed vigore consuetudinis, quæ huiusmodi ei iurisdictionem concessit. Ita Sanch. *lib. 4. Moral. cap. 54. num. 20.* Azor. *to. 1. l. 11. c. 19. q. 8.* Gutier. *qq. Can. l. 1. c. 23. num. 17.* & alij.

724. *Secunda hæreo sententiæ.* Profecto licet Confessarius possit commutare vota, quæ potest Episcopus commutare, aut in eis dispensare: id intelligendum de votis, quæ Episcopus commutat, aut in quibus dispensat iure Ordinario, & ex natura reseruationis: non autem si talia vota commutaret aut in eis dispensaret iure speciali; aut per consuetudinem. Ideò secundæ sententiæ subscripserim.

PROBL. LXXXVIII.

Confessarius per Bullam Cruciatæ potest, & non potest commutare materiam subrogatam, in quam fuit commutatum votum castitatis, aut Religionis, aut vltramarinæ peregrinationis.

725. *Non potest cõmutari.* COmmutari non potest. Quia subrogatum sapere debet naturam eius, pro quo subrogatur. Vnde materia in quam commutatur votum reseruatum, etiam reseruata manet. Sic Azor. *p. 1. l. 11. c. 18. q. 11.* asserens dubiam sibi contrariam exponi sententiam. Zanard. *in direct. Theol. p. 2. c. 33.* & alij.

726. *Commutari potest.* Potest commutari. Quia per commutationem prius votum reseruatum ratione materiæ extinguitur; ergo aliud votum, quod est de alia materia, non erit reseruatum. Ita Lessi. *l. 2. c. 40. dub. 19. n. 124.* Sanch. *de Matr. tom. 3. l. 8. disp. 9. n. 20.* Suar. *tom. 2. de Relig. l. 6. c. 20. n. 15.* Filliuc. *tom. 2. tr. 26. c. 10. n. 293.* Henriq. *l. 7. c. 30. num. 5.*

727. *Idem censeo.* Idem iudicarim, fundamentum primæ sententiæ ratus infirmum. Illa enim propositio, seu axioma: subrogatum sapit naturam eius, cui subrogatur, procedit iuxta fauorabilem, ac latam interpretationem solummodo, quæ in odiosis, qualis est reseruatio, locum non habet.

PROBL. LXXXIX.

Confessarius potest, & non potest commutare votum Religionis, seu castitatis propter le-em metum emissum.

728. *Non potest Confessarius commutare.* NOn potest Confessarius id votum commutare. Quia nec Episcopus in eo dispensare potest; inuoluntarium enim, & coactum est non absolutè, sed secundum quid. Quod si sufficeret, vt cessaret reseruatio, cessaret etiam in votis emissis ab eo, qui mortis actus discrimine, aut naufragij periculo vouet; hoc dicere est absurdum; ergo, &c. Sic Suar. *tom. 2. de Relig. l. 6. c. 6. num. 4.*

729. *Potest Confessarius idem mutare votum.* Potest Confessarius virtute Bullæ id commutare votum. Quia reseruatio voti huiusce est de libero intelligenda; ne ita sit reseruationi obnoxium coactum, sicut spontaneum. Ita Glossa, Angelus, Nauar. Fumus, quod citat. & sequitur Lessi. *l. 2. c. 40. dub. 18. num. 127.* Dian. *p. 1. tract. 11. resol. 73.* Bonac. *de legib. disp. 4. q. 2. pun. 7. §. 4. num. 17.*

730. *Idem asserit.* Existimo, his hærescens, Confessarium posse huiusmodi votum commutare, quia emissum ob leuem illum metum nullatenus est reseruatum. Imo probabile puto cum Nauarro, & Diana citat. votum emissum ex leui metu esse irritum.

PROBL. XC.

Votum disiunctiuum emittis, v. gr. castitatis, vel dandi centum aureos Ecclesiæ alicui: quando materia non reseruata effecta est impossibilis adeò, vt vouens nequeat eam adimplere, sed tantum materiam reseruatam: Confessarius potest, & non potest id votum commutare per Bullam.

731. *Non potest id votum commutare.* EMisisti castitatis, aut eleemosynæ gerendæ votum, postmodum, matrimonio deperdito, materia voti non reseruati fit impossibilis, nec enim vales certam illam eleemosynam Templo exhibere, possibili quidem manente materia reseruata. Quæsierim, possit nè Confessarius virtute Bullæ huiusmodi votum commutare?

tare? Non potest. Quia materia illa verè est reseruata ex vi voti. Sic Bonac. *tr. de legib. disp.*4.*q.*2.*pun.*7.§.4.*n.*18.

732. *Potest commutari.* Potest planè. Quia tale votum per se, & ex natura sua nunquam obligauit voentem ad partem reseruatam; sed postmodum obligatio illa oritur per accidens ex sola impossibilitate alterius materiæ non reseruatæ. Ità Suar. *tom.*2. *de Relig.*6.*c.*24.*n.*4.Sanch. *l.*4.*Moral.c.*40.*n.*44. Dian *p.*1.*tr.*11.*resol.*74.

733. *Idem opinor.* Cum his opinor, certum omnino credens, materiam illam, quàm ex alterius impossibilitate sectari cogeris, per accidens esse reseruatam, scilicet ex huiusmodi alterius impossibilitate, non autem ex vi voti.

PROBL. XCI.

Confessarius Bullæ indulto potest, & non potest commutare votum Melitensis Religionis ineundi.

734. *Potest commutare.* POtest hoc votum commutare. Quia hi Equites non sunt propriè, sed largo modo Religiosi; ergo per Bullam votum huiusmodi Religionis ineundæ erit commutabile. Sic ex doctrina Graf. *to.*1.*lib.*3. *consil.*11.*num.*14.*de regular.*Gonzal.*in reg.* 8. Cancel. *glo.*8. 57. & 65. Sylvest. *ver. Religio* 1.*q.*1. Sot.*de Iust.l.*7.*q.*5.*a.*3.

735. *Commutare non potest.* Non potest Confessarius hoc commutare votum. Quia Melitenses Equites; sunt verè Religiosi. Ita Rodrig. §. 9. *num.* 123. Henriq. *l.*11. *c.*8.*n.*6. Mour. *in exa.p.* 3.*c.*9.*sect.*11.§.17.*n.*10. Acost.*in Bul. q.*73. & alij multi, quos citat, & sequitur Diana *p.*1.*tr.*11.*resol.*77.

736. *Primam sententiam improbabilem iudico.* Ego quidem primam sententiam omninò improbabilem iudicarim; dum videó, per professionem huiusce nobilissimæ Religionis matrimonium dirimi ratum. Asserit Sanch. *tom.* 1. *de Matr. l.* 2. *disp.*18. *num.* 8. ex sapientum consilio D. Gaston Ducem Metinæ è rato coniugio ad Melitensis Religionis professionem transiisse. Certè in Melitensis Ordinis præscriptionibus per Pontificem approbatis habetur posse ad Religionem eam admitti rato matrimonio illigatos. Lege Azor.*p.*1. *lib.* 13. *cap.* 6. *quæst.*4.

***

PROBL. XCII.

Confessarius per Cruciatam potest, & non potest commutare votum ineundi Religionem D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ.

737. *Non potest commutare.* COnfessarius huiusmodi votum commutare non potest. Quia Milites D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ vere sunt Religiosi. Sic Pont. *de imped. Matr. caus.*27.*q.*2. §.4. Lopez *in instr.p.*2. *de clauib. c.* 9. Auenda. *in Cap.* Prætor, *l.* 2. *cap.* 26. *num.* 11. Vega *tom.*1. *cap.*85.*cas.* 147. Bobadil. *in pol.tom.*1.*l.*2.*c.*19. *n.*11. Dian.1. *p.tr.*11.*resol.*78.

738. *Commutare potest.* Potest Confessarius id votum commutare. Quia hi Ordines Militares non sunt propriè ac simpliciter Religiones. Ita Valen.*to.*3.*disp.*10.*q.*4.*pun.*2. Azor.*tom.*1.*l.*13. *n.*98. Mol.*d. Iust.to.*3.*disp.*623.*n.*5.& alij.

739. *Primam sequor sententiam, sed non improbo secundam.* Primæ opinioni hæresco, sed non adeo tenaciter, vt non iudicem probabiliter admodum posse te secundam sectari, quia vt Confessarius valeat Bullæ aut Iubilei virtute aliquod votum commutare, satis est, sub opinione versari, an sit reseruatum, necne. Legendus Sanctius de Matr. *tom.*3.*l.*8.*disp.*9.*n.*16.*& l.*4.*Mor. c.*40.*n.*73.

PROBL. XCIII.

Confessarius Cruciatæ virtute potest, at non potest commutare votum perseuerandi in Religione.

740. *Non potest hoc votum commutare.* COnfessarius non potest huiusmodi votum commutare. Quia si (iuxta probabiliorem sententiam) obligat licet bona fide in probatione putet, quis sibi eam Religionem non esse accommodatam: perinde se huiusmodi votum perseuerandi habere videtur ac principale ingrediendi. Sic Azor. *p.*1. *l.*11. *c.*22. *q.*8. Valent.*tom.*3.*disp.*6.*q.*6.*pun.*4.*q.*4. Rodrig. *in sum. tom.*2. *c.*95. *n.*7. Sylvest. *ver. Religio.*2.*q.*19. & alij

741. *Commutari potest.* Confessarius potest huiusmodi votum commutare Bullæ virtute. Quia votum perseuerandi in Religione diuersum est à voto Religionis, & Confessarius tale votum commutans, non commutat Religionis votum, sed adiunctam voto qualitatem, quæ quidem non est reseruata Pontifici. Ita Sanch.*de Matr.tom.*3.*l.*8.*disp.*15.*n.* 4.*& l.*4.*Moral.c.*40.*n.*75. Malder.2.2.*tr.*10. *c.*5.*dub.*10.*n.*8. Sanctarel. *tr. de Iubil. c.* 10. *dub.*4. Molfes.*in sum.to.*1.*tr.*11.*c.*15.*n.*147.

Cum

742. *Cum his opinor.* Cum his opinor, imo putarim, posse vouentem egredi è Religione, nec aliqua voti illius commutatione indigere; quia probabilem admodum iudico illam Lessij *l.2.c.41. n.46.* sententiam docentem, votum perseuerandi in Religione minime obligare, si vouens, in probatione bona fide adiudicat illam sibi Religionem haud esse accommodatam, vti primæ sententiæ exprimit fundamentum.

PROBL. XCIV.

Voues te ingressurum intra annum Religionem: Confessarius virtute Cruciatæ potest, & non potest iusta ex causa commutare votum hoc, vt non impleatur tempore præscripto.

743. *Incommutabile est.* NOn potest huiusmodi votum commutare, nec Episcopus dispensare, nisi ex causa iusta superuenienti ad Pontificem aditus non patesceret. Quia talis circumstantia non parum ad voti substantiam pertinere videtur: differs enim totam voti pro aliquo tempore obseruationem. Sic Suar. *to.2.de relig.l.6.c.26.n.11. & 12.*

744. *Commutabile est.* Potest Episcopus in huiusmodi voto dispensare, atque adeò Confessarius potest id Cruciatæ indulto cõmutare. Quia hoc non est dispensare, aut commutationẽ gerere in voti substantia, sed in eius qualitate. Ita Malder 2.2. *tract.10.c.5. dub.10. n.9.* Sanch. *de Matr.to.3.l.8.disp.9.n.19. & l.4. Moral.c.40. n.76.* Molfesi. *in sum.to.1. tract.11.c.15.n.147.*

745. *Hos sequor.* Hos sequor, submonuerim tamen id posse fieri dummodo votum non adeò differatur, vt vouens impotens reddatur adimplendum.

PROBL. XCV.

Confessarius per Bullam potest, & non potest commutare votum Castitatis seu Religionis emissum ab eo, qui alterius subditur potestati, v. gr. coniugata, filio, seruo.

746. *Potest Confessarius commutare.* SInè licentia viri, patris, domini potest Confessarius commutare votum emissum ab vxore, filio, aut seruo. Quia vir, pater, dominus possunt huiusmodi irritare vota; ergo poterit & Episcopus dispensare, & Confessarius Bullæ indulto commutare. Sic Gutier. *qq.Canon.l.2.c.22. numer.49.*

747. *Non potest.* Sine licentia viri, patris vel domini, non potest in his votis dispensare Episcopus, nec Confessarius ex Bullæ virtute ea commutare. Quia cum hæc potestas, sit diuersa, & diuersis à principiis habeat exortum non sequitur, quod à potestate irretandi viri patris, & domini ad potestatem dispensandi, ac commutandi Episcopi, aut Confessarij deducatur argumentum. Ita Sanch. *de Matrim. tom.3. lib.8. disp.9. num.4.* Suar. *de Relig. tom.2. lib.6. c.26.num.3.* Malder. *2.2.tr.10.c.5. dub.10. num.11.*

748. *Idem iudico.* His adhæreo, ratus, Pontificem reseruando talia vota non intendere derogare dominatiuæ potestati quam habet vir, pater, Dominus super vxorem, filium, & seruum: secus autem dicendum de potestate dispensandi ac Bullæ commutandi virtute.

CAPVT XXXV.

Circa Bullæ Indulgentias.

PROBL. XCVI.

Indulgentia per Bullam acquirenda amplè, & non amplè est interpretanda.

749. *Ample interpretanda.* AXIOMA commune est Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant; hoc est Indulgentia, omnibus causis necessariis concurrentibus, ex se infallibiliter tantum valet, quantum verba sonant. Quæsierim tamen an indulgentia ample an vero stricte sit interpreranda? Late quidem, interpretanda est, Quia nihil habet contra ius commune. Sic Sylvest. *ver. Indulgentia numer.8.20. & 22.* Rodrig. *tom.1. qq. Regul.q.11. a.9.* & alij.

750. *Strictè interpretanda.* Strictè est interpretanda. Quia etsi Indulgentia sit & fauorabilis respectu eius, cui conceditur, est tamen ex se odiosa, & continet quandam in iure diuino & in satisfaciendi præcepto dispensationem; at dispensatio contra ius commune, & in fauorem certæ personæ concessa stricte est interpretanda, eneruatur enim per Indulgentiarum concessionem pœnitentiarum satisfactio tantopere salutaris, & ad quam nos tanto studio Ecclesia per tot canones pœnitentiales, per Quadragesimale ieiunium, per quatuor temporum & vigiliarum præscriptionem inuitat. Certè Indulgentiam concedens cum soluat de

alieno alterius debita præsumi debet id potius gerere par eo animo, quam effuso; ne potius dissipator bonorum Domini sui, quam fidelis dispensator appareat. Ità Reginal. *l.7.c.13.sect. 2.n.* 141. Nauar. *de Indul.not.9.n.8.& 9.* Trul. *dub.8.proœm. de Bul.* & alij, quos citat, & sequitur Henriq. *l.7.c.30.n.8.*

751. *Huius sum mentis, sed modificatione adhibita.* Huius ego sum mentis, vnde existimo Indulgentiam concessam pro iniunctis ad iniungendas non extendi: & concessam plenam non extendi ad plenissimam. Attamen non summo rigore, & admodum strictè Indulgentiam interpretarer, quin possim aliquo modo ample, & largè; quando scilicet est aliqua liberalis concessio nihil habens contra ius commune, nec in præiudicium excedens.

PROBL. XCVII.

Ad lucrandam plenariam Indulgentiam Bullæ sufficit, & non sufficit confessio facta in Quadragesima.

752. *Sufficit confessio de præterito, aut futuro.* SVfficit ad lucrandam hodie indulgentiæ Bulla indultam, vt confessio facta iam fuerit in Quadragesima. Quia Bulla inquit Hispanica, *y los confessaren con la voca*; quæ verba & ad factam in Quadragesima confessionem, vel ad faciendam postmodum possunt accommodari. Sic Garnica apud Trul. *l.1.* §.1. *dub.15.* cuius sententiam probabilem Ludouicus Cruz *disp.1.c.8.dub.6.n.20.* esse asserui.

753. *Non sufficit confessio de præterito, aut futuro.* Ad lucrandam Indulgentiam hanc non sufficit confessio in Quadragesima facta. Quia Bulla Latina præscribit: *Si de illis corde contriti, & ore confessi fuerint.* Ac si dicat, ad consequendam hanc indulgentiam esse proximè præmittendam confessionem, nec sufficit factam fuisse Quadragesima longè prælapsa, aut futura sit facienda. Ita Rodrig. §.2.*n.*10. Ludouic. Cruz *disp.1.c.8.dub.6.* Trul. citatus.

754. *Hoc affirmo.* Idem iudico; quia verba Bullæ Hispanè præmissa eodem modo intelligenda esse reor, ac illa alia: *Y no los pudiendo confessar, lo des earen de corazon*; atqui hæc intelligenda de tempore præsenti, & immediatè præcedenti Indulgentiæ consequutionem; ergo & illa alia sunt de præsenti, & non de futuro, aut præterito intelligenda: ita vt confessio fieri debeat quando Indulgentia comparatur, & ad eam comparandam.

PROBL. XCVIII.

Qui lucratur hanc Bullæ Indulgentiam liber est, & non est liber à pœnitentia per Confessarium iniuncta.

SI Indulgentia est de iniunctis, lucrans illam liber est à pœnitentia iniuncta à Confessario. Si est æquiualens pœnitentiæ iniunctæ, liber etiam erit; æquipollet enim pœnitentiali satisfactioni. Probatur ex Cap. *Cum ex eo.* Vbi Pontifex asserit per indulgentias indiscretas eneruari pœnitentialem satisfactionem ac si dicat, tolli obligationem pœnitentiam adimplendi. Sic Nauar. *not.* 31. *de Indulgent. num.*43. 755. *Sufficit lucratio indulgentiæ.*

Qui lucratur indulgentiam etiam de iniunctis, imo & plenariam, seu totalem, nõ est liber à præcepto pœnitentiæ à Cõfessario impositæ, nisi id colligatur expresè ex concedentis intentione vel nisi concedatur à Confessario pœnitenti pro satisfactione pœnitentiali ipsa indulgentiæ consecutio. Quia in satisfactione iniuncta à Confessario duo requiruntur: primum est, vt sit vindicta præteritæ offensæ: secundum, vt sit remedium & medicamen futurorum, parsque integralis pœnitentiæ. Igitur etsi per æqualem indulgentiam esset vnus finis & causa, nempe remissio pœnæ; non tamen alius finis, & causa satisfactionis Sacramentalis acquiritur; indulgentia enim vt sic non moderatur passiones, nec prauam inhibet consuetudinem, nec est remedium futurorum, nec Sacramenti pars. Ita Suarez. *in 3.part. tom.* 4. *disputatio* 50. *sect.* 2. *assert.* 3. Henriquez *lib.7. cap.*17. *numero* 3. *& lib.2. cap.*22. *numer.* 5. Trull. *lib.*1.§.1. *dub.*14. 756. *Non sufficit indulgentia lucratio.*

Existimo, non sufficere lucrationem plenariæ indulgentiæ, quo minus pœnitens non teneatur præceptum satisfactionis implere; aliter enim sacramentalis eneruatur satisfactio, & passim sacramentum detruncaretur; quamuis enim satisfactio actualis de essentia sacramenta non sit; est tamen de eius integritate. Porrò si concedens expresserit, certum est, iuxta indulgentiæ proportionem eum, qui lucratur indulgentiam, à præcepto pœnitentialis satisfactionis liberari. Colligo ex Capite *Cum ex eo, de pœnit. & remiss.* Sic que dispensando potest Pontifex pœnitentias 757. *Non sufficit, me auctore, nisi concedens exprimat, aut Confessarius, imperet seu concedat.*

ener

eneruare. Si autem consecutio indulgentiæ imponatur à Confessario tanquam satisfactio Sacramentalis, sufficit ad satisfactionem pœnitentialem. Pœnitens ergo aut de imperio, aut de licentia Confessarij consequatur indulgentiam, seu Iubileum loco pœnitentiæ, & sic omninò ab obligatione satisfactionis iniunctæ liberabitur.

PROBL. XCIX.

Ad lucrandum hanc Bullæ indulgentiam, qui non habet mortalia crimina debet, & non debet venialia confiteri, vt virtute indulgentiæ pœna pro eis debita remittatur.

758. *Tenetur confiteri venialia.* CONfessio ad huius indulgentiæ plenariæ Bullæ, vel ad Iubilei lucrationem præcipitur: quæsierim, num qui mortalis criminis vinculo non illigatur, debeat necessario profiteri venialia, vt hæc virtute indulgentiæ remittantur? Tenetur quidem. Quia debet præcedere confessio, vt præcipitur. Sic Cordub. *de Indulg. q.* 25. Hadria. *in* 4. *de Indulg.*

759. *Non tenetur venialia confiteri.* Non tenetur. Quia talis conditio in hac indulgentia, vel in Iubileo intelligitur, sicut præceptum annuæ confessionis; atqui habens peccata venialia tantùm præcepto Ecclesiæ non tenetur, vt communis Doctorum affirmat; ergo, &c. Ita Nauar. *notab.* 18. *num.* 1. & 17. & *notab.* 30. *num.* 6. quem sequitur Suar. *in* 3. *p. tom.* 4. *disp.* 52. *sect.* 3. *num.* 5. & Henriq. *l.* 7. *c.* 12. *num.* 2.

760. *Hoc approbo sed tutius iudico aliquod veniale confiteri.* Non crediderim Pontificem voluisse fideles ad lucrationem huius indulgentiæ ad venialium obligare confessionem; quia confessio simpliciter dicta communiter intelligitur de mortali, sicut peccatum absolutè pro mortali supponit. Tutius tamen iudico, saltem aliquod veniale confiteri piaculum, si habueris; indulgentiæ enim sunt explicandæ, vt sonant; nam tunc videtur Pontifex (vt potest) opus pererogationis indicere; vt tutiori remedio in gratia constitutus indulgentiæ impetret effectum.

PROBL. C.

Dum Pontifex ait, se verè pœnitentibus, & confessis: vel contritis & confessis concedere indulgentiam: requiritur, & non requiritur externa Sacramentalis confessio.

761. *Requiritur confessio.* SI Pontifex dicat se concedere Indulgentiam, si peccata tua ore fueris confessus, vt exprimitur in hoc §. 1. Bullæ, proculdubio actualis Sacramentalis confessio requiritur. Pono autem Pontificem dicere, se vere pœnitentibus & confessis: vel contritis & confessis talem indulgentiam impertire. Certè requiritur externa Sacramentalis confessio. Quia verba illa exigunt præter pœnitentiam, seu contritionem, etiam confessionem; ergo de actuali Sacramentali confessione loquuntur: nam indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, at concessionis verba præter pœnitentiam & contritionem postulat confessionem; ergo de confessione externa Sacramentali sunt intelligenda. Sic Nauar. *notab.* 18. *n.* 2. Sylu. *ver. Indulgentia q.* 8. *dicto* 4. Henriq. *l.* 7. *c.* 12. *n.* 2. Cordu. *q.* 24. *propos.* 1. *opin.* 3.

762. *Non requiritur confessio.* Non requiritur actualis confessio, sed sufficit cordis contritio. Quia tunc non postulatur confessio tanquam conditio ad indulgentiæ effectum, sed tanquam dispositio ad tollendum obicem peccati, quod satis per cordis contritionem aufertur. Ita Filliuc. *tr.* 8. *c.* 6. *q.* 8. *n.* 148. Dian. *p.* 1. *tr.* 11. *resol.* 105. Suar. *in* 3. *p. to.* 4. *disp.* 52. *sect.* 3. *n.* 12. Ludou. Cruz *disp.* 1. *c.* 8. *dub.* 7. *n.* 5.

763. *primam sententiã eligo.* Crediderim probabiliorem primam sententiam: verba enim Pontificis addita, *& confessis*, aliud videntur præter contritionem, ac pœnitudinem postulare. Porrò Reginald. *l.* 7. *c. vlt. q.* 2. *num.* 172. docet hanc indulgentiam sub forma præfata concessam lucraturum, qui contritus voluit confiteri, sed non potuit ob Confessarij defectum, vel ægritudinem, vel excommunicationem, aliamve legitimam causam: nam mens concedentis est, exigere confessionem, quatenus est in hominis potestate. At cum Suario citato id abnegarim: quia tunc confessio non postulatur vt dispositio, sed vt conditio, quemadmodum communio, ieiunium, & eleemosyna: atqui omittens communionem, vel ieiunium, vel eleemosynam, etiam ob impotentiam, non lucratur indulgentiam: quia non adimplet conditionem

ditionem; ergò nec qui omittit confessionem, etiam ob inculpabilem impotentiam.

PROBL. CI.

Ad consecutionem indulgentiæ quindecim annorum, & totidem quadragenarum, sufficit, & non sufficit mentalis oratio.

764. *Non sufficit oratio mentalis.* INter alia requiritur ad huius indulgentiæ lucrationem oratio profundenda pro pace inter fideles, & contra infideles & contra infideles victoria. Quæsierim, an oratio hæc debet esse vocalis, an mentalis sufficiat? Non sufficit mentalis, sed vocalis necessario requiritur. Quia Ecclesia, eiusque Pastor sensibilis est: quare sicut alia, quæ indulgentiis, vel Ecclesiæ præcepto iniunguntur sunt visibilia: ita & hæc oratio debet esse visibilis, seu sensibilis, etiamsi mentalis perfectior existat. Etsi enim Pontifex possit indulgentiam pro opere mere interno concedere, communiter tamen loquendo id non impertit, nisi expressè in concessione contineatur. Sic Rodrig. *in addit. ad §. 7. num. 2.* Nauar. *notab. 22. n. 33.*

765. *Sufficit mentalis oratio.* Sufficit oratio mentalis. Quia solum iubemur in Bulla, vt orationes profundamus; at nomen orationis propriissimè mentali conuenit, imò & præcipuè; nam oratio interna cæteris paribus præferenda est vocali, quando hæc præcepta non est. An non per se loquendo oratio mentalis magis est fructuosa? Animum certè illuminat in iis, quæ pertinent ad salutem, præparat fortius ad tentamina, pericula delinquendi propulsat. Ita Trul. *l. 1. §. 5. dub. 1.* Lud. Cruz, *disp. 1. c. 8. dub. 11. n. 4.* & alij.

766. *Idem indico.* Si oratio mentalis perfectior sit, & si Pontifex potest indulgentiam pro opere merè interno concedere, quis asserat intendisse fideles à perfectiori precandi more abstrahere?

PROBL. CII.

Indulgentia stationum à Bulla concessa, est plenaria, & non est plenaria.

767. *Non est plenaria.* NOn est plenaria, sed partialis. Quia in Bulla originali indulgentia totalis non exprimitur. Sic Ludou. Cruz, *disp. 1. cap. 8. dub. 2. num. 3.* Henriq. *lib. 7. cap. 10. numer. 2.* Sorbo *in compen. ver. Indulgentiæ stationum. §. Aduertendum.*

768. *Est plenaria.* Est quidem plenaria stationum indulgentia. Quta in summario indulgentiarum iussu Commissarij generalis apposito id expressè asseritur: *Sumario de las Estaciones è Indulgentias de Roma, las quales concede su Santidad à todas las personas, que tomaren esta Bulla, &c.* Statim adiicit: *El primer dia de quaresma en S. Sabina indulgencia plenaria,* & hoc more reliquas stationes in quibus plenariæ indulgentiæ impenduntur Romæ, percurrit. Nefas igitur, credere, aut Commissarium in re adeò graui voluisse fideles decipere, aut huius summarij formam à summo Præsule ignorari. Ita Rodrig. §. *num. 6.* Villaleb. *tract. 27. clauf. 8. num. 3.* Trul, *l. 1. §. 6. dub. 1.*

769. *Idem indico.* His adhæreo, sciens, quando quis Romæ Ecclesiam inuisit, vbi est statio, non solum indulgentiam illius Ecclesiæ lucrari, sed etiam omnes alias indulgentias septem Ecclesiarum capitalium Vrbis. In aliqua autem ex illis, diebus singulis, est plenaria indulgentia; ergo indulgentia, quæ ratione stationum conceditur, est plenaria. Vnde primam sententiam falsam omnino existimo haud vero fundamini hærentem, in Bulla enim plumbea expressè dicitur, habentes Bullam posse stationum indulgentias lucrari; at cum in eis expressè indulgentiæ plenariæ contineantur, illa generalis locutio speciali æquipolet, siue specificæ locutioni.

PROBL. CIII.

Visitans quinque altaria singulis annì diebus potest, & non potest consequi plenariam stationum indulgentiam.

770. *Potest quotidie consequi stationum indulgentiam.* QVotidie plenariam stationum indulgentiam lucratur, qui quinque Ecclesias, aut quinque visitat altaria. Quia in Ecclesia B. Petri Romæ inter alia, quinque adsunt altaria, in quibus per totum anni curriculum sunt stationes; atqui in Bulla latina conceditur stationum indulgentia singulis almæ Vrbis stationum diebus; ergò cum singulis totius anni diebus fiant stationes, singulis etiam anni diebus indulgentia plenaria stationum, quinque inuisens altaria consequeris. Sic incertus Auctor typis sine nomine sententiam exposuit, hærens Sorbo, *qui in Compen. priuil. Mendic.*

Mendic. asseruit, per integrum annum apud septem Basilicæ D. Petri altaria geri stationes.

771. *Non potes quotidie conjequi.* Non lucratur quotidie plenariam stationum indulgentiam, qui quinque inuisit altaria. Quia credendum non est, in componendo, & assignando numerum stationum, Commissarium Cruciatæ latuisse id, quod adeò animæ vtile erat, & quod maxime Bullæ commendaret concessionem. Fauent verba Bullæ Latinæ, vbi in facultate, quam Commissario concedit Bullam Latinam in vulgare idioma vertendi, subditur: *Additis etiam nominatim, pro singulorum notitia, diebus stationum totius anni, intrà & extrà muros huius almæ Vrbis.* Itaque si diebus singulis essent stationum Indulgentiæ, non erat, cur Pontifex hanc assignationem dictum Commissario committeret, nec erat cur diceret: *Pro singulorum notitia, diebus* stationum totius anni; sed sufficeret præscribere, *In singulis diebus totius anni.* Insinuat ergo apertè Pontifex, non omnibus, sed certis anni diebus stationes fieri, & stationum indulgentiam concedi. Ita Alphonsus Perez de Lara, qui in suo *trium grat. libro à pag.* 30. centum ferè stationes enumerat. Panuin. Octoginta septem memorat. Ecclesias verò ad quas statio geritur quadraginta quatuor. Franc. Cabrera *Moral. in suo Romæ in lucem lib. edito anno* 1600. *sub titulo, De las Iglesias de Roma, con todas las reliquias, y Estaciones*, non pro diebus singulis, sed pro certis stationes assignat, plures quidem, quam Lara nempè 193.

772. *Hoc mihi probabilius.* Vtinam sententia prima vt est pia, ita esset & vera. Existimo quidem, (quo fundamentum eius corruit) indulgentias stationum non esse, quæ conceduntur, quando stationes intra eandem geruntur Ecclesiam ad alicuius Diui altare; hæ enim non sunt propriè stationes, de quibus Cruciata loquitur: sed quæ fiunt ad aliquam Ecclesiam. Quo in sensu Commissarius stationem sumpsit, nimirum pro processione ab vna ad aliam Ecclesiam. Mea igitur sententia est, non singulis, sed certis, ac determinatis diebus fieri Romæ stationes, nempe in illis diebus, qui in appendice Bullæ à Commissario sunt assignati, qui omnes, nouem Dei paræ festiuitatibus annumeratis, nonaginta quatuor stationes efformant. Monuerim tamen, pietati ac deuotioni consulturum, qui diebus singulis gesserit stationes quinque pro se semel altaria visitando, iterum pro animabus purgatorij inuisendo Recole, quæ in libro Theol. mor. pietati morem gerens asserui.

PROBL. CIV.

Ad inuisenda quinque altaria, necessarius est, & non est necessarius situs mutatio.

773. *Necessaria est situs mutatio.* GErenda necessario est altarium visitatio expresso aliquo corporis, ac situs motu quando commode fieri possit. At si ob ægritudinem corpore quis dimoueri non valeat, vel ob confluentium fidelium multitudinem Templum inire non possit, sine corporis, ac situs motu quit peragi visitatio. Quia alias non videtur quintuplex, sed vnica visitatio. Sic Rodrig. *in addit. ad* §. 8. *num.* 1. Trul. *l.* 1. §. 6. *dub.* 1.

774. *Non est necessaria situs mutatio.* Necessaria non est altarium visitatio, expresso aliquo corporis, ac situs motu, etiamsi commode fieri valeat. Quia illud ipsum preces fundere coram quinque altaria, cuilibet scilicet singularem orationem litando, quasi mutare situm est, & absolutè multiplex dicitur visitatio. Ita Henriq. *lib.* 7. *cap.* 10. *lit. B. n.* 1. Dian. *p.* 1. *tract.* 11. *resol.* 25. Ludou. Cruz. *disput.* 1. *c.* 8. *num.* 4.

775. *Aliqualis mutatio situs me auctore requiritur.* Tutius ac verius putarim, requiri aliqualem corporis motum, quando commode fieri possit. Quando verò quinquies inuisis idem altare, non teneris loco dimoueri, sed illud eidem loco hærens poteris visitare, dummodo qualibet visitatione perfecta caput inclines in distinctæ visitationis documentum.

PROBL. CV.

Ad lucrandam indulgentiam stationum necessario requiritur, & non requiritur oratio vocalis: sufficit, & non sufficit mentalis Oratio.

776. *Necessaria est oratio vocalis.* NOn sufficit oratio mentalis, sed necessaria est vocalis oratio. Quia Ecclesia est visibilis, quæ de occultis non iudicat, nec in actus internos habet iurisdictionem. Sic Rodrig. *in addit. ad* §. 7. *num.* 2. & Ludou. Cruz, *disput.* 1. *cap.* 8. *dub.* 13. sibi contrarius, asseruerat enim, (vt supra vidimus) ad lucrandam quindecim annorum indulgentiam orationem men-talem sufficere.

777. Sufficit mentalis oratiò, nec vocatis

Non est necessaria vocalis oratio.

necessariò requiritur. Quia ad talem indulgentiam comparandam non præscribitur oratio publica, sed priuata; ergo hæc poterit ad libitum esse mentalis, aut vocalis. In hoc enim valde distinguitur oratio publica à priuata, quia hæc potest esse vocalis, & mentalis: illa verò quæ fit ab Ecclesia per ministros, semper debet esse vocalis. Ita ex Suario Trul. *lib.*1.§.6. *dub.*2.

778. *Huius sententiæ.*

Idem asserendum mihi censeo. Nam Pontifex potest, si velit, indulgentiam propter opus mere internum concedere, & assolet indulgentiam assignare examen conscientiæ gerentibus, vel Iesu nomen proferentibus corde: imò in Bulla de facto impendit indulgentiam plenariam ei, qui subita morte correptus suorum criminum contritionem habuerit; ergo si Pontifex potest, & assolet pro opere merè interno indulgentiam concedere, & in §.6. non præscribit expresse vocalem orationem, cur mentalem perfectiorem quidem duxerim excludendam? Nec obstat fidelium vsus, ad consecutionem huius indulgentiæ preces vocales fundentium; ex hoc enim solum infertur preces hasce sufficientes esse ad præfatam indulgentim lucrandam, (quod est certum) non tamen necessarias.

PROBL. CVI.

Indulgentiam stationum poteris, & non poteris in die multoties lucrari.

779. *Multoties in die non lucraris.*

NOn poteris multoties in die lucrari. Quia sic fert vsus fidelium vbique, & ad Vrbem semel tantum in die fideles hanc lucrantur indulgentiam. Quando enim indulgentia absolutè conceditur visitantibus talem Ecclesiam, possumus eam lucrari toties quoties: Secus verò cum visitantibus eam tali die conceditur, quemadmodum in Cruciata præscribitur. Sic Nauar. *nota* 15. *de indulg.* Cordu. *de indulg. quæst.*30. Lopez *cap.*8. Ludou. Cruz *disput.*1.*cap.*8.*dub.*13.*num.*10. Palud. *in* 4. *dist.*20.*q.*4.

780. *Multoties lucrari poterit in die.*

Poteris pluries in die stationum indulgentias lucrari. Quia Bulla id non restringit, nec limitat; sed absolutè eam concedit indulgentiam; at quando indulgentia conceditur indefinitè visitanti tali die talem Ecclesiam, toties eam quis lucratur, quoties eo die moraliter visitat. Ita Rodr.§.8.*n.*15. Villal. *tr.*27.*claus.*8. *n.*8. Dian. *p.*1.*tr.*11.*res.*104. Trul. *l.*1.§.6.*dub.*3.

781. *Idem asserendum mihi.*

His morem gero Doctoribus; quia iuris dispositio etiam in odiosa materia comprehendit omnes casus, ad quos verba dispositionis iuxta propriam significationem, & dispositionem se extendent iuxta placitum Iurisconsultorum, quos Rodriguez citatus refert; sed verba indulgentiarum Romæ, & verba Cruciatæ, in qua præscribuntur stationes ad lucrandas indulgentias iuxtà propriam significationem possunt ad plures in die vices extendi; ergo extendenda potius quam limitanda sunt, præcipuè cum talis concessio sit Principis fauor, & in tertij minimè præiudicium excedat.

PROBL. CVII.

Lucraturus pro defunctis stationum indulgentiam, debet, & non debet in gratia existere.

782. *Gratia status requiritur.*

REquiritur status gratiæ in eo, qui stationum indulgentiam pro defuncto curat lucrari. Quia improbus nec per se nec pro aliis satisfacere potest. Sic Rodrig.§.8.*n.*13. Sotus *in* 4.*dist.*45.*q.*2.*a.*3. D. Thom. *in* 4.*dist.*15.*q.*1.*a.*3.

783. *Status gratiæ non requiritur.*

Non requiritur gratiæ status in eo, qui stationum indulgentiam pro defuncto lucratur; si præscripta opera pro eo præstet, indulgentiam in mortali existens, lucrabitur. Quia hoc in casu non satisfacit pro se, nec pro anima purgatorij; sed tantum efficit pro defuncto opus, ob quod Pontifex Christi, ac Diuorum satisfactionem applicat, & gerit se tanquam Ecclesiæ ministrum, in qua nunquam deest gratia. Ita Tolet. *lib.*6.*c.*26.*n.*2. Nauar. *notab.*22.*n.*31. Suar. *in* 3.*p.to.*4.*disp.*53.*sect.*4. Trul. *l.*1.§.6. *dub.*4. Henriq. *l.*7.*c.*6.*n.*6. legendus.

784. *Hanc eligit sententiam.*

Sufficit, gratiam inesse ei, cui indulgentia à Pontifice applicatur; & fieri opus ab ipso præscriptum. Exemplo confirmo. Pone, indulgentiam à Præsule summo promitti eleemosynam gerenti, hic existens in gratia famulo peccatis infecto vtitur ad eleemosynæ elargitionem: certè herus indulgentiam lucrabitur, quia ipsi tribuendum eleemosynæ opus quod iniquo immediatè geritur à ministro. Lege Suarium *tom.*4. *disput.*53. *sect.*4. *& disputation.*13. *de indulgent. section.*4.

***

PROBL.

PROBL. CVIII.

Curans apud Ecclesiam quinque altaria inuisere, ad lucrandum stationum indulgentias, ingredi non vales præ confluentium hominum multitudine à foris huiusmodi Ecclesiam visitans lucraris, & non lucraris indulgentiam.

785. *Non lucraris.* NOn lucraris, huiusmodi gerens visitationem. Quia ea visitatio non est altarium, quæ non aspicis; sed Ecclesiæ. Sic Zanard. *in direct. Theol. p. 1. tract. de Sacram. pœnit. c. 22. q. 40.* Clos. *in Clement. de relig. & venerat. Sanct.*

786. *Lucraris planè.* Lucraris plane à foris exorans. Quia Templo intentus, moraliter quinque altaribus præsentatur. Ita Villalob. *in sum. tom. 1. tract. 27. clauf. 7. num. 8.* Moure *p. 3. c. 9. §. 9. n. 5.* qui citat Rosellam, Cordubam, & Rdriguez.

787. *Cum distinctione meam fero sententiam.* Cum distinctione meam mentem expresserim. Huiusmodi visitationem sufficientem pro altari vno, non autem pro quinque iudico; quia moraliter loquendo, dici non potest, te quinque altaria apud illam Ecclesiam inuisisse, sicuti vere dicitur Ecclesiam visitasse. Vnde qui hoc more visitationem gerit, debet quinque Ecclesias inuisere. Mecum Bonacin. *de Sacram. disp. 6. q. 1. punct. 5. n. 26.* qui citat Suar. Rodrig. Cord. Graf. Porro si in aliquo Iubileo tãtum exigitur vnica oratio, sufficit hoc modo Ecclesiam visitare. Nugnus *in 3. p. tom. 2. tr. de Bulla*, §. 10.

CAPVT XXXVI.

Circa suspensionem indulgentiarum.

PROBL. CIX.

Bulla reuocatur, & non reuocatur anno Iubilæi plenissimi, seu Centesimi anni.

788. *Bulla expirat anno Iubilæi centesimi.* BVLLA spirat seu suspenditur anno Iubilei plenissimi, quod olim centesimo quoque anno, nunc vero vigesimo quinto, imo quolibet fere anno, prout Ecclesiæ vtilitas, & necessitas videtur postulare, Pontifices assolent concedere. Quia Cruciata suspensa fuit per vnum & alterum Iubileum plenissimum concessum à Gregorio XIII. & Clemente VIII. inibi enim suspenduntur facultates omnes personis singularibus concessæ, etiam si ad instantiam Regum concessæ fuerint; at priuilegia Bullæ certum est, singularibus personis esse concessa. Sic Lopez *in expos. Bul. c. 10.* Nauar. *de indulg. not ab. 33. n. 3.* & alij. Legendus Henriq. *l. 7. c. 15.*

789. *Bulla anno Iubilæi centesimi non expirat.* Bulla non suspenditur per Iubileum plenissimum anni sancti. Quia priuilegia Bullæ conceduntur per modum contractus, vt constat ex illis verbis: *Que por quãto vos distes dos reales de plata, que es la limosna tassada &c. se es concede &c.* Nec vllus Pontifex in reuocatione mentionem facit facultatum per modum contractus concessarum, nec stipem expositam reddi iussit, cum tamen vtrumque esset necessarium ad priuilegij per modum contractus reuocationem. Non enim sufficit reuocatio generalis, vt censeatur reuocatum priuilegium per modum contractus concessum; sed opus est expressa mentione saltem generali cuiusuis indulti concessi per modum contractus. Ratio est, quia non præsumitur reuocandi voluntas, quando ea aufert ius tertij, & si Pontifex reuocaret iusta ex causa priuilegia Bullæ, ex eo quod sint concessa per modum contractus teneretur facere recompensationem. Ita Rodrig. §. 12. n. 13. Sanch. *l. 8. de Matr. disp. 33. n. 10.* Henriq. *l. 7. c. 21. num. 3.* Villalob. *p. 1. tr. 27. clauf. 12. n. 8.* Dian. cum aliis *p. 1. tr. 11. resol. 97.* Trul. *l. 1. §. 1. dub. 12.* Castr. Pal. *tr. 3. disp. 4. pun. 21. §. 2. n. 3.*

790. *Eiusdem sum mentis.* Certe cum video summum Præsulem Cruciatam concedere sexto aut septimo quoque anno, noscereque quodam ex illis Iubilæum plenissimum concurrere, censeo mentem eius minimè fuisse cruciatam suspendere: alias concessio saltem pro anno illo frustranea esset. Quod si primæ sententiæ Doctores hæreant Iubilæorum à Gregorio ac Vrbano concessorum tenori, patet per illos Bullam non suspendi. Quia, vt tradit Sanchez citatus, post-modum idem Clemens VIII. exposuit, mentis suæ non fuisse vnquam, Bullam suspendere; id etiam declarauit Gregorius XIII. die 18. Nouemb. anno 1574. vt refert Alphonsus Perez *in comp. trium grat. pag. 27.* Igitur licet Pontifex facultates singularibus personis concessas suspendat, non tamen has, quæ per modum contractus conceduntur. Moneo tamen securius esse, anno Iubilæi ad Papam recurrere, vt Bullæ confirmet indulta, id quod

Bullæ

Bullæ Commissarium semper gerere solitum experimento didici.

PROBL. CX.

Per Bullam præsentis anni reualidantur & non reualidantur Bullæ annorum præcedentium.

791. *Suspendantur, & reualidantur.* PEr Bullæ huius anni suspensionem prælapsorum annorum Bullæ suspenduntur, & consequenter reualidantur per eius acceptionem. Quia reualidantur hîc, quæ suspenduntur; sed suspenduntur aliæ Bullæ Cruciatæ pręteritæ, vt ex ipsius verbis patet; ergo reualidãtur Bullæ pręteritę; præsenti Bulla accepta. Quo, ais, fructu? si quis duabus Bullis acceptis, vt potest, ratione quorum fuit bis à reseruatis in vita absolutus, incidat in alias semel aut pluries, poterit toties in vita absolui ab eisdem quot Bullas præteritas habuerit, si Bullam præsentis anni acceperit, & prælapsis quo ad hoc vsus non fuerit. Sic quidam quos suppresso nomine refert Rodrig. §. 12. *num.* 1.

792. *Nec suspenduntur, nec reualidantur.* Per Bullam huius anni non suspenduntur Bullæ prælapsæ, nec consequenter reualidantur per eius susceptionem. Quia suspendere est rem aliquam sua vi, ac facultate priuare per aliquod temporis interstitium, quo elapso, vim resumit eandem, vt colligitur ex Trident. *sess.* 14. *c.* 13. *de refor.* Reuocare vero est, quando res aliqua suam omninò vim amittit, ea que derogatur absque intentione aliqua, vt scilicet eam recuperare possit; sed Bullæ præteritæ, anno elapso, nullam vim habent, & efficaciam, hæc enim solum modo publicationis anno persistit; ergo non suspenduntur, sed omnino reuocantur, & spirant. Ita Rodrig. §. 12. *num.* 1. Ludouic. Cruz *disp.* 1. *c.* 9. *dub.* 3. *num.* 2. Trul. *l.* 1. §. 9. *dub.* 2.

793. *Cum his opinor.* Hoc quidem existimo aperte Pontificem innuere, quandò concedit particulari è priuilegio, vt possit quis aliam Bullam accipere intrà publicationis annum, & bis illius potiri indultis. Quod minimè concessisset, si intendisset, prælapsas Bullas per præsentis acceptionem reualidari. Quare falsum omnino reor, habentem Bullam præsentem posse ratione præteritarum à reseruatis absolui. Certè in Bulla non suspenduntur gratiæ, ac facultates quamuis sint Cruciatæ similes, absolutè ac simpliciter; sed cum limitatione; nimirum si adhuc durent, & valeant vt ex illis verbis constat: *si quæ in Regnis terris, locis, & Dominiis præfatis adhuc durent.* Cum ergo Bullæ indulta omnia solum durent durante publicationis anno, eoque elapso suum valorem amittant, fit, vt per Bullam præsentem reualidari non valeant.

PROBL. CXI.

Priuilegia, gratiæ, indulgentiæ concessæ superioribus mendicantium, suspenduntur, & non suspenduntur per Bullam, quantum ad sæculares.

794. *Mendicãtium indulta quoad sæculares suspẽduntur.* TAnquam certum sect. 1. expressi, priuilegia, gratias, facultates, & indulgentias Ordinibus Mendicantibus concessas, quoad ipsos non suspendi, aut reuocari per Bullam. Quæsierim, num quoad sæculares suspendantur, aut reuocentur, id est, num sæculares non habentes Bullam possint ab aliquo Regulari ex Mendicantibus ex eorum priuilegiis absolui à reseruatis, dispensare in votis, &c. Possunt quidem Confessarij Regulares suis priuilegis ac facultatibus vti erga sæculares, quamuis nec Regularis Confessarius, nec sæcularis pœnitens Bullam habeat: atque adeò præfata Regularium priuilegia non suspenduntur per Bullam, nec per anni centesimi Iubilæum. Quia Bullæ priuilegia non sunt realia, siue concessa alicui rei, seu loco; sed personalia, personis scilicet particularibus concessa; priuilegia autem Religionum sunt realia, concessa nimirum Religionibus, & Monasteriis, non vero singularibus personis; si enim Regularis è Monasterio ejiciatur, illis non gaudet, vnde constat personalia non esse, quia hæc sequuntur personam; atqui Cruciata solum reuocat personalia priuilegia; ergo realia priuilegia concessa Monasteriis Mendicantium etiam quo ad sæculares non sunt suspẽsa per Bullam. Sic Henriq. *lib.* 7. *cap.* 28. *num.* 2. & 7. Rodrig. *in addit. ad* §. 12. *num.* 1. 2. 3. & 4. mutans sententiam, quam §. 12. *n.* 4. expresserat. Villalob. *part.* 1. *tract.* 27. *clauss.* 12. *numer.* 6. 7. & 8. Dian. *p.* 1. *tract.* 11. *resol.* 100. & *in addit. resol.* 23.

795. *Mendicãtium indulta quoad sæculares non suspenduntur.* Mendicantium priuilegia quo ad sæculares sunt per Bullam suspensa. Quia Bulla Cruciatæ expresè suspendit priuilegia, facultates &c. concessas non solum singularibus personis, sed etiam Ecclesiis quibuscumque, & Monasteriis, ac locis piis. Patet ex facultate suspendendi, quam in Bulla Latina Pontifex Commissario concedit:

facultas, vt suspendere possit similes, aut dissimiles indulgentias, & facultates &c. quibus vis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, piis locis, Vniuersitatibus, Confraternitatibus, & singularibus personis in Regnis, Insulis, terris, locis, & *dominiis præfatis concessas.* Qua quidem facultate Commissarius generalis suspendit omnes indulgentias, & facultates quibus vis Ecclesiis, Hospitalibus, locis piis, Vniuersitatibus, Confraternitatibus, Monasteriis, ac singularibus personis concessas: ergo constat euidenter non solum suspendi per Bullam priuilegia personalia particularibus; sed etiam priuilegia realia Ecclesiis, Monasteriis, & aliis piis concessa locis. Atqui ex illis priuilegiis, quæ conceduntur per Bullam tantum excipiuntur concessa superioribus Mendicantium *quo ad eorum Fratres*, aut Religiosos; ergo quo ad sæculares omninò suspensa remanebunt. Ita Lopez *de Bulla, c.* 10. Nauar. *consil.* 16. *num* 1. Acosta *de Bul. quæst.* 105. Trul. *lib.* 1. §. 9. *dub.* 3. Rodrig. §. 12. *num.* 4.

796. *Idem iudico.* Idem iudico, quia particula illa: *Tantum* expresse limitat exceptionem illam solum extendi ad fratres, minime vero ad seculares. Nec valet, si dicas, in Bulla suspendi quidem priuilegia concessa Monasteriis, non quidèm concessa Religiosis (vt existimat Ludou. Cruz *disp.* 1. *c.* 9. *dub.* 2. *n.* 6. *&* 7.) quia, vt docet Sylvest. *ver. Religio* 8. *n.* 1. Monasterium ipsos Religiosos significat; vnde suspensis priuilegiis Monasterio concessis, concessa singularibus eius personis suspenduntur indulta. Præterea quia Bulla suspendit expresse priuilegia particularibus concessa personis; ergo etiamsi Regularium priuilegia ipsis Monasteriis, vel potius ipsis particularibus personis sint concessa, per Bullam suspenduntur. Quare primam sententiam in praxi admittere non auderem; alias enim quid prodessent verba illa à Pontifice addita. *Quo ad eorum fratres tantum.*

PROBL. CXII.

Bulla suspendit, & non suspendit indulgentiam plenariam defunctis in altari (quod Priuilegiatum vocitant) concessam.

797. SVspendit quidem. Quia Commissarius generalis Cruciatæ expresse suspendit omnes similes, & dissimiles gratias, indulta, & facultates quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, locis piis, ac singularibus personis concessas; at altare priuilegiatum, seu capella est parua Ecclesia, & pius locus, & indulgentia concessa in altari priuilegiato est plenaria similis illi, quæ per modum etiam suffragij defunctis in defunctorum Bulla conceditur; ergo per Bullam altare priuilegiatum manet suspensum ac per consequens, vt reualidetur, Bulla viuorum requiritur. Sic Diana *part.* 1. *tract.* 11. *resolut.* 86. Ludou. Cruz. *disput.* 1. *cap.* 9. *dub.* 2 *numer.* 11. Rodrig. §. 12. *n.* 4. Moure *p.* 3. *fol. mihi* 342. *pag.* 2. *num.* 2.

Suspendit altaris priuilegiati indulgentiam.

798. *Non suspendit indulgentiam Altaris priuilegiati.* Non suspenditur priuilegiati altaris indulgentia. Quia Pontifex solum censetur suspendere indulgentias pro viuis concessas: solum enim suspendit eas respectu eius, cui, accepta Bulla, reualidantur. Quod ex verbis illis colligere licet. *Insuper in fauorem præsentis huius concessionis, & Cruciatæ, declaramus, vt quicumque summarium huiusmodi Bullæ sermone, & idiomate vulgari conscriptum acceperint, ij omnes fruantur, potiantur, gaudeant omnibus gratiis, indulgentiis, Iubileis, peccatorum remissionibus ipsis tam per sanctiss. D. N. Gregorium XIII. quam per alios sum. Pontifices, aut sedem Apostolicam concessis.* Atqui reualidatio hæc respicit viuos, & non vita functos, nam viui solum participare possunt omnia quæ in reualidatione continentur; ergo Bulla solum suspendit indulgentias, pro viuis concessas. Ita Villalob. *tr.* 27. *clauf.* 12. *n.* 13. Trul. *l.* 1. §. 9. *dub.* 4. Dian. *part.* 1. *tr.* 11. *resol.* 22. *in addit.* æque probabilem ac primam (quam secutus est) hanc reputat sententiam.

799. *Hanc sententiam puto veriorem.* Ego quidem secundâ veriorem esse reor; quia (vt Carrillo in expos. Bullæ defunctorum p. 2. c. 9. inquit) indulgentiæ animabus purgatorij concessæ per generales suspensiones, v. gr. per Iubilei in anno sancto promulgationem non suspenduntur; nam ratio ob quam Pontifex anno illo indulgentias suspendit, est vt Christi fideles animo alacriori, feruentiorique deuotione Romam proficiscantur ad indulgentias comparandas, & loca sacra inuisenda. Quæ quidem ratio cessat respectu animarum purgatorij: vnde per generalem suspensionem indulgentiæ pro defunctis concessæ non suspenduntur, nisi de ipsis expressa mentio fiat; ergo nec per generalem Bullæ

suspensio

suspensionem. Addiderim Bullam solum suspendere ea quæ tam pium opus impedire videantur : *Ne* (inquit) *hoc adeo pium, & sanctum opus disturbetur, & impediatur per alias indulgentias, gratias, & & concessiones*; atqui per altaris priuilegiati non suspensionem hoc opus parum, aut nihilum impeditur: nam cum hæc indulgentia solùm defunctis prosit, viui, vt ipsis Bulla prosit, eodem modo accipere eam tenentur.

PROBL. CXIII.

Dato, quod altaris priuilegiati indulgentia suspenderetur: in Sacerdote celebrante, & non in eo, qui pro defuncto celebrare facit, requiritur, & non requiritur Cruciatæ indultum.

800. *Requireretur Bulla in eo, qui faceret celebrari Missam non in sacerdote.* NOn sufficeret, Ecclesiam, aut locum pium, in quo situm est altare priuilegiatum, (pono quod suspendatur huius indulgentia) Bullam accipiat; hæc enim non locis & communitatibus, sed particularibus personis conceditur. Quæsierim tamen, an requiratur in Sacerdote celebrante, an verò in eo, qui pro defuncto curat celebrari? Non requiritur in Sacerdote, sed in curante celebrari. Quià qui Missam celebrari efficit, & pro defuncto offert, & non celebrans, illud ex manu Sacerdotis offert Domino Sacrificium: atqui non valet applicatio nisi ex indulto Bullæ; ergo curare debet id acquirere, sine quo imperfecta, seu cassa reddetur oblatio. Sic Rodrig. §. 12. *n.* 4. & alij

801. *Requireretur Bulla in sacerdote, non in eo, qui faceret celebrari Missam.* Non requiritur Bulla in faciente celebrari Missam, Sed in ipso Sacerdote celebrante ad indulgentiæ altaris priuilegiati reualidationem. Quia sic fert Bullæ clausula: *Vt quandocumque sacerdos aliquis Missam defunctorum in dicta Capella, altari, vel Ecclesia celebrauerit, anima ipsa per modum suffragij indulgentiam consequatur & à pœnis purgatorij liberetur.* Ex quibus verbis patet, indulgentiam hanc applicari defunctis media sacerdotis celebrantis actione, vnde in ipso celebrante, & offerente Missæ sacrificium Bulla requiritur ad huiusmodi indulgentiæ reualidationem, & non in eo, qui curat sacrificium peragi. Ita Trul. *l.* 1. §. 9. *dub.* 4. Ludou. Cruz. *disp.* 1. *c.* 9. *dub.* 2. *n.* 11.

802. *Idem assero.* Ego quidem, posito, quod per Bullam, altaris priuilegiati suspendatur indultum, his Auctoribus adhæreo, addens, si altare priuilegiatum sit Religiosorum, tunc præter Bullam in celebrante, Bullam requiri in eo, qui celebrare facit; quia priuilegia Regularium quoad sæculares per Bullam suspenduntur, & per eandem reualidantur.

PROBL. CXIV.

Sub nomine Mendicantium in Bulla Cruciatæ includuntur, & non includuntur alij Religiosi, non Mendicantes qui tamen sedis Apostolicæ beneficio Mendicantium Priuilegiis potiuntur.

803. *Non includuntur.* NOn includuntur huiusmodi Religiosi non Mendicantes in Bullæ exceptione, cum Mendicantium fit mentio. Quia verè Mendicantes non sunt, licet beneficio Pontificum priuilegiis aliis potiantur, aliàs autem Bullæ clausula frustra esset apposita. Sic Henriq. *l.* 7. *c.* 22. *n.* 4. *in Glos. lit. r.* Valer. *in differ. vtriusque fori*, ver. *Absolutio, n.* 35.

804. *Includuntur quidem.* Includuntur plane. Quia si priuilegiis Mendicantium potiuntur, & horum est priuilegium à generali Bullæ priuilegiorum suspensione excipi, cur huiusmodi sint indulto priuandi? Ita Villalob. *to.* 1. *tr.* 27. *clauf.* 12. *n.* 11. Acos. *de Bul. q.* 105. Dian. *p.* 1. *tr.* 11. *resol.* 89.

805. *His hæreo.* Idem sentio, nec crediderim ideo Bullæ clausulam frustraneam existere, intelligenda est enim casu quo Regulares non Mendicantes priuilegiis Mendicantium non fruantur. Addiderim, sub nomine Mendicantium intelligendos non solum professos, sed etiam nouitios, si habeant animum in Religione perfistendi.

PROBL. CXV.

Bulla Cruciatæ suspendit, & non suspendit priuilegia Regularium circà commutanda vota, ac in eis dispensandi, à reseruatisque absoluendi.

806. *Suspendit plani.* SVspendit quidem. Quia Bulla profatur, *Exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium superioribus, quoad eorum fratres tantum.* Ergo solum circa fratres superioribus concessa indulta possunt exerceri, non circa alios fideles. Sic Lopez *p.* 2. *vbi de clauib. c.* 2. Rodrig. §. 12. Nauar. *lib.* 5. *consil.* 16 *numer.* 1. Acosta *de Bul. quæst.* 105.

807. *Non suspendit.* Non suspendit. Quia cum hæc priuilegia sint fauorabilia haud concessa speciali Monasterio

Monasterio, sed toti Religioni, & in bonum omnium fidelium ordinantur, minime per generalia verba suspenduntur, si de illis specialis mentio non geratur. Ita Lessi. *l.2.c.12.dub.12.n.6.* Henriq. *l.6.c.16. n.7. & l.7.c.18.n.7.* Sanch. *l.4. Moral. c.54. n.62.* qui citat Rodriguez à prima sententia recedentem.

808. *His adhæreo.* Hanc sententiam, quæ quidem hodie in praxi seruatur, mihi eligendam adeò puto vt neque per Iubileum anni centesimi præfata priuilegia suspendi existimem. De quo alibi.

CAPVT XXXVII.

Circa Commissarij generalis Cruciatæ potestatem.

PROBL. CXVI.

In bigamia ex iuris fictione, aut in similitudinaria Commissarius Cruciatæ potest, & non potest dispensare.

809. *Potest in his commissarius dispensare.* VIdimus *sect.* 1. Commissarium non posse dispensare in bigamia vera, nec interpretatiua, nempe quando quis bis contraxit matrimonium, quod consummauit, vel quando contraxit cum iam corrupta, vel vidua à priori viro cognita. Quid, quæso, si bigamia sit ex iuris fictione, v. gr. quando quis priori coniuge superstite, de facto cum alia contrahit, vel ea mortua, contrahit cum alia, qua cum habet impedimentum dirimens; aut si bigamia est tantum similitudinaria, v. gr. cum quis post sacri Ordinis susceptionem vel Regularis instituti professionem, vxorem duxit? Potest quidem in his Commissarius dispensare. Quia ex delicto procedunt. Sic Rodrig. *in addit. ad §.13. n.3.* & alij.

810. *Non potest in his Commissarius dispensare.* Non potest dispensare. Quia quamuis Commissarius dispensare valeat in quacumque irregularitate proueniente ex delicto nonnullis exceptis, hoc tamen intelligendum est de iis, quæ per se ex delicto proueniunt, non quæ per accidens. At bigamia ex iuris fictione, & similitudinaria primò & per se non ex delicto, sed ex defectu Sacramenti, & significationis procedunt, ex delicto autem per accidens profluunt. Ità Henriquez *lib.7. capit.13. num.5.* & alij.

Veriorem hanc sententiam existimo, nec tamen primam improbauerim quam Villalob. *tr.27.Clau.11.n.8.* & Dian. *p.1. tr.11.resol.115.* prætulere. 811. *Hoc verius duco.*

PROBL. CXVII.

Commissarius potest, & non potest dispensare, quando matrimonij impedimentum ex spirituali cognatione consurgit.

QVando impedimentum consurgit ex spirituali cognatione, v.gr. cum mulier, vel vir extra necessitatis articulum proprium filium baptizauit: potest Commissarius generalis Cruciatæ dispensare. Quia potest Episcopus; ergo & Commissarius. Deinde quia qui potest maius, potest & minus; sed Commissarius potest dispensare ad debitum petendum, quando ex vera carnali affinitate impedimentum prouenit; ergo vberius poterit, quandò ex spirituali profluit affinitate. Sic Villalob. *to.27. clauf.13. n.21.* Rodrig. §.13. *n.16. addit.1.* 812. *Potest Commissarius dispensare.*

Non potest Commissarius dispensare. Quia cum huiusmodi impedimenta sint diuersæ rationis, nec in verbis vnius concessionis possit alterum comprehendi non potest concessio vnius ad alterum protrahi; licet enim dispensandi potestas sit fauorabilis, & extendenda, non tamen potest protrahi ad casus, qui sub concessionis verbis nequeunt comprehendi. Ita Sanchez *lib.8. de Matr. disput.2.n.2. & disp.15. n.13.* Trul. *lib.2. §.4. dub.3.* 813. *Non potest Commissarius dispensare.*

Huic hæreo sententiæ, quam confirmarim; quia quoties facultas est ex priuilegio, vel mandato, formaliter debet intelligi, & non extendi ad diuersa obiecta, quorum vnum non claudatur in alio; aliàs enim posset commissarius dispensare, vt coniux, qui post matrimonium vouit castitatem, petat debitum; quod tamen est falsum non ergo ex eo quod detur facultas ad dispensandum in vno, datur etiam ad aliud. An si tibi impenderetur ex priuilegio facultas dispensandi in secundo gradu consanguinitatis, talis facultas posset ad secundum affinitatis extendi? An si in Bulla daretur tibi facultas dispensandi in aliqua irregularitate, posset ideo à te dispensatio in alia etiam minori geri? An qui virtute vnius priuilegij posses ab hæresi absoluere etiam externa, poteris ideo à quocumque casu Pap. reseruato etiam 814. *Huic hæreo opinioni.*

minori absoluere. Absit omnino. Ergo. licet Commissarius possit quod est maius, quod minus est, non ideo valebit; hæc enim iuris regula solum habet locum quando id, quod minus est sub maiori tanquam pars in toto continetur; at in nostro casu sunt diuersa impedimenta diuersimode ad matrimonium dirimendum. Nec valet quidem, Potest Episcopus; ergo & commissarius; quia in multis facultas Episcopi, quam Commissarij vberior.

CAPVT XXXVIII.

Circa Compositionis, & defunctorum Bullam.

PROBL. CXVIII.

De bonis incertis illicitè acquisitis Rex poterit, & non poterit compositionem facere.

815. *Non potest Princeps compositionem facere.*

DIXIMVS *sect.* 1. Regem, aut Rempublicam posse compositionem gerere de bonis incertis licitè comparatis. Quid de iniustè acquisitis? Princeps etiam Christianus non potest facere huiusmodi compositionem. Quia ad conscientiam spectant ad quam non se se potestas ciuilis extendit. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. *a.* 4. Villalob. *tr.* 29. *n.* 10. Lud. Cruz *disp.* 1. *dub.* 3. *n.* 4. Trul. *l.* 3. *dub.* 1. Rodrig. §. *vni. dub.* 5. *n.* 6.

816. *Princeps potest facere cõpositionem.*

Princeps de bonis incertis illicitè collectis potest gerere compositionem. Quia bona incerta, cum sint quid temporale, ad ciuilem potestatem videntur pertinere. Ita Henriq. *l.* 7. *c.* 33. *n.* 3. & alij.

817. *Primam sententiam probo.*

Probabile existimo posse quidem, probabile non posse; hoc certum habeo, Principes seculares circa huiusmodi bona solitos non esse compositionem gerere, iustè quidem; quia cum id munus ad conscientiæ fidelium pertineat exonerationem, ad Claues Ecclesiæ, potestatemque spiritualem conuenientius attinere videtur. Vnde saltem propter decentiam, primam opinionem libentius admitto.

PROBL. CXIX.

Facta incertorum bonorum, ex Bullæ indulto, compositione, verus eorum dominus comparet: qui super his se composuit tenetur, & non tenetur ea domino restituere.

818. *Tenetur restituere comparenti domino.*

TEnetur quidem, si post factam compositionem per Bullam, aut Commissarium, rei dominus compareat, ei rem restituere (ante Iudicis sententiam) si existat; sin minus, id in quo factus est ditior, nisi facta compositione, legitime præscripserit. Quia compositio censetur facta sub conditione, si dominus non comparuerit; nec enim Pontifex per compositionem intendit, imo nec potest priuatorum iuri præiudicare, quominus bona, quæ eis debentur, assequantur. Sic Rodrig. *in Bul. comp. dub.* 3. Villalob. *tract.* 29. *num.* 9. Ludou. Cruz. *disput.* 3. *dubio* 4. *num.* 2.

819. *Non tenetur restituere domino comparenti.*

Non tenetur huiusmodi bona incerta, de quibus facta fuerit rite compositio, comparenti domino restituere, sed in foro conscientiæ manet omninò liber. Quia & id comprobat praxis, quæ sine vrgenti ratione damnanda non est; & quia minimè de præfata illa conditione constat; & quia hæc compositio præscriptioni æquipollet; at qui legitime præscripsit, post, ea domino rei comparente, nõ tenetur restituere; ergo nec qui legitime gessit compositionem. Ita Acost. *de Bul. q.* 93. Trul. *lib.* 3. *dub.* 4. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 34. *numer.* 6. Bannes 2. 2. *quæstione* 6. *articulo* 5. *dub.* 8.

820. *Eiusdem sum mentis.*

Certè sicut Respublica habet facultatem dominia, media præscriptione transferendi: ita & Pontifex media compositione prout concernit bonum spirituale fidelium, in quo nemini Papa præiudicare censetur; quia ipse est bonorum temporalium, pro vt ad spirituale negotium spectant, administrator: quemadmodum Princeps subditis non præiudicat per legitimam præscriptionem. Monuerim tamen huiusmodi compositionem pro exteriori foro non proficere. Sicut enim Bullæ absolutio (regulariter loquendo) à peccatis, & censuris in foro exteriori non liberat; ita nec compositio. Vndè si fortè verus dominus inueniatur, & iubeat ei illum, qui se composuit coram Iudice conuenire, Iudex eum compellet ad soluendum; ante condemnationem autem

autem tutus erit in conscientia, nec tenebitur gerere solutionem, sed sufficit ei, esse ad obediendum iustæ sententiæ præparatum.

PROBL. CXX.

Per indulgentiam plenariam Bullæ defunctorum liberatur à purgatorio anima pro qua accipis Bullam; per alias autem indulgentias plenarias defunctis concessas liberatur & non liberatur anima illa, quam intendit qui pro defunctis lucratur indulgentiam.

821. *Per alias indulgentias non liberatur anima, cui applicantur.* PEr indulgentiam in Bulla defunctorum concessam è purgatorij pœnis ea anima eripitur, pro qua quis recipit Bullam, & cui indulgentia applicatur: per alias vero indulgentias etiam plenarias, quæ aliàs vita defunctis concedi assolent liberatur à purgatorio anima illa, quæ magis erit disposita tempore quo lucraris indulgentiam; & non illa anima quam intendit, qui pro defuncto indulgentiam lucratur. Quia talis est voluntas Pontificis concedentis. Sic Carril. *in expos. defunct. p.2.c.9.*

822. *Per alias indulgentias liberatur anima, cui applicantur.* Per alia indulgentias plenarias defunctis concessas, si cætera adsint, è purgatorio eripitur ea anima, quam exoptas qui lucraris indulgentiam. Quia sicut indulgentia Bullæ ad certam animam non limitatur, sed id relinquitur sumentis Bullam electioni; ita in indulgẽtia stationum (v.gr.) haud præscribitur ad certam animam limitatio, sed lucraturi eam electioni relinquitur; ergo eadem debet esse vtriusque ratio nisi expressè aliquando, Pontifex limitasset. Ita Trul. *l.4.dub.12.*

823. *Idem asseruerim.* Fateor indulgentiam plenariam Bullæ defunctorum promptiorem, ac certiorem esse propter causæ concessionis euidentiam, nimirum ob bonum commune Ecclesiæ, quale est belli contra infideles subsidium; non tamen abnegare ausus fuerim, per alias indulgentias plenarias defunctis concessas è purgatorio igne non liberari eam animam, quam gerens Stationes exoptas. Opus quidem magis gratum, & promptum animabus est, pro illis Bullam accipere, in quacumque die & hora potest sumi, & applicari; nullum suffragium magis certum ad pœnarum remissionem; quia causa concessionis est maior. Attamen certum puto te gerente pro anima Antonij quinque altarium visitationem, aut alicuius similis plenariæ indulgentiæ lucrationi operam exhibens, eam à purgatorij flammis eripere.

PROBL. CXXI.

Dum pro anima Antonij Bullam defunctorum assumis, si sufficienter non est disposita, eripitur, & non eripitur è purgatorio.

824. *Non mox eripitur.* SI anima Antonij, pro cuius è purgatoriis flammis ereptione Bullam defunctorum accepisti, fortè sufficienter non sit disposita, per illam indulgentiam disponitur, vt alia accepta Bulla, vel multiplicatis aliis suffragiis è tormentis liberetur: attamen non illicò ob sumptam Bullam Defunctorum eripitur. Quia suffragium illud non æquat pœnæ grauitatem. Sic Carril. in *expos Bul. defunct. p.2.c.9.*

825. *Mox eripitur.* Accepta Bulla defunctorum pro anima Antonij, mox è flammis eripitur. Quia indulgentia est totalis, & anima est in gratia, & effectus indulgentiæ est infallibilis (modo explicato suprà) consequenter sequitur animam eius, cui indulgentia applicatur è pœnis illico liberari. Ita Trul. *l.4.dub.12.* & alij.

826. *Idem affirmo.* Idem asserendum puto; quia ex parte animæ præter statum gratiæ nulla alia dispositio necessario requisita desideratur: ex parte vero indulgentiæ cum totalis sit, totius pœnæ pluribus criminibus expiandis addictæ exęquat grauitatem.

LIBER OCTAVVS.

SACRAMENTA IN GENERE.

QVI non ſolum generaliſſima Theologiæ Moralis principia prælibare intendo, ſed & ea, quæ ad præcipuas Materias ſpectare videantur adiicere, de Sacramentis in genere tractationem exponam, eorum quidditatem, inſtitutionem, exiſtentiam effectus enunciabo, Miniſtri exprimam conditiones, ſubiecti indicabo proprietates.

SECTIO PRIMA.

De Sacramentis in genere Receptiores abſque lite ſententiæ.

CAPVT I.

De quidditate, & numero Sacramentorum, inſtitutione, neceſſitate.

1. *Sacramenti definitio, & explicatio.*

SAcramentum eſt *Signum rei ſacræ ſanctificantis nos*, vel *Signum viſibile inuiſibilis gratiæ formaliter hominem ſanctificantis*. Sic exponens D. Thom. definitionem deſcribo Sacramentum: *Eſt Signum ſenſibile, ſtabili aliqua lege inſtitutum, vt conferat aliquam ſanctitatem externam, & ſignificet internam.* Siue preſſius, *Eſt ſignum ſacrum non ſolum ſignificans, verum etiam infallibiliter efficiēs rem ſacram ſanctificantem homines.* Porro loco generis *Signum* dicitur; ſignum autem eſt, quod præter ſpeciem, quam ſenſibus repræſentat, efficit aliquid aliud cognirioni ſubeſſe. Dicitur *Sacrum* in ſe ſcilicet ſeu ex parte rei ſignificantis cum ſit res ad diuinum ordinata cultum. Dicitur *Significans rem ſacram*, quæ eſt gratia formaliter homines ſanctificans. Dicitur *Efficiens*, vt oſtendatur ſacramentum non ſolum rem ſacram ſignificare, verum efficere, ac producere gratiam. Dicitur denique *Infallibiliter*, eo quod Sacramentum ſua ex natura infallibiliter gratiam in ſuſcipiente producit niſi obex apponatur. Coninch. 3. *p. q.* 60. *a.* 2. *dub.* 2. Reginal. *l.* 26. *n.* 43. Laym. *l.* 5. *tr.* 1. *c.* 2. Henriq. *l.* 1. *cap.* 2. *num.* 4. ex D. Thom. 3. *p. quæſt.* 60. *art.* 1. 2. 3. Lege Suarez *de ſacram. tom* 3. *diſputatione* 2. *ſectione* 1. & 2.

2. *Omnia Sacramenta ſũt ſigna rememoratiua, demonſtratiua, & prænunciatiua.*

Omnia Sacramenta ſunt ſigna rememoratiua, demonſtratiua, & prænunciatiua. Quia omnia ſunt paſſionis Dominicæ documenta, gratiã demonſtrant, quam ex ſe conferunt, & gloriam, quam oſtendunt, prænunciant. Henriq. *l.* 1. *c.* 2. Coninch. *de Sacram.* Villalob. *tom.* 1. *tr.* 4. *diſt.* 1. *n.* 2. Petr. de Ledeſm. *tom.* 1. *c.* 1.

3. *De fide eſt, ſeptem annumerari Sacramenta.*

De fide eſt, Sacramenta nouæ legis ſeptem annumerari, nec plura, nec pauciora, Baptiſmum nempe, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, Matrimonium. Sic definitur Cap. *Ad abolendam*, *de hæret.* In Concil. Florent. ſub Eugenio IV. in Trident. *ſeſſ.* 1. *c.* 1. & *ſeſſ.* 7. *c.* 1. Tenent omnes Theologi cum Doct. Angel. 3. *p. q.* 60. *a.* 1. Lege Becan. *de ſacr. in commu. c.* 6. *q.* 1.

4. *Ratio exigebat, ſeptem Sacramenta à Domino inſtitui.*

Ratio exigebat ſeptem à Domino Sacramenta inſtitui. Quia inſtituta ſunt ad ſeptem animi noſtri ægritudines medi

medicamina. Triplex culpæ infirmitas, ac quadruplex pœna horribiliter desæuit in homines. Contra peccatum originale Baptismus, contra actuale Pœnitentia, contra peccatorum reliquias Extrema vnctio exponitur à cœlesti Medico: Ordo autem contra ignorantiam, Eucharistia contra malitiam, Confirmatio contra infirmitatem, & contra concupiscentiam Matrimonium adhibetur. Becan. *c.6.q.*1.Mour.3.*p.c.*1. §.2. Durand. *in 4.dist.2.q.2.*

5. *Sacramenti definitio sacrificio non conuenit.*

Excluditur à definitione Sacramenti sacrificium, quod quidem videtur esse etiam ceremonia quædam significatiua, & effectiua sanctitatis. Differt in primis personali ex obiecto; nam sacrificium Deo offertur, Sacramentum homini applicatur. Deinde ex modo operandi, sacrificium enim gratiam sanctificantem immediatè non confert, sed mediantibus auxiliis præuenientibus, & hominis cooperatione: Sacramentum autem instrumentaliter, & immediatè sanctificantem gratiam attingit, facitque ex attrito contritum. Denique cultus ratione; sacrificium namque est potissimus Religionis actus directè Dei spectans honorem: Sacramentum verò primario hominis ex merito Christi sanctificationem respicit, vnde consequenter habet, vt ceremonia quædam religiosa existat. Elig. Bas. *ver. Sacr.*1.*num.*3.

6. *Aliæ congruētiæ circa Sacramentorum numerum.*

Ratio potissima cur septem annumerantur Sacramenta non plura, non pauciora, est Christi instituentis voluntas. At præter illa, quæ *n.* 4. innuimus, aliæ congruentiæ de numero contendebant, ex analogia ad corporalem vitam. Nam sicut in vita corporali primo est generatio, secundo corroboratio, tertio nutritio, quarto curatio à morbis, quinto perfecta virium confirmatio vitalium, sexto propagatio filiorum pro generis conseruatione, septimoque gubernatio illorum in statu honorifico: ita in vita spirituali Baptismus generationi confert, Confirmatio corroborationi intrinsecæ membrorum assimilatur, quæ quasi complementum est generationis, nutritioni Eucharistia, restitutioni in vitam, spiritualem scilicet valetudinem Pœnitentia. Porrò Extrema vnctio armat ad luctam mortis, Matrimonium ordinatur, vt licitè genus accrescat humanum, & conseruari valeat, Ordine denique honorificus status, & potestas filiis impenditur. D. Thom. 3. *p.q.*65.*a.*1.Valent.3.*p.disp.*3.*q.*6.*pun.*2. Reginal. *l.*26.*n.*5.Henriq. *l.*1.*c.*11.

Escob.& Mend.Theol.Mor. T.I.

Legis naturæ remedia, Sacramenta legis scriptæ.

In statu innocentiæ quando creatus fuit Adam cum originali iustitia non fuere Sacramenta. In statu verò naturæ à peccatore Protoplasto vsque ad Moysem scribentem, fuit aliquod remedium pro paruulis à Deo institutum in aliquo quidem externo actu positum, qui velut exterior fidei professio existeret; pro adultis vero fuit sacrificium. Porrò in statu legis scriptæ aliqua fuere Sacramenta, scilicet Circumcisio, sacrificium, Agnus Paschalis, & alia: quæ quidem propriè Sacramenta fuerunt; quia poterant dici signa conferentia, ac signantia legalem sanctitatem. Suar. *in 3.parte tom.*3.*disput.* 3.*sect.* 3.*& disput.* 4.*sect.* 2. Filliuc. *tract.* 1.*cap.*3.*quæst.*3.4.*&* 5.Valent.*tom.*4.*disp.* 3.*q.*2.*pun.*2.

7. *Differentia inter noua ac veteris legis Sacramenta.*

Inter noua, ac vetera sacramenta plures differentias innuerim. Vetera illa Sacramenta fuere difficiliora, vt patet in Circumcisione, vmbræ nostrorum extitere, non conferebant gratiam ex opere operato, non introducebant ad gloriam, non faciebant de attrito contritum, determinatam verborum formam non habebant, &c. Henriquez *lib.* 1.*cap.*2. *num.* 1. Filliuc.*tractat.* 1.*num.*17.Sylu.3.*part.q.* 62.*artic.*6.

8. *Circumcisionis Sacramēti quidditatē ac proprietates expono.*

Vt autem speciatim de præcipuo antiquo Sacramento loquar, nempe Circumcisione, hæc fuit à Deo instituta, & Abrahamo indicta quadringentis ante legem scriptam annis, obligabatque omnes ab Abrahamo profluentes; alij verò, qui ab Abrahamo non descendebant, circumcidi poterant, sed non erant adstricti. Haud erat determinatus circumcisionis minister, quia non solum masculi, verum & fœminæ circumcidebant filios, imo poterat quis se ipsum circumcidere. Fuit autem Circumcisio instituta ad delendum peccatum Originale. Conferebat verò gratiam non solum paruulis, sed etiam adultis cum attritione; vnde per illam non solum peccatum Originis delebatur, sed etiam actuale in adultis. Quocirca necessaria fuit adultis Circumcisio necessitate præcepti; quia tunc illi sine Circuncisione salute minime donabantur. Paruulis verò non fuit necessaria necessitate præcepti, quia ante rationis vsum hi non sunt præcepti capaces; nec necessitate medij, quia morientes antè octauum diem poterant cum solo legis naturæ remedio, saluari, sicut saluari fœminæ, & masculi aliarum nationum poterant. Henriq. *lib.*1.*c.*6.*num.*3.

Suar. 3.*p.q.*70.*a.*2. Laym. *l.*5.*tr.*1.*c.*3.*n.* 4. Victor. *de Sacram.c.*2.

9. *Sacramentorũ nouæ legis necessitas.*

Præmittens necessitatem respectiuam esse duplicem, aliam medij sine qua finis non obtinetur: & præcepti, quæ omnes scientes, ac potentes adstringit: assero Sacramenta nouæ legis non esse absolutè, & ex natura rei ad salutem necessaria. Quia virtus Dei infinita non est Sacramentis alligata, potuisset que alia media ad nostram salutem instituere, nosque sine Sacramentis ad superos subleuare. Ast, supposita Christi institutione, aliqua Sacramenta sunt necessaria necessitate medij; vt Baptismus, & Pœnitentia, ille quidem saltem in voto pro adultis, & reipsa paruulis: hæc verò posito actuali graui crimine. Aliqua sunt necessaria necessitate præcepti, vt Eucharistia, Confirmatio, & Extremavnctio. Aliqua verò non sunt necessaria singulis, sed tantum toti Ecclesiæ, vt Ordo, & Matrimonium. Suar. *in* 3.*p.tom.*3.*disp.*6.*sect.*1. Reginal. *l.*26.*n.*9. Valent. *in* 3.*p. disp.* 3. *quæst. pun.* 1.

CAPVT II.

De materia & forma Sacramentorum in genere.

10. *Omnia Sacramenta nouæ legis constant materia, & forma.*

OMNIA Sacramenta nouæ legis materia & forma constant, siue rebus & verbis, his vt forma, illis verò vt materia. Nomine autem rerum id intelligitur, quo posito nondum este completa Sacramenti significatio; siuè res illa sit quid permanens; siuè sit actio, siuè sint aliqua verba. Nomine autem verborum intelligitur id, quod complet, ac perficit significationem, siue sit nutus, siue scriptura, siue verba. Ratio autem, cur Sacramenta sunt in rebus, ac verbis instituta, est, quia Sacramentum est quoddam signum: signum autem melius rebus & verbis, quam sine verbis significat. Lay. *l.*5.*tr.*1.*c.*4. Filliuc. *tr.*1.*c.*4. Reginal. *l.* 26. *c.*16. Sylu. 3.*p.q.*60.*a.*8.

11. *In aliquibus duplex est materia.*

In Sacramentis saltem iis, quæ in vsu, seu actione transeunte consistunt, duplex est materia, remota, & proxima. Materia remota dicitur res illa, quæ in Sacramentum assumitur, seu circa quam actus, aut ceremonia sacra exercetur: v. gr. in Baptismo aqua naturalis, in Confirmatione chrisma benedictum, in Eucharistia panis, & vinum aqua mixtum, in Pœnitentia peccata, in Ordine Sacerdotali calix cum vino, & patena cum hostia, in Matrimonio personæ habiles, in Extrema vnctione oleum consecratum. Materia proxima dicitur ipse actus, seu vsus rei illius sensibilis: v. gr. ablutio in Baptismo, vnctio in Confirmatione, & extrema vnctione, species panis & vini in Eucharistia, actus pœnitentis in Pœnitentia, porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hostia in Ordine sacerdotali, in Matrimonio autem corporum traditio. Bonac. *tom.* 1. *disput.*1.*quæstion.*2.*punct.*1.*numer.*6. Filliuc. *tract.*1.*cap.*4.*numer.*56.*&* 57. Laym. *lib.*5. *tract.*1.*cap.*4.*num.*2.

12. *Materia & forma Sacramentorũ fuit à Christo determinata.*

De fide est, materiam, & formam Sacramentorum esse à Christo determinatas. Quia id colligitur ex scriptura vna cum Ecclesiæ traditione, & expositione Patrum; vndè eo modo, quo definitæ sunt, necessariæ sunt ad conficienda Sacramenta. Sacramenta enim sunt signa gratiæ, quam conferunt; id autem non habent nisi ex Christi institutione; vt ergo eam vim habeant, necesse est vt in iis conficiendis diuina seruetur institutio constare igitur debent verbis, eaque materia, quam Christus decreuit. Suar. *in* 3. *part.disp.* 2. *sect.*3. Filliuc. *tract.*1.*c.*4.*n.*59. *&* 60. Reginal. *l.*26.*n.*14.

13. *Ecclesia non potest mutare, seu variare Sacramentorum materiã.*

Ideo Ecclesia non potest mutare, aut variare Sacramentorum materiam. Quia non est supra Christum. Nec refert Ecclesiam decreuisse, vt Matrimonium celebratum coram Parocho & duobus testibus esset validum: sine Parocho verò, ac testibus esset inualidum in iis locis, vbi Concilium Tridentinum est acceptatum; per hoc enim non mutauit materiam & formam in Sacramento Matrimonij: sed contrahentes impotentes reddidit ad ponendam veram formam & materiam, nisi conditiones præscriptas in Ecclesia seruarent. Coninch. *in* 3. *p.q.* 60.*a.*6.*n.*42. Henriq. *l.*1.*c.*8.*n.*10. Reginal. *l.*26.*num.*15.

14. *Non singulæ quoad speciem materia & forma sunt determinata à Domino.*

Verum quamuis omnes materiæ, & formæ Sacramentorum sint à Deo, vel à Christo institutæ, non tamen singulæ quoad speciem, sed aliquæ quoad genus tantum, quoad speciem quidem ab Apostolis, vel Ecclesia determinandæ. Inter quas est materia & forma Sacramenti Ordinis, cuius singulæ materiæ, & formæ pro singulis Ordinibus non fuere à Christo Domino in specie determinatæ, sed tantum in genere, sub aliquo signo sensibili expressiuo potestatis, quæ per Ordinem traditur. Bellar. *l.de*

l. de sacram. Ordin. cap. 9. Lugo Cardin. *de sacram. disp. 2. sect. 5.*

15. *Ex diuina institutione est determinata sacramentorum forma.* Ex diuina institutione similiter forma Sacramentorum, quæ necessario adhibenda est in Sacramentis, est determinata, ita quidem vt si forma, seu verba formaliter, seu substantialiter varientur, Sacramenta non subsistant; si autem solùm materialiter, seu accidentaliter varientur, Sacramenta validè conficiuntur. Quia substantiam rei accidentalis variatio non mutat. Porrò tunc accidentaliter, seu materialiter verba dicuntur variari, quando eadem saluatur significatio: v. gr. quum in eodem idiomate verbum synonymum adhibetur, aut verbum alterius linguæ idem significans: secus si non adsit eadem significatio, aut si deficiat debita intentio: vt accidit, quando minister cum accidentali mutatione intendit nouum ritum in Ecclesiam inducere, & id, quod sancta Mater Ecclesia gerit, facere non intendit. Laym. *lib. 5. tract. 1. num. 4.* Reginal. *lib. 26. a. 20.* Suar. *de Sacr. disp. 2 sect. 4.* Coninch *q. 60. a. 8. num. 56. 59. & 61.*

16. *In forma potest multipliciter verborum mutatio contingere.* In forma, verborum mutatio potest multipliciter contingere, nempe vocum variatione additione, substractione, corruptione, transpositione, interruptione, verbis synonymis, vel æquiuocis. Certe inualidum erit Sacramentum, quoties verba ita variantur, vt eadem significatio non maneat, tunc enim forma substantialiter, & essentialiter immutatur. At si mutatio circa voces fiat eadem significatione, & modo significandi manente, Sacramento non obest. Tolet. *lib. 2 cap. 19. numer. 4.* Valen. *tom. 4. disput. 3. quæstion. 1. punct. 2.* Diana *part. 5. tract. 5. resolut. 39.* Sylu. *3. part. quæstion. 6. art. 8. quæsi. 1.*

17. *Vocis variatio est accidentalis.* Certè vocum variatio est tantum accidentalis, & quamuis Ecclesia præciperet, vt hoc vel illo idiomate tantum vtamur, tamen huius præcepti transgressio peccatum planè esset, sed non redderet irritum Sacramentum. Filliuc. *tract. 1. numer. 65.* Graf. *2. part. lib. 1. cap. 3. numer. 25.*

Mutatio per synonyma est communiter accidentalis, modo sint æque distincta, & clara, communique impositione recepta Filliuc. citat.

18. *Mutatio ob verba æquiuoca accidentalis est.* Si adhibeantur verba æquiuoca, mutatio erit accidentalis, & validum Sacramentum, modo minister habeat rectam intentionem significandi quod per verba formæ significatur: & non inducendi nouum ritum contra Ecclesiam. At si verba æquiuoca adhibeantur intentione significandi aliud, quam per verba significatur, non est validum Sacramentum; quia mutatio est essentialis. Reginal. *l. 26. n. 23.* Henriq. *l. 1. c. 10. n. 8.*

19. *Per additionem quid?* Per additionem, & substractionem potest esse substantialis mutatio, si variet sensum: accidentalis autem erit, si seruet. Vasq. *3. p. disp. 129. c. 7.* Suar. *3. p. q. 76. a. 3. concl. 5.* Graf. *p. 2. disp. 2 sect. 5.*

20. *Quid per corruptionem?* Per corruptionem verborum, quæ fit malitiosè & ex industria, vitiatur Sacramentum. Quia non videtur intendere minister, quod intendit Ecclesia. Illa, quæ fit ex ignorantia, vel linguæ defectu, & aufert sensum locutionis, quod maxime fit, quando contingeret in dictionis principio, v. gr. si ab hac dictione *Patris* subtrahatur prima litera, & apponatur *Matris*, Sacramentum similiter vitiat. Quia sensus omnino mutatur. Angles *q. 1. art. 3. concl. 1. c. 3. n. 25.*

21. *Quid per transpositionem.* Circa transpositionem autem assero inualidum fore Sacramentum, si talis sit, vt intellectum verborum immutet. Graf. *cit. num. 30.* Bonac. *tom. 1. disput. 1. quæst. 2. punct. 1. 22.*

22. *Quid per interruptionem?* Si interruptio est modica ita quod secundum communem vsum non videatur actum discontinuare, vt si interueniat silentium, aut respiratio, aut aliquid huiusmodi: validum erit Sacramentum. At si discontinuatio esset magna, ita vt actum euidenter discontinuet, Sacramentum irritabitur, Sayr. *l. 1. de sacram. c. 4. a. 7.* Nald. *ver. Sacramentum, n. 4.* Dian. *p. 5. tr. 5. resol. 41.*

23. *Nemo potest aliis verbis vti in effectione sacramentorum.* Nemo potest in confectione Sacramentorum priuatim confingere aliqua verba, aliisque vti ad significandum id, quod significant formæ verba. Quia cum Sacramenta sint signa instituta propter bonum commune, debent in ipsis conficiendis adhiberi signa communi vsu recepta in vnoquoque Regno, vel Prouincia, cuiusmodi non sunt, quæ priuata authoritate confinguntur, & communiter non recipiuntur. Vnde qui in aliquo populo posset authoritatiuè nouam introducere linguam, consequenter quibus vellet verbis, validè sacramenta ministraret. Ex. gr. si hæ voces, *Ego te baptizo* publica authoritate desinerent significare quod de facto significant, & aliæ loco ipsarum subrogarentur, quæ idem significarent, quod ipsæ nunc significant; tunc non hæ, quæ de facto sunt, sed aliæ his subrogatæ essent propria forma Bap-

tismi à Christo instituta. Quia Christus instituit illas in forma Baptismi, præsupposita earum significatione dependenter ab institutione humana, qua variata, desineret esse forma Baptismi à Christo instituta. D. Thom. 3.p.q.60.a.7. Sayr. l.1.de sacram.cap.4.art.8. Reginal.lib.26. num.23. & alij.

24. *Grauiter peccat, qui extra necessitatem materiæ, seu formæ dubia vtitur.*

Qui extrà necessitatem in conficiendis Sacramentis materia vel forma dubia vtitur, de qua scilicet inter Doctores controuertitur, an sit sufficiens, grauiter delinquit. Quia exponit se periculo sacramentum irritum peragendi, cum fieri possit, vt reuera illa materia, vel forma non sit sufficiens. Quid si hoc quis gerat sectans opinionem probabilem speculatiuè, vel etiam probabiliorem? Procul dubio delinquit; quia adhuc exponit se periculo faciendi Sacramentum inualidum, cum probabilis opinio non suppleat id, quod Christus voluit esse de necessitate Sacramenti. Filliuc. tr.1.n.69. Coninch q.60.a.8.n.50.& 80.

25. *In necessitate facilius potest adhiberi dubia materia quam dubia forma.*

Tamen in necessitate, quando non adest certa materia, sed tantummodo dubia: potest dubia ad hiberi; non quidem ita faciliter adhiberi potest dubia forma; quia raro solet accidere, vt quis vti forma dubia cogatur excepto casu, quo nullus nouit certam formam. Sanct. in select. disput.44.num.3. Sylu.3.p.q.60.a.8. quæst.3. concl.4.

26. *Delinquit qui è forma certa detrahit, vel ei addit.*

Delinquit etiam, qui vtitur forma certa, sed ei aliquid addit, vel detrahit. Ad cognoscendum autem, num sit graue peccatum, an leue, respiciendum est, vtrum adfuerit aduertentia, ac deliberatio: & an res sit grauis, vel leuis; leuitas enim materiæ à piaculo graui excusat, sicut inaduertentia & indeliberatio. Filliuc. tr. 1. 67.& 68. Sayr. l.1.c.4.a.8.

27. *Materia & forma sufficiens ad sacramentum in Ecclesia Græca, sufficit in Romana.*

Illa materia & forma, quæ sufficiens est ad verum Sacramentum in vna Ecclesia, est etiam in aliqua quacumque sufficiens; quod intelligendum est de necessitate sacramenti, & de ritu essentiali: non autem de necessitate præcepti, & accidentali ritu. Quia sicut Christus vnam constituit Ecclesiam, sic vna sacramenta exposuit. Vnde Baptismus (v.gr.) forma Græcorum administratus, non solum valet in Græcia, sed etiam vbique terrarum; quia mutatio accidentalis substantiam sacramenti non destruit. Viuald. *de sacramentis in genere cap.* 3. *numer.* 21. Filliuc. *tract.* 1. *numer.* 70.

CAPVT. III.

De causa efficiente Sacramentorum nouæ legis.

28. *Solus Deus primarius sacramentorum auctor.*

SOLVS Deus est primarius sacramentorum auctor & institutor, vnde potest dici causa principalis authoritatiue. Quia is propriè dicitur auctor, & institutor sacramentorum qui eis sanctificandi homines virtutem confert; atqui solus Deus principaliter est gratiæ sanctificantis auctor; ergo solus est causa principalis authoritatiuè sacramentorum. Reginal. lib.26.n.32. Suarez in 3.p. to.3.disput.12.sect.1. Sylu.3.part. quæst.64. artic.2.

29. *Christus causa sacramentorum per potestatem excellentiæ.*

At Christus est causa sacramentorum per potestatem excellentiæ. Quia illi competit huiusmodi potestas propter excellentiam, quam habet ob vnionem cum Diuinitate, & ob quandam omnipotentiam. Vnde in Trident. sess.7.can.1. tanquam de fide definitum est sub anathemate, omnia sacramenta fuisse à Christo Domino per potestatem excellentiæ instituta. Laym. l.3.tr.1.c.5. Valent. to.4.disp. 3.q.5.punct.3. Sayr. l.2.c.2.q.2.

30. *Christus solam potestatem ministralem hominibus communicauit.*

Potestatem auctoritatis Christus non potuit communicare hominibus, incommunicabilem prorsus. Quia omnimodam dicit independentiam, quæ soli Deo competit. Potestatem excellentiæ potuit communicare, sed minime communicauit. Quia ob nostram non decebat vtilitatem, ne schismata in Ecclesia excitarentur. Christus itaque solam potestatem ministralem hominibus concessit, quæ quidem in consecratione ac applicatione sacramentorum cernitur. D. Thom. in 3.p. q.64.art.4.

31. *Causa ministralis est minister, qui concurrit ad conficienda sacramenta.*

Causa igitur ministralis est minister, qui concurrit ad conficienda sacramenta in nomine, ac virtute Christi: & dici potest gratiam conferendi instrumentum; vnde solus homo de potentia Dei ordinaria est sacramentorum minister necessarius & sufficiens: non tamen omnis homo etiam baptizatus, est legitimus sacramentorum minister; sed is tantum, qui ritè in Ecclesia ordinatus est. (Excepto Baptismo ac Matrimonio.) Porro ex dispensatione diuina, Angeli possunt esse sacramentorum ministri. Quia Dei virtus non est alligata: propterea illud habendum esset tanquam

Solus homo de potestate Dei ordinaria. Angelus de dispensatione diuina potest esse sacramentorum minister.

verum sacramentum, quod constaret ab aliquo Angelo fuisse administratum, verbis perassumptum corpus prolatis. Diabolus de potentia absoluta de mandato Dei posset in corpore assumpto ministrare sacramenta: si verò de potentia ordinaria aliquod sacramentum ministraret, non esset habendum validum. Quia non est credibile Deum vnquam daturum diabolo facultatem vera conferendi sacramenta. Sayr. *l.2.c.3.a.2.* Bonac. *to.1.l.disp.1.q.3. pun.1. n.8.* Hurtad. Complut. *de Sacram. disp. 4. diffic.3.*

32. *Minister Sacramenti vere hominem abluit, peccata remittit.* De fide est, ministrum Sacramenti verè animam abluere, peccata remittere, ac ac peccatorem iustificare. Quia Dominus *Ioa. 20.* profatur, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quod etiam ex formis Sacramentalibus ostenditur, *Ego te baptizo, Absoluo te.* Trident. *sess.14.c.6.*

CAPVT IV.

De intentione in Sacramentorum ministro requisita.

33. *Ad necessitatem Sacramenti requiritur, vt minister intendat saltem implicitè homini conferre Sacramẽtum.* AD necessitatem Sacramenti requiritur, vt minister intendat homini conferre Sacramentum saltem implicitè, & facere velit quod vera Ecclesia solet, aut quod Christus instituit, aut quod Sacerdotes Christianorum facere consuerunt, & si determinatè nesciat, aut non credat esse sacramentum. Quia ad conficienda Sacramenta requiritur intentio, quæ determinet actionem ad esse Sacramentale, & indifferentiam verborum & actionum tollat; Et quia Sacerdos, aut Sacramentum conferens quique est Christi minister, & instrumentum animatum: ergò debet intendere id, quod præceptum est, & ordinatum à Domino. Addo, actionem externam, & verborum prolationem non satis esse determinatam ad effectum Sacramenti significandum, v.gr. lotio cum his verbis *Abluo te*; nam potest fieri ad corporalem mundiciem, ad refrigerium, per iocum, per Ethnicam, vel Iudaicam superstitionem; ergo debet per ministri intentionem ad hoc determinari. D.Tho. *3.p.q.64. a.8. & 10. ad 2.* Valenc. *to.4. disp.3. q.1. pun.2.* Sylu. *3.p.q.64.a.8. concl.1. & 2.*

43. *Non est necessum, vt minister velit gerere, quod agit Ecclesia Romana; sed quod agit Ecclesia vera in communi.* Non est necessarium, vt minister intendat gerere quod facit Ecclesia Romana, sed quod agit Ecclesia Christi vera, quæcunque illa sit. Vnde vel Caluinistæ ordinariè veraciter baptizant, tametsi putent Ecclesiam Romanam non esse Christi Ecclesiam. Quod si quis intẽdat gerere quod facit Ecclesia aliqua particularis falsa, v.g. Geneuensis, & intendat non facere, quod gerit Ecclesia Romana: etiam sufficeret; quia qui intendit agere, quod facit Ecclesia Geneuensis, intendit facere quod agit Ecclesia vniuersalis: putat enim Geneuam esse membrum Ecclesiæ vniuersalis, licet fallatur in veræ Ecclesiæ cognitione; non enim tollit Sacramenti efficaciam ministri particularis error, sed defectus intentionis. Moneo tamen, licet sufficiat hæc intentio generalis Ecclesiæ, consultum esse adhibere etiam particularem, nempe conferendi Baptismi, aut absolutionis Sacramentum, vt perfectius ministerium illud vice Christi valeas obire. Caspens. *tr. 21. disp.5. sect.6. num.64.* & alij.

35. *Non est necessaria actualis intentio, virtualis sufficit.* Ad conficiendum Sacramentum non est necessaria actualis sufficiens intentio, qua actualiter intendas, & velis conficere Sacramentum, dum illud conficis; sed sufficit virtualis, illa scilicet, quæ postquam actualis præcessit, adhuc virtualiter durat in aliquo opere inchoato virtute actualis intentionis, nec est moraliter interrupta per oppositam intentionem, aut per longam moram temporis interpositam. Certè habitualis intentio, qua quis gerit aliquid ex habitu, nulla intentione præcedente, vel si intentio præcessit, non amplius virtualiter perseuerat in aliquo opere externo, cum sit moraliter interrupta: nec sufficit, nec necessaria est. Layman. *l.5. tr.1. c.5.n.1.* Tolet. *l.2.c.16.* Vasq. *3.p.disp.138. c.6.* Dian. *p.2.tr.3. Miscel. resol.32.*

36. *Non sufficit intentio interpretatiua.* Non sufficit intentio interpretatiua, quæ scilicet est voluntarium tantum in causa; v.gr. sit sacerdos qui dum ebrius est assolet verba consecrationis super panem & vinum proferre, & hoc antè ebrietatem nouit; ille inebriando se, quodammodo vult consecrare adeò vt hoc ei imputetur ad culpam: sed tamen hæc voluntas non est sufficiens ad conficiendum Sacramentum, etiam si id anteà intenderet, & dum ebrius est idem vellet; quia hæc voluntas non est moralis, & humana, nec humano more subsequentem influit in actum. Suar. *de Sacr. disp.13. sect.3.* Caspens. *tr.21. disp.5. sect.7. num.70.*

37. *Licet minister non intendat conferre Sacramenti effectum, Sacramentum non irritatur* Minister intendit conferre Sacramentum, non tamen Sacramenti effectum, vel eum intendit dimidiare; quid? Sacramentum propter hoc non irritatur. Quia posito Sacramento, nihil potest circa illius

lius effectum, vt illum impediat, vel dimidiet, vel suspendat; Sacramentum enim operatur per modum causæ naturalis, quæ circa passum bene dispositum necessario operatur. An si quis ignem applicet combustibili, poterit operationem impedire: Bassæ. *ver. Sacramentum 3. num. 3.*

38. *Ad Sacramenti valorem requiritur intentio absoluta.* Itaque ad Sacramenti valorem requiritur intentio absoluta. Quia sola illa efficax est. Conditionalis enim quamdiu talis est, manet suspensa, & nihil operatur; sicut propositio conditionalis nihil ponit in esse; ideoque non sufficit, si minister baptizet, à peccatis absoluat sub conditione in futurum pendente: v.gr. si pater tuus consenserit, si concubinam domo ejeceris; quia sacra symbola debent à ministri intentione explicita vel implicita secundum Christi institutionem determinari, vt sint practica, & efficacia; talia autem non sunt, si eorum vis & efficacia à futuro contingente effectu suspendatur. Coninch. *q. 64. a. 8. dub. 2.* Layman. *l. 5. tr. 1. c. 5. n. 13.* Suar. *disp. 3. sect. 3.*

39. *Sacramentum administratum sub conditione de præsenti, vel de præterito, validum est, delinquente tamen ministro.* Sacramentum tamen administratum sub conditione de præsenti, vel de præterito validum est, si res ita sit, sicut in conditione exprimitur. Quia conditio de præsenti, aut de præterito non suspendit actū, cum non sit propriè conditio. Monuerim autem, illum peccare, qui in conficiendis Sacramentis conditionem apponit, non solum si apponat conditionem de futuro, verum etiam si de præterito, aut præsenti absque necessitate, & rationabili causa; quia exponit se periculo administrandi inualidè Sacramentum, cum fieri possit, vt talis conditio non subsistat. Henriq. *l. 1. c. 10. n. 7.* Maldon. *ver. Sacramentum, n. 13.* Suar. *disp. 13. sect. 3. concl. 3.*

40. *Dirigi debet intentio ministri ad materiam, vel personam præsentem.* Dirigi debet intentio ministri in Sacramentis conficiendis ad materiam, vel personam præsētem, nec debet quis se restringere, vt non velit facere Sacramentum, si persona non sit illa, quam ipse existimat. Quia se sæpe periculo nihil gerendi exponeret: v.gr. si determinaret se ad Petrum, adeò, vt cunctos præter ipsum excluderet; si fortè esset Antonius, nullum esset esset Sacramentum. Attamen si sit tantum error personæ materialiter, non nocet, dummodò practica adsit intentio, qua scilicet velit absolutè huic personæ, quam præsentem habet, sacramentum conferre. Excipio matrimonium, in quo intentio debet ad personam determinatam dirigi, ita vt illius error sit substantialis eo quod sit contractus oneribus plenus. Henriq. *l. 1. c. 10. n. 6.* Tolet. *l. 2. c. 20.* Bonac. *tom. 1. disp. 2. q. 2. punct. 4. num. 26.*

Caput V.

De ministri probitate.

41. *Non est necessaria fides, aut probitas ministri ad validam Sacramenti ministrationem.* Fides aut probitas ministri non est necessaria ad validam Sacramenti ministrationem; æque quidem per malos aut hæreticos: per bonos, & Catholicos virtus Sacramenti ex opere operato confertur regulariter loquendo. Quia Sacramenta valide administrantur, quoties adest materia, forma, & intentio ministri; sed hæc possunt adesse quamuis minister fidem non habeat: ergò fides ac probitas non requiritur. Addo ministrum Sacramenti, quamuis improbum & hæreticum habere conficiendi Sacramenta potestatem, retinet enim characterem indelebilem, per quem cōfertur conficiendi Sacramenta potestas: & per quem Dei virtute operatur. Fieri tamen potest, vt Sacramentum Pœnitentiæ inualidè administretur ab improbo ministro: v.gr. à vitando excommunicato. Reginal, *l. 26. n. 34.* Sayr. *l. 2. c. 5. a. 2.* Layman. *l. 5. tr. 1. c. 5. num. 6.*

42. *Necessaria autem est ad licitam.* Necessaria est fides ac probitas ministri ad licitam Sacramentorum ad affectionem. Vnde mortaliter peccat minister si mortalis delicti conscius Sacramentum aliquod conficiat, aut conficiendo ministret: v. gr. Eucharistiam consecret, vel pœnitentem absoluat. Quia minister deputatus & consecratus ad Sacramēta perficienda specialem gratiam recepit ad illa dignè gerenda; ergò grauiter peccat, quotiens illa indignè perficit, cum in re graui faciat contra id, ad quod est cum gratia speciali specialiter deputatus. Layman. *l. 5. tr. 1. c. 5. num. 7.* Sylui. *3. p. q. 64. a. 6. quæst. 1.* Vasq. *3. p. disp. 136. c. 3.*

43. *Minister consecraturus cōfiteatur, alia perfecturus Sacramenta studeat contritioni gerendæ.* Vnde Sacerdos lethalis criminis reus antequam Eucharistiam consecret debet confiteri: antequam autem Sacramenta alia conficiendo ministret debet procurare gratię restitui vel per cōtritionis actum, vel si illum elicere non possit, per attritionem. Quod si fortè contingat ministrum non esse verè contritum sed dumtaxat attritum, cum probabili tamen existimatione quod est verè contritus, non peccat ministrando ea sacramenta, quæ simul conficiuntur, dum ministrantur, v.gr. pœnitentiam, Extremam vnctionem, seu Baptismum.

Baptismum. Vnde in hoc casu satis erit ad peccatũ mortale vitandum, quod minister coniecturis humanis ac probabilibus existimet se habere contritionem. Caspens. *tr.21. disp.5. sect.3. num.33.* & alij communiter.

44. *Non licet petere Sacramẽtum ab eo, qui sine peccato conferre id nõ potest.*

Nunquam licet petere Sacramentum ab eo, qui sine peccato illud conferre non potest. Quia hoc est directè inducere ad peccatum, quod est malum intrinsece, nec vlla potest circumstantia honestari; v. gr. si absolutionem Sacramentalem petas, & accipere scienter tentes à non sacerdote vel ab illo, qui iurisdictione caret, vt à non tolerato extra casum necessitatis. Suar. 3. *p. to.3. disp. 28. sect.1.*

45. *Possum petere, quando meum ius, vel necessitas superat legem Ecclesiæ.*

Semper possum à peccatore etiam non tolerato petere Sacramentum, quando meum ius, vel necessitas, vel vtilitas superat legem Ecclesiæ, & legis naturalis de vitando scandalo, aut non cooperando peccatis alterius, vim extinguit. Quia puto, quod ille potest absque crimine præstare: gratia enim diuina non deest ipsi, vt pœnitentiam concipiat: quod autem ille sit sacrilegium perpetraturus, aut facturus pœnitudinis actum, mihi non imputatur, vtenti scilicet iure meo, quod mihi necessitas concedit. Nauar. *c.14. n.28.*

46. *Cum minister in mortali existens, non ligatur Censura minor necessitas requiritur.*

Cum minister est in peccato mortali, non tamen Ecclesiastica Censura notatur, minor sufficiet necessitas, vt possim illum ad ministrandum Sacramentum inducere, nempe non tantum diuinum præceptum, sed etiam præceptum Ecclesiæ de annua confessione, & Paschali communione, de Missa audienda, &c. In quo ipsa vtilitas, quæ ex frequenti Sacramentorum vsu percipitur, videtur sufficere, vt possim petere Sacramenta ab eo, qui ex officio tenetur: aut ab alio, qui paratus est, si non est alius qui sine peccato ministret; respectu verò alterius ministri, qui non est paratus, vel non obligatus, paulo maior causa erit necessaria. Itaque ex parte petentis considerandum est ius quod habet ex necessitate vel extrema, vel graui, vel communi. Ex parte ministri considerandum est impedimentum, quod habet ex peccatis, & ex Censuris Ecclesiæ. Quare si minister non sit toleratus, videtur requiri extrema necessitas, vt eius opera vti valeas; in excommunicato, requiritur grauis necessitas, maxime si non sit paratus; communis autem necessitas locum habere potest in peccatore minoris infamiæ; v.gr. vtilitas confitendi, quando quis incidit in mortale peccatum vsus Sacramentorum non tam diu intermissus locum habet in ministro fornicario, ebrioso, aleatore, maximè si sit paratus, & eius peccatum non adeo vulgo cognitum. Fagund. *de præcep. Eccl. præc.1. l.2. c.5. n.53.* Nauar. *c.14. n.28.*

47. *Peccatori publico non sunt ministranda sacramenta.*

Peccatori publico, de cuius delicto in iudicio constat, vel quia commissum est in multorum præsentia, ita vt non possit vlla tergiuersatione celari, non sunt administranda Sacramenta, siue publicè petat, siuè occultè. Quia sacerdoti commissa est administratio Sacramentorum tanquam seruo prudenti, ac fideli; qui autem indigno Sacramenta ministrat, non se gerit seruum fidelem ac prudentem; atque ideo ex præcepto illi impositio tenetur, nullo modo indigno Sacramenta administrare. *Ex præcitatis.*

48. *Peccatori occulto ministrãda sunt, si publice petat.*

Peccatori occulto, administranda sunt Sacramenta, si publicè petat, non tamen quando petit occultè. Primum ostendo ex Christi exemplo, qui Sacramentum Iudæ non abnegauit, ne infamia eum inureret, ex qua scandalum esset obortum. Secundum probo, quia id esset alterius crimini cooperari; abnegans autem ei occultè Mysteria, eum non inurit infamia. Monuerim tamen, si peccator cognitus sit solùm in confessione, non deberi à Sacramentis expelli publicè; esset enim vti confessionis scientia, quod illicitum. Bassæ. *ver. Sacramentum 3. num.8.*

CAPVT VI.

De Sacramentorum effectu primo, Gratia.

49. *Primus Sacramentorum effectus gratia: quid hæc?*

DVPLEX est Sacramentorum effectus, primus præcipuus communis omnibus, qui dicitur Gratia; secundus aliquorum tantum Sacramentorum proprius, & minus principalis est Character. Certè Gratia nihil aliud est, quam donum quoddam supernaturale, quo efficimur Deo grati: hoc autem donum est qualitas quædam animæ inhærens, per quam fit iusta coram Deo, ideoque digna vita æterna, quæ dicitur Gratiam iustificans. Gratia vero dupliciter potest conferri, primò ex opere operantis, secundo ex opere operato. Tunc dicitur Gratia conferri ex opere operantis, quando cõfertur solum propter meritum, ac dispositionem suscipientis: tunc vero ex opere operato impertitur, quum non ob solam dispositionem suscipientis datur, sed propter aliquid aliud externum institutum à Deo ad conferendum

Gratia ex opere operato, & ex opere operantis.

dum gratiam vltra meritum & dispositionem operantis impenditur. D. Thom. 3. *p. q.*62. *&* 63. Reginal. *l.*26. *n.* 46. Tolet. *lib.*2. *cap.*16. *n.*7. Filliuc. *tr.*1. *cap.* 6.

50. *Omnia nouæ legis Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato.*

Omnia nouæ legis Sacramenta gratiam ex opere operato conferre, de fide est. Patet ex Trident. *sess.*7. *can.*7. *&* 8. & & ex plurimis scrip. locis; vnde hæretici grauiter errant, dum gratiæ efficaciam non Sacramentis, sed fidei tribuunt. Qui igitur existens in gratia recipit Sacramenta, augmento gratiæ donatur, & nisi apponatur obex, gratia semper confertur Sacramenta suscipienti. Porro obicem apponit ad gratiam, qui sine dispositione suscipit, aut cum peccato lethali actualiter tunc perpetrato. Victor. *de Sacram.n.*6. Filliuc. *tr.*1. *num.*92.

51. *In singulis Sacramentis dãtur specialis gratiæ auxilia proportionata eorũ fini.*

Præter effectum gratiæ sanctificantis, qui omnibus est Sacramentis communis, in singulis Sacramentis dantur specialis gratiæ auxilia actualis proportionata fini illi, ob quem sacramenta singula sunt instituta. Hinc triplicem gratiam Sacramenta conferunt; prima dicitur iustificans, & habitualis: secunda dicitur gratia virtutum, & donorum, vt fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, iustititiæ: tertia dicitur gratia Sacramentalis, quæ in singulis Sacramentis est distincta, cum per hanc ad fines diuersos ordinentur. Laym. *l.*5. *tr.*1. *c.*6. Suar. *in* 3. *p.to.*3. *disp.*3. *sect.*3. Sylui. 3. *p. q.*62. *a.*1. *quæst.*2.

52. *Quædam Sacramẽta mortuorum, quædam viuorũ.*

Quædam Sacramenta per se sunt instituta ad peccata mortalia tollenda, adeóque ad hominem iustificandum, seu gratiam primam conferendam ex opere operato, videlicet Baptismus & Pœnitentia, quæ proinde mortuorum Sacramenta assolent vocitari; reliqua vero Sacramenta viuorum sunt, idest, per se instituta pro iustificatis ad iustitiæ augmentum seu gratiam secundam ex opere operato conferendam. Verumtamen sicut Sacramenta, quæ per se ad homines iustificandos sunt instituta, si inueniant subiectum anteà iustificatum, conferunt illi gratiam secundam, siuè gratiæ augmentum, cum nihil omninò obstet ex parte subiecti: ita similiter Sacramenta, quæ per se instituta sunt ad augendam gratiam sanctificantem, si in subiecto gratiam primam non inueniãt, operantur, & conferunt illam, modo in suscipiente nullus obex iustificationis adsit. Suar. *in* 3. *p.to.*3. *disp.*7. *sect.*4. Reginal. *l.*26. *num.*45. Henriq. *l.*1. *c.*12. *n.*2.

53. *Qui existens in mortali bona fide recipit Sacramentum credens se esse in gratia, recipit gratiam.*

Igitur (quidquid in Problem. ex aliorum sententia sim allaturus) vt mihi certũ assero, eum, qui existens in peccato mortali bona fide recipit Eucharistiam, vel Extremam vnctionem, &c. credens se in gratia esse, non peccare, neque obicem actualem apponere gratiãque consequenter recipere. Quia Sacramẽta infallibiliter conferunt gratiam non ponenti obicem, vt patet ex Trident. *sess.*7. *can.*7. gratia autem, quam hîc recipit non est secunda, sed prima. Alibi plura. Coninch. *de Sacra. q.*62. *a.*1. *dub.*2.

54. *In adultis ad Sacramenti valorem requiritur propria suscipiendi voluntas: paruuli & amentes in fide Ecclesiæ recipiunt.*

In adultis ad Sacramenti valorem requiritur propria suscipiendi voluntas, seu intentio, saltem interpretatiua. Quia per Sacramenta homines initiantur, & consecrantur Deo, vt in eius Ecclesia, & cultu stabiles perseuerent; ergo valde cõgruum est, vt proprium consensum afferant, si eius capaces sint, scilicet adulti. At verò paruuli, ac perpetuo amentes cum propriam voluntatem afferre non possint, in fide ac voluntate Ecclesiæ Sacramenta suscipiunt, ne si Sacramentorum sint incapaces omninò depereant. Scot. *in* 4. *dist.*4. *q.*4. Bonau. *ibid. a.*2. *q.*1. Dian. *p.*5. *tr.*13. *resol.*32.

55. *Non requiritur in adultis æque expressa voluntas circa omnia sacramenta.*

Porro circa omnia sacramenta non requiritur æquè expressa voluntas in adultis: nam ad Baptismum, Pœnitentiam, ordinem, ac matrimonium necessaria est voluntas actualis, non quidem in ipsa susceptione (nam tunc sufficit habitualis, seu interpretatiua: v. gr. si quis dormiens, vel amens baptizetur) sed vt antè præcesserit, & non fuerit retractata. Eadem requiritur in sacramento Eucharistiæ; quamuis enim sine vlla voluntate, aut etiam cum repugnantia voluntatis possit assumi: illa tamen sumptio non est sacramentalis, sed materialis tantum, nec vllum supernaturalem habet effectum. Profectò in extrema Vnctione videtur voluntas interpretatiua sufficere, qua scilicet vnusquisque fidelis pœnitens, ac bene dispositus vult frui omnibus Sacramentis ad suam salutem à Domino institutis; hæc enim generalis voluntas ab Ecclesia acceptatur, vt si expressè petere non possit, sufficienter dispositus ad Sacramentum suscipiendum censeatur. Quæris autem, num talis voluntas sufficiat ad Confirmationis Sacramentum? Verius existimo, non sufficere; quia imprimit Characterem, & quandam continet fidei Christianæ professionem. Ex D. Tho. 3. *p. q.*68. *a.*7.

56. *Ad primam gratiam in Baptismo, & pœnitẽtia recipiendam, requiritur in adultis duplex dispositio.*

Ad primam gratiam in Sacramento Baptismi, ac Pœnitentiæ recipiendam requiritur in adultis duplex dispositio, vna in intellectu, altera in voluntate: in intellectu

intellectu requiritur fides, cum sine fide impossibile sit placere Deo. In voluntate requiritur attritio, seu dolor animi ex motiuo supernaturali susceptus de peccatis. Iusti vero ad consequendum gratiæ augmentum in Sacramentis, quæ viuorum sunt præter suscipiendi voluntatem, alia bona dispositione necessariò non indigent; quia Sacramenta ex opere operato non ponentibus obicem gratiæ præstant effectum. Suarius *in* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 7. *sect.* 4. Coninch. *q.* 62. *art.* 1. *dub.* 2.

57. *Qui in mortali existens, credis esse in, gratia, debes recepturus Sacramenta, actũ attritionis elicere, qui super omnia peccata cadat.*

Qui ad suscipiendam Eucharistiam vel alia Sacramenta accedunt credentes se in gratia existere cum vere sint in peccato, mortali, debent actum attritionis elicere, vt primam gratiam recipiant, & iustificentur: quæ attritio vniuersaliter cadat super omnia peccata, si ea numquam retractata sint. Quia peccatum remitti non potest sine proprio actu peccatoris; ergo si ea numquam retractata fuerint, vt possint virtute Sacramenti remitti, requiritur attritio, quæ saltem sub generali ratione peccati illa retractet. At si illa sint aliquando retractata, & postea inculpabiliter oblita, attritio præfata non requiritur; sed sufficit bona fide cum conscientia status gratiæ ad Sacramentum accedere. Quia hæc attritio non requiritur vt materia Sacramenti, quo pacto requiritur in Sacramento Pœnitentiæ, cuius absolutio cadere debet supra peccata confessa, & detestata: sed vt conditio sine qua gratia infundi ac peccatum remitti non posset. Bonac. *q.* 4. *punct.* 2. *n.* 4. Soto *de Sacr. in gen. lect.* 9.

58. *In aque disposito subiecto idem sacramentũ æqualem effectum confert.*

In subiecto æque dispositio idem Sacramentum effectum æqualem confert. Quia vnumquodque Sacramentum habet definitum effectum ex certa lege, ac promissione diuina; ergo si ex parte suscipientis sit æqualitas, etiam effectus erit æqualis. Hinc secundum legem ordinariam ex sola Dei voluntate non augetur effectus Sacramenti, si par sit dispositio. Henriquez. *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 1. Laym. *l.* 5. *tr.* 1. *c.* 6. *num.* 6. Graf. *p.* 2. *l.* 1. *c.* 4. *num.* 13.

Tamen idem Sacramentum in subiecto melius dispositio maiorem confert gratiam. Quia agens naturale inæqualiter operatur in subiecto inæqualiter dispositio; ergo etiam Sacramentum. Suarez *in* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 7. *sect.* 5. Filliucius *tr.* 1. *num.* 97.

59. *Magis dispositus quonam modo recipit vberiorem gratiam ex vi dispositionis.*

Rogas, an magis dispositus recipiat maiorem gratiam non solum ex opere operato, & ex vi sacramenti; sed etiam ex vi dispositionis præcisè? Respondeo, si dispositiones illæ sufficiant extra Sacramentum, v. gr. si adsit contritio & amor Dei super omnia, magis dispositus recipit ex vi dispositionum aliquam gratiam præter Sacramentalem; si verò dispositio non sit sufficiens ad obtinendam grariam extra Sacramentum. v. gr. si sit attritio, ex vi illius dispositionis non recip;tur maior gratia vltra sacramentalem. Sotus *in* 4. *distin.* 6. *q.* 1. *art.* 6. Bonacina *q.* 4. *punct.* 3. *n.* 3. Suar. *in* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 7. *sect.* 4. *concl.* 3.

60. *Gratia quain Sacramentis recipitur est speciei eiusdẽ.*

Gratia, quæ in Sacramentis confertur, non est diuersa essentialiter, sed eiusdem est speciei in omnibus Sacramentis, accidentaliter tamen est diuersa: & hæc diuersitas accidentalis gratiæ Sacramentorum consistit in diuersis auxiliis, quæ gratiam habitualem comitantur, vt obtineatur finis, ad quem Sacramentum est Ordinatum. Sicut enim in quolibet Sacramento intenditur finis particularis, ita per quodlibet Sacramentum auxilia specialia ad ipsum finem consequendum conferuntur. Quia Sacramentorum varietas ordinatur ad varios effectus producendos, alioquin ad vnum effectum, vnum sufficeret Sacramentum; sed gratia habitualis, quæ per omnia Sacramenta confertur, vniformis est; ergo præter hanc debet dari alia gratia, quæ singulis Sacramentis respondeat; non apparet autem alia, nisi auxilium speciale ad finem cuiusque Sacramenti consequendum. Reginal. *lib.* 26. *numer.* 47. Suarius *in* 3 *p. tom.* 3. *disp.* 7. *sect.* 3. Valent. *tom.* 4. *disputation.* 3. *p.* 3. *punct.* 2.

61. *Gratia qua producitur per Sacramenta, dicitur, de potentia animæ educi.*

Cum Sacramenta contineant, & conferant gratiam, hinc illam immediatè producunt; gratia vero quæ producitur per Sacramenta, dicitur de potentia animæ educi. Quia in esse, & fieri ab anima dependet tanquam à causa materiali, cum accidens non possit esse realiter sine subiecto, subiectum vero gratiæ sit anima. D. Thom. 3. *p. q.* 62. *artic.* 3. Sylvest. *ibid.* Suar. *in* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 9. *sect.* 1. Henriq. *lib.* 1. *cap.* 17. Becan. *p.* 2. *tract.* 4. *cap.* 3. *q.* 6.

62. *Sacramenta non causant gratiam ante eorum susceptionem.*

Sacramenta non causant gratiam ante illorum susceptionem. Quia non est facta promissio effectus Sacramenti, nisi reali susceptioni ipsius. Nec obstat, quod Baptismus in voto receptus delet originale peccatum, & gratiam

infundit; (idem de pœnitentia in voto recepta dixerim) gratia enim, quæ tunc recipitur, non est effectus ex opere operato, illorum Sacramentorum, sed contritionis, & dispositionis illius operantis. Vnde si quis putet se contritum, cum solum attritus sit, nihil illi proderit votum Sacramenti ad perfectam iustitiam consequendam, nisi realiter Sacramentum applicetur; quod signum est, totum illum effectum respondere dispositioni operantis, quamuis habeat similitudinem cum effectu Sacramentali: quemadmodum dicimus, effectum ignis id est, calorem frequenter prouenire à sole propter vtriusque effectus similitudinem. Alens. Sotus, Ledes. apud Suar. *in 3. p. tom. 3. disp. 8. sect. 1. & 2.* Henriq. *l. 1. c. 19.*

63. *Causant gratiam quando sunt in esse completo.* Igitur Sacramenta causant gratiam, quando sunt in esse completo Sacramenti, id est, in eo instanti intrinseco, in quo materia & forma habent perfectam significationem. Quia causa efficax statim atque est, operatur, si ex parte effectus non sit repugnantia, aut ex parte subiecti; at Sacramenta sunt causa efficax, & ex parte gratiæ non repugnat statim fieri, Coninch. *q. 62. a. 1. dub. 4. n. 62.* Filliuc. *tr. 1. c. 6. quæst. 6.*

64. *In tempore subsequente non conferunt effectum suum, nisi quando ficte suscepta fuissent.* In tempore autem subsequente Sacramenta non conferunt effectum suum, nisi quando ficte suscepta fuissent quædam enim Sacramenta suos conferunt effectus, post quam suscepta sunt, remoto obice, qui erat tempore susceptionis; quia quædam ex illis habent peculiares quosdam effectus, & iterari non possunt. Dixi, *Remoto obice*, quia si Sacramentum cum suscipitur, suum effectum conferat, certum est postea non conferre alium similem; quia tantum ordinatur ad vnum adæquatum effectum gratiæ conferendum, excepto auxilio actuali, quod pro opportunitate, & hominis præparatione sæpius impertitur. Sed quia magna est inter Doctores concertatio, an omnibus Sacramentis hoc conueniat, an quibusdam tantum, & quæ sint illa: proprio in Problemate dilucidabo. Bonac. *de Sacram disput. 1. q. 4. punct. 2. num. 2.*

***

CAPVT VII.

De Sacramentorum effectu secundo Charactere.

65. *Quid Character.* CHaracter est signum indelebile, & spirituale in anima virtute sacramenti impressum, quo quis deputatur ad certam functionem, & à reliquis Charactere non affectis distinguitur Hæretici nostri temporis tale signum dari negant, quorum error ex scripturis, Patribus, ac Concilio Florentino *de Sacra.* & Tridentino *sess. 7. cant. 9.* aperte confutatur. Suar. *3. p. tom. 3. disput. 11. sect. 2.* Sylu. *3. p. q. 63.*

66. *Per tria Sacramenta Character imprimitur.* De fide est, per tria Sacramenta, scilicet baptismum, confirmationem, & Ordinem in anima Characterem imprimi. Trident. *sess. 7. can. 9. si quis dixerit, in tribus Sacramentis baptismo, Confirmatione, & Ordine non imprimi Characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possunt, anathema sit.*

67. *Triplicit Characteris officium.* Vnde triplex est Character. Primus est baptismi, quo homo à diabolo transit ad Christum, & in eius familiam adscribitur, & accipit fruendi Sacramentis reliquis aliisque bonis Ecclesiæ spiritualibus potestatem. Secundus est Character. confirmationis, quo confirmatus Christi adscribitur in militiam, vt eius vexilium gerat in fronte, & robur accipiat, vt ex officio contra Dæmones ac Tyrannos, actus fidei eliciendo, repugnet, & ad reliqua Sacramenta recipienda disponitur. Tertius est Character Ordinis, per quem Ordinatus dux belli constituitur, qui cæteris militibus præsit, & accipit potestatem bona sui Domini distribuendi, eaque per opera cuiusque Ordinis propria dispensandi, Bellar. *de Sacr. lib. 2. capit. 19.* Toletus *libro 2. capit. 16. numer. 12.* Laym. *libro 5. tract. 1. cap. 7. num. 3.*

68. *Solus habet Characterem qui aliquod ex tribus Sacramentis accipit. In Anelis potest esse, in Deipara, & Apostolis est.* Licet homo de potentia Dei absoluta capax sit Characteris, cum habeat animam in qua ille recipitur: de facto tamen solũ est Character in illis, qui aliquod ex Sacramentis, quæ Characterem imprimunt, recipiunt. Quia Character est proprius Sacramentorum effectus. In Angelis est eadem ac in homine ad Characterem recipiendum capacitas. Quia Character in spiritu recipitur. In B. Virgine fuit Character.

character. Quia recepit Baptismum, & Confirmationem. Fuit etiam in Apostolis, Quia præter illos duos Characteres, illum etiam Ordinis habuerunt. Sylui *in* 3. *p. q.* 63. *a.* 3. cum D. Tho. Suar. *in* 3. *p. to.* 3. *disput.* 11. *sect.* 4.

69. *In Christo non est.* In Christo Character non est. Quia ratione Diuinitatis suæ excellentiori modo est veluti in supremum Ducem, Principem, ac Sacerdotem designatus; & ideo non indiget Charactere, qui est veluti participatio quædam supremi Sacerdotij Christi, & supponit imperfectionem in in subiecto, quod afficit, nempe quod sit membrum, miles aut minister alterius superioris capitis, Filliuc. *tr.* 1. *c.* 7. *q.* 7. Bonac. *to.* 1. *disp.* 1. *q.* 5. *punct.* 2. *num.* 4.

Characteres Baptismi, Confirmationis & Ordinis specie differunt. Quia per illos ad status varios in Ecclesia homines deputantur; signum autem specificatur à significato. Filliuc. *tract.* 3. *num.* 51. & 52. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 1. *q.* 5. *punct.* 3. *num.* 1.

70. *Character Baptismi reliquis præsupponitur. Ordinis vero Character non habet cum Charactere Confirmationis necessariam cõnexionem.* Baptismalis Character necessariò reliquis præsupponitur; Vnde inter Characterẽ Confirmationis, & Ordinis est necessaria cum Charactere Baptismi connexio. Quia nemo potest crescere, aut vitæ opera exercere, nisi sit spiritu natus; propterea qui confirmatur, aut ordinatur ante Baptismum, nihil recipit: sed totum est iterandum, vt in iure decernitur. Character vero Ordinis non habet necessariam cum Confirmationis Charactere cõnexionem. Quia si Ordo alicui non confirmato conferatur, tenet. Cap. *Veniens, de Presbytero non baptizato.*

71. *Character Ordinis vnius nõ præsuponit necessariò alterius Characterem.* Character Ordinis vnius non præsupponit necessario alterius Characterem, vt patet in Apostolis, qui non Diaconi facti sunt Sacerdotes. Quia Ordo superior virtualiter continet inferiorem; vnde qui reliquis prætermissis Ordinibus Sacerdos initiaretur posset in rigore omnes inferiorum Ordinum obire functiones: quamquam Ecclesia grauissimis pœnis prohibeat per saltum promotionem, adiuncto præcepto, vt omissus Ordo repetatur. Excipio Episcopatum, qui essentialiter præsupponit Sacerdotium, vnde si non Sacerdos consecraris in Episcopum, nihil proculdubio reciperes. Diu. Thom. *in supplem.* 3. *parte quæstion.* 35. *articul.* 5. Sylu. *ibid.* Henriq. *l.* 10. *c.* 14. Sylvest. *ver. Ordo num.* 1.

72. *Semper datur Character.* Semel susceptus Character semper durat, & nec per peccatum, nec per degradationem amittitur. Quia subiectum eius est incorruptibile, nempe anima rationalis. neque habet vllum cõtrarium physicè vel moraliter; Vnde si quis baptizatus, confirmatus, aut ordinatus à mortuis resurgeret, denuo baptizari, confirmari, aut ordinari non deberet; quia prior semper Character perseuerat. D. Tho. 3. *p. q.* 63. *a.* 5. Malder. & Silu. ibid.

73. *Character varias habet proprietates, & effectus.* Colligo ex præfatis, characterem varias proptietates, & effectus habere. Primo, cultui diuino hominem consecrat. secundo, seruos Christi à non seruis distinguit. Tertio configurat nos Christo; est enim quædam Sarcerdotij Christi participatio ad suscipienda, vel administranda Sacramenta aliasque functiones exercendas, quibus homo in diuinum cultum ordinatur. Quarto denique obligat Christicolas ad legem Euangelicam obseruandam, ad fidem profitendam, ad sacramenta administranda quando necessitas videatur vrgere. Viualdus *de Sacram. c.* 2. *n.* 2. Sayr. *de Sacram l.* 4 *c.* 5 *q.* 1. *art.* 2. Tanner. *tom.* 4. *disp.* 3. *dubio* 7. *assert.* 7.

CAPVT VIII.

De Sacramentorum subiecto.

74. *Soli homines viatores sunt Sacramentorum capaces.* SOLI homines viatores sunt Sacramentorum capaces. Quia solum ad eorum salutem fuere instituta. Scio tamen de potentia absoluta etiam homines beatos posse Sacramenta recipere. Quia in hoc nulla implicatio reperitur. Communiter Doctores.

75. *Non licet extra mortis periculum Sacramentum à ministro non tolerato petere.* Nõ licet tibi extra mortis articulum Sacramentũ à ministro non tolerato petere. Quia id Ecclesia strictissime prohibet. Dicitur autem minister non toleratus, qui nominatim excommunicatus, est; aut percussor Clerici manifestus, degradatus suspensus, interdictus, irregularis publice, & nominatim denunciatus. Suar. Henriq. Sayr. quos citat. & sequitur Granad. *tr.* 5. *disp. vlt. n.* 1. Gasp. Hurt. *disp.* 4. *diffic.* 12. Becan. *de Sacrac.* 5. *q.* 13.

76. *Teneris repetere Sacramẽtum valde necessarium, si fert opinio, te non valide recepisse.* Quoties probabilis opinio tulerit, te non valide recepisse Sacramentum valde necessarium: poteris, imo teneris illud sub conditione rursum accipere. Quia alioquin grauissima orirentur incommoda. Si enim sacra non sis aqua dilutus, nullum aliud Sacramentum valide recepisti non leui damnationis peticulo obnoxius.

Si verus Sacerdos non es, nec consecras, nec Eucharistiam à te consecratam ministras, nec vere pœnitentes absoluis; ex quo multorum damnatio poterit prouenire. Porro si Sacramentum adeò necessarium non est, v. gr. Confirmatio, Ordines minores, subdiaconatusque, & Diaconatus, non video grauem id iterandi obligationem. Quia grauia haud obueniunt incommoda. Suar. *3.p.tom.3.disp.22.sect.2.* Valent. *tom. 4. quæst. 1. punct. 4.* Granad. *tom. 4. de Sacra. in gen. tract. 1. disp. 4. num. 7.*

77. *Quando apponenda conditio ad Sacramenti receptionem.* Quando Sacramentum iteratur propter probabilitatem opinionis de præcedentis nullitate, non est necessarium conditionem saltem in mente apponere: *Si receptum non sit*, licet tutius esse profiteor. Secus asserendum est in casu dubij, tunc enim conditio necessario apponenda. Ex. gr. puer proiectus inuenitur. nec apparet fuisse baptizatum, tunc hoc more diluendus: si non es baptizatus ego te baptizo, &c. Quando igitur Theologi communiter asserunt ministrandum esse sub conditione Sacramentum, quandò de valore Sacramenti dubitatur: intelligendum id est in dubio proprio, non in opinionibus. Granadus *tom. 4. tract. 1. disput. 4. numero 7.* Sanctius *in select. disputatio 44. numero 32.* Plura expressi *cap. 6.*

SECTIO SECVNDA.

De Sacramentis in genere Problemata.

CAPVT IX.

De Sacramentorum quidditate, & institutione.

PROBL. I.

Omnia nouæ legis Sacramenta sunt, & non sunt immediatè à Christo Domino instituta.

78. *Non sunt instituta immediatè à Christo.* NON sunt instituta immediatè à Christo omnia nouæ legis Sacramenta. Quia Sacramentum Confirmationis in quodam Concilio Meldensi fuit institutum, & Sacramentum Extremæ Vnctionis ab Apostolis adinuentum asseritur. Hugo Victor. *lib. 2. de Sacram. c. 3.* Magist. *in 4. dist. 23. c. 2.* Alens. *4.p.q.24.aliàs. 11.memb. 1. & q. 8.* Bonauen. *in 4. distin. 7. artic. q 1.* Quorum sententiam Estius *in 4. dist. 1. § .16* putat esse probabilem.

79. *Sunt instituta immediatè à Christo.* Omnia nouæ legis Sacramẽta immediate à Christo Domino fuere instituta. Quia Tridentinum *sess. 7. c. 1.* Ita profitetur. *Si quis dixerit Sacramẽta nouæ legis nõ fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit.* Sic Suar. *disp. 12. §. dic primo*, Vasq. *disp. 135. c. 1.* Lugo *de Sacram. disp. 7. sect. 1.* Nauar. *c. 22. n. 2.* Sotus *in 4. dist. 1. q. 5. a. 2.* Henriq. *l. 1. c. 3. § .1.* citans Ledesmam, Can. Cast. Perez, Veg. & alios.

80. Non dubium, quin ante Tridentini, decretum probabiliter primæ sententiæ auctores scripsisse. At post Tridentin. haud defensabilem illam sententiam reor. Vnde magis adhuc falsam esse puto Glossæ auctoris opinionem asserentis Sacramentum Pœnitentiæ fuisse ab Ecclesia in Nicæno Concilio institutum. Iam Problema dissoluitur. *Improbabilis iam prima sententia.*

PROBL. II.

Est, & non est de fide septem Sacramenta immediatè fuisse à Christo Domino instituta.

81. *De fide non est.* DE fide non est, omnia Sacramenta immediate fuisse à Domino instituta. Quia licet Concilium Trid. *sess. illa 7. c. 1.* definierit omnia Sacramenta instituta esse à Christo: non tamen definiuit, omnia ab ipso *immediate* fuisse instituta. Sic Suar. *disp. 12.* Esti. *in 4. dis. 1. §. 16.*

82. *Est de fide.* De fide est, omnia Sacramenta immediatè à Christo Domino fuisse instituta. Quia Concilium de immediata institutione apertè loquitur. Quis enim Catholicus addubitauit vnquam de mediata institutione, cum Concilia Christi operentur ex nomine? Ita Vasq. *disp. 135. c. 1.* Henriq. *l. 1. c. 3. § .2. in Glos. lit. K.* Reginal. *l. 26. n. 7.* Ledes. *p. 4. q. 31. a. 3.* Couar. Cap. *Alma 2. p.*

83. *Id sentio.* Certum omnino iudico, omnia Ecclesiæ Sacramenta fuisse immediate à Christo Domino instituta, hæresens illi Trident. particulæ: *Omnia*; cum enim certum sit, plura immediatè fuisse à Domino

tione, cum Concilia Christi nomine operentur : intendit Concilium definitione illa obfirmare Sacramenta *omnia* immediate fuisse à Christo instituta, nullaque mediatè Conciliorum opere coaluisse.

PROBL. III.

Perbreui illo tempore, quo innocentiæ illuxit status, fuere, & non fuere Sacramenta.

84. *Fuere quidem.* EXtitere quidem. Quia ineffabilis Dei misericordiæ documentum, aliquod spirituale prouidisse homini fulcimentum ad originalis iustitiæ conseruationem. Sic Hugo Vict. quem citat, & sequitur Archang. *in* 4. *distinct.* 1. *p.* 1. Quodnam id Sacramentum ? Porrò Adæ, ac Euæ coniugium. Probabilem hanc partem innuit. Becan. *de Sacr. in gen. c.* 1. Filliuc. *tract.* 1. *c.* 3. *q.* 3. *num.* 38.

85. *Non fuere.* Nullum extitit in perbreui innocentiæ statu Sacramentum. Quia nullum extat in scriptura, aut Patribus vestigium, vnde innuatur, coniugium illud Protoplastorum fuisse Sacramentum. Ita D. Tho. 3. *p. q.* 61. *a.* 2. Bonac. *de Sacr. in gen. disp.* 1. *q.* 1. *pun.* 3. *num.* 2. Filliuc *tract.* 1. *c.* 3. *q.* 3. *n.* 38. Henriq. *l.* 1. *c.* 5. Lugo *disp.* 3. *sect.* 1. Becan. cita.

86. *His hæresco.* Idem asseruerim, innocentiæ enim status totus erat conseruandæ iustitiæ fulcimentum, nec iudico asserendum, probandumvè mihi, quod video nec scripturam, nec Patres innuisse.

PROBL. IV.

Si status innocentiæ diuturnior extitisset, & Adamus non deliquisset, fuissent, & non fuissent instituta Sacramenta.

87. *Fuissent instituta.* FVissent certè instituta. Quia & ad innocentiæ conseruationem, & ad peccati medicamen necessaria essent. Sic Suar. *de Sacr. disp.* 3. *sect.* 3. citans Alexandrum, Durandum, Scotum, & alij ex recentioribus.

88. *Instituta non fuissent.* Non fuissent instituta. Quia non essent necessaria : non quidem ad status conseruationem, ipsa enim status illius pacis firmitudo fortissimum aderat propugnaculum : nec ad peccati medicamen ; nam si quis durante statu illo ex posteris Adæ deliquisset, per internam posset iuuari contritionem. Ita Rich. Cabr. Ledes. Palud. Maior. quos refert, ac sequitur Vasqu. *disp.* 130. Lugo *disp.* 3. *n.* 10. Ludou. de S. Iuan *sum. q.* 2. *de Sacr. art.* 1. *dub.* 1.

89. *Idem sentio.* His hæresco, putans Alexandrum, Durand. & Scot. contrarium asseruisse. Lege Gran. *to.* 4. *in* 3. *p. cont.* 3. *tr.* 1. *disp.* 41. *n.* 4.

PROBL. V.

Ab Adami peccato vsque ad legem scriptam, hoc est, in statu legis Naturæ, fuit, & non fuit remedium aliquod, quo possent paruuli ab origini piaculo expiari.

90. *Non fuit remedium.* NOn fuit pro paruulorum huiusmodi expiatione in naturali lege remedium, vnde paruuli decedentes sine medicamine periere. Sic aliqui, quos, presso nomine, Vasquez *disp.* 165. *n.* 1, refert.

91. *Fuit remedium.* Aliquod fuit ex diuina ordinatione remedium, quo paruuli vigente naturæ lege à communi piaculo expiarentur. Quia dedocebat diuinam pietatem tot infantium misere deperire cateruas. Ita D. August. *l.* 5. *cont. Iuli. c.* 21. Suar. *disp.* 4. *sect.* 1. Vasquez *citat.* Card. Lugo *disp.* 3. *n.* 23. Granad. *to.* 4. *in* 3. *p. contr.* 3. *tr.* 1. *disp.* 4. *n.* 4.

92. *Primam sententiam omnino expungendam puto.* Crediderim primam sententiam omninò falsam, & cum auctorum suorum nomine suppriméndam vt potè, quæ sic curat diuinam efferre iustitiam, vt diuinæ misericordiæ detrahere videatur. Certum itaque parentum ex fide paruulos legis naturæ iustificari solitos, à peccato originis expiatos.

PROBL. VI.

Vt assignato fidei parentum remedio paruuli, vigente naturæ lege, à peccato originis mundarentur, erat, & non erat necessaria fides propria Ministri eos Numini offerentis:

93. *Non erat necessaria.* NOn erat necessaria propria Ministri fides, sed sufficiebat, eum Ecclesiæ fidem habere, & illius nomine Deo infantem litare. Quia nunc potest Baptismus validè ab infideli ministrari cum fide Ecclesiæ, hoc est, cum intentione præstandi, quod gerit Ecclesia. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 2. *q.* 1. *a.* 4. Palud. *in* 4. *dist.* 1. *q.* 5. *art.* 5. Suar. *disp.* 10. *sect.* 1.

94. *Necessaria omnino fuit.* Necessaria omnino fuit propria offerentis Ministri fides ; nec sufficiebat sola fides Ecclesiæ per intentionem gerendi quod gerebat Ecclesia applicata. Quia tunc non iustificabantur pueri ex opere

operato, sed ex opere operantis ministri, & merentis de congruo. Ita Vasq. 1.2. *disp.* 165. *c.* 4. *n.* 30. Villalob. *diffic.* 5. *num.* 3. Lugo *disp.* 3. *num.* 40.

95. *Hanc mentem sequor.* Hanc mentem sequor, quam Cardinalis meus Lugo eruditissime probat ex Patribus, & communem adiudicat. Addiderim autem, tunc pueros iustificari non tam ex opere operantis ministri, quam ex fide per Christum, ad quod non sufficiebat sola fides Ecclesiæ.

PROBL. VII.

Fides illa Ministri offerentis paruulos debuit, & non debuit esse formata charitate.

96. *Debuit quidem.* DEbuit fides illa Ministri esse charitate formata. Quia tunc non iustificabantur pueri ex opere operato, sed ex opere operantis Ministri & de congruo merentis. Sic Durand. *in* 4. *dist.* 1. *q.* 8. *n.* 8. Vasq. *q.* 70. *disp.* 165. *c.* 4. & alij.

97. *Non debuit.* Non debuit necessariò esse Ministri offerentis paruulos fides charitate formata, sed fides sine charitate suffecit. Quia peccatum actuale offerentis non debet nocere paruulis: noceret autem si fides parentis efficaciam saluandi paruulum perderet ex adiuncto piaculo. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 1. *q.* 5. *a.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 2. *q.* 1. *a.* 4. Suar. *disp.* 10. *sect.* 1. Lugo, *disp.* 3. *n.* 53. Archang. *dist.* 1.

98. *Ab his sum.* Ab his sum, difficile etenim Deus paruulis remedium reliquisset, si eorum salus non solum ab aliena voluntate, & actuali fide, verum etiam à conscientia pura penderet.

PROBL. VIII.

Præter fidem internam Ministri offerentis paruulum, requirebatur, & non requirebatur actio aliqua externa.

99. *Non requirebatur* NOn requirebatur actio externa necessitate præcepti, sed fides sufficiebat interna: at ex congruentia quadam laudabiliter externa exponeretur actio. Quia Deo accipienti paruuli oblationem fides interna aderat pro actione. Sic Sotus, Richar. Abul. Ledes. Bonau. quos citat. ac sequitur, Vasquez *disput.* 165. *c.* 3. & 1. 2. *disput.* 184. *cap.* 4. Carthus. *in* 4. *distinct.* 1. *quæst.* 9. Racon. *tract.* 2. *disp.* 1. *sect.* 2. *q.* 1.

100. *Requirebatur.* Præter internam fidem fuit alia actio externa omnino necessaria, vel aliquod signum sensibile, quod paruulis applicaretur, vt ab originali mundarentur. Quia ad fidelium ædificationem operæ pretium erat aliquo externo signaculo exprimi parentis, seu offerentis fidem. Potuit Deus ex sola animi contritione peccata delere sine confessionis externæ voto: at ad peccati remissionem voluit externam confessionem adiicere. Ita Scot. Armac. Gabr. Palud. Maior, quos refert, ac sequitur, Suar. *disp.* 4. *sect.* 2. & 3. Henriq. Valen. Cano, Azor. quos citat, & sequitur Granad. *disp.* 2. *num.* 6. Ægid. *q.* 61. *art.* 3. *dub. vnico.*

101. *Magis hæc sententia mihi arridet.* Hæc mihi sententia magis arridet; quia etiam in lege naturæ erat visibilis Ecclesia; ergo pueri debebant ei per signum aliquod sensibile aggregari, vt constare hominibus posset.

PROBL. IX.

Huiusmodi externa actio, qua Minister puerum offerebat, erat, & non erat determinata, ac definita à Deo.

102. *Determinata fuit.* DEterminata fuit in specie à Deo, qua Minister paruulum offerret. Quia aliàs posset aliqua ab offerente excogitari externa actio adeò subobscura, vt Ecclesiæ de oblatione minimè constare posset. Adde rem, tam grauem non aptè offerentis arbitrio fuisse relictam asserendum. Sic Scot. *in* 4. *dist.* 1. *q.* 6. & 7. vti refert Suar. *disp.* 4. *sect.* 3. Sayr. *de Sacram. l.* 3. *c.* 3. *q.* 3. *a.* 2. qui quidem postea innuit contrariæ sententiæ subscribere.

103. *Non fuit determinata.* Non fuit in specie actio aliqua definita à Deo; sed solummodò in genere iubebatur Minister, aliquod signum exterius ex arbitrio exponere gratiæ protestatiuum, ac manifestatiuum, per quam homines à Deo sanctificarentur in fide venturi Mediatoris. Ita Suar. *disp.* 4. *sect.* 3. Lugo, *disp.* 3. *n.* 33. Ludouic. *de Sacram. in gen. q.* 2. *a.* 1. *dub.* 2. *concl.* 3.

104. *Auctoris sententia.* Probabilius reor, Sacramentum illud, seu signum visibile arbitrio offerentis exponi aptum quidem ad gratiæ protestationem, præcipiente solummodo Numine, vt super paruulum, seu opere, seu verbo Mediatoris fides illucesceret. Verosimile autem cum citato Ludouico reor, à Ministro hæc verba solita exponi: *Futurus Mediator saluet te.*

PROBL.

PROBL. X.

Præfata illa actio externa fuit, & non fuit verè ac propriè sacramentum institutum ad originalis paruulorum piaculi medicamen.

105. *Verè & propriè non fuit sacramentum.* ACtio illa extera verè, & propriè non erat Sacramentum institutum ad delendum piaculum originale paruulorum. Quia licet erat signum sensibile, non autem efficienter interius sanctificabat. Sic Durand. *in 4. dist. 1. q. 8.* Palat. *in 4. dist. 1. disp. 2.*

106. *Fuit verè & propriè sacramentum.* Actio illa externa erat verè ac propriè Sacramentum. Quia verè & propriè erat signum sensibile non solum exterius paruulum sanctificans, sed etiam interius quodammodò. Si quidem, posito illo signo, Deus delebat culpam, & gratiam infundebat. Ita Lugo *disp. 3. n. 33.* Bonac. *de sacr. disput. 1. q. 1. punct. 3. num. 7.* Suar. *disp 4. sect. 3.* Sayr. *de sacram. lib. 3. cap. 3. quæstion. 3. artic. 2.* Racon. *section. 2. quæstion. 1.*

107. *Hoc probabilius mihi.* Hanc sententiam longè probabiliorem reor; nec enim ad sacramenti rationem, vt sic, necessarium est, vt gratiam efficienter causet, (quod proprium nouæ legis sacramentorum) sed quod inuisibilis gratiæ collatæ paruulis sit signum visibile, quodammodo interius sanctificans, dum posito illo signo, Deus delebat culpam, ac gratiam infundere dignabatur.

PROBL. XI.

Hoc sacramentum poterat paruulis à quocumque indiscriminatim ministrari.

108. *Non poterat ministrari.* NOn poterat hoc sacramentum legis naturæ paruulis à quacumque validè ministrari. Essentialis enim hic aderat ordo: vt scilicet primùm infanti parentum fide subueniretur: defectu autem eorum fide propinquorum: his verò etiam deficientibus, cuiuslibet fides sufficiebat. Quia iustum erat huiusmodi ordinem asseruari, ne parentes gerere negligerent, quod ab extraneis validè scirent exerendum: & fortassè puer ideo sine spirituali medicamine deperiret. Sic Alexand. quem citat, ac refert. Suari. *tom. 3. in 3. part. disput. 4. section. 2.* Ochagau. *tract. vnic. de sacrament. in gener. quæstion. 8. numer. 11.*

109. Poterat hoc sacramentum validè à quolibet ministrari. Quia oportebat salutis signaculum nulla distrahi difficultate; ne parentis aut propinquorum differentium incuria puer repente vitæ addictus discrimini sine Sacramento discederet. Ità Vasquez *disput. 163. num. 246.* Lugo Cardinal. *disput. 3. num. 36.* & alij communiter. *Ministrari poterat.*

110. *Idem asserit.* Idem asseruerim, dum video conferendi Baptismi facilitatem: quæ quidem ideo à Domino prouidetur, ne vllus vnquam puer ob difficile determinatæ personæ ministerium sine cælesti lauacro recedat.

PROBL. XII.

Hoc Sacramentum poterat, & non poterat licitè à quocumque indiscriminatim administrari.

111. *Non poterat ministrari licitè.* ESto potuisset valide, haud tamen licitè ministrari poterat. Quia fas non erat, vt inuitis (v. gr.) parentibus extra casum necessitatis hoc paruulo remedium adhiberetur. Sic Suar. *3. tom. in 3. p. disp. 4. sect. 2.* Card. Lugo *disp. 3. n. 36.*

112. *Poterat licitè ministrari.* Poterat licitè etiam administrari illud remedium quouis tempore, & à quolibet. Quia si ex facilitate huius remedij diuina pietas commendabilis asseritur: quæ nam facilitas laudanda apponitur, quæ extra casum necessitatis (estò valide) non potest sine piaculo exerceri? Ità Vasq. *disp. 163. n. 246.* & alij.

113. *Primam sententiam sector.* Subscripserim tamen primæ sententiæ Doctoribus. Nec enim in lege naturæ maior est facilitas spiritualis remedij asserenda, quam in lege gratiæ: apud quam extra casum necessitatis paruulis infidelium filiis inuitis parentibus potest exhiberi.

PROBL. XIII.

Præter assignatum hoc sacramentum infantium in lege naturæ fuerunt, & non fuerunt alia sacramenta.

114. *Nulla extitere.* NVlla præter hoc Sacramenta extitere. Quia nullum ab scriptura, ac Patribus assignatur. Sic Durand. Soto, Ledes. quos sequitur Lugo *disp. 3. num. 60.* Suar. *disp. 4. sect. 4.* Vasq. *q. 61. ar. 3.* Ochagau. *tr. vnic. de sacra. in gen. q. 9. n. 3.*

115. *Extitere aliqua.* Aliqua sacramenta præter illud paruulorum fuerè, nempè aliqua sacrificia, per quæ in Christi venturi virtute peccata actualia remittebantur. Hoc quidem innuitur, quotiens in sacris aliquod le-

gis naturæ sacrificium exponitur. Ita Granad. *tract.2.disp.2.num.13.* qui citat. D.Thom. Richar.Valent.& Canu.Bonac. *disput.1.quæstion.1.punct.3.num.7.*Nugnus *part.3.quæst.61.artic.3.*

116. *Hanc magis probo.* Hanc magis probo sententiam, dum lego Suarium primæ mentis assertorem concedere sacrificium panis & vini, quod Melchisedec offerebat, Sacramentum in expiationem actualis piaculi extitisse.

CAPVT X.

Circa Materiam, ac Formam Sacramentorum.

PROBL. XIV.

Omnia sacramenta nouæ legis constant, & non constant essentialiter ex rebus & verbis.

117. *Non omnia constant.* NON omnia essentialiter ex rebus ac verbis sacramenta constant. Quia saltem Matrimonij sacramentum haud essentialiter verbis perficitur, cum solis nutibus, vel signis valeat celebrari. Sic Vasq.*disp.*129.*n.*12. Albiz.*in manuscrip.de sacram.in gen.disp.* 2.*dub.*1.Durand.*in* 4.*dist.*1.*q.*3.*n.*8. Adria. *de Baptis.q.*2.

118. *Omnia constant.* Omnia sacramenta nouæ legis essentialiter ex rebus ac verbis constant. Concil. Florent. post *sess.vlt. in instruct. Armen.* §. *Quinto Ecclesiasticorum* omnia sacramenta enumerat, & adiicit: Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum.Ita cum D.Thom. *q.*60.*art.*5. & 6. communiter Theologi. Suar. *to.*3. *in* 3.*p.disp.*2.Filliuc.*tr.*1.*n.*51.Petr. Ledesm.*c.* 1.*concl.*4.

119. *Idem affirmo.* De essentia Sacramenti in genere considerati haud est ex verbis ac rebus componi. Vnde sacramenta legis veteris non componebantur ex verbis, nec enim constat in eorum administratione fuisse aliqua verba præscripta. At nullum nouæ legis sacramentum puto ex verbis ac rebus non constare, vt inductione facile patebit,in omnibus enim res, ac verba reperiuntur. An verba in Matrimonio desunt? Porrò in Matrimonio quod solis nutibus perfici potest,ipsimet nutus sunt res & verba saltem virtualiter, vt optime probat. Card.Lugo *disp.*2.*n.*1.

PROBL. XV.

Christus Dominus non solùm in specie, verum in indiuiduo determinauit, & non determinauit materiam, & formam omnium sacramentorum.

120. *Determinauit.* DEterminauit Christus Dominus in indiuiduo omnium sacramentorum materiam, & formam.Quia omnia sacramenta immediatè, & per se ipsum instituit: ergo necessario eam materiam ac formam in indiuiduo determinauit.Sic communiter, Doctores presso nomine à Leandro *tract.*1.*de sacr.in gen. disp.*1. *quæst.* 11. memorati.

121. *Non determinauit.* Non determinauit Christus Dominus omnium sacramentorum materiam, & formam. Quia non determinauit in indiuiduo materiam & formam sacramenti Ordinis,& Eucharistiæ materialiter sumptas. Nam pro materia & forma Ordinis, signum sensibile potestatis significatiuum & verba talem exprimentia potestatem instituit: pro materia verò Eucharistiæ panem instituit,quicunque esset,hunc vel Illum non determinando,& vinum quodcumque. Ita Lugo *disp.*2.*à n.*85.Philiber. *tr.*2.*de ordi.p.*1.*c.*1.*& p.*7.*c.*2.*n.*9.Innocent. IV.*in c.Presbyt.de sacram.non iteran.* Bellarm.*to.*2.*l.vnic.de sacr.Ordi.c.*9.

122. *Hos sector.* Cum his sentio,dum video in Ecclesia Græca Presbyteros ac Diaconos per solam manuũ impositionem sub certa verborum forma ordinari; cum in Ecclesia latina per manus impositionem, & panis vinique traditionem ordinentur;& in fermentato pane in illa consecrari, cum in hac consecretur in azimo. Igitur quia vtraque Ecclesia ordinationem confert, & Eucharistiam perficit per signum sensibile & verba significantia sacerdotij traditionem, in paneque triticeo consecrat: vtraque formaliter loquendo, materiam, ac formam institutam à Domino asseruat, licet non materialiter, cum signis diuersis, paneque diuersimode condito vtatur.

***

PROBL. XVI.

Christus Dominus assignauit, & non assignauit eandem materiam & formam sacramentorum pro toto orbe terrarum.

123. *Non assignauit materiam.* NOn assignauit eandem materiam ac formam Christus pro toto orbe terrarum. Quia variæ materiæ & formæ fuere pro Ecclesia Latina, & pro Ecclesia Græca institutæ, vt ex proximo Problemate patet. Sic Innoc. IV. *c.* 1. *de Baptis.* Felin. *in cap. Quæ in Ecclesiar. de constitut.* & alij Canonistæ.

124. *Assignauit materiam.* Christus Dominus eandem materiam & formam Sacramentorum pro toto orbe assignauit. Quia Christus vnicam instituit Ecclesiam; ergo pro tota illa vnicam debuit Sacramẽtorum gerere institutionem: assignata namque illa Græcæ Ecclesiæ diuersitas omninò materialis est. Ità Gasp. Hurta. *disp.* 1. *diffic.* 13. Vasq. *disp.* 129. *c.* 5. *num.* 74. Ochagau. *q.* 4. *n.* 3. & apud eos ferè omnes Theologi.

125. *Idem assero.* Idem assero, sciens & apud Ecclesiam Græcam valide ordinari posse Presbyteros per traditionem panis, ac vini. & in azimo consecrari pane, vt ordinat & consecrat Ecclesia Latina: & è contra apud Ecclesiam Latinam validè Presbyteros per manuum impositionem sine panis ac vini traditione posse ordinari, & in fermentato Eucharistiam perfici. Eadem igitur à Christo Domino materia, & forma pro toto orbe fuit instituta.

PROBL. XVII.

Ad valorem Sacramentorum requiritur; & non requiritur, materiam, & formam eorum simultate temporis coexistere.

126. *Simultas requiritur.* AD valorem Sacramentorum requiritur simultas temporis saltem inter aliquam partem materiæ, & inter aliquam partem formæ ita, vt nullo modo perficiatur forma, quin aliquid materiæ coexistat; aut non existat integra materia, quin verba formæ incipiant proferri. Quia Sacramẽtum est quoddam ex materia sensibili ac verbis compositum; quomodo ergo erit compositum si materiæ & formæ particulæ saltem non coexistant? Ità Nauar. *cap.* 22. *num.* 8. Caiet. *tom.* 1. *opusc. tract.* 26. Sylvest. *Baptis.* 5. §. 2. Armil. *Baptis. num.* 26. Frias. *in sum. part.* 1. *fol. mihi* 83. Scot. *in* 4. *distinct.* 6. *quæst.* 1.

127. *Non requiritur.* Non requiritur ad Sacramentorum valorem simultas temporis saltem inter aliquam partem materiæ & inter aliquam partem formæ. Quia Sacramentum si compositum quidem est, non autem physicum, sed morale ex materia sensibili ac verbis. Itaque sufficit moralis inter illa coniunctio. Sic Tolet. *l.* 2. *c.* 19. Suar. *disp.* 2. *sect.* 2. Henriq. *l.* 1. *c.* 9. §. 10. Saa *Baptism. num.* 4. Granad. *to.* 4. *in* 3. *p. contr.* 3. *tr.* 1. *disp.* 4. *num.* 4. Bonac. *de Sacr. disp.* 1. *q.* 1. *pun.* 2. Ægid. *q.* 60. *a.* 6. *num.* 4.

128. *Moralis coexistentia sufficit.* Moralem coexistentiam materiæ & formæ sufficere reor ad morale compositum; essentialis enim eius constitutio aptè morali materiæ ac formæ coniunctione annotatur. Addit Vincent. Fern. de Heredia *disp. de Sacram. p.* 6. *dub.* 2. *n.* 8. post finitam totam ablutionem, vel vnctionem posse proferri formam: vel è contra post prolatam totam formam ablui recipientem, interposita etiam breui morula, qua (v. gr.) oratio Dominica recitari valeat. Verum hanc doctrinam nimis laxam reputarim, praxique addicendam minime admiserim. Vnde quoad praxim attinet, summopere curandum, vt in Sacramentis quantum fieri possit, forma ac materia simul concurrant præsertim in Baptismo & ordine; quia si quis vere dilutus sacra vnda non sit, haud est aliorum Sacramentorum capax; & nisi verè sit ordinatus, non verè consecrat Eucharistiam nec vera Sacramenta confert præter Baptismum. Igitur licet ablutio, vel vnctio non concurrat cum aliqua parte formæ, sed omninò præcedat, vel sequatur, vel perbreui morula interiecta, haud est iterandum Sacramentum ob magnam nostræ sententiæ probabilitatem, quæ moralem videtur attingere certitudinem. Scio docere Henriquez, posse sub conditione repeti Sacramentum, sed non teneri. Certè in Baptismo, si baptizatus tali modo careat vsu rationis, sub conditione iterandum censeo; quia tutior pars in Sacramento tantæ necessitatis est amplectenda, quando non subest rationis incapaci contritionis spes ad salutem.

***

PROBL. XVII.

Qui baptizat, confirmat, absoluit, vel inungit, &c. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & B. Mariæ, vel aliorum Sanctorum confert, & non confert validum Sacramentum.

129. *Non confert Sacramẽtum validum.* NOn confert Sacramentum validum. Quia illud *In nomine* denotat auctoritatem: nec enim quis dicitur aliquid gerere in alicuius nomine, nisi Auctoris. Vnde talia verba secundum communem acceptionem, quæ à proferentis intentione non pendet, significant B. Virginem, vel alium sanctum esse pariter gratiæ per Sacramentum conferendæ Auctorem, sicut Deum, quod falsum omnino sensum inducit. Sic Graff. 2.*p.l.*1.*c.*3.*num.*25. Vasq. 3.*p.disp.*129.*c.*7.*num.*109.

130. *Confert validum Sacramentum.* Confert validum Sacramentum. Quia talis additio facta in fine non indicat auctoritatem, sed intercessionem; forma enim tunc habet suam perfectam significationem antequam illa fiat additio, & consequenter, nisi per malam intentionem impediatur in illo priori suum operatur effectum, qui non potest à verbis sequentibus impediri. Ita Coninch. 3.*p.q.*60. *num.*70. Franc. de Lugo *tr. de sacr. in gen. c.*1.*q.*2. & alij.

131. *Idem affirmo.* Porrò licet omnia illa verba simul sumpta, iuxta primam sententiam, significent errorem formæ contrarium; verba tamen essentialia, etiam vt hic & nunc proferuntur, tam ex intentione proferentis, quam secundum commune Christianorum audientium iudicium, prius tempore, quam additio fiat, habent perfectam suam significationem, & operationem, quæ per verba subsequentia tolli nequit.

PROBL. XVIII.

Qui baptizat, confirmat absoluit, vel inungit &c. in nomine Patris, Matris, Filij, & Spiritus sancti, confert & non confert validum Sacramentum.

132. *Est validum Sacramẽtum.* ETiam si additio illa, *Matris* collocetur in medio formæ verborum, adhuc est validum Sacramentum. Quia proferentis intentio ex Patre, Filio, & Spiritu sancto auctoritatem vendicat, ex Matre autem intercessionem, ad quod significandum nil refert, quod verbum, *Matris* in medio, aut fine collocetur. Sic Bonac. citatus à Franc. de Lugo *tr. de Sacr. in gen. c.*1.*q.*2.*num.*27.

133. *Non valet Sacramẽtum* Si additio ponatur in medio, non valet Sacramentum. Quia tunc illud verbum *Matris* interpositum sensum formæ corrumpit interim dum profertur, & impedit, nè forma possit, vt hic nunc prolata vllo vnquam instanti verificari, & consequenter eius impedit valorem. Ita Coninch 3.*p.q.*60.*num.*70.*& sequent.*

134. *Idem affirmo.* Consentio; illud enim *In nomine* pariter de Matre dicitur, ac de Patre, Filio, & Spiritu sancto; nec intentio sola proferentis efficere potest: vt verba eodem modo prolata audientibus significent auctoritatem in Patre, Filio, & Spiritu, sancto, solamque in Matre intercessionem. Porro similes additiones, vel in fine verborum formæ, sunt valdè vitandæ; quia sunt contra morem, ac præceptum Ecclesiæ: sunt etiam aliquo modo contra diuinam institutionem, & inducunt Sacramentum irritandi periculum.

PROBL. XIX.

Quando Minister addit aliquid formæ non necessarium tanquam necessarium volens nouum ritum erroneum in Ecclesiam introducere: Sacramentum redditur, & non redditur irritum.

135. *Sacramẽtũ redditur irritum.* SVppono, nullum effici Sacramentum, si Minister errorem suum contra Sacramenti veritatẽ in forma manifestat; quia hæc est substantialis formæ mutatio. Si tamen error manifestatus non tollat verum formæ sensum, & Minister intendat facere, quod Christus instituit, validum fit Sacramentum: v. gr. si quis dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij sapientis, & Spiritus sancti Paracleti*, putans omnia hæc verba necessariò dicenda, & volens hunc errorem inducere, nihilominus verè baptizat; quia retinet veram materiam, & formam, ac debitam intentionem. Quæsierim tamen, quid, si error interiùs conceptus in administratione Sacramenti non exprimitur? Sacramentum irritatur, quando Minister addit aliquid formæ non necessarium, tanquam necessarium, volens introducere nouum ritum erroneum. Quia intendens in administratione Sacramenti nouum inducere errorem, iuxtà quem vult ministrare Sacramentum, non potest intentionem habere faciendi, quod facit Ecclesia: quare intentionis huius defectu erit irritum Sacramentum.

cramentum. Sic D. Antonin. *p.3. tit.14. c.3.§.* Richar. *in 4. dist.3.a.2.q.3.* Et Gabr. *in 4. dist.3. q.1. a.2. concl.5.* D.Thom. *3.p. q.60. a.8.* & Marsil. *in 4. q.3. a.4.* fauent.

136. *Non redditur irritum.* Quandiu Minister seruat verba formæ essentialia, habetque generalem faciendi quod Christus instituit, & vera, quæcumque sit, gerit Ecclesia, intentionem, quamuis aliquid mutando, velit errorem in Ecclesiam inducere, validum efficit Sacramentum. Quia hæ duæ intentiones scilicet faciendi quod Christus instituit, & introducendi priuatum errorem, quem Minister existimat institutioni Christi conformem, non sunt contrariæ; potest enim cum errore priuato mentis dari voluntatis intentio faciendi verum Sacramentum. Ità Petr.de Ledes. *tr. de Sacr.c.1. concl.10. & 13.* Laym *.l.5.tr.1.c.4.num.5.* Castr.Pal. *to.3.tr.18.disp.1.pun.3.num.6.& 7.* Duran. *in 4.dist.3.q.1.num.4.*

137. *Hanc magis probo mẽtem.* Hanc magis probo mentem, quam confirmo exemplo Græcorum, qui plures ritus intendunt vt essentiales, scilicet fermentatum consecrare, & Baptismi formam diuersam adhibere: nihilominus intendunt facere Sacramentum à Christo institutum, & vere faciunt; quia legitimum formæ sensum non destruunt, nec materiæ substantiam. Similiter inter Catholicos sunt opiniones, an aliquod verbum sit de substantia formæ nec ne? Videlicet in forma sanguinis circà illa verba: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur &c.* Si quis igitur opinetur esse substantialia, & sic illis intendat conficere Sacramentum, non propterea Sacramentum irritum faciet; nam illa priuata sententia, & intentio non excludit absolutam, ac generalem intentionem conficiendi sicut Christus instituit: nec aliàs impedit, quominus sufficiens materia ac forma applicetur.

PROBL. XX.

Licet, & non licet vti opinione probabili circa materiam & formam Sacramentorum, certa forma, ac materia relicta.

138. *Non licet probabili opinione vti, certa relicta.* SVppono, in administratione Sacramentorum circa materiam & formam dari posse vel probabilem solum assensum partis vtriusque; vel probabilem vnius, & certum alterius. Prioris casus exempla expono: Num moribundo exhibenti solum signa contritionis danda sit absolutio? Quidam probabiliter negant, alij probabilius affirmant. An circunstantiæ notabiliter aggrauantes sint necessario in confessione aperiendæ? Quidam aiunt, alij negant, vtrique tantum probabiliter Posterioris casus exempla exhibeo. Probabilis est opinio valere Baptismum sub forma *Genitoris, & Geniti, & procedentis ab vtroque*: At valere sub forma *Patris, Filij, & Spiritus sancti*, certum est. Certum etiam est, abluto capite, valere Baptismum, diluto pede vel digito manus, opinio est valere. Quæsierim igitur, an liceat probabili opinione vti, certa sententia relicta? Non licet. Quia fit irreuerentia Sacramento, cum sine causa geritur illud irritandi periculum, quod vitare possis, partem certam sectando. Ergo contrà Religionem Sacramenti delinquis. Sic Valent. *to.4.disp.21. sect.6.q.2. pun.1.* Suar. *to.3. disp.16. sect.2. & to.4.disp.26.sect.6.num.5.* Salas *1.2.tr.8. disp.1.sect.5.num.86.* Filliuc. *tr.1. num.69.* Ioan.Sanch. *disp.44. num.10.* sacrilegium putans committi, quotiens in Sacramentorum administratione via certa pro dubia sine causa mutatur.

Licet opinione probabili vti in Sacramentorum administratione, certa sententia relicta. Quia in quauis alia materia sufficit probabilis opinio ad rectum conscientiæ dictamen efformandum circa nostram operationem, non obstante periculo partis oppositæ, nimirum vel alienum retinendi, vel legem violandi; Ergo similiter in Sacramentorum administratione sufficiet. Nec tam grauis obligatio certam omninò doctrinam sequendi Ministris Sacramentorum debet imponi potius, quam aliis moralibus agentibus: siquidem ministrando iuxta probabilem opinionem, etiam relicta certa sententia, prudenter operantur, sicut & alij, nec probabili periculo Sacramentum irritandi exponuntur, sed viam tenent moraliter certam, quam probabilitas opinionum constituit. Alioquin enim non liceret confiteri cum attritione cognita, nec attritum possemus absoluere, cum contritio sit materia certa, & attritio probabilis dumtaxat. Ità Vasq. *1.2.disp.63.c.2.& 3.* Sanch. *de Matr.disp. 101.num.4. & lib.1. Decal. cap.9. num.33.* Castr. Pal. *to.1. tr.1. disp.2. pun.5. num.5.* Villal. *to.1.tr.1. diffic.13.num.1.& 2.* 139. *Licet quidem.*

Profecto quoties probabilis opinio circà illa, quæ summus Pontifex in Sacramentorum administratione determinat, v.gr. in Matrimonio, quod sic & non aliter celebratum valeat: aut in Sacramento Pœnitentiæ circa iurisdictionem Sacerdotum ad absoluẽdum licitè potest Minister quamlibet opinionem probabilem ministrando 140. *Auctoris sententia.*

nistrando sequi, cum in qualibet detur iurisdictio. Imò etiam in his, quæ pendent ab institutione Christi, licitum est, interueniente necessitate, Sacramentum iuxtà sententiam probabilem, certa relicta, ministrare; quia periculum irritandi Sacramentum sufficienter necessitatis ratione honestatur. Quæ quidem necessitas prudenter erit iuxtà circumstantias occurrentes pensanda, nec semper extrema requirenda. Sic Suar. citat. Laym. *l.1.tr.1.c.5. num.13.* Cast. Pal. *to.tr.1. disp.2.pun.5.n.4.* At citrà necessitatem, quoties opinio de valore Sacramenti est valdè probabilis, ac communiter recepta, illam in praxi sequi licebit. Quia in moralibus quæstionibus non semper exacta certitudo requiritur, sed magna sufficit probabilitas, & quasi certitudo moralis, ita vt opposita sententia negans talem materiam aut formam sufficere, quasi nihil probabilitatis habere videatur. Quoties vero Ecclesia per consuetudinem receptam vel per speciale decretum præscripsit vsum materiæ, aut formæ certè, relicta probabili, obedire tenemur, nec possumus probabilem materiam, aut formam sine peccato sacrilegij contra Religionem adhibere. Quia potuit Ecclesia in re tam graui certũ modũ ministrandi præscribere, nè pro singulorum opinione varietur. Vnde quamuis probabile (v.g.) sit valere Baptismum *in nomine Genitoris, & Geniti, &c.* tamen ex Ecclesiæ more præscripto ministrandus est *in nomine Patris & Filij &c.* Nec altera forma licebit.

PROBL. XXI.

Iterare Sacramentum sub conditione ob scrupulum leuem, est, & non est peccatum mortale.

141. *Non est peccatum mortale.* NOn est peccatum mortale, sed imprudentia, ac irreuerentia venialis. Quia verè non intenditur iteratio Sacramenti, si validum fuerit. Sic Villalob. *to.1. tr.4.diffic.4.num.1.& 2.* & alij.

142. *Graue est peccatum.* Quoties adest leue dubium, seu leuis solummodo scrupulus, graue peccatum est, Sacramentum iterare. Quia vt Catechismus ait, iteratio Sacramenti facta sine sufficienti causa, quædam videtur Sacramenti irrisio, adeoque grauis irreuerentia. Ita Bonac. *disp.1.q.2.pun.1.n.36.* Henriq. *l.2.c.31.n.1.* Valent. *to.4. disp.4.q.1. pun.4.* Coninch. *q.66.num.92.*

143. *Auctoris assertio.* Hoc quidem verum esse reor ex genere suo, nisi vel inaduertentia, vel ignorantia, quæ solet scrupulum comitari, reddat culpam venialem. Quando igitur non subest probabilis causa dubitandi de Sacramenti collati valore, non solum est peccatum lethale absolutè Sacramentũ iterare; sed etiam sub conditione. Quia magna fit Sacramento irreuerentia; & illa conditio tunc est impertinens, & pro non adiecta moraliter potest haberi, vt adnotat Suar. *to.3.disp.31.sect.6.* Quod si subsint leues scrupuli, rejiciendi omninò sunt, nec vllo modo repetendum Sacramentum etiam sub conditione.

PROBL. XXII.

In Sacramentis, quæ non iterantur, scilicet Baptismo, Confirmatione, & ordine; maius dubium requiritur, & non requiritur, vt possint repeti, quam in aliis, quæ sunt iterabilia, & facilius repeti valent.

144. *Non sufficit minus dubium ad Sacramenta iteranda.* QVoties verè subest dubium positiuum, quod inuoluit assensum alterius partis probabilem, & alterius formidolosum, vel vtriusque partis probabilitatem amplectitur: aut negatiuum, quo mens nec assentitur, nec dissentitur parti alterutri, sed manet in æquilibrio suspensa; vel dubium facti, num scilicet Sacramentum collatum fuerit: vel iuris, num scilicet collatum valuerit propter opiniones oppositas probabiles quidem: Sacramentum est sub conditione repetendum. Quia per hoc saluti prouidetur humanæ, nec vllum subest reiterationis periculum, cum illud apposita conditio excludat. Sic Suari. *to.3. disp.22. sect.1.* Vasq. *3.p. disp. 146.c.4.n.19.* Henriq. *l.2.c.31. num.2.* Saa *ver Baptismus, num.3.* Quæsierim tamen, an in Sacramentis, quæ non iterantur, nempe baptismo, confirmatione, & Ordine, maius dubium requiratur, vt repeti possint, quam in aliis, quæ sunt iterabilia? In Sacramentis, quæ non iterantur, maius dubium requiritur. Quia difficilius, & non sine oborto scandalo repetenda erunt. Sic Sotus *in 4.dist.1.q.1.a.8.§. circà hæc.*

145. *Sufficit.* Sufficit minus dubium, ad iteranda Sacramenta, quæ non sunt iterabilia secundum se, quam ad alia repetenda, quæ sunt secundum se iterabilia. Quoniam Sacramenta non iterabilia si semel certo non recipiantur, nunquam recipientur; ergo, multò magis requiritur, vt horum valor sit omninò certus, & quouis dubio rationabili dato, repetantur, quam valor cæterorum, quæ si semel inualidè recepta fuerint, possunt iterum, atque iterum valè

lide repeti. Ita Petr. Ledes. *tr. de Sacram. c. 1. post. concl. 12.* Villalob. *tr. 3. diffic. 4. n. 1.* Magister meus Franc. de Lugo *tr. de Sacr. in gen. c. 7. q. 6.*

146. *Hoc probabilius mihi.* Probabiliorem hanc puto sententiam, dum video Baptismum, ac Ordinem adeo esse necessaria, vt sine horum valore nec cætera valeant Sacramenta.

PROBL. XXIII.

Adultus baptizatus, vel confirmatus, vel ordinatus secundum opinionem probabilem, tenetur, & non tenetur, illud iterum Sacramentum recipere.

147. *Non tenetur.* NOn tenetur iterum recipere Sacramentum. Quia recipiens Sacramentum, non tenetur obligatione peculiari misericordiæ, seu charitatis erga se ipsum ad remedium salutis omninò certum adhibendum: sed solum obligatione cæterarum virtutum seu charitatis erga Deum tenetur ad quærendam iustificationem. Rursus obligationi recipiendi Sacramenta satisfacit sequens probabilem opinionem, & si non omnino tutam. Ergo ex nullo capite Sacramentum dubium tenetur iterare. Sic Vasq. *3. p. disp. 146. cap. 4. num. 29.*

148. *Tenetur quidem.* Prorsus tenetur, ad iterandum Sacramentum dubium, sicut ad recipiendum tale Sacramentum tenebatur. Quia recipiens (v. gr.) Baptismum dubium, tenetur ex charitate erga seipsum probabile damnationis vitare periculum. Sed ad hoc vitandum, opus est, (saltem periculo mortis instante) certum Baptismum procurare. Ergo tenetur ad vitandum huiusmodi periculum, Baptismum sub conditione iterare, ita Coninch. *q. 66. numer. 103. & 104.*

149. *Huic hæreo. sententiæ.* Huic adhæserim; quia probabile est, non esse baptizatum, & sine contritione minime donandus est salute: cum tamen satis dubium communiter sit, num veram contritionem eliciamus. Obligat ergo charitas tui, ad certam tuæ salutis viam ineundam; obligat Sacramentis reuerentia debita, ne recipiantur, aut ministrentur cum periculo nullitatis, quando possunt iterato Sacramenta sub conditione recipi vel ministrari valoris certitudine.

* * *

PROBL. XXIV.

In Sacramentis singulis eadem materia & forma pro vniuersa Ecclesia sufficit, & non sufficit.

150. *Non sufficit.* NOn sufficit pro vniuersa Ecclesia eadem forma. Quia Græcis sufficit ad Baptismum (v. gr.) forma illa: *baptizetur seruus Christi &c.* & panis fermentatus ad Eucharistiam: Latinis verò non sufficit. Item matrimonium vbi Tridentini decretum non est receptum, validè celebratur clandestino consensu; at vbi Tridentinum viget, clandestinus consensus non est sufficiens materia, vel forma matrimonij. Sic nonnulli Iuristæ, Innocent, *in cap. 1. de baptismo*, Felin. *in cap. Quæ in Ecclesiarum de constit. numer. 26.*

151. *Sufficit plane.* Eadem materia & forma vbique terrarum est sufficiens ad Sacrametorum valorem. Quia omnia Sacramenta constant materia & forma, quam Christus instituit; nec enim alius potest materias vel formas Sacramentorum instituere; sed materia, & forma, quam Christus in singulis Sacramentis designauit est vna, & eadem, iuxta id Pauli Ephes. 4. *vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*, Ergo hæc eadem vbique ad validum Sacramentum sufficiet. Vnde latinus vtens forma Græcorum in baptismo valide baptizaret: & consecrans fermentatum, verum efficeret sacramentum Eucharistiæ; sicut è contra Græcus vtens forma seu materia Latinorum, quoniam est solum accidentalis mutatio. Ita Suar. *to. 3. disput. 2. sect. 6.* Reginal. *l. 26. num. 22.* Vasq. *3. p. disputat. 129. cap. 5. num. 73.* Filliuc. *tract. 1. num. 70.* Bonac. *disput. 1. q. 2. punct. 3. n. 1.*

152. *Idem prorsus assero.* Idem prorsus existimo asserendum, sciens illud quod de clandestino consensu dicitur; esse peculiare matrimonio, cuius materia & forma est contractus humanus, qui quidem celebrandus est iuxtà locorum consuetudines, ac leges particulares, vnde fieri potest, vt expressio consensus, quæ sufficit hoc loco, vel hoc tempore ad valorem contractus sine solemnitate, non sit sine illa sufficiens alio loco, vel tempore. Nec propterea variatur formaliter materia & forma sacramenti marrimonij, quæ censetur esse contractus validus, & semper ac vbique terrarum verum constituet sacramentum.

PROBL. XXV.

Licet & non licet, metu mortis in Sacramentis materia, aut forma dubia vti.

153. *Non licet.* SI metu graui mortis cogaris in nomine *Genitoris, &c.* dihuere, aut cum aqua ex sale resoluta, vel vinum congelatum consecrare: ob metum grauem non excusaris à culpa sic ministrando. Quia qui sic tibi mortem minitaretur suspectus tibi deberet esse præsumenti prudenter, velle illum damnare communem formam vt illegitimam, Catholicæ Ecclesiæ ritus contemnere. Quare non erit obediendum, sed mors potius obeunda. Sic Bonac *disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 33. Ioan. Sanch. *disp.* 44. *n.* 12. Dian. 3. *p. tr.* 6. *resol.* 48. Coninch. *q.* 60. *n.* 8.

154. *Licet quidem.* Excusaris à culpa sic ministrando. Quia talis materia vel forma sufficiens est secũdum opinionem probabilem, & per consequens licita, quantum ad cultum Sacramenti. Atqui ex charitate nemo tenetur proximo cum periculo vitæ succurrere; nam nostra etiam salus æterna sub dubio est, & præceptum charitatis à nobis debet incipere. Porrò propter dubium Sacramentum est sub conditione repetendum. Ita Henriquez *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 7. *lit. B.* Anton. Perez *certam.* 10. *cap.* 11. *num.* 64.

155. *Auctoris assertio.* Profecto quando præcipiens materiam vel formam dubiam Catholicus esset, & omnino putaret, eam materiam aut formam esse certam quin haberet suspectam sententiam Sacerdotis contrarium affirmantis, credens ipsum errare vel ex ignorantia, vel ex malitia, licebit obedire, talemque formam, aut materiam sub conditione adhibere. Tum enim euitatur irritandi periculum, nec irreuerentia culpabilis reputatur. Præceptum quidem adhibendi certam materiam & formam in Sacramentis cum tanto vitæ, aut alterius notabilis nocumenti metu non obligat. Certè circumstantiæ attentissime erunt considerandæ, nè aut contemptus vel hæresis implicitè volita foueatur: aut suspicio contra id præcipientem exeratur iniqua.

***

CAPVT XI.

Circa Sacramentorum Effectus.

PROBL. XXVI.

Quinque Sacramenta viuorum possunt & non possunt aliquando primam gratiam sanctificantem conferre.

156. *Nunquam conferunt.* SIC10 Baptismum solum & Pœnitentiam per se, ac ex sua institutione primam gratiam causare, ac mortale delere peccatum: alia autem quinque Sacramenta per se instituta esse ad gratiam secundam causandam, seu ad primam augendam, aliosque fines, cum ex vi institutionis suscipientes viuos requirant, seu in gratia constitutos; vnde hæc dicuntur Sacramenta viuorum, illa vero mortuorum Sacramenta vocitantur. Quæsierim tamen, an saltem aliquando quinque Sacramenta viuorum possint primam gratiam Sanctificantem conferre? Quinque Sacramenta viuorum (extremam Vnctionem si excipias) numquam primam conferunt gratiam Quia à Domino ad alios fines peculiares fuere instituta nempe ad animi robur, refectionem, Sacra ministeria peragenda, prolem sanctè procreandam. At Vnctio extrema ad reliquias peccatorum abolendas per se est instituta, vnde per hanc attritis, & absque mala fide eam suscipientibus prima gratia confertur. Sic Vasq. quem citat, ac sequitur Gasp. Hurt. *de Sacr. in gen disp.* 3. *diffic.* 4. Cardin. Lugo de Eucha. *disput.* 12. *à numer.* 13. Villalob. *tract.* 4. *difficult.* 7. *numero* 4. & apud ipsum Gabriel. Bonauentura Maior, & alij.

157. *Aliquando conferunt.* Quinque Sacramenta viuorum possunt, imo de facto aliquando conferunt primam gratiam: quando scilicet peccator accedit attritus putans bona fide se in statu gratiæ existere. Quia de diuina clementia credi potest, sic accedentibus primam gratiam conferre voluisse. Ita D. Thom. 3. *p. q.* 72. *a.* 7. Henriq. *l.* 1. *c.* 12. *n.* 2. Suar. *disp.* 7. *sect.* 2. Coninch. *q.* 62. *a.* 1. *dub.* 2. Granad. *tr.* 3. *disp.* 6. *n.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 1. *c.* 6. *n.* 2. Montesi. *tom.* 1. *in* 1. 2. *disp.* 28. *q.* 4. *num.* 60.

158. *Hoc magis probo.* Probabilius existimo non solũ Eucharistiam, (de qua alibi) sed & quatuor reliqua Sacramenta viuorum per accidens posse

posse facere de attritio contritum, & ita primam conferre gratiam. Porrò id non eodem modo à Doctoribus defensatur; alij enim putant id habere per se Sacramenta hæc, & ex primaria diuina institutione eorum secundum rationem generícam Sacramenti, quamuis secundum specificam fuerint instituta ad augmentum gratiæ conferendum. Alij verò existimant id habere ex institutione ipsorum secundum rationem specificam, secundario tamen ac per accidens: & hanc sententiam probabilem esse docent ipsi met aduersarij, cui quidem subscribo.

PROBL. XXVII.

Gratia Sacramentalis, (quam præter gratiam habitualem Sacramẽta causant) consistit, & non consistit in actuali auxilio, quod Deus confert ad finem proprium cuiuslibet Sacramenti obtinendum.

159. *Non consistit.* CVm Sacramenta septem sint diuersa signa, & habeant diuersa signata, hoc est gratiam diuersimodè collatam: significant planè & causant diuersas gratias singulis proprias, quæ gratiæ Sacramentales vocitantur. Quæsierim igitur num huiusmodi Sacramentalis gratia consistat in actuali auxilio collato à Deo ad obtinendum finem cuiuslibet Sacramenti propriam? Non consistit in huiusmodi auxilio. Quia gratia hæc Sacramentalis est peculiaris quidam habitus in singulis collatus Sacramentis vniuscuiusque deseruiens fini, v. gr. in Sacramento confirmationis confertur habitus specialis ad profitendum coram tyranno fidem, &c. vel gratia hæc Sacramentalis in Baptismo, Confirmatione, & Ordine est Character, in aliis Sacramentis alius animi ornatus. Hoc asserit Capreol. *in* 4. *dist.* 2. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 4. Durand. *cont.* 3. *concl.* illud autem affirmat Paludan. *in* 4. *dist.* 2. *q.* 3.

160. *Consistit plane.* Gratia Sacramentalis consistit in speciali auxilio diuino à Deo collato ad finem cuiuslibet Sacramenti obtinendum; quæ proinde gratia diuersa erit pro Sacramentorum diuersitate: quæ ad fines diuersos immediatos Ordinantur. Huiusmodi enim speciale auxilium ad cuiuslibet Sacramenti finem collatum magis decet instituentis Dei pietatem, ac prouidentiam. Ita Valent. *q.* 3. *punct.* 2. Suar. *disp.* 7. *sect.* 3. Vasq. *disp.* 131. Coninch. *q.* 62. *a.* 2. Card. Lugo *disp.* 4. *n.* 19. Granad. *tract.* 3. *de Sacra. disp.* 5. *n.* 2.

Semper mihi magis arrisit sententia D. Thomæ *q.* 62. *a.* 2. *in corp. profantis Gratia Sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, & super virtutes, & dona, quoddam diuinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem.* 161. *Hoc magis placet.*

PROBL. XXVIII.

Sacramenta nouæ legis causant, & non causant physicè gratiam.

NOn causant physicè sed tantum moraliter gratiam. Quia ratio huiusmodi causandi sufficit ad verificanda Scripturarum, Conciliorum ac Patrum testimonia asserentium Sacramẽta esse causas gratiæ veras; nam qui merendo, impetrando, satisfaciendo aliquid efficit, est vera causa illius: ergò eadem ratione quod concurrit eodem modo applicando Christi merita erit vera causa; sic autem concurrunt Sacramenta, quatenus scilicet sunt vasa quædam continentia Christi merita: merita autem Christi non operantur nisi moraliter, videlicet meritorie, impetratoriè, ac satisfactoriè: quare etiam Sacramenta erunt hoc modo causæ. Sic Filiuc. *tr.* 1. *de Sacra. c.* 6. *n.* 108. Ægidi. *q.* 62. *a.* 4. *n.* 132. Bonau. *in* 4. *dist.* 1. *a.* 1. *q.* 4. Vasq. *q.* 62. *disp.* 132. *c.* 5. Lugo *disp.* 4. *sect.* 4. Ioan. Sanchez *disp.* 16. *n.* 6. 162. *Non causant.*

Sacramenta verè & physicè causant gratiam in recipiente, & non solùm sunt causa moralis instrumentalis gratiæ; verum producens ipsam gratiam immediatè. Quia non implicat talem efficientiam Sacramentis tribuere, idque redundat in maiorem Christi gloriam ac honorem Sacramentorum: ergo de facto tribuenda est. Ita Bellarm. *l.* 2. *de Sacra c.* 11. Henriq. *l.* 1. *c.* 16. Suar. *disp.* 8. & 9. *sect.* 2. Valent. *tom.* 4. *disput.* 3. *q.* 3. *punct.* 1. Granad. *tract.* 3. *disput.* 4. *num.* 4. 163. *Causant quidem.*

Scio, Valentiam citatum addidisse primam sententiam nil plus tribuere Sacramentis, quam hæretici; sed rigidè hoc dictum existimo, probabilemque illam sententiam reor, hanc autem probabiliorem, quam sic poteris confirmare: Probabile est, humanitatem Christi esse causam physicam tanquam instrumentum coniunctum: quare congrue Sacramenta esse poterunt instrumentum separatum gratiæ. 164. *Hoc probabilius.*

PROBL. XXIV.

Ex Sacramentis veteris legis Circumcisio contulit, & non contulit propriè & per se gratiam.

165. *Contulit gratiam per se.*

AFfirmauit Hugo apud Archãg. *dist.* 1. *pag.* 11. veteris legis Sacramenta gratiam ex opere operato, & per modum Sacramenti contulisse. At sententia illa defensari non potest post Concil. Florent. sub Eugenio *sess. vlt.* sic scribens: *Noua legis Sacramenta multum differunt à Sacramentis antiquæ legis; hæc enim non causabant gratiam, sed solùm per passionem Christi dandam figurabant: nostra vero Sacramenta, & continent gratiam, & dignè suscipientibus eam conferunt.* Consonat Trident. *sess.* 7. *cap.* 2. Quæsierim tamen, an saltem Circumcisio gratiam ex operato contulerit Circumcisio contulit? gratiam ex opere operato, non illam physice, aut moraliter causando; sed ex infallibili decreto, & promissione diuina. Quia infantibus Abrahæ posteris in Circumcisione remittebatur peccatum originale, & consequenter gratia infundebatur infallibiliter. Sine vllo ad dispositionem respectu præter meritum suscipientis. Sic Maior, Durand. Malsil. Maior apud Vasq. *disp.* 184. Suar. *q.* 61. *disp.* 5. *sect.* 1. & 2. Azor. Perei. Barrad. Lorin. Valent. & Salas apud Lug. *disp.* 5. *n.* 4. Granad. *tr.* 3. *disp.* 7. *sect.* 1.

166. *Non contulit.*

Circumcisio non contulit suscipienti gratiam ex opere operato. Quia conferre gratiam ex opere operato, est conferre gratiam ex vi institutionis. Atqui Circumsio non conferabat ita gratiam: nec enim erat instituta ad delendum peccatum, aut conferendam gratiam; sed in signum, quo Iudæi à cæteris gentibus distinguerentur, & quo suam in Deum testarentur fidem: vt docent plurimi Patres apud Bellarm. *l.* 2. *de Sacram. c.* 15. Gen. 17. *Vt sit* (inquit Deus. *in signum fœderis inter me, & vos.* Ita Bellarm. Deza, Capreol. Ledes. Ferra, Cano, & alij, quos refert, ac sequitur Vasq. *disp.* 184. *c.* 3. Ægidi. *q.* 62. *a.* 6. Lugo *disp.* 5. *n.* 4. Ochaga. *q.* 10. *n.* 9.

167. *Idem assero exponens Circumcisionis vim.*

Assero his hæresens, Circumcisionem ex sua institutione nullam vim habuisse iustificandi, vel tollendi peccatum originale; sed solum fuisse datam in signum & characterem populi Iudaici ac fidelis. Cũ hoc tamen stat, quod in Circumcisione & per Circumcisionem paruuli regulariter iustificarentur; quia remedium legis naturæ quod applicari debebat aliquo signo externo, (quod esset protestatio fidei internæ de Christo futuro) regulariter applicabatur per ipsam Circumcisionem; vt vna & eadem actione duplici præcepto satisfieret. Debebant enim parentes ex vno capite suis paruulis applicare remedium, seu Sacramentum legis naturæ ad expiandos illos à culpa originali, quod fieri debebat applicando illis fidem Christi venturi aliqua actione externa; debebant aliunde ex diuino præcepto Abrahæ intimato, & renouato in lege Moysis, paruulũ Octauo die circumcidere. Vtrique ergo obligationi simul & semel volentes satisfacere. Circumcisionem ipsam assumebant ad fidem Christi venturi suis paruulis applicandam, & ad illos à macula originali mundandos. Fœminis autem idem remedium præstabant aliqua alia actione externa circa ipsas expressa: sicut & masculis etiam, qui ante diem octauam periclitabantur, vel qui die octauo propter morbum vel aliud impedimenrum circumcidi non poterant.

PROBL. XXV.

Esto haberet circumcisio ex opere operato vim iustificandi: ad hunc effectum fuit, & non fuit necessaria ministri fides.

168. *Necessaria non fuit.*

SI admittenda sit sententia asserentium, circumcisionẽ habuisse ex opere operato vim iustificandi, requiro, num ad huiusmodi effectum ministri fides fuerit necessaria? Necessaria non fuit. Quia & Baptismus applicatus à ministro infideli est sufficiens peccati remediũ; ergo & circumcisio. Sic Palud. *in* 4. *dist.* 1. *q.* 5. *a.* 5. Ouand. *prop.* 15. *de circumcis.* Suar. *disp.* 10. *sect.* 1. Granad. *tr.* 3. *disp.* 7. *sect.* ... *n.* 13.

169. *Fuit necessaria.*

Necessaria fuit fides in circumcisionis ministro. Quia circumcisio solum conducebat ad paruulorum iustificationẽ, quatenus assumebatur pro materia sacramenti legis naturæ; at hoc non iustificabat nisi quatenus erat protestatio internæ fidei, quæ paruulo applicabatur; ergo neq; circumcisio absque illa fide iustificare poterat. Ita Lugo *disp.* 5. *n.* 58. & apud illum D. Tho. Bellarm. Capreol. Basol. Palat. Cano, Henriq, & alij.

170. *His subscribo.*

His subscribo, adiiciens ad circumcisionem ministrandam adultis necessariam non esse ministri fidem quia recipientis fiderat: haud ita in paruulo ideoque aut in ministro, aut in parente necessaria erat fidei huiusmodi expressio.

PROBL.

PROBL. XXXI.

Circumcisio fuit, & non fuit ex præcepto diuino necessaria ad paruulorum iustificationem pro Abrahami posteris.

171. *Necessaria non fuit ad iustificationem.* NOn fuit necessaria ad paruulorum iustificationem. Quia his aliud potuit applicari remedium ante, seu post octauum diem, sicut poterat antè Circumcisionis institutionem. Sic. Bonac. *de Sacram. disp.* 1. *q.* 1. *pun.* 3. *n.* 8. Lugo *disp.* 5. *n.* 58.

172. *Fuit necessaria.* Fuit necessaria Circumcisio ex peculiari Dei institutione ad iustificationem paruulorum. Quia quamuis non promiserit Deus specialem aliquam gratiam circumsioni, neque in eum finem primario illam instituerit: voluit tamen, vt remedium illud, quod in lege naturæ indifferens erat quoad ceremoniam & ritum externum, esset in populo Israelitico pro pueris, seu viris determinatum quoad ritum Circumcisionis, ita vt ordinariè, seu quandocumque fieri posset sine graui incommodo, protestatio fidei parentum, & applicatio eius ad remedium paruulorum per Circumcisionem fieret. Ita Suar. *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 5. *sect.* 1. §. *Propter hanc ergo.*

173. *Idem existimo.* Suario subscribo putans hoc modo, & non alio debere parentes, quando sine graui incommodo fieri poterat, filios suos Deo dicare, & offerre. Vnde si parentes vellent alio ritu, vel ceremonia vti, ad offerendos filios suos Deo, secluſa speciali gratia, seu necessitate, nihil efficerent, quod ad eorum salutem vtile esse posset; quia iam illa ceremonia non censeretur sacra, sed superstitiosa. Ita facilè intelligo, quomodo tunc fuerit Circumcisio necessaria tùm necessitate præcepti respectu adultorum, tum necessitate medij saltem respectu paruulorum, quando sine graui incommodo poterat applicari.

PROBL. XXXII.

Antè octauum diem potuit, & non potuit ex causa remedium Circumcisionis Hebræorum pueris applicari licitè.

174. *Potuit licitè.* POtuit licitè ex causa, id est, imminente mortis periculo antè diem octauum Circumcisio præueniri. Quia æquum erat, vt peccatum originale paruuli remedio ad hoc specialiter præscripto aboleretur; siquidem Circumcisio die octaua necessaria erat non necessitate Sacramenti, à cuius præcepti transgressione necessitas paruuli obeuntis excusaret. Sic Magist. *in* 4. *dist.* 1. *c. si verò quæritur.* Altisiod. *c.* 4. *sum.* quod quidem non improbat. D. Th. 3. *p. q.* 70. *a.* 3.

175. *Non potuit.* Non potuit licitè ex causa antè diem octauum geri Circumcisio. Quia nulla necessitas id exigens poterat occurrere, cum absque Circumcisione posset infans per Sacramentum legis naturæ iustificari. Ergo non erat, vndè liceret diem à Deo præscriptum, absque eiusdem speciali dispensatione præuenire. Ita Suar. *tom.* 3. *in* 3. *p. q.* 70. *art.* 3. Lugo *disp.* 5. *n.* 80. Henriq. *l.* 5. *c.* 6. *num.* 5. Vasq. *disp.* 163. *c.* 2. Bonac. *de Sacr. disp.* 1. *q.* 1. *pun.* 3.

176. *Idem asserue-rim.* Idem dixerim; quia nulla poterat esse causa præueniendi Circumcisionem nisi mortis periculum: non erat autem pietati nec misericordiæ consentaneum, per Circumcisionem tunc mortem maturare infantis in tam graui periculo constituti: nam reuera moraliter loquendo hoc fuisset illum interficere. Ideo licitum erat ex causa infirmitatis, aut alterius, iusta, Circumcisionem post diem octauum differri, ne lex nimium crudelis videretur, quæ sine morali ægrotantis paruuli graui incommodo non poterat impleri.

PROBL. XXXIII.

Circumcisio autè diem octauum potuit, & non potuit pueris Hebræorum applicari validè.

177. *Non potuit præueniri.* NOn potuit validè antè diem octauum præueniri Circumcisio. Quia cum Deus illum diem huic Sacramento designauit, hoc ipso voluit, neminem antè ætatem illam, eius esse capacem. Vndè Circumcisio antè octauum diem erat simpliciter contrà Dei institutionem, & in subiecto incapaci, vndè non erat Sacramentum, nec ceremonia sacra. Sic Suar. *tom.* 3. *in* 3. *p. q.* 70. *art.* 3. Strab. *ad cap.* 4. *Prou.* Hugo. *l.* 1. *de Sacram. p.* 12. *c.* 2.

178. *Potuit præueniri.* Potuit ante diem octauum Circumcisio Hebræorum pueris applicari validè. Quia fuit solùm de præcepto, vt dies ille nõ præueniretur, non autem ita fuit de necessitate Sacramenti, vt si præueniretur, Sacramentum non esset validum, etiamsi Minister peccaret illud dando. Vndè D. Thomas nunquam dixit, esse de necessitate Sacramenti, sed solùm non potuisse licitè præueniri. Ita Maior *in* 4. *dist.* 1. *q.* 5. asserens absolutè octauum diem non fuisse de

necessitate Sacramenti, sed fuisse necessarium necessitate Ministri. Vnde si non licitè, validè tamen poterat præueniri, quemadmodum post diem octauum poterat validè protrahi. Consentit. Palud. *in* 4. *dist.* 1. *q.* 5. Ouandus *apud Lug. disput.* 5. *num.* 80.

179. *Primam sector opinionem.* Primæ hæresco sententiæ: quia præceptum, quod designat certum diem, non est implendum præueniendo diem: hoc potius esset illud transgredi, quod secus est de dilatione: nam si quis iam transgressus est differendo, debet, quamprimum possit, illud implere: Addiderim paruulos antè diem octauum omnino fuisse Circumcisionis incapaces, sicut nunc dicimus de extrema Vnctione, quæ pro ægrotantibus est instituta, cuius planè nemo extra illum statum est capax. Nec erat inconueniens, puerum illum sine proprio Circumcisionis Sacramento relinqui, quia quòd ad remedium animæ spectat, poterat ei per Sacramentum legis naturæ subueniri; quod verò spectabat ad exteriorem characterem, idem erat, ac si per legitimum Sacramentum esset Impressus. Quemadmodum si aliquis gentilis circumcisus (sicut erat moris inter Ægyptios, & alios) voluisset ad Iudaismum transire, non poterat ei Sacramentum Circumcisionis applicari, poterat autem aliis modis suam fidem profiteri, & velle populo Iudæorum adscribi, & quasi acceptare characterem, quem sua in carne habebat impressum tanquam signum distinctum Iudæorum ab aliis gentibus, & præfiguratiuum Christi ex illo populo venturi. Lege Augustinum *epist.* 103. vbi de Circumcisione Samaritanorum hunc ferè in modum philosophatur.

PROBL. XXXIV.

Omnia Sacramenta fictè suscepta, recedente fictione, conferunt, & non conferunt gratiam.

180. *Soli Baptismo id conuenit.* SOli Baptismo conuenit, conferre gratiam recedente fictione. Quia quamuis gratia Baptismi suppleri possit per contritionem, tamen est vtilius, ac melius, (quod sit ostium omnium Sacramentorum) vt fictione recedente, per eum gratia conferatur. Sic Vazq. *in* 3. *p. tom.* 2. *disp.* 161. Sotus *in* 4. *dist.* 6. *q.* 1. *a.* 8. & alij.

181. *Non soli conuenit Baptismo.* Omnia Sacramenta fictè suscepta, recedente fictione, gratiam conferunt. Quia si Baptismus ideò confert gratiam recedente fictione, quia quamuis gratia Baptismi possit per contritionem suppleri, est tamen melius, ac vtilius hominibus, vt per Baptismum ipsum conferatur: etiam est hominibus melius, ac vtilius, vt reliqua Sacramenta fictè suscepta, postea recedente fictione, conferant gratiam; ergo etiam id est illis veluti Baptismo tribuendum. Ità Petr. Sot. *in instit. Sacerd. lect.* 5. *de Bap.* Caiet. *to.* 1. *opusc. tr.* 5. Villalob. *to* 1. *tr.* 5. *diffic.* 21. *num.* 2.

Scio, Durandum *in* 4. *dist.* 4. *q.* 4. & Canum de pœnit. *p.* 5. docuisse, Baptismum & Pœnitentiam gratiam conferre, recedente fictione. Maiorem autem *in* 4. *dist.* 4. *q.* 2. & Couarru. *in Cap. Alma mater. p.* 1. §. 4. *num.* 23. Baptismum, Confirmationem, Ordinem, ac Matrimonium pro tempore, quo durat vinculum ipsius, & extremam Vnctionem pro tempore, quo in infirmitate durat mortis periculum. Suarium denique 3. *p. tom.* 3. *disp.* 28. *sect.* 6. Baptismum, Confirmationem, Ordinem, Matrimonium, extremam Vnctionem, & Pœnitentiam conferre gratiam, fictione ablata, fuisse opinatos. Ast ego probabiliorem putarim eam sententiam, quæ omnibus huiusmodi vim tribuit Sacramentis. 182. *Secunda sententia hæresco.*

PROBL. XXXV.

Ad valorem Sacramenti requiritur, & non requiritur positiuus consensus illud suscipiendi.

183. *Requiritur positiuus consensus.* SVscipit quis Diaconatus, aut Presbyteratus Ordinem, aut aliud Sacramentum; in eius autem susceptione neque actualiter, neque virtualiter habuit intentionem illud suscipiendi. Quæsierim num Sacramentum suum tunc effectum sortiatur? Non sortitur, Quia ad valorem Sacramenti in adultis requiritur positiuus consensus illud suscipiendi, vt necessario omnes profitentur. Porrò qui actualiter, aut virtualiter non habuit Sacramentum illud suscipiendi intentionem, non potuit positiuum consensum exponere ad Sacramenti vim necessarium. Sic D. Tho. 3. *p. q.* 68. *art.* 7. Scot. *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 4. Coninch. *de Saerament. quæst.* 64. *art.* 8. *dub.* 5.

184. *Non requiritur.* Suum quidem sortitur effectum. Quia licet in adultis requiratur positiuus consensus, vt Sacramenta suum valorem, suosque effectus sortiantur, sufficit tamen habitualis, id est, præteritus non reuocatus; nec enim suscipiens debet se habere vt agens,

agens, & operans, sicut se habet Minister; sed tantùm se habet vt patiens ac proindè non est necessarium, consensum actualiter, aut virtualiter exprimere, vt ex eo tanquam ex efficiente deriuetur, ac fiat Sacramentum; sed sufficit, vt suscipiens aliquo modo consentiat in Sacramenti susceptionem, ad quod sufficit præteritus consensus nondum reuocatus. Ita Dian. *p. 5. tr. 13. resol. 32. ex Innoc. III. ad cap. Maiores, de Baptismo.*

185. *Idem assero.* Idem asseruerim hærens Caietano 3 *p. q. 68. a. 7. & Ledesmæ in 4. p. 1. q. 9. a. 7.* affirmantibus, ad valorem Sacramenti in adultis non requiri positiuum consensum, sed sufficere, vt non resistant. Sic expressit Innocentius citatus. Addiderim, sufficere etiam consensum ex metu coactum, vt supponitur in præfato *Cap Maiores, & in Concilio Tolet. 4. can.* 55. quia huiusmodi consensus est simpliciter voluntarius, & liber quamuis aliquid habeat inuoluntarij admixtum. Imò non est necessarius consensus specialis, sed sufficit etiam generalis quilibet; quia quodlibet suscipiens dicitur in susceptionem sacramenti consentire; v. gr. vt consensus, quo quis catholicè viuens desiderat aliquando vti mediis Ecclesiæ, vel ea sibi conferri, quando ipsis indigeat. Hunc certè præsumit Ecclesia in moribundo, quem extremè inungit, quamuis id non petierit. Docet id Hurtad. *de sacram. in gen. disp. 4. diffic. 13.*

PROBL. XXXVI.

Omnia sacramenta conferunt, & non conferunt æqualem gratiam subiectis quamtumuis inæqualiter dispositis.

186. *Æqualē gratiam conferunt.* POtest fieri comparatio inter sacramenta specie diuersa, nempe inter Baptismum, & Confirmationem, & tunc D. Th. 3. *p. q. 65. a. 3.* cunctis sacramentis præfert Eucharistiam: in aliis autem res admodum incerta est. Comparatio itaque fit inter sacramenta solo numero diuersa, scilicet inter duo Baptismata, vel duas Pœnitentias. Igitur sacramenta eiusdem rationis æqualem semper gratiam conferunt recipientibus quamtumuis inæqualiter dispositis. Quia vt sacramentum conferat suum effectum ex opere operato, solum requirit, vt recipiens obicem non apponat: & tunc operatur quantum potest, conferens scilicet quantam gratiam ex vi sua valet exhibere. Melior autem dispositio recipientis confert ad maiorem gratiam ex opere operantis recipiendam, non tamen ex opere operato, cum in obicis negatione omnes sint æquales. Hanc sententiam refert. Suar. *to. 3. in 3. p. disp. 7. sect. 4.*

187. *Conferunt inæqualiter.* Inæqualiter dispositis sacramenta eiusdem rationis gratiam conferunt inæqualem. Quia si causæ naturales in subiecto melius disposito melius operantur: decet quidem gratuitas causas eandem seruare proportionem. Ita Richar. Alens. Bonauent. Sot. Damasc. Cypri. Augustt. Chrys. quos refert, & sequitur Suar. *disp. 7. sect. 7. concl. 1.* Fi liuc. *tr. 1. n. 96.* Coninch. 3. *p. q. 62. n. 47.* Laym. *l. 5. tr. 1. c. 6. n. 6.* Henriq. *l. 1. c. 14. numer. 1.*

188. *Cum his sentio.* Cum his opiniari cogor legens Tridentinum *sess. 6. c. 7.* qui locutus de iustificatione, que fit per Baptismum, asserit in iustificatione illa quemque recipere gratiam secundum mensuram, quam spiritus sanctus partitur prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem. Pone, duos recipere Baptismum (idem de sacramento Pœnitentiæ meditare) cum attritione sola, sed inæquali: certè non possunt ex opere operantis vllam gratiam mereri; quia attritio peccatoris non est meritoria gratiæ iustificantis: & tamen iuxtà Tridentinum cum sacramento recipiunt gratiam inæqualem; ergo datur ex opere operato excessus propter meliorem recipientis dispositionem. An tibi vero simile videatur, attritum vt centum non accipere maiorem sacramenti fructum, quam attritum vt vnum? Hinc fit, si dispositio recipientis extrà sacramentum sufficiat ad gratiam promerendam: qualis est contritio, vel amor Dei super omnia: tunc melius dispositum maiorem recipere gratiam non solum ex opere operato virtute sacramenti, sed etiam ex opere operantis ex vi dispositionis. Nec enim debet esse talis dispositio deterioris conditionis ob coniunctionem cum Sacramento. Si vero dispositio non sufficiat extrà sacramentum ad gratiam obtinendam vt non sufficit peccatoris attritio: non datur recipienti sacramentum vlla gratia vi præcisè dispositionis ex opere operantis; quia talis dispositio ex coniunctione cum sacramento non acquirit vim ad promerendam gratiam in eo met instanti, quo disponit ad illam recipiendam ex opere operato vi Sacramenti.

PROBL. XXXVII.

Vt sacramenta viuorum conferant primam gratiam, sufficit, & non sufficit ignorantia, seu obliuio quantumuis inculpabilis peccati, si revera recipiens sacramentum sit in peccato mortali, nec detestetur illud ex motiuo simpliciter honesto, nempe ex attritione.

189. *Sufficit ea recipere bona fide.* REcipiens sacramenta viuorum bona fide putans inuincibiliter se existere in gratia per inculpabilem peccatorum obliuionem, quamuis sit in peccato mortali, nec aliam dispositionem habeat, per tale sacramentum iustificatur. Quia sacramenta dant gratiam non ponentibus obicem; sed qui sic accedunt non ponunt obicem si quidem sic accedendo non delinquunt; ergo iustificantur. Sic Durand. *in* 4. *dist.* 9. *q.* 4. Palud. *ibi. quæst.* 2. Antonin. 3. *part. tom.* 12. *cap.* 6. §. 7. Sot. & Catherin. apud Suar. *tom.* 3. *disp.* 63. *sect.* 2.

190. *Non sufficit.* Vt sacramenta viuorum conferant primam gratiam, non sufficit recipere bona fide sacramenta huiusmodi, putando inuincibiliter esse in gratia per inculpabilem peccati obliuionem; sed requiritur prorsus saltem attritio supernaturalis saltem extrinsecè. Quia secundum communem legem peccatum, quod voluntariè committitur, non remittitur sine voluntaria detestatione, seu retractatione, quam Deus non acceptat, nisi sit simpliciter honesta, videlicet ex motiuo honesto simpliciter. Ita Reginal. *l.* 28. *n.* 34. Valent. *to.* 4. *disp.* 5. *q.* 1. *punct.* 4. Suar. *to.* 3. *disp.* 63. *sect.* 2. *concl.* 1. Henriq. *l.* 8. *c.* 45. *n.* 2. Filliuc. *tr.* 4. *num.* 169.

191. *Auctoris mens.* Non sufficit ignorantia vel obliuio, quamuis inculpabilis peccati, si re vera recipiens sacramentum sit in peccato mortali, nec detestetur illud ex motiuo simpliciter honesto. Nec enim huiusmodi retractationis necessitas per institutionem sacramentorum fuit retractata, sed adhuc in lege gratiæ perseuerat, vt docet Tridentinum *sess.* 6. *c.* 6. *& sess.* 14. *c.* 4. vbi nomine contritionis latè sumpto comprehendit etiam attritionem, vt patet ex sequentis doctrinæ contextu. Vnde primæ sententiæ (quam falsam omninò crediderim) negarim minorem; etsi enim recipiens sic sacramenta non delinquat, ponit tamen obicem per mortale peccatum non retractatum sufficienter. Addiderim simul cum præfata attritione bonam requiri fidem existimantis se rite dispositum accedere, quatenus inuincibiliter vel ignorat se peccasse mortaliter, vel putat se contritum esse, vel credit sibi licere, cum attritione sola tale sacramentum suscipere. Hinc adnoto, posse quempiam sacramentum in statu medio recipere, scilicet ita vt nec peccet mortaliter sacramentum recipiendo, nec recipiat gratiam, si nimirum in mortali existens non habeat saltem veram attritionem, & inuincibiliter existimet se ritè dispositum.

PROBL. XXXVIII.

Quoties obex fuerit negatiuus, & post sacramentum fictè susceptum commissum fuerit mortale peccatum, sufficit & non sufficit attritio sola ad huiusmodi obicem auferendum.

192. *Sufficit sola attritio.* DVplicem obicem distinguo, alterum positiuum, alterum negatiuum. Positiuus est, quando quis actualiter peccat recipiendo sacramentum. Negatiuus autem, quando quis indispositus accedit ad sacramentum, tamen hoc inuincibiliter ignorat, ideoque non delinquit. Scio quidem, solam attritionem non sufficere ad obicem positiuum tollendum, sed requiri contritionem, vel attritionem cum sacramento: quia nullum sacramentum institutum est, ad tollenda peccata futura, nec vim habet ad ipsorum remissionem. Atqui peccatum indignæ receptionis est aliquomodo natura posterius ipso sacramento: non solum enim interna voluntas recipiendi sacrilegè sacramentum, sed ipsamet externa receptio verum peccatum est, quod non completur, donec perfecta receptione sacramentum fuerit collatum: & consequenter secundum esse completum est natura posterius ipso sacramento. Porrò de negatiuo obice quæstio procedit. Igitur quotiens obex fuerit negatiuus, & post sacramentum ficte susceptum commissum fuerit mortale peccatum, sufficit sola attritio, ad huiusmodi obicem auferendum. Quia licet sacramenta non sint instituta pro peccatis futuris, per accidens tamen videntur hoc in casu posse talia peccata remittere: sicut Sacramenta viuorum

per

per accidens interdum conferunt primam gratiam, & Confessio delet indirectè peccata, quę licitè subticentur. Sic Palud *in* 4. *dist.* 4. *q.* 5. Sylvest. *verb. baptismus IV. circa finem.* & Suar. *to.* 3. *disp.* 28. *sect.* 5. *concl.* 2. probabile reputat.

193. *Non sufficit sola attritio.* In eo casu necessaria est contritio, vel attritio cum Sacramento. Quià præcedens Sacramentum cum institutum sit ad remittenda peccata præcedentia dumtaxat, nullam vim habet ad remittenda subsequentia piacula nec indirectè seu per accidens; nec atrritio per se sufficit ad peecati mortalis remissionem, nisi cum aliquo Sacramento coniungatur. Ità Castr. Pal. *to.* 3. *tr.* 18. *disp.* 1. *pun.* 10. *num.* 3. Durand. *in* 4. *dist.* 4. *q.* 4. Suar. citat. Coninch. *q.* 62. *num.* 82. & 89. Vasq. 3. *p. disp.* 160. *c.* 2. *num.* 10.

Idem asserо. Idem asseruerim, ratus, oppositam sententiam haud esse probabilem. Quoniam ex communi Theologorum habemus Sacramenta nullam habere vim ad remittenda directè, vel indirectè, peccata post ipsorum receptionem committenda. Applicant enim merita Christi dum vnicuique conferuntur, & non ad effectum indeterminatum, qualis esset peccatorum futurorum remissio. Vnde peccata post Baptismum fictè susceptum commissa, recedente fictione, per contritionem, vel attritionem cum Sacramento remittuntur, ideoque necessario confitenda. Lege Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 14.

PROBL. XXXIX.

Quandò fuit obex negatiuus, nec postea commissum fuit mortale peccatum: sufficit, & non sufficit attritio ad huiusmodi obicem tollendum.

194. *Non sufficit attritio.* PRoximo Problem. dixi, obicem negatiuum esse, quando quis indispositus ad Sacramentum accedit, tamen hoc inuincibiliter ignorat, ideóque non delinquit. Quæsierim ergo cùm obex fuit negatiuus, nec peccatum mortale post ea commissum fuit, num attritio ad eum tollendum sufficiat? Non sufficit. Quia hoc nobis ex authoritate dumtaxat, Augustini præsertim constare posset. Atqui nec Augustinus, nec vllus antiquior affirmauit, solam sufficere attritionem; ergo nec nos id debemus asserere. Sic quidam cum Soto *in* 4. *dist.* 4. *q.* 5.

195. *Attritio sufficit.* In hoc casu sufficit attritio. Quia peccata commissa priusquam Sacramentum recipiatur, respectu ipsius non habent rationem obicis, nisi quatenus permanent habitualiter voluntaria; sed hæc ratio voluntarij sufficienter tollitur per veram attritionem; Ergo sufficienter etiam tollitur obex: siquidem qui sic Sacramentum receperat, nullam mortalem perpetrauit culpam, quæ per aliud sit tollenda Sacramentum. Ità Suar. 3. *p. to.* 3. *disp.* 28. *sect.* 5. *concl.* 1. Coninch. 3. *p. q.* 62. *n.* 92. Bonac. *de Sacram. disp.* 1. *q.* 6. *pun.* 6. *num.* 3. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 14. Castr. Pal. *to.* 3. *tr.* 18. *disp.* 1. *pun.* 10. *n.* 2.

196. *Subscribo hisce.* His adhæreo sciens, omnia Sacramenta remittere attrito peccata mortalia prius commissa, quatenus ex opere operato gratiam conferunt; sed similiter dum reuiuiscunt, obice sublato, conferunt gratiam ex opere operato; ergo remittunt attrito peccata mortalia prius commissa. Quemadmodum enim attritio cum Sacramento bona fide suscepto sufficeret ad gratiam (per se quidem in Sacramẽtis mortuorum, & per accidens in Sacramentis viuorum) sine ordine ad aliud futurum Sacramentum: Sic etiam cum bona fide sufficiet vt Sacramentum fictè susceptum reuiuiscat. Porrò quandò Sacramentum per solam attritionem reuiuiscit, tunc solum Sacramentum totam confert gratiam; quando verò reuiuiscit per Sacramẽtum Pœnitentiæ, simul natura cum illo confert gratiam vt causa partialis maiorem, quam vnumquodque per se conferret. Nam vtraque causa vim habet causandi gratiam determinatam, nec vna vim alterius impedit. Idem est, quando obex tollitur per contritionem: tam enim contritio præsens, quam Sacramentum præcedens simul natura concurrunt ad gratiam conferendam, & peccata remittenda per modum vnius agentis totalis: ita vt totus effectus sit à singulis partialiter partialitate causæ, non effectus. Lege Suar. 3. *p. to.* 3. *disp.* 28. *sect.* 5. & Castr. Pal. *to.* 3. *tr.* 18. *disp.* 1. *pun.* 10. *num.* 5.

PROBL. XL.

Dum Sacramentum, sublato obice, reuiuiscit, confert, & non confert gratiam iuxta præsentis dispositionis mensuram.

197. *Confert vberiorem gratiam.* SAcramentum dum reuiuiscit, melius disposito gratiam confert vberiorem. Quia Sacramẽtum dum recipitur confert plus gratiæ melius disposito; vt vidimus superius,) ergo similiter dum reuiuiscit, vbi eadem ratio militat. Id quod præcipuè confirmatur, quando Sacramentum per solam

ſolam attritionem reuiuiſcit; videtur enim inconueniens, vt attritus vt decem non recipiat maiorem gratiam, quam attritus vt vnum. Sic Vaſq. 3.*p.diſp.*159.*c.*5. Suarius autem 3.*p.to.*3.*diſp.*28.*ſect.*4. & Caſt. Pal.*to.*3.*tr.*18.*diſp.*1.*pun.*9.*num.*8.*&* 9. probabilem eſſe affirmant.

198. *Non confert.* Sacramentum dum reuiuiſcit, melius diſpoſito non confert gratiam vberiorem. Quia Gratia Sacramenti commenſuratur cum diſpoſitione actualiter recipientis: & hæc diſpoſitio in actuali receptione nulla fuit; vnde minimam confert gratiam, quam tale Sacramentum conferre ſolet, qualem nimirum confert Baptiſmus infantibus, qui omni diſpoſitione carent. Sacramentum enim, dum confertur, applicat merita Chriſti ad certum effectum vel tunc, vel vbi primum obex erit ablatus, conferendum ſecundum diſpoſitionem, quam tunc reperit in ſubiecto; non autem ad effectum incertum. At ſi poſtea gratiam maiorem melius diſpoſito conferret, merita Chriſti ad effectum incertum applicaret; quia poſſet hic eſſe vel vt centum, vel vt vnum pro varia ſubiecti diſpoſitione. Aſſerendum igitur non dari gratiam iuxtà fictionem tollentis diſpoſitionem; ſed iuxtà diſpoſitionem tẽpore receptionis habitã. Ità Suar. citat. Coninch.*q.*62.*n.*102. & Palaus citat. probabilem eſſe affirmat.

199. *Auctoris opinio.* Exiſtimo, rem ex inſtitutione diuina, quæ nobis quo ad hanc commenſurationem non eſt omninò manifeſta, pendere. Nam ſi gratia fuit Sacramentis promiſſa independenter à futura diſpoſitione, qua remouendum eſt impedimentum, & dumtaxat actuali ſuſcipientis diſpoſitioni commenſurata: minimè gratia dabitur per Sacramentum, receedente fictione, iuxtà futuram diſpoſitionem. Nec erit abſurdum, attritum vt decem non recipere tunc maiorem gratiam, quam attritum vt vnum; hoc enim imputandum erit ſuæ negligentiæ, qua contigit, vt male diſpoſitus Sacramentum prius ſuſceperit. Si verò gratia promiſſa fuit Sacramentis iuxta menſuram diſpoſitionis exiſtentis, quando fructus Sacramenti communicandus eſt, & obex tollatur meliori diſpoſitione; maior gratia communicabitur ex vi Sacramenti iuxtà menſuram diſpoſitionis tollentis fictionem. Nec eſt inconueniens acceptari Sacramentum, cum fictè recipitur, ad effectum indeterminatum ſecũdum præſentem ſtatum; determinatum verò iuxta futuræ diſpoſitionis, quam Deus optimè nouit, menſuram. Lege Caſtr. Pal. *citat.num.*9.

CAPVT XII.

Circa Characterem Sacramentorum effectum.

PROBL. XLI.

Antiquæ legis Sacramentum aliquod, nempe Circumciſio imprimebat, & non imprimebat Characterem.

HÆRETICI noſtri temporis, quos refert, ac refutat Bellarminus *l.*2.*de Sacram.c.*28. negant Sacramenta aliqua nouæ legis characterem imprimere. ſed de fide certum tria Sacramenta legis nouæ, Baptiſmum ſcilicet, Confirmationem, & Ordinem imprimere characterem, de quo *ſect.* 1. Quæſierim igitur, num hoc ſingulare ſit legis nouæ Sacramentis? Certè Circumciſio Sacramentum legis antiquæ characterem imprimebat. Quia Circumciſio hominem deſignabat verè legis alumnum, ſicut noſter Baptiſmus. Sic Scot. *in* 4.*diſt.*6.*q.*9. 200. *Imprimebat Characterem.*

Nullum legis antiquæ Sacramentum characterem imprimebat. Quia nullum illorum hominem deputabat, vel deſignabat ad aliquem effectum ſupernaturalem conferendum, vel recipiendum; ſicut aliqua Sacramenta noſtra, nempe Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo efficiunt. Ita D. Tho. *q.*63.*a.*1. *ad* 3. Lugo *diſp.*6.*num.*10. Vaſq.*diſp.*134.*num.*40. Philib.*tr.*1.*de Ordi. p.*3.*c.*4.*num.*14. 201. *Non imprimebat.*

Hoc quidem longe reputo probabilius exiſtimans ſignum illud circumciſionis à Iudaiſmo homine recedente, omninò deleri, quod quidem characteris eſſentiæ repugnat. 202. *Hoc longè probabilius reor.*

PROBL. XLII.

Nouæ legis Sacramentorum Character eſt, & non eſt aliquid reale.

HAud eſt aliquid reale, ſed aliquid rationis, nempè denominationem extrinſecam deputationis diuinæ ad aliquas actiones ſacras. Quia ſicut per actum extrinſecum voluntatis Regis aliquis conſtituitur Prætor, Dux, vel Senator; ità per actum extrinſecum voluntatis Dei deputantur homines in Sacerdotes, Chriſticolas, ſacrique certaminis agoniſtas. Sic Durand. *in* 4.*diſt.*4.*q.*1. Hurtadus Complut. citat 203. *Non eſt aliquid.*

citat etiam Scotum, sed existimo, aut calami, aut typographi errorem extitisse.

204. *Est aliquid reale.* Character est aliquid reale, seu physicum. Quia Concilia absolutè asserunt, illum imprimi in anima, & esse signum spirituale, quod est entis realis, ac physici proprium. Ita Suar. *to. 3. in 3. p. disp. 11. sect. 2.* Ballarm. *l. 2. de Sacram. c. 19.* Philiber. *tr. 1. de ordi. p. 3. cap. 6. num. 16.* Hurt. *disputat. 3. diffic. 11.* Granad. *tr. 4. disp. 2. num. 1.*

205. *Cum his sentio.* Scio, oppositam sententiam adeo esse suspectam Suario, ac Bellarminio citatis, vt vix eis possit ab errore vindicari: Ast ego cum his sentiens, oppositam mentem ab omni censura liberari posse crediderim. Lege Vasq. *disp. 134. c. 2.*

PROBL. XLIII.

Character est, & non est realis prædicamentalis relatio.

206. *Est relatio realis.* ESt relatio realis prædicamẽtalis. Quia Character est signum, & consequenter relatio extrinsecus adueniens. Sic Maior *in 4. dist. 6. q. 1.* Scot. *in 4. dist. 6. q. 10.*

207. *Non est.* Non est relatio realis formaliter, sed qualitas quædam spiritualis supernaturalis, ac indelebilis. Primam partem probo, quia relatio propriè non fit, sed resultat ex terminorum appositione; sed character fit propriè à Deo, & à sacramento; ergo, &c. Secundam ostendo, quia character non est substantia, nec quantitas, nec relatio, vbicatio, duratio, situs, habitus, actio, ac passio; ergo necessario debet ad qualitatis prædicamentum pertinere. Ita D. Tho. Caiet. Albert. Valent. Suar. Gabri. Richar. & alij, quos refert, ac sequitur Granad. *tr. 4. disp. 2. num. 3.* Ochaga. *q. 15. n. 2.* Gasp. Hurt. *p. 3. diffic. 11.* Vasq. *disp. 134. cap. 2.*

208. *Idem puto.* Idem affirmarim; quia licet character, quatenus est signum aliquam relationem importet; quia tamen illa in ipsa reali entitate ipsius characteris fundatur, nequit esse in genere relationis.

PROBL. XLIV.

Character pertinet, & non pertinet ad secundam qualitatis speciem nempè potentiam ad agendum, vel recipiendum.

209. *Non pertinet.* NOn pertinet ad secundam qualitatis speciem. Quia Character est animæ ac proinde pertinere debet ad primam speciem qualitatis, in qua sunt habitus, & dispositio. Sic Vasq. *disp. 134. num. 7.* Coninch. *q. 63.* Bellarm. *l. 2. de Sacr. cap. 19.* Gasp. Hurt. *disp. 3. diffic. 12.* Suar. *in 3. p. tom. 3. disp. 11. sect. 3.*

210. *Pertinet.* Pertinet ad secundam qualitatis speciem. Quia Character est potentia vel actiua vel passiua in ordine ad conficienda vel recipienda quædam Sacramenta: Charactere enim Baptismi reddimur ad Sacramenta suscipienda potentes; ad diuina exercenda Ordinis Charactere: Charactere autem Confirmationis, ad audacter Christi nomen, eiusque fidem profitendum. Ita Valent. Sot. Henriq. & alij, quos refert, ac sequitur Granad. *tract. 4. disp. 3. n. 2.* Salas *1. 2. 2. tom. 1. tract. 2. disp. 8. sect. 3.* citans Viguer. Ledesm. Capreol. Antonin. & alios. Ludou. de San. Iuan. *q. 3. a. 1. dub. 2.* Philiber. *tract. 1. de Ordi. p. 3. c. 6.*

211. *Idem asserо.* Scio Characterem à Cardin. de Lugo vocitari lumen sindereſis spirituale (*disput. 6. n. 48.*) vt intellectus melius videat id, quod gerendum est: ac proinde collocari debere in tertia qualitatis specie, in qua sunt passio, ac passibilis qualitas. Scio Marsilium *dist. 4. q. 4. a. 1.* & alios asseruisse, Characterem spiritualem esse figuram, qua anima insignitur, & ideo apponi debere in quarta qualitatis specie. Scio, Sayrum *l. 4. c. 2. q. 3. art. 1.* citasse D. Thomam *dist. 4. q. 1. art. 2.* Richard. Valentiam & alios affirmantes, Characterem ad nullam speciem qualitatis directè pertinere: alios autem è contra ad omnes sub diuersis rationibus species attinere asseruisse. Ego autem probabilius putarim, ad secundam qualitatis speciem pertinere.

PROBL. XLV.

Character immediatè subiectatur, & non subiectatur in solo intellectu.

212. *Non subiectatur.* NOn subiectatur in solo intellectu. Quia ad munia exerenda character aptius in ipsa animæ essentia, aut in sola voluntate, aut in intellectu simul, ac voluntate subiectatur. Sic Suar. *disp. 11. sect. 4.* Vasq. *disp. 134. c. 4.* Scot. *in 4. dist. 6. q. 11.* Villal. *tr. 4. diffic. 9. num. 2.* Bonauent. *in 4. dist. 6. a. 1. q. 3.*

213. *Subiectatur.* Character immediate in solo intellectu subiectatur. Quia character est potentia physica, quæ natura sua ordinatur ad debitè religiosè, ac reuerenter ea, quæ spectant ad cultum diuinum, exercenda,

exercenda ; ergo conuenientius in potentia intellectiua animæ subiectatur. Ità Salas 1.2.*to.*1.*tr.*2.*disp.*8.*sect.*3 *num.*70. Henriq. *l.*3.*c.*17.*num.*3. Caiet. Valent. Sot. Richard. & alij, quos citat, & sequitur Granad. *tr.* 4. *disp.*5. *num.*6. Sayr. *l.*4. *c.*4. *q.*1. *art.*2.

214. *Auctoris sententia.* Rejicio Durandi sententiam asserentis *in* 4. *dist.*4. *q.*1. *num.*9. probabiliter dici posse characterem Ordinis esse virtutem actiuam, ideoque in potentiis executiuis, id est, in membris ipsis externis quibus ministrantur, Sacramenta debere collocari, nempè in manibus Sacerdotis, vel in ore, aut lingua. Rejicio inquam, sententiam hanc, quæ quidem defensari non potest, cum expressè in Concilio Trident. *sess.*7. *de Sacram. in gen. can.*9. definitum sit, characterem in anima imprimi, signumque spirituale, indelebileque existere. Probabilem verò puto Patris Suarez ac Vasquez assertionem, nempe characterem immediate in ipsa essentia animi subiectari. Et sententiam Scoti, ac Villalobos, scilicet characterem in sola immediatè voluntate recipi. Et Bonauenturæ opinionem, videlicet characterem in intellectu, ac voluntate simul imprimi. Probabilius autem dixerim, solo suscipi in intellectu ad propria exercenda munia, ob quæ huiusmodi à Deo qualitas apparatur.

PROBL. XLVI.

Character ita est indelebilis vt post mortem maneat, & non maneat tàm in beatis, quàm in damnatis.

215. *Non durat post mortem.* DE side est, characterem signum esse indelebile : non autem est de fide, an solum in vita, an etiam post mortem. Character igitur post mortem minimè durat. Quia quod character sit indelebilis ex eo præsertim colligitur, quia Sacramenta, quæ illum imprimunt, iterari non possunt ; sed ad hoc satis est, esse indelebilem, quamdiu vita durat. Hanc sententiam probabilem asserit Suar. *to.*3. *in* 3. *p. q.*63. *a.*5. Lugo *disp.*6. *sect.*4. *num.*69. Gasp Hurt. *disp.*3. *diffic.*14.

216. *Post mortem durat.* Character etiam post mortem durat. Quia alias Christicola, vel Sacerdos, qui post obitum mirè rediret ad viuos, rursum baptizandus, confirmandus, aut ordinandus esset, quod dici nequit. Ità D. Thom. *q.*63. *art.*5. Coninch. *q.*63. *a.*5. *num.*16. Armil. Viuald. & alij, quos citat, ac sequitur Moure. *p.*3. *c.*1. §.9. *num.*7. Archang. *distinct.*4. Suar. citat.

217. *Idem iudico.* Quod Character sit indelebilis in vita, de fide est : quod autem etiam post mortem solum probabile. Nihilominus assero characterem esse indelebilem adeo, vt de facto perpetuò maneat in anima, quamdiu ipsa durat in quocumque statu ; & hoc modo explicat conclusionem suam Doctor Angelicus *in solut. ad* 3. Quem sensum licet verum arbitrer, de fide non iudico ; quia Concilia non intendunt definire characterem etiam post mortem durare : Hoc enim non erat necessarium, nec ad fidei dogmata pertinebat. At præfatum sensum omninò esse verum scholastici omnes affirmant ; quia concilia absolutè loquuntur, & possunt commodè sine limitatione intelligi. Addiderim, si character vsque ad mortem durat, non esse, cur in morte depereat, cum spiritualis sit, & non pendeat à corpore, in beatisque sine imperfectione vlla repugnante illi statui manere possit : imò cum perfectione, quam ex se affert, est enim qualitas animæ illam perficiens, quæ quidem etiam in eo deseruire valet statu, vt ibi designati specialiter sint, qui hoc beneficium acceperunt diuitiis Christi abundantius perfruendi. De damnatis vero adhuc res magis est dubia : tamen etiam æstimo probabilius : in illis ad eorum ignominiam manere characterem, & vt notior sit eorum ingratitudo, qui cum in hac vita Christi potti fuerint Sacramentis, eorum gratia benè vti noluerunt.

PROBL. XLVII.

Character ita permanet in vita altera, vt eo insigniti eadem potestate vigeant, & non vigeant, ad validè recipienda, vel ministranda Sacramenta.

218. *Eadè potestate non vigent.* IN vita altera non ita indelebilis manet Character, vt eo insigniti vti valeant annexa sibi potestate præfata. Quia frustranea est potentia, quæ nunquam exponetur in actu. Sic Vasq. *disp.*134. *c.*3. Coninch. *q.*63. *art.*5. *num.*18. Hurt. *disp.* 3. *diffic.* 14. Ochaga. *q.* 16. *num.* 8. Lugo *disp.*8. *num.*2. *&* 3.

219. *Eadè potestate vigent.* Character in vita altera cum annexa illa permanet potestate. Quia quod illa potestas nunquam (saltem post generalem resurrectionem) sit proditura in actum,

actum, nimis accidentarium est. Ita D. Thom.*q.*64.*art.*7.*ad* 2. Suar. *disp.* 13. *sect.* 1. & alij, apud ipsos. Hoc existimo debere profiteri omnes, qui docent, characterem esse potentiam physicam non moralem, vt adnotat. Philibert. *tr.*1.*de Ord. p.*3. *c.*6.*n.*3. Henriq.*l.*2.*c.*17.*n.*4.

220. *Hoc tenet.* Idem asseruerim locutus cum Henriquez citato : Hoc charactere baptizati quasi oues minio, aut ferro signatæ distinguuntur à reliquis infidelibus, & manet in hæretico, & in animabus separatis, etiam damnatorum. Quod si forte per miraculum suscitetur homo, non est rebaptizandus, nec initiandus Confirmatione, & Ordine qui Sacerdos obiit; sed retinet indelebiliter suam pristinam dignitatem, virtutem, & officium Sacerdotis, ita vt beatus, resumpto corpore, posset absoluere, aut consecrare Eucharistiã; sed nõ facit de lege; quia vsus potestatis solis viatoribus cõmissus est à Christo.

CAPVT. XIII.

Circa Ministros sacramentorum.

PROBL. XLVIII.

Sacerdos, qui in mortali existens sacramenta ministrat in casu necessitatis, peccat, & non peccat mortaliter.

221. *Peccat grauiter.* DIVIT (v. gra.) Sacerdos infantem casu necessitatis occurrente : peccat mortaliter. Quia tunc ille hanc sacramenti administrationem ex officio ratione suæ Ordinationis exercet. Sic Vazq.*in* 3.*p.tom.*3.*disp.*13.*c.*3. Laym.*l.* 5.*tr.*1.*c.*5. *n.* 8. Coninch. *de Sacram. q.*64. *a.*6.*dub.*4.*n.*36.& alij.

222. *Non peccat grauiter.* Mortaliter non delinquit. Quia Sacerdos ille diluens in necessitate sine solemnitate, non agit vt Minister ex officio ; sed perinde ac laicus : etiamsi aduertat suum peccati statum, aut aduertere debuisset. Ita Henriq.*l.*1.*c.*29.*a.*4. Caiet. *in* 3.*p.q.*64. *a.*6.Suar.*to.*3.*disp.*16.*sect.*4.Ledes.*in sum.c.* 6.*de Sacram. in gen. concl.* 8. Sylvest. *verb. Baptismus* III.*num.*5.

223. *Idem existimo.* Hanc mentem amplector ; Sacerdos enim tali in casu diluens infantem, non se gerit vt Ministrum ex officio sed vt necessitati patientis subueniens proximus. Exemplo exposuerim. Nullus in humanis aut paruus certe apparatus requiritur in eo, qui Regi, casu necessitatis vrgente, subuenit quamuis magnus requiri soleat extrà necessitatis euentum, vt dignè Regi ministerium exhiberi possit.

PROBL. XLIX.

Ministraturus Sacramenta, qui conscientiam habet peccati mortalis, debet, & non debet præmittere confessionem.

224. *Debet præmittere confessionem.* DEbet Confessionem præmittere. Quia tenetur, certiori modo, quo potest, se in gratia constituere. Sic Marsili.*in* 4.*q.*12.*a.*1.*p.*5.*cas.*6. Adri. *in* 4.*q.*3.*de confes.* Palud. *dist.*5.*q.*2.Molfes. *in sum.p.*1. *tr.*7.*c.*10.*n.*17.

225. *Non debet præmittere.* Non debet præmittere confessionem. Quia nullum extat præceptum præmittendi confessionem antè Sacramentorum administrationem. Nec tenemur semper maiorem certitudinem iustificationis procurare. Sufficit ad contritionem conari, donec Minister probabiliter existimet, se diuinam gratiam recuperasse. Ita Suar. 3. *p.to.*3.*disp.*16.*sect.*3.Henriq.*l.*1.*c.*29.*num.*3. Laym.*l.*5.*tr.*1.*c.*5.*n.*11.Vazq.*disp.* 136.*n.*1. & 2. Filliuc.*tr.*1.*n.*86.

226. *Idem puto.* Idem assero, vno excepto Eucharistiæ Sacramento, ad cuius celebrationem (seu Missæ ministerium) confessio est præmittenda ob augustissimi Mysterij dignitatem,& ipsius Sacerdotis celebrantis communionem. Datur quidẽ in Ecclesia præceptum non ministrandi sacramenta cum conscientia peccati mortalis vel latum à Christo, vel ab Apostolis, vel (quod reputo verosimilius) ex ipsa rei tantæ natura prouenies: sed non datur de confessione præmittenda. Falsa tamen prorsus est sententia illorum, quos, presso nomine, refert Petrus de Ledes.*de Sacr.c.*6.*dub.*3. asserentiũ attritionem esse sufficientem ad administrationem sacramẽtorum dispositionem; cum enim attritio non restituat peccatorem in gratiam, nec peccatum excludat, non confert illam sanctitatem, quæ sanctissimum deceat ministerium. Vnde affirmo requiri contritionem, vel attritionem cum confessione præmissa.

PROBL. L.

Minister necessitatis in peccato existens, non solum peccat, & non peccat : sed tenetur, & non tenetur sacramenta conferre.

227. *Non tenetur tunc ministrare.* VIdimus Probl. 49. Sacerdotem qui in mortali existens, Sacramenta ministrat

ſtrat in caſu neceſſitatis,non peccare mortaliter.Quæſierim,an teneatur tunc miniſtrare Sacramenta : Non tenetur. Quia ſemper violatur ius diuinum præſcribens, vt Miniſter ex officio per gratiam ad ſanctè miniſtrandum diſponatur. At qui per impotentiam Miniſter moraliter excuſari poteſt à contritione elicienda, cum hæc elici poſſit breuiſſimo tempore ; præſertim ſi miniſtrandum ſit Pœnitentiæ Sacramentum , dum auditur confeſſio,poterit Confeſſarius contritionem elicere. Sic Petr. de Ledeſ.*tr.de Sacr.c.6.poſt concl.7.dub.*8.

228. *Miniſtrare tenetur.* Quando grauis vrget neceſſitas baptizandi,vel abſoluendi quempiam ſine Baptiſmo, aut Pœnitentia deceſſurum , niſi mox baptizetur,vel abſoluatur : & vnicus adſit Sacerdos, qui conſcius ſibi peccati mortalis non poſſit ſtatim elicere contritionis actum: tunc non ſolum poteſt, ſed tenetur Miniſter ſacramentum conferre. Quia irreuerentia ceſſat ſacramenti propter celerem eius adminiſtrationem , & proximi neceſſitatem , cui mox debemus ſubuenire.Laym. *l.5.tr.1.c.5.n.*8. Coninch *p.3.q.64.a.6.n.22.* Vazq. 3.*p.diſp.*136. *c.3. num.*17. *&* 40.

229. *His adhæreo.* His adhæreo affirmans præceptum diuinum Religionis tunc præcepto cedere charitatis. Certè licet contritio per ſeſe breuiſſimo poſſit tempore elici : tamen ab homine perditiſſimo,vel inueteratæ affixo conſuetudini , qui magis terrore , quàm amore mouetur,vix poſt diuturnam conſiderationem elicitur , ne dum tam ſubita occaſione. Monuerim tamen, hoc intelligendum eſſe de Sacramentis omninò ad ſalutem neceſſariis. Nam alia non debent miniſtrari niſi per miniſtrum exiſtentem in gratia,quamuis vrgeat mortis articulus, vt annotat Vaſq. *n.*41.

PROBL. LI.

In peccato miniſtrans ſinè interruptione multis ſacramenta , v.gr. abſoluens, confirmans , ſeu diſtribuens Euchariſtiam perpetrat , & non perpetrat plura peccata.

230. *Vnum committit delictũ.* VNum ſolummodo committit delictum. Quia cum vnica ſit actio continua cenſetur moraliter vnum peccatum. Sic Filliuc. *tr.*4. *num.* 271. Manuel *in ſum. ver. Miſſa , cap.* 249. *concl.* 26. Henriq. *l.*1.*cap.*29. *num.*4. *lit.S.* de Euchariſtiæ miniſtratione locuti , de qua alibi. De excipientibus confeſſiones multorum ſcribit Rodrig. *in ſum. tom.*2. *cap.* 44. *num.* 3. aſſerens vnicum perpetrare delictum, dummodo ſucceſſiuè pœnitentes abſoluant : eſt enim vnicum peccatum in genere moris:non autem ſi cum notabili interruptione nunc vnum , nunc alium abſolueret,inungeret(addiderim ſimiliter) confirmaret,ſacra aut vnda dilueret.

231. *Plura committit.* Tot mortalia peccata ſacrilegij committit,quot pœnitentes abſoluit, diluit infantes,confirmat fideles,aut inungit. Quia plures ſunt ſacramentorum effectiones, ſeu miniſtrationes, ac plures actiones prauæ completæ,quamuis continuè aut conſequenter gerantur. Ita Coninch.3.*p.q.*64. *art.*6. *num.*35. Bonac. *de Sacram.diſput.*1. *quæſt.*3.*pun.*2.§.1.*num.* 15. Poſſeuin. *cap.* 5. *num.*59 & communis.

232. *Hanc reputo probabiliorem ſententiam.* Ego quidem probabilem reputo ſententiam illam,hanc autem longè probabiliorem , quæ quidem cum de ſacramentis in particulari differam , amplius elucidabo.

PROBL. LII.

Miniſter conſcientia peccati lethalis ſaucius tenetur & non tenetur elicere contritionem , antè quam incipiat adminiſtrationem ſacramenti.

233. *Sufficit contritus perficere.* PRæcepto ſatisfacit , quicumque contritus perficit ſacramentum, nimirum in Baptiſmo dum profert formam, in Pœnitentia dum abſoluit, in extrema Vnctione dum vltimam inunctionem adhibet. Quia verè tunc ſacramentum conficitur. Sic Henriq.*l.*6.*c.*18.*n.*6.*lit V.* Dian.*p.*1.*tr.*7. *reſol.* 47.Poſſeui.*c.*3.*n.*57.

234. *Non ſufficit.* Ad totum ſacramenti miniſterium debet Miniſter in ſtatu gratiæ accedere. Quia totum illud opus ad ſacramentum pertinet. Vnde grauiter delinquit Sacerdos , qui alterius confeſſionem audit in peccato mortali animo eliciendi contritionem priuſquam abſoluat : vel ſi incipiat abluere , iniungere , ſacris initiare,&c. Ita Suar.3.*p.tom.*4. *diſp.*28.*ſect.*1. *num.*3.Franc. de Lugo Magiſter meus doctiſſimus *de Sacram.in gen.c.*2.& alij.

235. *Mea ſententia.* In neceſſitate audiendi, diluendi, aut inungendi moribundum , poteſt excuſari Miniſter,ſi attendens recipienti contritionem non eliciat, donec abſoluat, diluat, inungat ; & tunc ob vrgentiſſimam neceſſitatem excuſatur ex inaduertentia nonnunquam. Si tamen aduertat, vix moraliter vnquam excuſabitur , cum interior

interior contritio citissime possit haberi. Hæc Suarius meus, quæ quidem in bene moratis vera esse profiteor; at male morati non adeò cito mouentur, & excitantur ad contritionem, cui non sunt assueti. Fateor adhuc plerumque tunc Ministrum inaduertentia, aut perturbatione excusari.

PROBL. LIII.

Laicus in necessitate ministrans Sacramenta peccati mortalis reus, peccat & non peccat mortaliter.

236. *Lethaliter delinquit.* CErtum est, posse laicos, necessitate vrgente, ministrare Baptismum, posseque forsan ministrare Eucharistiam (de quo alibi) de factoque Matrimonium ministrare, quoties illud contrahunt. Porro quando necessitas recepturi Sacramentum sic vrget, vt angustiæ temporis aduertentiam tollant; & solicitudo subueniendi periclitanti animum ministrantis adeò perturbat, vt ei liberum non sit, nec possibile moraliter conscientiam discutere, peccata perpendere, contritionem elicere: plane Minister excusatur, licet conscientia criminis lethalis saucius, ministrare aggrediatur. Procedit ergo quæstio, quando laicus ministraturus aduertit suũ statum peccati, vel aduertere debuisset. Laicus quidem in mortali ministrans aliquod Sacramentum, nempe Baptismi, Eucharistiæ vel Matrimonij, quando ex necessitate ei licet ministrare, lethaliter delinquit. Quia nullus ministrat Sacramentum, quamuis Laicus sit, & in necessitate, priuatimque ministret, qui non exerat hoc ministerium vt Christi minister ad hoc institutus, ac subinde virtute Christi merita dispenset ipsius, rem Sacram, & actionem sanctificatricem tractans. Ergo debet se tum Sanctitati principalis agentis, nempe Dei; tum ipsius mysterij Sanctificationi conformare per conscientiæ puritatem: ac per consequens in gratia ministrare, dum potest se per contritionis actum disponere. Alioquin irreuerentia grauis irrogatur Domino, dum ab eius hoste ipsius merita dispẽsantur. Sic Durand. in 4. *dist.* 6. *q.* 6. *n.* 6. Gabri. *in* 4. *q.* 1. *a.* 3. *dub.* 2. Angel. *ver. Baptismus, n.* 10. Vasq. 3. *p. disp.* 136. *c.* 3. *num.* 26. *&* 27. Cast. Pal. *tom.* 3. *tr.* 18 *disp.* 1. *punct.* 5. *n.* 11. Probabilem putat Conich. *q.* 64. *a.* 6. *n.* 37. Reginaldus autem *l.* 26. *n.* 28. tutiorem.

236. *Nõ delinquit lethaliter.* Non peccat mortaliter laicus, qui priuatim in necessitate Sacramentum ministrat, licet aduertat, se conscientia lethalis criminis laborare. Quia obligatio ministrandi Sacramenta in gratia non solum oritur ex sacramentorum sanctitate, quæ Deus vt causa principalis operatur; sed etiam ex consecratione ministri per aliquod sacramentum, quo deputatur ad tale munus per se quidem, & ex officio præstandum. Ita Suar. 3. *p. tom.* 3. *disp.* 16. *sect.* 4. Henriq. *l.* 1. *cap.* 29. *n.* 4. Filliuc. *tract.* 1. *n.* 88. Bonac. *de sacr. disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. §. 1. *n.* 12. Sa *ver. sacramentum, n.* 1. Tolet. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 3. Laym. *lib.* 5. *tract.* 1. *n.* 9. & alij.

237. *Idem asſero.* Idem asſero; quia laici, aut clerici non Presbyteri licet sint in aliquo casu, vel in aliquo sacramento ministri deputati per Christum, non adstringuntur ita grauiter ad sanctè peragendum ministerium, quod illis non competit per se, sed per accidens ob necessitatem permittitur. Fateor laicum ministrantem in mortali cum posset prius conteri; graue veniale peccatum committere, quia re vera se gerit irreuerenter. Porrò Doctores adducti communiter loquuntur de laico priuatim ob necessitatem diluente. Idem tamen affirmo dicendum si laicus existens in mortali deferat Eucharistiam ad infirmum ob extremam necessitatem illius, qui nullum aliud sacramentum in eo mortis articulo receperit. Haud enim lethaliter sic ministrando delinquet; quia non est illa ministratio Sacramenti solemniter facta, nec à Ministro per se consecrato ad tale munus; sed solum priuatim ex necessitate. Ita Palud. *in* 4 *dist.* 5. *q.* 2. *concl.* 3. Henriq. *l.* 1. *c.* 29. *n.* 4. Suar. 3. *p. to.* 3. *disp.* 72. *sect.* 4. De Sacramento autem Matrimonij à sæculari contracto, maius dubium; non solum enim recipiunt, sed etiam ministrant. Recipientes in mortali grauiter peccant; ministrantes autem quid? Cum de Sacramento Matrimonij redibit tractatio in particulari discutiam fusius: in præsenti autem iuxta traditam mentem nostram asſero, laicos ex qua parte ministrant, mortaliter non peccare; quia non sunt Ministri per se ad illud munus deputati per consecrationem, sed necessitate quadam admissi, quatenus in ipso contractu debuit materia ac forma Sacramenti constitui, nec contractus fieri poterat nisi per expressos contrahentium consensus.

PROBL. LIV.

Parochi tenentur ex iustitia, & non tenentur ministrare subditis Sacramenta solum quando hi tenentur recipere.

239. *Tenentur parochi ministrare solum cum subditi recipere tenentur.*

SOlummodo tenentur ministrare Parochi Sacramẽta ex iustitia subditis, quãdo hi tenentur ea recipere, videlicet dum in mortis articulo vrget Pœnitẽtiæ præceptum, Communionis, seu extremæ Vnctionis, vel dum in Paschate debent confiteri, ac communicare. Quia sicut præceptum vrget parochianos illis solum temporibus ad recipiendum: sic etiam Parochos ad ministrandum illis solum temporibus obligabit. Sic Sylvest. *Confessor.* 1. *q.*18. Armil. *Absolutio n.* 17. *& Confessio n.* 38. Medin. *de Confes. q.*37. Richar. *in* 4. *dist.* 18. *a.*2. *q.* 3.

240. *Non solum tunc, sed tenentur etiam, cum ex deuotione petierint.*

Tenetur Parochus ministrare subditis Sacramenta non solum quando subditi tenentur accipere; sed quoties vel ex obligatione, vel ex deuotione petierint. Quia tenetur Parochus non solum necessitati subditorum succurrere; sed etiam vtilitatem & spiritualem eorum profectum procurare. Atqui est contra manifestam subditorum vtilitatem, & spirituale bonum illos spirituali fructu, quem è Sacramentis perciperent, de fraudare. Non ergo potest id petenti subdito denegare quin muneri suo desit. Ita Azor. *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 17. *q.* 10. Ioan. Sanch. *disp.* 47. *n.* 6. fauet dicens: Teneri Parochum etiam ex iustitia confessiones audire quotidianas, quas ex æquitate possit. Tolet. *l.* 5. *c.* 5. *n.* 7. Sa *ver. Confessor, n.* 14. *& ver. Parochus n.* 4.

241. *Mediam teneo viam.*

Probabilem vnam & alteram sententiam ratus, mediam tamen teneo viam affirmans, teneri Pastores suis subditis, per se loquendo, Sacramenta ministrare, quoties ipsi rationabiliter, & opportuno tempore petunt, id est, si non nimis frequenter petant, vel vltra quod prudentia dictat, & ipsorum statum, ac conditionem decet. Quia Parochus ex officio tenetur subditis ministrare Sacramenta secundum eam rationem, qua Christus ipsamet instituit, & vult à nobis adhiberi. Atqui Christus Sacramẽta Confessionis, & Cõmunionis instituit, non solum vt ipsis vteremur tempore præcepti, sed quoties ipsorum vsus attentis circumstantiis personæ, loci, temporis, indigentiæque secundum prudens iudicium vniuscuiusque saluti notabiliter conducit. Ergo Pastor ex officio tenetur subditis rationabiliter petentibus iuxta prudentiæ regulas Sacramenta ministrare. Lege Suar. *to.* 3. *disp.* 72. *sect.* 3. *& tom.* 4. *disp.* 32. *sect.* 1. *n.* 4. Coninch. 3. *p. disp.* 8. *dub.* 17. *num.* 129. Laym. *l.* 5. *tract.* 6. *cap.* 13. *quæst.* 1. Nec displicet Henriq. *l.* 1. *c.* 4. *num.* 4. opinio fantis Parochum teneri quoque per insignium Festorum, ac Iubilei tempora Pœnitentiam, ac Eucharistiam ministrare, quasi tunc censeatur pabulum Sacramentorum ouibus perutile. Porrò subditus rationabiliter petit refici Sacramentis, quoties præceptum vrget, vel adest festiuitas, aut Iubileum, aut tempus quo assolet talia Sacramenta recipere, singulis videlicet mensibus, vel octauo quoque die: vel si grauiter indigeat ad grauem tentationem superandam, aut ad gratiam consequendam quia diu caruit Sacramentis, & vix gratiam conseruat, qui diu à Sacramentis arcetur. Porro Parochus ab obligatione ministrandi liberabitur propter rationabilem causam occurrentem, qualis erit infirmitas, aut lassitudo grauis, aut occupatio magni momenti pro tunc Sacramentorum administrationem impediens; vel si subditus importuno tempore petat scilicet hora prandij, vel somnij vel de nocte velit in Templo confiteri. Sic Suar. Fagund. Bonac. Posseu. Ioan. Sanch. apud Franc. de Lugo *tract. de Sacra. in gen. c.* 2. *q.* 1. *n.* 10.

PROBL. LV.

Parochus, qui bis vel ter in anno subditos extra tempus præcepti non admittat ad Sacramentorum receptionem, peccat, & non peccat mortaliter.

242. *Excusatur à mortali.*

EXcusatur Parochus à mortali cum bis vel ter in anno negat subdito petenti Confessionis ac Communionis participationem, vel si volentes frequentare Sacramenta semel, aut bis in hebdomada qualibet propter molestum onus repellat: dummodo subditus aliqua graui necessitate non premeretur. Quia bis aut ter denegare, est leuis materia: bis autem singulis hebdomadis admittere, grauis Parocho est onus. Ità Henriq. *l.* 6. *c.* 17. *n.* 2. Nugnus *in addit.* 3. *partis, q.* 8. *a.* 4. *dub.* 3. Ioan. Sanch. *dis.* 47. *n.* 10.

243. *Non excusatur.*

Non excusatur à mortali Parochus bis aut ter in anno subditum non admittens ad Sacramẽta Confessionis, ac Communionis.

munionis. Quia si omissio vnius confessionis censeretur materia leuis, sequeretur, illum qui semel omitteret Confessionem annuam ab Ecclesia præceptam, vel debitam ex voto, vel ex iiuncta Pœnitentia, non peccare mortaliter; quòd non videtur concedendum. Ità Bonac. *disp.5.q.7.pun.4.§.2.n.23.*

244. *Primam sententiam magis probo.* Existimans non solum peccare Parochum palam sacramenta negando subditis rationabiliter petentibus: sed etiam exhibendo se rogantibus adeò morosum vt non audeant deinceps ita frequenter petere sacramentis refici; affero tamen, extrà tempus necessitatis aut magnæ vtilitatis, quamuis semel aut iterum, seu ter Parochus differat, Pœnitentiam, aut Eucharistiam ministrare, mortaliter non delinquere, dummodò dilatio tanta non sit, vt subditus in re graui iure suo priuari censeatur, quod prudentis discernendum arbitrio. Hinc cum Suario *3.part. tom.4. disput.32. sect. 1. num.5.* colligo, si subditus importunè, seu nimis frequenter velit confiteri, non teneri Parochum, illum audire; oportet enim etiam aliarum occupationum habere rationem: præsertim quia non tenetur Parochus summum laborem impendere, sed moderatam, prudentemque solicitudinem exponere.

PROBL. LVI.

Tenetur, & non tenetur Parochus per se ipsum Sacramenta ministrare.

245. *Non tenetur per se ipsum ministrare.* NOn tenetur, modo sit alius, cui possit Parochus illud committere ministerium: nec enim Parochus per se tenetur, omnium confessiones excipere, nec quoties subditus velit, nec adhuc tempore præcepti. Quia sacramentum æqualis virtutis est, à quocumque sacerdote ministretur: subditi verò non assolent ægrè ferre quod Parochus ipsis Pœnitentiam, aut Eucharistiam non ministret, si sacerdotes alios ministrantes inueniat. Sic Suar. *tom.3. disp.72. sect.3. & tom.4. disp. 32. sect. 1. num. 5.* Vasq. *3. part. quæst. 93. art.3.dub.6. num.4.* Fagund. *præcep.3. l. 3. num.3.* Bonac. *de sacram. disput.4.quæst.6. pun.1. num.15.* Filliuc. *tr.4. num.268.*

246. *Per se ipsum ministrare tenetur,* Tenetur Parochus, per se ipsum ministrare. Quia cum Parochus iure naturali, ac diuino residere teneatur, non dicitur verè residere, nisi per se deseruiat, & sacramenta ministret. Addiderim Parochum non ministrantem per se ipsum fructus suos non facere beneficium enim datur propter officium virtuali contractu innominato. Quare qui persemetipsum debitum non præstat officium, haud potes fructus beneficij percipere. Ita Graf. *tom. 1. consil. 1. num. 2.* Cordub. *l. 1. q. 19.* Sà *verb. Residentia, num. 1.* Vasq. *opusc. de benefic. cap. 4. §. 2. a. 1. dub. 1. n. 133.* Possev. *c. 1. num. 11.* Indicat. Trident *sess. 23. c. 1.* & declaratio Cardinalium *ibi*

247. *Auctoris sensus.* Ego quidem hanc sententiam putarim veram, quando subditus vult à suo Parocho sacramenta recipere, & non ab alio, quod in sacramento Pœnitentiæ nonnunquam continget. Habent enim Parochiani ius ad obligandum Parochum, vt per se ipsum illis sacramenta ministret, quæ moraliter possit: siquidem Parochum ipsum suis alunt decimis, & habent suarum animarum saluti deputatum. Profecto primæ hæserim sententiæ, quandò Parochus suos remittit subditos ad coadiutorem, vel ad alios sacerdotes legitimam habentes facultatem etiam ex priuilegio voluntariéque ministrantes, sine spirituali subditorum dispendio, & ipsis sponte consentientibus: tunc enim iuri suo sinè proprio cedunt detrimento. Sic Suarius & alij.

PROBL. LVII.

Parochus tenetur, & non tenetur coadiutores adhibere, vt omnibus subditis sacramenta petentibus satisfaciat.

248. *Tenetur quidem.* TEnetur Parochus omni tempore prouidere de Ministris, vt omnibus ouibus petentibus sacramento refici, satisfacere possit. Quia de subditorum viuens annona subditorum debet saluti vel cum sumptu prouidere. Sic Vazq. *3. part. tom.4. quæst.93. art.3. dub.6.*

249. *Non tenetur.* Non tenetur Parochus omni tempore de Ministris prouidere, vt omnibus subditis petentibus sacramenta satisfaciat: sed cum Iubileum instat, aut Festiuitas solemnis celebranda sit. Ita Ioan. Sanch. *disp.47. num.6.*

250. *Idem putarim.* Hæreo Sanctio, affirmans, tunc si Parochus per semetipsum non possit omnium subditorum confessiones excipere, tenebitur prouidere Ministros, qui petentibus satisfaciant. Debet enim ex munere suo tantæ subditorum vtilitati consulere.

PROBL. LVIII.

Parochus tenetur, & non tenetur cum vitæ periculo Sacramenta miniſtrare.

251. *Tenetur miniſtrare.* CVm Miniſtro imminet vitæ diſcrimen tempore peſtis, aut belli, aut inimicorum ex inſidiis, vel ex itinere periculoſo, fideleſque ſolum ex deuotione Sacramenta petunt: ſcio non teneri Parochum, aliumve Miniſtrum cum tanto diſcrimine miniſtrare. Quæſierim autem, quando fidelis indiget Sacramento ob inſtantem mortem, num Miniſtrare Parochus teneatur? Debet planè Parochus cum vitæ diſcrimine ſubditis periclitantibus Sacramenta miniſtrare, ſcilicet Baptiſmum, Euchariſtiam. Pœnitentiam, extremam Vnctionem, nè ſubditi priuentur Sacramentorum fructu; cum teneatur Parochus ex iuſtitia ſubditorum ſaluti proſpicere. (Cæteri vero ſacerdotes ſolum ex charitate tenentur, quando timeretur ſine Sacramento damnandum infirmum.) Quia obligatio iuſtitiæ, qua tenetur Parochus ad ſpiritualem ſalutem ſubditorum procurandam, videtur vrgere etiam cum periculo vitæ, quando ſubditi grauiter indigent Sacramentorum ſubſidiis. Sic Gabri. *ſer. Domin. 4. poſt Pentec. in ſer. de fuga peſtis concl. 4. corol. 1. &* 2. Sylu. *3. p. tom. 2. q. 32. art. 3.* Nunus *in addit. q. 33. diffic. 2.* qui contrariam ſententiam falſam, ac impiam appellauit. Lege Suar. *tom. 4. diſ. 44. ſect. 3. num. 6.*

252. *Non tenetur.* Nec Parochus, nec ſimplices Sacerdotes debent per ſe loquendo, Sacramentum vllum cum periculo vitæ miniſtrare, niſi quando moraliter æterna ſubditi damnatio timetur, ſi abſque munimine Sacramenti recedat. Quia cum homo poſſit ſine Sacramento per contritionem ſaluari, non videtur tam grauis eſſe neceſſitas Sacramentum recipiendi, vt etiam Parochus pro adminiſtrandis Sacramentis vitam exponere cogatur. Ita Armil. *ver. Epiſcopus, num. 6.* Tabien. *ibi. num. 5.* fatur: Prælatus pro adminiſtratione Sacramentorum, quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis ſicut Baptiſmus infantis, ſed ſufficit animi præparatio, non tenetur ſe morti exponere: Confeſſio ſiquidem, & Viaticum voto ſacramenti ſupplentur; & idem erit de Baptiſmo adultorum. Maiol. *l. 2. de irreg. cap.* 20. Fauet D. Thom. *opuſc. de perfect. vitæ ſpiritual. cap.* 14 aſſerens in ſolo caſu neceſſitatis extremæ debere vitam exponi pro ſpirituali proximorum ſalute.

253. *Primæ hæreſcos ſententia.* Ego autem ferè hærens primæ ſententiæ exiſtimo teneri Parochum periclitanti ſubdito miniſtrare pœnitentiam cum periculo vitæ, vel contagij, & Baptiſmum paruulis, imo adultis: ſunt enim ſacramenta neceſſaria neceſſitate medij, nec facilè elicitur contritionis actus. Quare vel extrema, vel grauiſſima reputari debet neceſſitas ſpiritualis petentis eo tempore tale remedium. Tenetur etiam cum diſcrimine vitæ miniſtrare Euchariſtiam: quia Euchariſtia quodammodo cenſetur eſſe ſacramentum neceſſitatis, quatenus infirmus ſine Viatico relictus magno periculo deficiendi exponitur. Parochus autem tenetur etiam graui neceſſitati ſubditorum cum vitæ diſcrimine ſubuenire. Ad miniſtrandam autem extremam Vnctionem cum vitæ periculo haud puto teneri: quia hoc ſacramentum non eſt ſimpliciter neceſſarium. Si autem Parochus poſſit peſtis tempore ſine morali vitæ periculo extremam Vnctionem miniſtrare, teneri exiſtimo. Quia Paſtoralis obligatio cogit, dum ſine manifeſto vitæ periculo poteſt, ſubditos non priuare ſacramenti fructu. Vberrimus recurret ſexto Volumine, Deo dante, tractatus.

PROBL. LIX.

Si Miniſter in Baptiſmo, Pœnitentia, vel alio ſacramento ex malitia non haberet intentionem faciendi, quod agit Eccleſia, & hæc malitia nota non eſſet: Deus ſupplet, & non ſupplet quoad gratiam (non quoad Characterem illum defectum,

254. *Deus ſupplet intentionem miniſtri in eo caſu.* SVpponamus, ad valorem ſacramenti requiri in Miniſtro intentionem perficiendi ſacramentum iuxta diuinam inſtitutionem, nec ſufficere ſolam intentionem ritum externum adhibendi: rogitarim, An ſacramenta ſuſcipiens gratiam reciperet? Certè Deus eo in caſu ſuppleret intentionem Miniſtri. Quia ita decet diuinam bonitatem: Deus enim facienti quod eſt in ſe non deficit in neceſſariis, nec alligauit virtutem ſuam ſacramentis: vnde ſua bonitate ſuppleret non quoad characterem, ſed quoad gratiam. Sic

Sic Durand. Alenſ. Gabri. apud Suar. *3.p.q.* 64.*a.*8. Sylueſt. *ver. Bapt.6.n.*3. Angel. *verbo Baptiſmus* 7.*n.*12. Zanard. *in Direct. p.*1. *de Bapt. cap.*4. Barthol. ab Angel. Dominic. *Exam. Confeſ. de Sacram. dial.*1.§.31. citans D. Thom. & Viguer. Innuit Valentia *to.* 4.*diſp.*3.*q.*5.*punct.*3. fatus: *Probabiliter arbitrantur Theologi Deum infantibus ſupplere defectum Miniſtri, quando hic malitioſè ſubtrahit intentionem, & in adultis eundem defectum intentionis ſuppleri per deuotionem, ac fidem ſuſcipientis: Deo etiam peculiariter ad id cooperante, ſi qui forſan in deuotione deſit. Quamquam illud de infantibus non ſecundum legem ordinariam, ſed ſecundum priuilegium quoddam accipi debet.*

255. *Deus non ſupplet in eo caſu miniſtri intentionem.*

Deus, eo caſu, Miniſtri non ſuplet intentionem. Quia quod ſuppleat non fundatur vlla lege, vel promiſſione, vel ratione neceſſaria; potius pugnat cum generali illa lege, ſeu regula à Chriſto tradita: *Niſi quis renatus fuerit. &c.* Ita Suar. *3.p.to.*3. *diſp.*13.*ſect.*2. citans Sotum, Ledeſm. Maior. Coninch. *3.p.q.*64.*n.* 58. Bonac. *de ſacram. diſp.*1.*quæſt.*3.*punct.*2.§. 3. *num.*10. Filliuc. *tract.*1.*num.*80. Henriq. *l.*1. *c.*10.*num.*3.

256. *Auctoris ſententia.*

Certum de fide eſt, non eſſe validum ſacramentum, ſi deſit intentio Miniſtri, ſubindeque non conferri gratiam eius virtute; quod autem Deus ſuppleat, etiã puto nulla lege fũdari. Vndè aſſeruerim Doctores primæ ſentẽtiæ ſolũmodo niti pietate, quam Suarius vocat nõ ſecundum ſcientiam. Igitur illo in caſu peccator non iuſtificaretur, aut damnaretur, non ob Miſtri malitiam, ſed ob proprium peccatum actuale, aut originale: malitiaque Miniſtri tantum eſſet quaſi cauſa per accidens damnationis, quatenus noluit illud prohibens ſalutem remouere. Scio, Henriquez ſententiam primam imperitam vocitare, Cabreram autem *3.part. quæſt.* 64. *art.* 8. *diſp.*1.§. 6. *num.* 55. *&* 56. appellare erroneam, & temerariam. Ego autem improbabilem dixerim. Vnde ſi conſtaret, in aliquo Baptiſmo (v. gr.) debitam intentionem Miniſtri defuiſſe, iudico eſſe repetendum non ſub conditione, vt voluit Armilla *ver. Baptiſmus, numer.* 50. Sed potius abſolutè.

PROBL. LX.

Sufficit, & non ſufficit in Miniſtro intentio merè habitualis ſacramentis validè conficiendis.

257. *Sufficit habitualis intentio.*

SVppono, intentionem diuidi in actualem, virtualem, & habitualem, vel interpretatiuam. Actualis intentio eſt in præſenti volitio faciendi ſacramentum actu concurrens cum prolatione formæ, vel appoſitione materiæ. Virtualis dicitur, quando præceſſit actualis volitio faciendi ſacramentum, & permanet aliquid ab ea relictum, per quod moueri cenſetur ad actionem externam adhibendo materiam, & formam: dum per impreſſionem prioris volitionis in imaginatiua relictam excitatur exterior facultas ad perficiendos actus initio propoſitos cum primo mediatè ſaltem connexos, homine interim alia cogitante, donec illa ſeries actionum interrumpatur. Habitualis verò intentio dicitur, quandò quis ſola conſuetudine ductus adhibet materiam & formam ſacramenti: quin habuerit voluntatem, hoc ſacramentum miniſtrandi: vel ſi voluntatem habuit, iam illa fuit interrupta, nec per aliquem effectum, vel virtutem relictam in effectum influit extremum. Interpretatiua denique intentio dicitur, quando nec præceſſit actus, nec adeſt habitus volendi: ſed ſolùm exiſtit talis animi præparatio, vt ſi peteretur ſacramentum à Miniſtro, illud miniſtraret: vel quando voluit Miniſter ſacramenti miniſtrationem in cauſa, ſcilicet volens ſomnum, aut ebrietatem, in qua ſolet talem actionem præſtare. Quæſierim ergò, an habitualis hæc intentio ſufficiat, ſicut certum eſt ſufficere virtualem? ſufficit habitualis intentio. Vnde ſi quis Ordines ſacros ſuſcepit, vt fiat Eccleſiæ Miniſter, & abſque alia intentione formali (ſi nunquam habuit contrariam) conſueuit celebrare, miniſtrareque ſacramenta, etiam cum diſtractione mentis: hic Euchariſtiam, ac alia ſacramenta conficiet. Quia illa conſuetudo celebrandi, ac miniſtrandi ſacramenta, quæ nominari (inquit Sotus) poteſt habitus, ſufficit, vt quoties per actus humanos adminiſtrat, intendere facere quod facit Eccleſia, cenſeatur. Sic Sotus *in* 4. *diſtin.* 1. *quæſt.* 5. *artic.*8. Valent. *tom.* 4. *diſput.*3.*quæſtion.* 5. *punct.*3. Nauar. *cap.*25.*n.*21. Henriq. *l.*1.*c.* 10.*num.*2.

258. *Habitualis intentio non sufficit.* Intentio habitualis non sufficit validè conficiendo sacramento. Quia intentio habitualis siuè sit solus habitus, siuè volitio præterita iam interrupta non influit per se met in actionem externam humano, ac libero modo. Quare non est causa libera sacramenti: si quidem ex illa volitione præterita solum habitualiter permanendi nec procedit sacramentum, nec actio aliqua, quæ sit administrationi sacramenti connexa; atqui sacramentum conferri debet ex intentione formali faciendi quod Christus instituit, quæ subindè proximè vel remotè sit per se causa confectionis sacramenti; ergò non sufficit intentio merè habitualis. Ità Suar. *to.* 3. *disp.* 13. *section.* 3. Coninch. *quæst.* 64. *num.* 17. Vasq. 3. *part. disput.* 138. *num.* 18. Bonac. *disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. §. 3. *num.* 17. Filliuc. *tr.* 1. *n.* 76. Laym. *lib.* 5. *tr.* 1. *c.* 5. *num.* 12. *concl.* 3.

259. *His assentior.* His assentior, asserens si quis (v. gr.) proposuerat puerum baptizare, postea vero prorsus immemor eius propositi nec actu, nec virtute permanentis, sed tantum non reuocati: per solam imaginationem aut consuetudinem illum aqua perfundat cum prolatione verborum, non efficere sacramentum. Vnde existimo cum meo Francisco de Lugo primæ sententiæ Doctores intentionem habitualem pro virtuali vsurpare. Quod si velint intentionem elicitam in ordinatione sufficere, quamuis interruptam per alias actiones impertinentes, recidunt planè in habitualem intentionem: quam non sufficere existimo si tamen velint, non requiri formalem intentionem explicitam etiam præteritam faciendi sacramentum; sed sufficere confusam, quæ remotè contineat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, iudico sensum huiusmodi verum omniuò. Sufficiens enim est sacramentorum valori intentio virtualis, dummodo conditio triplex adiiciatur, nempe: Vt intentio actualis præcesserit vel in actu signato, dicendo; volo conficere sacramentum; vel in actu exercito, dum aduertit Minister operationem sacramentalem, quam exercet, aut præparat sciens, & volens illam peragere. Vt hæc præterita voluntas non sit reuocata per contrariam intentionem. Vtque præterita volitio mediatè saltem in sacramentalem influat actionem, quatenus sic excitauit actionem istam, sic applicuit potentias executrices ad illam efficiendam, vt in operationibus externis ad administrationem sacramenti subordinatis iugiter perseueret eius vis, & actiuitas, nec opere quoquam ab administratione sacramenti diuerso prorsus interrumpatur; siuè volitio fuerit explicita conficiendi tale sacramentum hic & nunc: siuè fuerit confusa, v.gr. si velis Missam celebrare, & ex hac voluntate pergis ad Templum, vestes assumis, &c. in harum operationum serie progressuque continuo prior intentio virtualiter permanet; quia perseuerat præteritæ efficacia, virtusque volitionis. Lege Suarium *tom.* 3. *disputat.* 13. *section.* 3.

PROBL. LXI.

Sacramentum conferens sub conditione, quam scit necessario futuram, conficit, ac non conficit Sacramentum.

260. *Conficit sacramentum.* REcolo, intentionem etiam diuidi in absolutam quæ sine conditione procedit: & conditionatam, quæ tendit in obiectum sub conditione vel præterita vel præsenti, vel futura. Requiro autem, an ad verum sacramentum efficiendum sufficiat intentio conditionata? Conferens sacramenta sub conditione, quam scit necessario futuram verè confert. Quia quod scitur necessario futurum habetur pro præsenti; quapropter idem est, ac si sub conditione de præsenti conferret, Sic multi teste Ægidio Coninch. 3. *p. q.* 64. *n.* 81. Et Sanch. *de Matr. l.* 5. *disp.* 2. *n.* 2. edocet Matrimonium initum sub conditione de futuro necessaria validum, & absolutum esse. Cum enim illa conditio futura iam præsens, & determinata sit in sua causa necessaria censetur impleta.

261. *Non conficit sacramentum.* Conferens sacramentum sub conditione de futuro necessaria, sciens vtique necessitatem conditionis, non conficit sacramentum. Quia apponens conditionem futuram in alicuius rei productione, satis indicat, se nolle fieri rem actualiter nisi posita iam conditione, v. gr. dicens, *Ego te baptizo si sol cras oriatur* secundum rigorem verborum intendit suspendere realem sacramenti productionem in diem crastinam, & consequenter inualide baptizat; siquidem nisi sacramentum fiat, dum materia & forma ponuntur, nunquam fiet. Ità Coninch. citatus.

262. *Hanc sequor, & expono sententiam.* Ego quidem veram hanc sententiam existimo, in cuius expeditionem distinguendum puto: si conditio futura necessaria

ſaria ponatur cum intentione ſuſpendendi Sacramẽti productionem in tempus futurum conditionis implendæ, reddit Sacramentum nullum. Vnde Sacramenta, quæ ſuſpendi non poſſunt in tempus futurum, inualide ſub illa conditione miniſtrantur. Si autem qui conditionem apponit neceſſariò futuram velit,mox perfici Sacramentum : nec tam addat conditionem vt ſuſpendat effectum , quam vt certius exprimat ſuam intentionem, quaſi dicat : Tam certò te baptizo , quam eſt certum ſolem cras oriturum ; tunc validè fiet Sacramentum , & intentio potius dicetur abſoluta, quam conditionata. In Matrimonio verò militat diuerſa ratio , nam habet pro materia contractum cuius ſubinde naturam ſequitur ; contractus enim ſub conditione de futuro validè celebratur. Monuerim, perpetrare delictum ex genere ſuo mortale, qui conditionem apponit,in conficiendo Sacramentum , non ſolùm de præterito, ſed etiam de præſenti, vel de præterito ſine rationabili cauſa. Quia exponit ſe periculo miniſtrandi Sacramentum inualidè ſi nimirum conditio non ſubſiſtat. At exiſtente iuſta cauſa , quòd ſcilicet prudenter dubitatur de prioris Sacramenti valore , vel de materia , ſeu diſpoſitione præſenti recipientis : poteſt adminiſtrari Sacramentum ſub conditione vel de præterito , vel de præſenti. Legendus Suarius *to.3 diſp.*13. Reginal.*l.*27.*num.*39.Henriq. *l.*1.*c.*10.*num.*7.

PROBL. LXII.

Error Miniſtri circa recipientem irritat, & non irritat Sacramentum.

263. *Irritat Sacramentum.* INtentio Miniſtri poteſt verſari circà materiam vel perſonam certam : & poteſt verſari circà materiam , ac perſonam incertam. Quæſierim ergò, num Miniſtri error circà recipientem , ob intentionis defectum Sacramenta irritet ? Error circà perſonam , cui vult Miniſter Sacramentum conferre , impedit intentionem neceſſariam ad ipſius valorem. Itaque baptiſmus (v.gr.) non valet,quando Miniſter putans , ſe baptizare puerum , diluit puellam , & è contrariò. Quia talis error impedire videtur voluntarium , quod adminiſtratio Sacramenti tanquam quid eſſentiale requirit. Sic Sylueſt. *ver. Baptiſmus* 3.*q.*15. ſecutus Hoſtien.

264. *Non irritat.* Error circà perſonam, cui vult Miniſter Sacramentum conferre , non impedit intentionem neceſſariam ad ipſius valorem. Vnde Baptiſmus valet , quando Miniſter putans ſe baptizare puerum , diluit puellam , vel à contrariò. Quia talis error ſpeculatiuus practicæ Miniſtri non nocet intentioni. Ità Petr.de Ledeſ. *tr.de Sacram. c.*6. Victor. *de Baptiſ. num.*34. Sot. *in* 4. *diſt.*1.*q.*5.*a.*8. Caſtr.Pal. *to.*3.*tr.*18.*diſp.*1. *pun.*3.*num.*10.

265. *Auctoris ſententia.* Certum eſt ad Sacramentorum valorem requiri,vt intentio Miniſtri ad certam aliquam perſonam , aut materiam dirigatur , circà quam ſine deceptione ſubſtantiali verſetur. Vnde ſi Miniſter expreſsè determinet intentionem ſuam ad hanc perſonam , aut materiam , ita vt omnem aliam excludat : omnis error in tali perſona vel materia ſubſtantialis cenſetur;quia reuera ſolum id facit , quod de facto realiter intendit. Quare ſi tunc varietur materia , vel perſona , iam actio & intentio non verſatur circà idem , & ita nihil fiet. At ſi Miniſter velit huic,quem præſentem habet, quicumque ſit, Sacramentum conferre,quamuis erret circà perſonam, valet Sacramentum ; quia intentio perſeuerat circà perſonam hanc præſentem. Porrò cum Soto *citato* , & Filliuc , *tr.*1. *num.*79. cenſeo ſacrilegum fore Miniſtrum , qui intentionem ſuam ad ſolam hanc perſonam,aut materiam reſtringeret ; quoniam ſe periculo nihil faciendi exponeret. At quamuis hoc regulariter verum ſit , interdum tamen poterit ſubeſſe ratio ſic intentionem limitandi . videlicet ſi timeat Miniſter,nè aliqua perſona ficto nomine ſupponatur , vel ſexu, cui Sacramentum conferre non expediat : & nunc accipiens de hac intentione eſſet monendus , nè fortè falſo credat ſe verum Baptiſmi,aut Pœnitentiæ , aut Ordinis , &c. Sacramentum recepiſſe. Vnde debet Miniſter in Sacramentis omnibus Matrimonnium ſi excipias) dirigere ſimpliciter intentionem ſuam ad præſentem materiam , ſeu perſonam ſine limitatione , vel excluſione, vel tacita conditione non faciendi Sacramentum , ſi materia , vel perſona ſit diuerſa : niſi ratio, vel neceſſitas ſpecialis obliget ad ſic limitandam intentionem : ne ſcilicet ſine cauſa periculum ſubeat Miniſter Sacramentum irritandi. Scio tamen perſonæ errorem in Matrimonio ſubſtantialem cenſeri, ſubindeque ex defectus conſenſus voluntarij nullum reddi Sacramentum.

PROBL.

PROBL. LXIII.

Intentio conditionalis de præsenti, v.gr. Ego te baptizo, si non es hæreticus, sufficit, & non sufficit ad validum Sacramentum efficiendum.

266. *Non sufficit.* NOn sufficit. Quia intentio debet esse efficax; atqui illa intentio conditionalis de præsenti efficax non est; sola enim intentio absoluta includit efficaciam; ergò minimè sufficit. Sic Sotus *in* 4.*dist.*1.*q.*1.*a.*8.adeoque suam sententiam acriter defendit, vt asserat, nulli orthodoxorum hoc ad dubium licere reuocare.

267. *Sufficit.* Sufficit præfata intentio, si talis conditio adsit in baptizando. Quia hoc in casu intentio conditionata Ministri transit in absolutam. Ita Henriq. *l.*1.*c.*10.*num.*7. Becan. *de Sacr.c.*5.*q.*4.*num.*8.

268. *Idem sentio.* Cum his sentio, & contrà alios idem existimo asserendum de Sacramento cum hac conditione ministrato:Ego te baptizo, si es prædestinatus; quia in vtroque casu eadem ratio exponitur.

CAPVT XIV.

Circa Sacramentorum subiectum.

PROBL. LXIV.

Ad valorem Sacramenti in adulto compote rationis requiritur, & non requiritur voluntas aliqua, ac intentio recipiendi illud.

269. *Non requiritur positiua voluntas.* SCIO, non procedere quæstionem circà Eucharistiæ Sacramentum; quicumque enim recipit Eucharistiam consecratam, verè recipit Eucharistiæ Sacramentum, quamuis ignorans recipiat, & nulla, aut qualibet intentione manducet. Nec procedere circa Sacramentum Matrimonij; quia cum iidem sint susci pientes, & ministrantes illud, debent eandem intentionem habere, quam Ministri Sacramentorum, de quo supra. Nec procedere circà paruulos vel adultos haud compotes vnquam rationis; hos enim certum est, validè recipere Sacramenta quorum sunt capaces, Baptismum scilicet, ac confirmationem, licet nullum habeant consensum, vel intentionem. Scio etiam ex D.Tho.*3.p.q.39.a.*2.& Henriq. *l.*1.*c.*22.*num.*3. Ordinem validè conferri paruulis; quia non prærequirit essentialiter actum recipientis; asserente Castro Pal. *to.*3.*tr.*15.*disp.*1.*pun.*12.*num.*3.paruulos omnium Sacramentorum esse capaces præter pœnitentiam & extremam Vnctionem, quæ præsuponunt actuale peccatum:& Matrimonium,quod liberum contrahentis consensum prærequirit. Igitur difficultas versatur in adulto compote rationis circà baptismum, Confirmationem extremam Vnctionem, Ordinem: & requiro, num ad valorem Sacramenti in adulto rationis compote requiratur voluntas aliqua, ac intentio recipiendi? Non requiritur positiua voluntas, sed sufficit præcisiua habitudo, seu neutralis, id est, vt adultus non habeat contrariam voluntatem. Vndè si gentilis adultus (v.gr.) qui nihil vnquam de Baptismo cogitauit, dormiens baptizetur, valet Baptismus. Quia hoc sufficit in paruulis; ergo pariter in adultis. Adde Innocentium III.in cap. *Maiores de Baptismo* profanari: Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit subsistentem. Sic Caiet. *3.p.q.68.a.7.*

270 *Requiritur.* Ad valorem Sacramenti requiritur voluntas aliqua, & intentio recipientis, si sit adultus, & rationis compos. Quia sic Deus voluit, & Christus instituit: quod ex communi Doctorum, & Ecclesiæ sensu cognoscimus. Certè sicut Deus non iustificat adultum sine consensu ipsius libero: Sic per Sacramenta non confecrat nisi liberè suscipientem. Ità D. Tho.*3.p.q.68.a.7.* Suar. *3.p.to.3.disp.14.sect.2.* citans Bonauent. Scot. Durand. Richar.Palud. Adria. Alens. Vasq. *3.p.disp.157.n.6.* Coninch. *q.64.num.100.* Henriq.*l.*1.*c.*22. Layman. *l.*5. *tr.*1.*c.*6.*num.*4.

271. *Idem affirmo* Idem assero addens illud capitis *Maiores,§.item quæritur de baptismo.* Vbi Innocentius III. fatur. *Ille verò, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem recipit Sacramenti; quia plus est expressè contradicere, quam minimè consentire.* Ac si diceret:Qui nunquam consentit, nec rem nec effectum Sacramenti recipit; ergo nec ea recipiet, qui Sacramento recipiendo contradicit. Hoc quidem spectat ad suauem Dei prouidentiam; nec decebat, hominem liberum omnino repugnantem Sacramentis initiari; quod Suarius in singulis Sacramentis sigillatim confirmat.

PROBL.

PROBL. LXV.

Ad valorem sacramentorum in adulto compote rationis sufficit, & non sufficit intentio, seu voluntas habitualis.

272. *Non sufficit habitualis intentio.* SI adultus sit rationis compos, debet habere intentionem actualem, seu virtualem recipiendi sacramentum, nec sufficit habitualis. Quia sicut Deus non iustificat adultum sinè eius consensu, ita nec per sacramenta consecrat sinè proprio consensu. Sic Filliuc. *tr.* 1. *c.* 8. *n.* 131. asserens communem esse Theologorum ex Suario *disp.* 14. *sect.* 2. Ochagau. *q.* 23. *n.* 8. Dixi (addit Filliuc.) requiri intentionem formalem, vel virtualem: quia non eodem modò necessaria est omnibus, vt dicetur de singulis.

273. *Sufficit habitualis intentio.* Non est necessaria intentio actualis, aut virtualis: sed sufficit habitualis, seu præterita non reuocata voluntas, & solum habitualiter permanens I. Quia Innocentius III. in Cap. Maiores, & Leo Papa[3] Epist. 89. Sic habent: & in Concilio Carthaginensi 3. can. 12. definitur, dum decernitur, vt ægrotis, qui loqui non possunt, sacramenta ministrentur, si præteritæ voluntatis testimonium aliorum verbis habeatur. Vnde rectè colligit Vasquez 3. *p. disp.* 137. *n* 6. non solùm ad valorem, sed etiam ad fructum sacramenti sufficere talem voluntatem. Alioqui non præciperent concilia sacramenta conferri. Sic Valent. *to.* 4. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 21. Reginal. *l.* 26. *n.* 50. D. Tho. Alens. Bonau. Richar. & alij, quos refert & sequitur Vasquez citat. *n.* 8. Coninch. *q.* 64. *n.* 102.

274. *Cum his opinor.* Idem assero adiiciens Innocentij III. Cap. *Maiores* approbationem, dum præcipit, amentes, qui fuerunt sui compotes, & voluntatem habuere Baptismum recipiendi, quam non retractarunt, sacra esse vnda diluendos. Cur autem ex parte Ministri requisierim virtualem intentionem, & ex parte recipientis habitualem sufficere affirmem, rationem cum Vasquæ, & Suario reddo: Quia Minister est agens, & operatur per intentionem, quæ nequit influere, nisi vel in se, vel in aliqua sui virtute, seu operatione perseueret. Qui verò recipit, est patiens, ac subinde licet aliquo modo dispositus esse debeat sua voluntate, non tamen requiritur ad receptionem, sic ipsum voluntariè concurrere, vt ipsa receptio procedat ex recipientis voluntate. Sufficit enim receptionem esse voluntariam non vt effectum, sed vt obiectum volitum: & hoc sufficienter præstatur per volitionem omninò præteritam, & non retractatam.

PROBL. LXVI.

Ad effectum cuiuslibet sacramenti percipiendum in eo, qui sibi conscius est peccati mortalis, requiritur, & non requiritur contritio.

275. *Requiritur contritio.* REquiritur ad omnia sacramenta contritio, vt effectus eorum percipiatur. Quia debet quis ad tam præcelsum effectum augustiora media præparare. Sic Gabr. *in* 4. *dist.* 4. *q.* 2. *art.* 2. *post* 4. *concl.* Magist *in* 4. *dist.* 18. *lit. H.*

276. *Non requiritur contritio.* Non requiritur contritio ad omnium sacramentorum effectum recipiendum: sed in eis solummodo, quæ sunt viuorum. Sufficit enim ad gratiam in Baptismo, ac Pœnitentia recipiendam post peccatum mortale commissum etiam cognitum, tam necessitate medij, quam præcepti attritio cognita talis, quæ contineat absolutam detestationem omnium mortalium ob pœnas inferni, vel ob turpitudinem peccati, simulque similem voluntatem nunquam mortaliter deinceps delinquendi. Quia dum Concilia recensent effectus, qui per se competunt sacramentis, proprium effectum Baptismi dicunt esse remissionem omnis culpæ tum originalis, tum actualis: & effectum sacramenti Pœnitentiæ dicunt esse, vel absolutionem à peccatis, vt loquitur Florentinum: vel reconciliationem cum Deo, vt Tridentinum docet. Igitur cum hæc duo sacramenta directè fuerint instituta per Christum ad remittenda peccata, primamque gratiam conferendam, non tenemur gratiam habere ad ipsa recipienda. Nec sacramentum debet illud pro dispositione requirere, ad quod conferendum fuit institutum. Ità D. Thom. *in* 4. *dist.* 6. *q.* 1. *a.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad* 5. Suar. *to.* 3. *disput.* 7. *sect.* 4. Henriq. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 5. Laym. *l.* 5. *tr.* 1. *c.* 6. *n.* 5. Coninch. *q.* 62. *n.* 31.

277. *Auctoris sententia.* Porrò ad recipiendum fructum Baptismi, ac Pœnitentiæ, quæ sunt sacramenta mortuorum, attritio sufficit cognita. Ad reliqua vera sacramenta, quæ sunt viuorum, per se loquendo, contritio requiritur, quandoque per accidens attritio sufficiet, nimirum, si simul adsit bona fides. Iusti autem ad recipiendam gratiam in sacramentis, quæ sunt viuorum, præter voluntatem recipiendi alia bona dispositione non indigent necessario. Quia sacramenta conferunt gratiam

gratiam ex opere operato, dùm in ſuſcipiente voluntariè nullus obex exiſtat. Non poteſt autem alius obex adeſſe voluntariè ſuſcipienti ſacramentum, niſi mortale peccatum. Ergo ſi hoc abſit, gratiæ ſanctificantis confertur augmentum. Verùm ob reuerentiam ſacramenti valde decet, & ad augmentum gratiæ conducit, vt actualem pietatem, & deuotionem quiſque quantumuis iuſtus præ ſe ferre procuret. Imò quoniam incerti ſumus de noſtra gratia, ſuadendum eſt ſacramentum ſuſcepturis, vt ſaltem generalem peccatorum dolorem concipiant, ne forſan illud cum obice recipiant. Lege Caſtr. Pal. *tom.3.tract.18.diſp.1.punct.13. num.2.* Denique in reliquis quinque ſacramentis, quæ dicuntur viuorum dixi requiri ſaltem neceſſitate præcepti veram peccatoris contritionem, qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis. Cum enim inſtituta non ſint per ſe primò principaliter ad remiſſionem mortalium, ex ſua met inſtitutione vitam in ſuſcipiente prærequirunt, quam augeant & corroborent. Ergò contra dignitatem ipſorum erit, cum conſcientia mortalis peccati huiuſmodi ſacramenta recipere. Vndè recepturus hæc ſacramenta ſi reum ſe lethalis criminis agnoſcit, debet ſe in gratia conſtituere per confeſſionem quidem, ſi velit Euchariſtiam recipere, vt docet Trid. *ſeſſ. 13. c. 7.* ſi tamen alia recepturus ſit, ſufficit contritio; licet in omnibus deceat, Confeſſionem maioris certitudinis gratia præmitti. Si quis autem inuincibiliter ignorat ſe peccaſſe mortaliter, aut putat ſe contritum eſſe, vel bona fide credit, ſibi licere cum attritione ſola tale ſacramentum recipere, dum attritus accedit, percipit ſacramenti fructum. De quo *to.2.*

PROBL. LXVII.

Ad gratiam ex ſacramento mortuorum percipiendam, ſufficit, & non ſufficit attritio virtualis cum Sacramento.

278. *Attritio non ſufficit virtualis.*

CVm omnis amor boni contineat virtualiter odium mali oppoſiti, dilectio Dei ſuper omnia virtualiter continet contritionem, id eſt, deteſtationem peccati, quatenus eſt offenſa Dei; vnde ſimiliter actus ſpei, qui formaliter eſt amor propriæ Beatitudinis, vt bonum proprium eſt, continet virtualiter attritionem, id eſt, deteſtationem peccati, quatenus eſt ſummum malum peccantis, ſeu quatenus infert peccatori pœnam æternam. Profectò licet extrà ſacramentum requiratur ad iuſtificationem peccatoris contritio perfecta, ſufficit tamen actus charitatis, ſeu dilectio Dei ſuper omnia: (vt communiter admittunt Theologi) quia talis actus virtualiter continet contritionem. Quæſierim igitur, num ſimiliter ſufficiat interdum attritio virtualis cum aliquo ſacramento mortuorum, quod peccator recipiat cum amore formali Dei, quatenus proprium bonum eſt? Nec procedit quæſtio de ſacramento Pœnitentiæ, quod poſtulat formalem dolorem de peccatis non præcisè vt neceſſariam diſpoſitionem, ſed vt partem eſſentialem ſacramenti. Solum itaque de Baptiſmo procedit. Ad gratiam igitur recipiendam ex ſacramento mortuorum, non ſufficit attritio illa, ex actu ſpei, virtualis: nec videtur extrà Charitatis actum alium dari poſſe, qui contineat virtualiter pœnitentiam, quæ in peccatore abſolutè requiritur. Quia actus ſpei requiritur etiam in adulto recepturo Baptiſmum cum originali peccato dumtaxat, cum tamen ad remiſſionem originalis peccati nulla pœnitentia requiratur. Ergò actus ſpei, vel amor proprij boni ſupernaturalis non continet virtualiter Pœnitentiam, ſeu deteſtationem peccati; ſed ad ſummum continet illam cauſaliter: quatenus volens animæ ſalutem, & ſciens neceſſariam eſſe deteſtationem peccatorum ad illam obtinendam, elicit & illam quaſi ab amore boni proprij ſupernaturalis imperatam. Sic Vaſq. *3. part. diſput. 158. numer. 22. & 26.* Suar. *tom.3. diſput.28. ſect.1. & 2.* Caſtr. Pal. *to.3. tr.18. diſp.1. pun.13. num.8.*

279. *Attritio virtualis ſufficit.*

Quando peccator immemor ſuorum peccatorum vel ignarus inuincibiliter obligationis pœnitendi, cum amore proprij boni ſupernaturalis, ſeu cum ſpe propriæ ſalutis æternæ recipit Baptiſmum: recipit etiam gratiam iuſtificantem. Quia licet ad remiſſionem actualis peccati neceſſaria ſit pœnitentia, ſeu dolor de peccatis: tamen ſufficit virtualis, qualis eſt actus charitatis reſpectu contritionis. At ſicut actus Charitatis, quia tendit in bonum Dei, quatenus bonum Dei, virtualiter odit peccatum, quatenus eſt offenſa Dei: ſic actus ſpei, quia tendit in bonum proprium ſupernaturale, quatenus bonum proprium eſt, virtualiter deteſtatur peccatum, quatenus malum proprium eſt. Ita Scot. *in 4. diſt. 14. q. 4. a. 3.* Caiet. *3. part. q. 86. art. 2.* Franc. de Lugo *de ſacram. in gen.*

in gen.c.4.q.3.n.29. probabilem dicit hanc sententiam Coninch. *q.62.n.36.*

280. *Auctoris mens.* Dixerim equidem, in peccatore memore suorum peccatorum formalem requiri pœnitentiam scilicet contritionem, vel attritionem: sicut in cogitante de vita deinceps instituenda requiritur formale propositum præcepta seruandi. Hi enim actus tali in casu sunt de necessitate præcepti; nec efficax amor boni proprij supernaturalis potest sine tali dolore, vel proposito consistere, quando cognoscitur necessitas illorum actuum ad diuinam amicitiam conciliandam, & conseruandam. Verum quando peccator immemor suorum peccatorum, vel ignarus inuincibiliter obligationis pœnitendi, cum amore proprij boni supernaturalis siue cum spe propriæ salutis æternæ recipit Baptismum: probabilius existimo gratiam etiam sanctificantem recepturum. Nec primæ sententiæ fundamentum quidquam roboris habere puto; quia in adulto solum originale peccatum habente requiritur spes ad Baptismum quatenus formaliter tendit in amicitiam Dei, ad quam nemo nisi volens admittitur. At in habente simul actuale peccatum mortale supplet præterea Pœnitentiæ defectum vel attritionis formalis, quam virtualiter continet.

PROBL. LXVIII.

Veniale peccatum actualiter commissum in receptione Sacramenti impedit, & non impedit eius fructum.

281. *Impedit fructum.* IMpedit fructum recipiendum. Quia videtur absurdum, hominem sanctiorem fieri, dum actu delinquit. Sic Caiet. *3.p.q.79.a.1.* docens Eucharistiam & propter veniale peccatum, & propter actualem distractionem impediri, ne conferat augmentum gratiæ. Id quod ad omnia extendit Sot. *de Sacr.in gen. lect.9. & de Confes.lect.8.*

282. *Non impedit fructum.* Veniale peccatur vel actualiter in receptione Sacramenti commissum, vel antea patratur & adhuc placens non impedit præcipuum Sacramenti fructum. Quia solum mortale peccatum est obex gratiæ, veniale vero nec habet formalem repugnantiam cum prima gratia iustificante nec cum ipsius augmento. Nec est absurdum, hominem dum peccat, fieri diuersis titulis sanctiorem: Nam vt recipit Sacramentum non ponens obicem fit sanctior; quatenus leuiter delinquit, leuiter Deum offendit. Ita Suar. *tom.3.disput.7. sect.4. concl.4.* Coninch. *q.62. numero 45.* Filliuc *tract.1.num.136.* Castro Pal. *to.3. tr.18. disp.1. punct.13. num.2.* asserit D. Thom. de Communione loquutus, vnde à fortiori idem de omnibus aliis Sacramentis quæ minus digna sunt asserere cogitur. Lege Angelicum Doctorem *3.p.q.79.a.8.*

283. *Ab his sumo.* Idem affirmo adiiciens veniale peccatum in Sacramenti receptione commissum, vel adhuc placens recipienti non solum impedire ipsius venialis culpæ remissionem: sed etiam aliquem secundarium fructum Sacramenti, scilicet specialem Dei fauorem, vberius auxilium, feruentiorem deuotionem vel quid simile tibi fortasse concedendum, si ab omni veniali mundus piaculo Sacramenta recipieres. Addo imminuendum etiam fructum Sacramenti præcipuum iuxta dispositionis diminutionem; quia sicut veniale peccatum feruorem charitatis imminuit, sic etiam imminuet feruorem ad Sacramentum recipiendum.

PROBL. LXIX.

Licet, & non licet vnquam aliquod Sacramentum recipere à Ministro non tolerato.

284. *Non licet.* NVllum Sacramẽtum suscipere licet à Ministro non tolerato. Quia Minister non toleratus, qualis nunc est publicus Clerici percussor, & publicè denunciatus non solum illicitè ministrabit sed etiam non potest licite ministrare Sacramenta. Sic D. Thom. *3.p.q.64.a.6. ad 2. & q.82. a.9.* Durand. *in 4. dist.5. quæst.2.* Palud. *ibi, quæst.3. articulo 2.* Richar. *articulo 3. quæst.4.*

285. *Licet plane recipere aliquod Sacramentum.* Aliquod Sacramentum. suscipere licet à Ministro non tolerato. Quia in extrema necessitate qualis est mortis articulus licet Baptismum saltem à non tolerato recipere, Ecclesia enim non obligat ad euitandum excommunicatum etiam non toleratum cum graui detrimento. Ita Sayr. *de Sacram.l.2.c.1. n.21.* Auil. *de Censur.2. p.cap.6. disp.3. dub.3* Coninch. *quæst.64. num.47.* Vasquez. *3.p.q.3.artic.1. dub.4. num.13.*

286. *Idem asserо.* Idem asseruerim. Nec enim Ecclesiæ præceptum cum tanto animi detrimento obligat. Quod quidem ex Problematibus apponendis magis innotescet.

PROBL. LXX.

Etiam in extrema necessitate solummodo Sacramentum Baptismi potest, & non potest à non tolerato Ministro suscipi.

287. *Solus baptismus potest recipi.* SOlummodo Baptismus potest à non tolerato recipi in extrema necessitate, non vero Pœnitentiæ Sacramentum. Quia Ecclesia priuat excommunicatum iurisdictione, quæ planè etiam in mortis articulo requiritur ad validam absolutionem, Baptismus autem ad suum valorem nullam prærequirit iurisdictionem in Ministro; sed à quolibet laico potest in necessitate ministrari. Sic Medina *codi. de Confes. quæst. Cui debeat fieri confessi.* Marsil. *in* 4. *quæstione* 12. *articulo* 2. *parte* 4. *concl.* 2. Couarru. *in Cap Alma p.* 1. §. 6. *num.* 8.

288. *Potest etiam recipi Pœnitentia.* In extrema necessitate non solum Baptismus sed & Pœnitentia potest à non tolerato recipi. Quia grauis est hoc in casu huius Sacramenti necessitas; licet enim possimus per contritionem saluari, difficile tamen est actum contritionis elicere, & rarò sumus securi nos veram elicere contritionem. Ità Nauar. *c.* 27. *n.* 272. Suar. *tom.* 5. *disp.* 11. *sect.* 1. *num.* 14. Coninch. *q.* 64. *n.* 46. Auil. *de Censur.* 2. *p. c.* 6. *disp.* 3. *dub.* 3. *concl.* 4. Filliuc. *tr.* 12. *n.* 74. Vasq. 3. *p. q.* 93. *a.* 1. *dub.* 4. *n.* 12. & 16. Henriq. *l.* 6. *c.* 12. *n.* 7.

289. *Approbo magis hanc sententiam.* Adeò veram secundam sententiam puto, vt affirmem, posse Sacramentum Pœnitentiæ tunc temporis peti non solum à non tolerato, sed etiam ab hæretico, modo non sit periculum peruersionis, seu scandali, nec adsit Sacerdos non illigatus. Vnde existimo primæ sententiæ fundamentum falso niti fundamine; non enim in articulo mortis priuat Ecclesia non toleratum iurisdictione necessaria talis Sacramenti valori, vt constat ex Trident. *sess.* 14. *c.* 7.

PROBL. LXXI.

Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ possunt in necessitate extrema à non tolerato excipi: Eucharistia autem potest, & non potest suscipi.

290. *Eucharistia non potest recipi.* ESto Baptismus, ac Pœnitentia possint in mortis articulo à non tolerato suscipi Ministro; at Eucharistia non potest. Quia Ecclesia nobis prohibet absolutè cum non toleratis communicare præsertim in diuinis, nec excipit aliud Sacramentum etiam in articulo mortis præter Baptismum, & Pœnitentiam; ergo vult, suum præceptum quo ad reliqua Sacramenta etiam in mortis articulo obligare. Eucharistia igitur à non tolerato recipi non potest, cuius quidem haud est tanta nessitas, vt id merito velle censeatur. Sic Canus *relect de Pœnit. p.* 5. Henriq. *l.* 8. *c.* 4. Sayr. *de Sacram. l.* 2. *c.* 1. *n.* 21. Auil. *de Censur.* 2. *p. c.* 6. *disp.* 3. *dub.* 3. Coninch. *quæst.* 64. *numer.* 47. Zambra. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 1.

291. *Potest Eucharistia suscipi.* Potest suscipi à non tolerato in extremo periculo Eucharistia quandò Baptizatus non potest Pœnitentiam recipere. Quia tunc subest summa necessitas alicuius Sacramenti, cum possit per illud peccator iustificari, si tantum sit attritus. Ita Suar. *to.* 5. *disp.* 11. *sect.* 1. *n.* 23. Filliuc. *tr.* 12. *n.* 76. Cast. Pal. *to.* 3. *tr.* 18. *disp.* 1. *punct.* 15. *n.* 1.

292. *Idem affirmo.* Hanc magis probo mentem adiiciens, secluso scandalo, ac Religionis damno, recipi posse Eucharistiam in mortis articulo, licet Minister sit hæreticus. Ideo S. Hermenegildus noluit sacerrimo epulo frui hæretico ministrante, quoniam illis è circumstantiis scandalum oboriretur ac Catholicæ Religionis infamia. Sic intelligo Cap. Fin. 24. *q.* 1. Legendus. Fagund. *præcep.* 3. *l.* 3. *c.* 1. & Suar. *to.* 3. *disp.* 72. *sect.* 4.

PROBL. LXXII.

Extrema Vnctio, & aliud quodlibet Sacramentum viuorum potest, & non potest in periculo mortis à Ministro non tolerato recipi.

293. *Non potest suscipi.* NOn potest suscipi extrema Vnctio à Ministro non tolerato in mortis periculo (vel quando Sacramentum mortuorum, nempe Pœnitentiam suscipere non valet ægrotus) nec aliud Sacramentum viuorum. Quià horum quidem non est tanta necessitas, vt Ecclesia id velle censeatur. Sic Coninch *quæstio* 64. *numero* 47. Vasquez 3. *parte quæstio* 93. *articulo* 1. *dub.* 4. *n.* 13. & *tr. de scand. c.* 2. *dub.* 3. Sayr. *de Sacram. l.* 2. *c.* 1. *n.* 21.

294. *Potest suscipi aliquando.* Quando baptizatus morti proximus non potest Pœnitentiam, aut Eucharistiam recipere, licitè potest extrema Vnctione à Ministro non tolerato donari, vel aliquo alio Sacramento viuorum. Quia tunc

tunc subest summa necessitas alicuius sacramenti, cum per illud peccator attritus valeat iustificari. Ita Zambr. *c.4.dub.4.n.2. & 3.* Coninch. *q.64.n.46.* Auil. *2.p.c.6.disp. 3.dub.3.concl.4.* Bonac. *de cens. disp.2. q.2. pun.2.§.4.num.7. &* 8. Suar. *tom.5.disput.11. sect.1.num.23.*

295. *His hæresco.* Ego quidem his hærescens Doctoribus assero à non tolerato posse in periculo mortis recipi mortuorum sacramenta non alia, nisi quando Pœnitentia recipi nequit. At cum non potest recipi Pœnitentia, posse suscipi aliquod aliud viuorum sacramentum, quod quidem attritis locum exeret Pœnitentiæ. Scio tamen in Confirmatione, Matrimonio, & Ordine haud ita frequenter extremam contingere necessitatem.

PROBL. LXXIII.

Licet, & non licet extrà casum præfatæ necessitatis petere, & accipere à toleratis Ministris Sacramentum.

296. *Non licèt.* NOn licet. Quia Extrauagans. *Ad vitanda*, quæ concedit fidelibus communicationem cum excommunicatis toleratis, nullum fauorem concedere vult ipsis excommunicatis, vt constat ex illius verbis; ergo ipsi mortaliter peccant ministrando sacramentum: ac per consequens delinquent lethaliter, qui petunt ab ipsis sacramenta, siquidem per hoc inducunt excommunicatum ad peccandum. Potuit quidem Martinus V. per illam Extrauagantem tollere, quod erat iuris positiui, scilicet ne censuram incurrant, qui communicant cum toleratis; non tamen quod est iuris naturalis, scilicet ne peccent, qui proximum inducunt ad peccandum. Sic D. Thom. *in 4. dist.39.q.1.a.1.ad 5.* Caiet. *ver. Absolutionis impedimenta.* Adrian. *quodli. 3. ad 3.* Viguet. *in institut.c.15.§.7.vers.8.* Vasquez *3.p.q.93.a.4.dub.4.num.16. & tr. de scand. a.8.dub.4.* limitans hoc intelligendum extrà casum necessitatis extremæ, & quando toleratus copiam absolutionis habere non potest, tunc enim petitio sacramenti præbet scandalum actiuum Ministro tolerato; si verò copiam habeat absolutionis à censura, sed illam nolit: tunc petitio sacramenti scandali passiui habebit rationem; quia petitur, quod benè potest præstare Minister, si velit.

297. *Licet quidem.* Licitè sacramenta recipiuntur, ac petuntur à toleratis, quando vtilitas petentis id exigit: nimirum quoties vrget præceptum recipiendi sacramentum, vel adest occasio Iubileum lucrandi, vel spiritum contra tentamina reficiendi. Quia Martinus V. in extrauaganti *Ad euitanda* concessit fidelibus, vt in nulla re toleratos vitare teneantur: ergò non solum recipere possunt ab illis Sacramenta; sed etiam petere quatenus est ex vi censuræ, seu directæ prohibitionis: siquidem nulla communicatio fidelibus cum toleratis prohibetur. Ita Suar. *tom.5.disp.11. sect.4.* Sà *ver. Sacramentum, n.2. &* 3. Coninch. *q.64 num.49.* Filliuc. *tr.12. num.70.* Regin. *c.1.n.166.* Henriq. *l.1.c.23.n.2.*

298. *Idem existimo.* Idem censeo: quia si possumus licitè petere à tolerato, poterit & toleratus licitè dare. Vno enim correlatiuo concesso, communiter aliud conceditur vt tradunt Panormitan. *in Cap. Quia Clerici, de iure patron. num.7. &* Barthol. *in leg. Codi. de cupres. leg.* 10. Quare si ius concedit vt licitè fideles sacramenta à toleratis petant, consequenter concedit ipsis toleratis, vt ea possint licitè ministrare. Quamuis enim Extrauagans non tollat ab illis censuram absolutè, suspendit quidem eius effectum, quando à fidelibus præueniuntur, in quorum fauorem directè Extrauagans tendit: sed indirectè simul vergere in fauorem dixerim tolerati, quatenus expedit, vt securè fideles communicandi cum toleratis priuilegio fruantur.

PROBL. LXXIV.

Sacramenta possunt, & non possunt extra casum necessitatis à tolerato non Parocho peti, & accipi.

299. *Possunt peti & accipi à Parocho.* A Parocho possunt peti, & accipi sacramenta extra necessitatis articulum: quia petens vtitur iure suo. Cæterum à non Parocho peti non possunt. Quia nullum ius scandali malitiam excusat: tunc enim esset inductio moralis ad peccandum, non quippè habeo ius exigendi. Sic Tolet. *l.1. c.86. vel 93. iuxta diuersas editiones.* Cou. *in Cap. Alma 1.p.§.6.n.7.post 5.concl.* Henr. *l.1.c.30.n.3.* Scio Toletum distinguere è Parochis expositum & non expositum, de quo Probl. proximo.

300. *Possunt peti & accipi à non Parocho.* Possunt peti, ac recipi sacramenta extrà tempus necessitatis à tolerato, quamuis non sit Parochus. Quia Extrauagans *Ad euitanda* facultatem concedit fidelibus communicandi cum excommunicatis, suspensis, interdictis, vel irregularibus to-

leratis in sacramentis, & quibuscumque diuinis, ad euitandum scandala, scrupulos, & animarum pericula. Possunt ergo fideles sacramenta petere à toleratis siue Parochis, siuè non Parochis. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *a.* 4. Lud Lopez *in instr. p.* 2. *de Sacram. c.* 59. Sanch. *de Matr. l.* 7. *disp.* 9. *n.* 8. Bonac. *de Censur. disp.* 2. *q.* 2. *pun.* 2. §. 3. *n.* 4.

301. *Assentior.* Assentior; quia cum priuilegium extrauagantis amplissimum sit, & absolutè loquatur de toleratis omnibus, non est, cur distinguatur ad Parochos dumtaxat, sed ad omnes etiam non Parochos debet extendi.

PROBL. LXXV.

Sacramenta possunt, & non possunt extrà casum necessitatis peti, ac recipi à non exposito.

302. *Possunt peti, & accipi si sint expositi.* A Toleratis, & publicis peccatoribus si sint expositi (siue competat illis ex officio, siuè non) dum non sequatur scandalum graue, possunt recipi sacramenta, ac peti. Quia Ecclesia illos tolerat, & ipsi sacramenta ministrantes sibi solis nocent, iuxta textum in Cap. *Si citantibus* 15. *q.* 8. At à non Parochis non expositis non licet petere sacramenta extra necessitatem extremam. Quia tunc esset inductio moralis ad peccandum, non enim habeo ius exigendi ab huiusmodi non exposito. Sic Tol. *l.* 1. *c.* 86. *vel.* 93. *iuxta diuersas editiones.*

303. *Possunt peti, & accipi, licet non sint expositi.* A toleratis, ac publicis pecatoribus possunt recipi ac peti sacramẽta extra casum necessitatis, licet non sint Parochi, nec expositi, seu parati ad ministrandum. Quia extrauagans illa *Ad euitanda* facultatem impertit fidelibus communicandi cum excommunicatis, suspensis, interdictis, vel irregularibus toleratis in sacramẽtis, & quibuscumque diuinis, ad euitanda scandala, scrupulos, & animarũ pericula. Ergò possunt fideles sacramenta petere à toleratis non Parochis, siue parati sint, siuè non parati. Ità Lud. Lopez *in instruct. p.* 2. *de Sacr. c.* 59. Sot. *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *a.* 4. Sanch. de Matrim. *l.* 7. *disp.* 9. *n.* 8. Bonac. *de Censur. disp.* 2. *q.* 2. *pun.* 2. §. 3. *n.* 4.

304. *Hanc amplectior sententiã.* Magis probo hanc sententiam, alioqui enim fideles, in quorum fauorem præcipuè Extrauagans illa exponitur, non haberent facultatem communicandi cum toleratis in queiscumque diuinis, nec scandala, scrupuli, & animarum pericula euitarentur: siquidem petens non semel addubitare posset, num Minister sit paratus, nec ne.

PROBL. LXXVI.

Si non adsit necessitas vlla, peti potest, & non potest à tolerato Ministro Sacramentum.

305. *Peti potest, ob solam vtilitatem sacramenti,* PRopter solam vtilitatem sacramenti licet nulla alia necessitas adsit, potest quis à tolerato exposito vel non exposito Parocho seu non Parocho sacramentum petere. Quia nulla Ecclesiæ prohibitione prohibemur, ne petamus à toleratis sacramenta, sed solo præcepto charitatis, indirectè præscribente, nè simus eis occasio peccandi, quod non aliter obligat respectu tolerati, quam alterius peccatoris; potest enim toleratus, à quo petitur sacramentum, priusquam illud conferat, conteri, & absolutionem censuræ procurare, vel si non possis illam obtinere, proponere se petiturum: & sic licitè conferet sacramentum. Igitur sic prudenter præsumo nullam me tolerato occasionem exhibere peccandi, vndè licitè peto sacramentum, quod sine peccato posse existimo ministrari. Sic Bonac. *de Censur. disp.* 2. *q.* 2. *pun.* 2. §. 3. *n.* 4. Sanch. *de Matrim. l.* 7. *disp.* 9. *n.* 8. Sot. *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *a.* 4. Ludou. Lopez *in instr. p.* 2. *de Sacram. c.* 59.

306. *Non potest peti ob solam vtilitatem.* Non propter solam sacramenti communem vtilitatem peti potest sacramentum à tolerato; sed necessitas requiritur in petente, non quidem extrema, sed communis, quæ non sufficeret antè præfatam extrauagantem. Quia licet per illam extrauagantem sublata videatur omnis directa prohibitio communicationis, tamen ex natura rei sequitur, supposito censuræ ligamine, vt & ipsi ligati quantum possint moraliter à sacro ministerio abstineant, nisi detur specialis fauor, aut vtilitas petentis. Ita Coninch. *q.* 64. *n.* 49. Filliuc. *tr.* 12. *n.* 70. Suar. *to.* 5. *disp.* 11. *sect.* 4. *n.* 12. Henriq. *l.* 1. *c.* 30. *n.* 2. Petr. de Ledes. *tr. de excommun. c.* 6. *post.* 7. *concl.*

307. *His hæresco Doctoribus.* His hæreo Doctoribus; fundamentum enim primæ sententiæ fateor illam probabilem ostendere, quando præsumitur toleratum sine peccato ministraturum, non tamen omnino conuincit intentum; quia cum maneat in tolerato censuræ ligamen, non videtur sine causa requirendus, vt ministrent sacramenta, quæ possunt æque commode à non ligato suscipi.

***

PROBL.

PROBL. LXXVII.

Cum alij Sacerdotes adsunt haud ligati censura, possumus, & non possumus à tolerato petere Sacramenta.

308. *Possumus petere.* POssumus à tolerato petere Sacramentum, licet adsit alter minister nulla censura illigatus. Quia præsumere debeo, eum sine peccato ministraturum, cum possit prius quam illud conferat, conteri, proponereque absolutionem à censura petiturum, vnde licitè ministrabit. Sic Fagund. *præc.* 1. *lib.* 2. *cap.*5. *num.* 19. & Francisc. de Lugo *tractat. de Sacram. in gen. cap.*5.*q.*2. *num.*17. censet esse probabile

309. *Non possumus.* Non possumus à tolerato Sacramentum petere, si adsit minister, qui nulla sit censura illigatus. Quia quamuis per Extrauagantem *Ad euitanda* sublata sit omnis directa communicationis prohibitio: tamen, suppositio censuræ ligamine, sequitur ex natura rei cunctos fideles, si commode possint, debere à Ministris non ligatis petere Sacramenta. Ita Coninch *q.*64.*num.*49. Filliuc.*tr.*12.*n.*70. Suar.*to.*5. *disp.*11.*sect.*4.*n.*12. Henriq. *lib.*1. *cap.*30. *num.*2. Petr. de Ledesm. *tract. de excom. cap.*6.*post* 7. *concl.* Franc. de Lugo *tract. de Sacr. in gen. c.*5. *q.*2.*n.*18.

310. *Idem censeo.* Idem censeo, nisi adsit specialis petentis vtilitas, aut commodum; nec enim ita facilè toleratus actum eliciet contritionis, vt non pungat petentem scrupulus, an ei occasionem delinquendi exhibeat, dum adest alius, à quo possit sine scrupuli suspicione Sacramenta efflagitare.

PROBL. LXXVIII.

A Ministro Parocho, aut parato, quem moraliter scio cum peccato ministraturum, dum nulla adest necessitas, vel rationabilis mea vtilitas: possum, & non possum petere, aut accipere Sacramentum.

311. *Possum licite petere, ac recipere.* POssum licitè petere, ac recipere. Quia vtor iure meo petendo, aut recipiendo Sacramentum, quod licitè potest conferri; Minister enim non necessitate, sed spontè peccabit, si quidem per contritionem poterat disponi. Atqui qui iure suo vtitur, nulli infert iniuriam. Leg. *Iniuriarum. ff. de iniuriis.* Sic Valent. *Escob. & Mend. Theol. Mor.* T.I. *tom.*4. *disputat.* 3. *quæst.*5. *punct.* 3. Petr. de Ledesm. *tit. de Sacrament. cap.*6.*concluſ.*10.*&* 11. Cabrer.3.*part.quæst.*64. *artic.*6. *disput.*2. §.4. *num.*24. Cartag.*de Sacram.disp.*7.*c.*3.*n.*3.

312. *Non possum.* Non possum licitè petere, aut recipere. Vnde si plures sedent ad excipiendas Confessiones, quorum vnum sciam in mortali ministraturum, licet sit Parochus, alius est adeundus, qui pari satisfactione & sine peccato ministrabit: dummodo nulla necessitas aut rationabilis intercedat vtilitas. Quia tunc obligat Charitatis lex, ad impediendum proximi peccatum, quantum sine notabili nostro possumus detrimento. Atqui possum sine notabili meo incommodo Sacramentum ab alio petere, vel recipere, qui sine peccato æque mihi vtiliter ministrare valet; ergo teneor potius hunc, quam illum adire. Ita Sot. *in* 4. *dist.*1.*q.*5.*a.*6.*& de Iust. l.*6. *q.* 1. *a.*5. Reginal.*l.*1.*n.*165. Bonac.*de Sacra. disput* 1. *q.*6. *punct.*5.*n.*2.*&*.3. Villalob. *tr.* 4. *diffic.*15.*n.*4. Dian. *p.*3. *tr.*4.*resol.*19. Cast. Pal.*tom.*3.*tr.*18.*disp.*1.*punct.* 15.*n.* 3. Suar. *tom.*3.*disp.*18.*sect.* 1. Coninch. *quæstio* 64. *num.* 44.

313. *Hanc sequor sententiam.* His applaudens assero à Ministris peccatoribus, quos prudenter credo indignè ministraturos petere te posse, ac recipere Sacramenta, quoties aliqua tua, vel aliena necessitas, vel vtilitas specialis id exigit, siue sit Parochus, siue non sit Parochus: siue paratus siuè non paratus, qui cum peccato ministrabit, cum tamen posset licitè, si vellet conteri, ministrare. Nec enim eum inducis ad peccandum, sed eius peccatum iusta ex causa permittis. Porrò si nulla sit necessitas tibi, nec specialis ex Sacramento sic recepto obueniat vtilitas: non poteris accipere, aut petere Sacramentum à Ministro Sacrilege ministraturo, dum adest alius, qui pari satisfactione ministrabit. Nitor quidem communi illa Charitatis regula generaliter præscribente, vt si commodè possumus, & sine graui detrimento, proximis peccandi occasionem auferamus quamuis ex fragilitate sua, vel etiam malitia sint lapsuri. Quando igitur possum ab alio accipere, qui pari satisfactione, sine peccato ministrabit, haud mihi licebit Ministrum inducere, qui sacrilege sit ministraturus.

***

PROBL. LXXIX.

Vt possis sine peccato petere aut accipere Sacramenta ab eo, quem moraliter scis in administratione peccaturum: requiritur, & non requiritur grauis necessitas, vel vtilitas.

314. *Requiritur grauis necessitas, seu vtilitas.*

VIdimus Probl. proximo, haud posse nos à Ministro, quem scimus moraliter sacrilege ministraturum petere, aut accipere Sacramenta, nisi adsit necessitas, aut vtilitas. Quæsierim in præsenti, quanta huiusmodi vtilitas, seu necessitas sit futura? Necessitas quidem hæc seu vtilitas debet esse grauis. Quia Charitati aduersatur, qui ob leuem necessitatem, aut vulgare commodum Ministrum efficit grauiter delinquendi subire periculum. Sic Cast. Pal. *tom.* 3. *tract.* 18. *disp.* 1. *punct.* 15. *n.* 3. Coninch. *q.* 64. *n.* 43. grauem ait esse vtilitatem magni festi, quo soleas communicare, occurrentiam, indulgentiarum opportunitatem: grauem verò necessitatem Ecclesiæ præceptum incidens existimat. Sotus consentit *in* 4. *distinct.* 1. *quæst.* 5. *artic.* 6.

315. *Non requiritur.*

Non requiritur necessitas, aut vtilitas grauis, sed minores causæ sufficiunt Quia ad petendum iuramentum à peieraturo, vel mutuum ab vsurario minores causæ sufficiunt, asserunt Doctores suo loco citandi; ergo & ad petendum Sacramenta ab indigne ministraturo haud erit necessaria extrema necessitas grauis, vtilitas magna; sed minor sufficiet. Ità Suar. *tom.* 3. *disp.* 18. *sect.* 1. Villalob. *tr.* 4. *diffin.* 15. *n.* 3. Filliuc. *tr.* 1. *n.* 152. Bonac. *de Sacram. disp.* 6. *p.* 5. *n.* 2. & 3.

316. *Auctoris placitum.*

Existimo, quantitatem, vel qualitatem huius necessitatis prudenter metiendam iuxta rerum, aut personarum circumstantias. Certè maiorem require necessitatem, seu vtilitatem, vt licitè Sacramenta petas à non Parocho, quam à Parocho; quia maius ius respectu Parochi, quam non Parochi habes. Maiorem item, vt petas à non parato, quam à parato; quia plus habet indirectæ saltem inductionis. Quapropter vt liceat petere Sacramentum à Ministro, qui vel ex officio tenetur, vel paratus est, quamuis indignè ministraturus sit, si non adsit alius, qui digne ministret: sufficit communis vtilitas, quæ ex Sacramentis percipitur. Cæterum respectu non Parochi, vel non parati maior causa requiritur, scilicet vt vrgeat Ecclesiæ præceptum circa Confessionem, aut Communionem, vel Missam audiendam, vel vtilitas non differendi nimium Confessionem, aut Communionem, præsertim si petens graui crimine maculetur, aut quidnam simile. Lege Vasq. 3. *p. q.* 93. *a.* 1. *dub.* 2. *numer.* 24. Pitigia. *disputatio* 5. *quæst.* 2. *artic.* 2.

PROBL. LXXX.

Licet, & non licet accipere Eucharistiam à Sacerdote, (quem scio in mortali ministrare) cum eam omnibus accedentibus dispensat.

317. *Licet recipere.*

SCio, Petrum in mortali Eucharistiam dispensare omnibus ad communicandum accedentibus. Quæsierim num mihi liceat ab huiusmodi Sacerdote Sacram accipere Synaxim? Licet tibi recipere. Quia inibi mera datur acceptio, nullaque petitio, nec apparet vlla cooperatio, vel occasio ruinæ, vel culpabile scandalum. Sic Suar. *tom.* 3. *disp.* 18. *sect.* 1.

318. *Non licet.*

Non licet tibi recipere; si facile alius reperiatur, qui sine peccato ministrare possit. Quia illa saltem numero ministratio peccaminosa vitabitur. Ita Bonacina *de Sacram. disp.* 6. *p.* 5. *n.* 2. & 3.

319. *Auctoris mēs.*

Supponens sacerdotem ministrantem Eucharistiam lethaliter delinquere totiens, quotiens cuilibet fideli accedenti ministrat, (de quo *tom.* 2.) cum Suario sentio mortaliter non delinquere qui non petiit, sed inter alios accessit ad mensam. Si tamen Bonacinæ mentem lubeat approbare, puto, quamlibet difficultatem, aut incommoditatem alium quærendi vel expectandi, ministrum, sufficere, vt à peccatore tunc temporis licitè recipiatur Eucharistia.

PROBL. LXXXI.

Peccat, & non peccat mortaliter, qui sine necessitate, aut vtilitate sacerdotem, prauum non paratum, aut non Parochum ad ministrandum Sacramentum inducit.

320. *Non peccat mortaliter.*

QVando sedet ad confessiones audiendas Petrus Concubinarius. (v. gr.) & Paulus vir probus, si nulla necessitas, aut specialis intercedat vtilitas potius adeundi Petrum, quam Paulum: veniale piaculum erit, Petrum eligere, nunquam autem mortale, nisi forsan inde graue sequeretur

sequeretur scandalum. Quia necessitatis, aut vtilitatis defectus videtur accidentaliter, ac leuiter variare actus illius substantiam. Sic Cabrera 3.*p.q.*64. *a.*6.*disp.*2.§.4. *num.*24. Carthag. *de Sacram. disp.*7.*c.*3.*n.*3. Ledesma apud Villalobos citandum.

321. *Mortaliter peccat.* In receptione Sacramentorum à prauo Ministro includitur cooperatio ad malum intrinsecè mala, ac lethalis. Quia in tam graui materia non haud reputandum esse leue piaculum, sine causa vel vtilitate non paratum ad huiusmodi inducere ministerium; cum facilè quis posset ministrantis euitare peccatum, ab alio digno Sacramentum suscipiendo. Ita Suar. *to.*3. *disp.*72.*sect.*4. Fagund. *præcep.*3.*l.*3.*c.*3.*n.*12. Villalob. *tract.*4.*diffic.*15.*num.*3.

Cum his opinor: Nec enim habes ius ab alio petendi quod cum peccato præstabit, nisi vel necessitas vrgens vel vtilitas indè proueniens peccati permissionem excuset. Equidem quoties in huiusmodi receptione ob defectum causæ peccas, ob materiæ grauitatem peccatum lethale perpetras.

PROBL. LXXXII.

Licet, & non licet tibi à publico concubinario, vel fornicario Sacramenta recipere.

322. *Non licet petere, aut recipere.* PVblicum vocito, aut notorium concubinarium illum, cuius delictum per confessionem factam in iudicio, vel per sententiam aut legitimam testium depositionem, vel per talem euidentiam facti, quæ nulla valeat tergiuersatione celari, est notum. Fornicatorem autem publicum illum appello, qui abutens hanc vel illam vagatur. Itaque non licet, à publico concubinario, vel fornicario petere, aut recipere Sacramenta. Quia in Cap. *Nullus*, Cap. *Præter hoc*, *disp.* 32. Cap. *Vestra*, Cap. *Quæsitum de cohabitat. Cleric. & mulier.* Districtè prohibemur publici concubinarij, vel fornicarij notorij Missam audire, vel ab ipso recipere Sacramenta: præceptum autem negatiuum obligare censet D. Tho. 3.*p.q.*82. *a.*9. Præterea hi publici fornicarij aut concubinarij dicuntur in præfato Cap. *Quæsitum* esse suspensi quoad se propter conscientiam criminis, & quoad alios propter obligationem eos vitandi, quod videtur Tridentinum *sess.* 25. *c.*14. confirmare. Sic Abbas *Cap. Vestra*, Maiol. *de Irregul. l.*5. *c.*37. Nauarr. *c.*47. *num.*76. *Azor. to.*1. *l.*6.*c.*7. *q.*5 Armil. *ver. concubinarius num.*5. Ludou. Lopez *in instr. part.*2. *c.*23. & 31.

Concubinarij aut fornicarij publici vitandi non sunt in diuinis pluspquam reliqui Ministri peccatores, ideo licet ab eis Sacramenta recipere. Quia non sunt ipso iure suspensi; illis enim iuribus non satis exprimitur suspensio ipso iure lata, sed ad summùm ferenda. Ideoque Tridentinum manifestè decidit, illos esse suspendendos. Ità Suar. *p* 3. *to.*3. *disp.*18. *sect.*1. Auil. *de Censur. p.*3. *disp.*5.*dub.*2. Henriq. *l.*9.*c.*25. *num.*13. *lit. S.* Fagund. cum aliis *præcep.*1.*l.*2.*c.*5. *num.*48. 323. *Licet petere, ac recipere.*

His adhærens, crediderim quamuis antiqua iura suspensionem ipso facto tulissent, iam esse quoad hoc per contrariam consuetudinem abrogata. An non illa prohibitio recipiendi à concubinario Sacramentum, vel eius missam audiendi, iam censetur vel contraria consuetudine, vel per Extrauagantem, *Ad euitanda* (quæ concedit, vt nullum nisi denunciatum, aut publicum clerici percussorem vitare teneamur) ablata? Non igitur magis prohibemur, à publicis fornicariis, quam ab aliis peccatoribus sacramenta recipere; aut postulare iuxta regulam charitatis superius adductam. 324. *His adhæreo.*

PROBL. LXXXIII.

Licet, & non licet, in necessitate dare pro recipiendo Sacramento, pretium.

REnuit Minister auarus tuo infanti moribundo baptismi Sacramentum, aut tibi Pœnitentiam, aut Eucharistiam agenti animam, nisi pecunia ei exhibita, ministrare. Licet nè pretium exhibere? Prius quam placitum Doctorum expendam vtrumque, suppono, triplicem posse distingui modum hoc in casu pecuniam exhibendi. Primus est, si pecunia daretur pro Sacramento tanquam pretium æquiualens. Secundus est, quando pecunia daretur pro Sacramento, non vt æquiualens ipsi, sed tamen vti pretium propriè apprehensum vt medium necessarium ad obtinendū Sacramentum. Tertius est, si pecunia detur non pro sacramẽto, sed ad redimendam vexationem vel ad alliciendum sacerdotis animum, vt deposita praua voluntate, debite ministret Porrrò primum numquam licebit; quia talis æstimatio Sacramenti prorsus est iniqua contra ius naturale, cum multum deroget intrinsecæ Sacramentorum dignitati, de quo alibi. Igitur iuxta secundum ac tertium modum Problema procedit. Profecto hisce in casibus minime licet pe- 325. *Non licet dari pecunia.*

cuniam dare sub quouis colore, vel titulo, quamuis extrema sit Sacramenti necessitas, qualis est infantis, qui non potest sine Baptismo saluari, nec adest, qui valeat diluere, aut sciat nisi Minister auarus. Quia emere Sacramentum, est intrinsecè malum contrà ius naturale diuinum, sicut & vendere, cum vtrumque contineat simoniam iuri diuino naturali contrariam; sed non potest in eo casu dari pecunia Ministro, nisi Sacramentum emendo, quæ vexatio Ministri cõsistit solum iniqua in negatione Sacramenti. Ergo tollere, vel redimere vexationem, est constituere Sacramentum sine vexatione, quod fit data pecunia, & per consequens emitur Sacramenti collatio. Quæ quidem emptio cum sit intrinsecè mala, propter nullum finem vel necessitatem licebit, sicut nec Blasphemia, periurium, &c. Sic D. Tho. *in* 4. *dist.* 5. *q.* 2. *a.* 2. *quæstiunc.* 5. *ad* 2. Alens. *p.* 2. *q.* 169. *memb.* 3. *a.* 1. *dub.* 2. Palud. *in* 4. *dist.* 5. *q.* 3. *num.* 17. Sylvest. *ver. simonia, q.* 8. Gloss. *in Cap. baptizandis* 100. 1. *q.* 1. asserens permittendum potius infantem sine Baptisme obire; sed addens inconsequenter: Ego tamen potius darem pecuniam, quam permitterem eum sic mori, licet non deberem sic facere.

326. *Licet dari pecunia.* Licet dare pecuniam, non vt pretium Sacramenti, sed ad redimendam vexationem, & ad tollendum impedimentum prauæ voluntatis auaritiæ, non solum in extrema necessitate; sed etiam in graui tam paruuli, quam adulti. Quia qui dat pecuniam eo in casu, nullam irrogat Sacramento irreuerentiam; sed potius Mysterium Religiosè reueretur, dum suo facto testatur, esse ad salutem necessarium. Non enim æstimat illud pecunia, nec intendit pecuniam exhibere tanquam pretium; sed solùm inducere Ministrum, vt velit id, quod velle tenetur, & explere illius cupiditatem, nè ipse, vel proximus extremo aut graui affectus periculo remedio salutis necessario priuetur. Ità Less. *l.* 2. *c.* 35. *n.* 38. & 39. Suar. *to.* 1. *de Relig. l.* 4. *de simon. c.* 12. *n.* 13. Bonac. *de simon. disp.* 1. *q.* 4. §. 1. *num.* 7. Layman. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 21. Filliuc. *tr.* 45. *c.* 3. *q.* 5. *num.* 12.

327. *His applaudo.* Existimo (his applaudens) huiusmodi pecuniæ elargitionem per intentionem dantis, & habentis ad hoc ius ex vrgente necessitate, posse ab emptione Sacramenti separari, subindeque prorsus à simoniæ denudari labe. Quod si sic separari potest, ac denudari, etiam adultus morti proximus & indigẽs Baptismo vel pœnitentia, rationem habet honestissimam talem pecuniam exhibendi; quia peccatoris adulti necessitas est grauis admodum, qualis damnatio æterna debet censeri. Quare nec elargitio huiusmodi vllam Sacramento irreuerentiam continet, nec eius derogat dignitati, nec absoluto Dei dominio in omnibus supernaturalibus donis; ergo & ad causam paruuli, & adulti licebit.

PROBL. LXXXIV.

Si Sacerdos ita iniquus esset, vt nollet Sacramentum ministrare, nisi asseras iuramento, te pecuniam in Sacramenti pretium exhibere: licet, & non licet, iurare.

328. *Licitum est.* SCio, haud posse tale iuramentum emitti, omnium sententia, si Minister iniquissimus hoc petat in contemptum, aut irrisionem Sacramenti, seu Catholicæ Religionis; quia huiusmodi pecuniæ traditio cum contineat Religionis iniuriam, est adeo praua intrinsecè, vt vel pro salute spirituali propria, aut aliena geri non possit. Præcedens ergò quæstio casu, quo intentio petentis pecuniam vt pretium Sacramenti, non sit tam praua; sed procedat ex auaritia, vel odio, nimirum vt alium sui criminis consortem efficiat. Licitum est, date pecuniam in pretium, & iurare, quod hac intentione exhibeatur. Quia hoc in casu emptio Sacramenti licet; non enim est intrinsecè malum, rem spiritualem emere, vt in casu necessitatis extremæ cohonestari non possit: sicut cohonestatur homicidium in defensionem; cessat enim iniuria sacramenti, quando salus æterna proximi, præsertim filij aliter amittetur. Doctrinam expono: Hic concurrunt duo opposita præcepta, primum Religionis, non emendi sacramentum: secundum charitatis, subueniendi proximo extremè indigenti. Prudentia dictare videtur fortius esse hoc, quam illud, nec relinquendum in æterna damnatione infantem, sed emendum sacramentum, ne pereat. Ergo talis emptio sacramenti non est sacrilega, nec illicita, sed conformis charitatis præcepto. Vnde non solum poteris, sed debebis tali in casu sacramentum emere. Poteris igitur iuramento asserere, te pretium pro Sacramento exhibere. Sic Sotus *de Iust. l.* 9. *q.* 6. *a.* 1. & aliqui Thomistæ, docent esse probabile, teste Less. *l.* 2. *c.* 35. *num.* 37.

Non

329. *Non est licitũ.* Non est licitum dare in pretium pecuniam, vnde licitum non erit iurare quod hac intentione exhibeatur. Quia talis intentionis assertio circà commercium illicitum præsertim iurata grauissimam sacramenti inuoluit iniuriam, quæ iam tunc non est separabilis ab ea pecuniæ largitione. Ita Suar. *l.4.de Simon. c.12.n.26.* iudicans Soti doctrinam singularem, improbabilem, & horrendam.

330. *Quid auctor?* Consenserim planè, at cum eodem Suario, & Vgolino *Tab.1.c.6.n.5.& 8.* existimarim, posse quempiam in eo casu verbis amphibologicis vti, vel restrictione mentali, qua excludatur emptionis intentio & responsio verificetur non iuxta mentem petentis iuramentum, sed dantis. Censeo igitur posse facilè deludi petentem iuramentum illud amphibologia, vel restrictione: si dans pecuniam addat interius: si liceat, non autem si non liceat; subesseque iustissimam, vtendi huiusmodi restrictione, causam legendus Filiuc. *tr.45.c.3.n.14.*

PROBL. LXXXV.

Pro labore administrationi sacramentorum intrinseco potest & non potest pretium accipi.

331. *Licet pretium recipere.* SVppono, in his functionibus tria posse considerari: primum, actionem ipsam, qua talis est; secundum, laborem intrinsecè cum illa coniunctum, sinè quo quidem opus consistere non valet; duplexque distinguitur, vnus intrinsece constituit ipsam functionem, videlicet in sacramentis prolatio formæ cum locutione, vel vnctione: alter autem labor necessario præcedens vel subsequens sacram functionem, nempe ad Ecclesiam pergere, indui vestibus sacris, &c; tertium denique, laborem extrinsecus annexum sinè quo potest opus absolutè consistere, qui etiam dupliciter distinguitur, vnus qui nascitur non ex ipsa sacra functione, sed ex opere diuerso per accidens cum illa coniuncto, nimirùm si sacerdos cogatur vnam, vel duas inambulare leucas, duas expectare horas, vt sacramẽtum ministret: alter, qui ex parte subiecti, vel Ministri per accidens cum sacra functione coniungitur, quatenus idem opus personæ debili est laboriosius, quam forti. Profecto circa laborem intrinsece cum sacramentorum administratione coniunctum quæstio procedit. Etiam pro intrinseco labore huius sacræ functionis licet pretium recipere. Quia omnis labor corporalis mercede locari potest, ergò etiam sacrarum functionum labor iuxta illud Lucæ: *Dignus est operarius mercede sua. c.10.* Consequentiam expono, nam labor corporalis intrinsecus sacræ functioni, vel incommoditas eundi, seu redeundi, seu assistendi tempore necessario moraliter est æstimabilis, nec suum valorem propter coniunctionem cum spirituali functione amittit; poterit ergo vendi præcisè secundum istum valorem non augendo pretium ob spiritualem dignitatem, sinè labe Simoniæ. Sic Adrian. *Quodl. 9.a.1.lit.D.* Bonauent. *in 4. dist.25.a.1.q.4.* Glos. & Abbas *cap. significatum de præb. ver. Itaque* Iuli. Clar. *ver. Simonia.num.2.* Angel. *ver. Simonia numer. 6.* referens Innocent. & Hostiens. *in cap. Quoniam.*

332. *Non potest.* Labor intrinsecus sacris functionibus nec estimari pretio, nec vendi potest. Quia labor intrinsecus actioni sacræ sic est cum illa coniunctus, vt non possit ab actionis sanctitate separari; est enim actio materialis, in qua consideratur inesse sanctitas, nempè locutio, motioque membrorum ab intellectu, ac voluntate ministrantis promanans; Ergò vendi non potest sinè intimæ coniunctæ sanctitatis iniuria. Ita Caiet. Durand. Palud. Gabri. Abul. Abbas, Ioan. Andre. & alij quos refert, & sequitur Suar. de Simon. *lib.4.c.21. num.5.* Laym. *l.4.tract.10.c.8.num.41.* Bonac. de Simon. *disp.1.q.6.num.3.* Villalob. *tom.2.tract.37.diffic.9.num.2.& 4.* Lessi. *l.2. cap.35.*

333. *Idem affirmo.* Huic placito applaudens assero, pro laboribus intrinsecis sacramentorum administrationis non posse propriè pretium exigi, vel accipi: posse tamen accipi, imò exigi sustentationis titulo; quia dum Ecclesiasticus Minister sacris ministeriis occupatus non potest aliis operibus, aut lucris incumbere, quibus ali valeat: ius compara t, vt à fidelibus, quorum curam expedit vtilitati, sustentetur. Porro hinc primam, & secundam sententiam hanc conciliarim distinctione: si labor corporalis intrinsecus sacramentorum administrationi, ad alterius vtilitatem susceptus consideretur in ordine ad operantem secundum genericam rationem seruitij, vel operis in alterius gratiam præstiti, compensari debet aliquo temporali, non vt pretio, sed vt vitæ alimento: si verò consideretur in ordine ad opus spirituale secundum specificam eius rationem, & vtilitatem non potest pretio vendi, vel æstimari;

quia

quia ipsa spiritualis functionis dignitas, & vtilitas æstimaretur. Certè sicut omnibus aliis operantibus ad alterius voluntatem necessaria sustentatio naturali iure debetur: sic etiam iis, qui ministeriis spiritualibus occupantur.

PROBL. LXXXVI.

Obligatio administrandi sacramenta, aliásque sacras peragendi functiones, potest, ac non potest vendi.

334. *Potest diuendi.* Diuendi potest. Quia obligatio administrandi sacramenta, aliasque sacras functiones peragendi, distinguitur ab ipsa administratione, functioneque spirituali. Certè sicut in mutuo nihil accipi possit vltrà sortem, tamen potest accipi pro mutuandi obligatione: sic licet pro administratione, seu functione sacra præcisè nihil accipi possit, tamen pro obligatione ad talem functionem potest suscipi. Sic Caiet. *ver. Simonia, regula* 4 Nauar. *c.* 23. *n.* 102. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 35. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *cap.* 8. *num.* 41. Bonac. *de Simo. disp.* 1. *q.* 6. *punct.* 3. *n.* 9.

335. *Non potest diuendi.* Obligatio huiusmodi non potest pretio diuendi, vel locari. Quia (docente D. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 4. *ad* 1.) temporalia connectuntur spiritualibus tanquam fini, & ideò quamuis liceat vendere temporalia: ordo tamen ad spiritualia sub venditione cadere non debet. Ita Suar. *l.* 4. *de simo. cap.* 21. *num.* 17. Franc. de Lugo *tractat. de sacram. in gen. cap.* 5. *quæst.* 6. *num.* 57.

336 *Primam sententiam sequor.* Primam sententiam approbo, sequorque, si suscipiatur obligatio administrandi sacramenta, aliarumque sacrarum functionum perficiendarum cum oneribus corporalibus accidentaliter annexis, v. gr. quando sacerdos obligatur ad ministrandum tali in loco distanti, tanto tempore, tali hora, vt specialem sit molestiam passurus. At si obligatio præcisè sumatur per ordinem ad sacras functiones, vt tales sunt, non potest pretio vendi, vel locari. Itaque obligatio considerata solum secundum ordinem ad spirituale ministerium minime diuendenda: alias spirituale ministerium venderetur vel vt res vendita, vel vt ratio venditionis, quorum vtrumque simoniacum est. Ideò Bonacina concludit, tutius esse, & in praxi consulendum, vt pecunia non accipiatur venditionis titulo, vel locationis in hisce obligationibus, sed titulo sustentationis: circà quem sustentationis titulum adhuc manet scrupulus proximo Problemate dissoluendus.

PROBL. LXXXVII.

Licet, & non licet sustentationis titulo aliquid accipere pro obligatione sacramenta administrandi.

337. *Licet accipere aliquid.* Licet sustentationis titulo aliquid accipere pro sacramentorum administratione his Pastoribus, aut beneficiatis, qui alias à fidelibus sustentationem sufficientem habent ex decimis, vel aliis prouentibus ratione quorum ex iustitia tenentur ad spiritualia ministranda: dummodò consuetudo legitimè præscripta ferat, vt fideles aliquid offerant Parochis aut Ministris. Quia id gratis afferri, speciemque eleemosynæ præse ferre videtur. Sic Possevin. *cap.* 5. *num.* 15. Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *c.* 8. *n.* 16.

338. *Non licet.* Non licet sustentationis titulo Pastori Ecclesiæ, aut beneficiato accipere quidquam, si sufficientem à fidelibus sustentationem ex decimis, aliisvè prouentibus habent. Quia ratione horum ex iustitia tenentur spiritualia ministrare; iniuriam ideò inferent, si quid amplius exigant pro sacramentorum administratione. Ità Glos. & Abbas *ad Cap. Suam, de simonia.*

339. *Cum prima sententia auctoribus sentio.* Existimo quidem cum primæ sententiæ Doctoribus recipi posse quidquid sponte fuerit oblatum, non tamen id exigi violenter posse; quia voluntariè non impenditur, quod exigitur. Addiderim excludendum etiam pactum circa sustentationem, quoties eius exactio turpis auaritiæ, vel simoniæ præ se fert speciem; v. gr. si prius non feratur sacramentum, quam pecunia numerata sit, vel de illa exhibenda cautio præstita fuerit. Quod prohibetur Cap. *In tantum*, & Cap. *Audimus, de simonia.* Certè maioris erit perfectionis, nihil etiam sponte oblatum pro sacramentorum administratione recipere, quoniam Apostolus gratis in Euangelio laborabat Thessal. 3. Paulus V. in Ritua. Rom. Parochum admonet: *Diligenter caueat, ne in sacramentorum administratione aliquid, quauis de causa, vel occasione directè vel indirectè petat: sed ea gratis ministret, & ab omni simoniæ, vel auaritiæ suspicione, ne dum crimine longissimè absit; si quid verò nomine eleemosynæ aut deuotionis studio, peracto iam sacramento sponte à fidelibus offeratur id licitè pro consuetudine*

locorum accipere poterit, nisi aliter Episcopo videatur. Sic Pontifex.

CAPVT XV.

Circà Sacramenta indigno non ministranda.

PROBL. LXXXVIII.

Præceptum non ministrandi Sacramenta indignis est, & non est affirmatiuum.

340. *Est præceptum affirmatiuum.*

SVPPONO Ministrum Sacramentorum per se loquendo teneri, non conferre Sacramentum indignis, ideſt, debita carentibus ad effectum illius Sacramenti percipiendum dispositione. Id probo ex communi non cooperandi alienis peccatis præcepto. Quippe si recipiens sit indignus, iam est mala receptio; quare Minister conferens indignæ receptioni cooperaretur, subindéque recipientis peccato; nec enim canibus sanctum est exhibendum. *Mat.7.* Hinc tibi Sacramenta ministranti probabiliter debet constare de recta suscipientis dispositione, tùm vt fideliter dispenses, tùm ne peccato receptionis indignæ coopereris. Vt autem ea dispositio tibi moraliter constet, debes in eius indagine talem diligentiam adhibere, qualem cuiusque Sacramenti conditio postulat iuxtà prudentis viri iudicium: v. gr. si quis petat Baptismum, inquirendum est de fide, cæterisque ad illum requisitis dispositionibus; ad Confirmationem, Eucharistiam, Extremam vnctionem sufficit, si petens Catholicè vixerit, & ius habeat recipiendi, nec constet illum esse in statu peccati mortalis, vt præsumatur debitam habere dispositionem; in Sacramento Pœnitentiæ, cum Minister sit Iudex, debet accuratius causam examinare, vt diiudicet, num reus sit absoluendus; si quis petat Ordinem, aut Matrimonium, præmittendæ sunt inquisitiones, quas Tridentinum *sess.* 21. 23. & 24. præscribit. His præmissis quæsierim primò, an præceptum id non ministrandi Sacramenta indignis sit affirmatiuum simpliciter, aut negatiuum? Est quidem affirmatiuum ex parte ideoque non est simpliciter negatiuum. Quia cum sit præceptum naturale, si semper, ac pro semper obligaret, numquam liceret Sacramenta peccatori conferre; cum tamen aliquando liceat. Igitur reducendum est ad præceptum affirmatiuum prudenter, ac fideliter dispensandi Sacramenta. Vnde fit vt quotiens commodè fieri potest, debeant indignis denegari: non verò cum graue sequatur incommodum. Sic Suar. 3. *p. to.* 3. *disp.* 63. *sect.* 1.

341. *Est præceptum negatiuum.*

Est simpliciter præceptum negatiuum, sicut præceptum non occidendi, cum tamen aliquando sine peccato possimus occidere. Quia cum dicimus, præcepta negatiua semper ac pro semper obligare non intelligimus ea circa materiam absolutè sumptam, nimirum circa occasionem, vel administrationem sacramenti collati peccatori, obligare absolutè: sed circa talem materiam debitis circumstantiis determinatam; cum aliis enim à malitia talis actionis excusamur; quia cessat obligatio præcepti quamtumuis negatiui. Ità Vasq. 3. *p. disp.* 209. *n.* 6.

342. *Cum hoc sentio.*

Huic hæresens existimo, peccatum administrationis indigno potius esse commissionis, quam omissionis: ideoque potius esse contra præceptum negatiuum, quam affirmatiuum.

PROBL. LXXXIX.

Sacerdos, (vel Diaconus) in mortali ministrans sibi ipsi Eucharistiæ Sacramentum extra Missæ Sacrificium, perpetrat, & non perpetrat duo piacula necessario in confessione aperienda.

343. *Non perpetrat duo peccata.*

NOn perpetrat duo peccata. Quia vna ac eadem malitia falsæ significationis reperitur, siue quis ab altero Sacramentum recipiat, siue propria manu sumat. Sic Vasq. 3. *p. tom.* 3. *disputat.* 209. *num.* 4.

344. *Duo crimina perpetrat.*

Perpetrat duo peccata. Quia inibi plures malitiæ secundum speciem moralem diuersæ reperiuntur; duo enim præcepta valdè distincta violantur: primum de recipiendis cum dispositione debita Sacramentis, quod omnibus fidelibus est commune: secundum de fideli dispensatione Sacramentorum, quod speciatim pertinet ad ministros. Ita Suar. 3. *p. tom.* 3. *disp.* 67. *sect.* 1.

345. *Idem affirmo*

Idem affirmarim, si ministrans Eucharistiæ Sacramentum, ex hostiis præconsecratis, in mortali mortaliter delinquit ob indignam administrationem; quia si

præterea

præterea receptio concurrat indigna duo peccata ſpecie morali diuerſa diſtinguentur.

PROBL. CX.

Aliquandò licet, & non licet, peccatorem inducere ad ſuſceptionem Sacramenti, quod ſcis in peccato recepturum probabiliter.

346. *Nunquam licet.* NVnquam licet. Quia illud eſſet, non ſolùm alterius peccato cooperari; ſed etiam proximum ad malum inducere. Vnde quamuis vrgeat Sacramentum recipiendi præceptum, haud licebit talem peccatorem ad receptionem Sacramenti compellere. Minus enim malum erit Confeſſionis præceptum ſeu communionis etiam in mortis articulo violare, quam indignæ ſuſceptionis patrare ſacrilegium. Sic Sot. *in* 4. *diſt.* 12. *q.* 1. *a.* 6. Suar. 3. *p. to.* 3. *diſp.* 67. *ſect.* 1. Henr. *l.* 8. *c.* 57. *num.* 3.

347. *Aliquando licet.* Aliquando licet, ſcilicet dubius ſis, an peccator occultus dignè recepturus ſit Sacramenta, nec ne: poteris adducere ad eorum receptionem. Quia tunc non inducitur, aut compellitur ad aliquod ſcelus perpetrandum; ſed ad id peragendum, quod dignè poteſt agere; ſi tamen id indignè peregerit, non ex inductione tua, ſed ex operantis proueniet prauitate. Idem licet tibi, ſi prudenter ſperes fore vt peccator reſipiſcat, & dignè Sacramenta recipiat. Ergò aliquando licet, peccatorem inducere ad Sacramenti ſuſceptionem, quod ſcis probabiliter in peccato recepturum. Ità Poſſeuin. *c.* 5. *num.* 28.

348. *Auctoris ſententia.* Ego autem exiſtimo, non ſolùm quoties ſperatur digna receptio Sacramenti, vel dubia fuerit; ſed etiam quando moraliter certum eſt, peccatorem occultum indignè recepturum: licitum eſſe inducere quempiam ad recipiendum Sacramentum, quod dignè poſſet recipere, ſed ſpontè recipiet indignè; ſi occurrat neceſſitas, quæ iuxtà Charitatis ordinem ſufficiat ad permittendum illud malum propter aliquod maius bonum. Quia prudentia dictat tali in neceſſitate permiſſionem alieni peccati licere. At neceſſitas ſufficiens in præſenti putabitur, ſi populus vt audiat ſacrum in feſto non habeat ſacerdotem niſi peccatorem; deò licebit illum inducere ad celebrandum, quamuis in peccato ſit ſua ex malitia Euchariſtiam recepturus. Similiter ſi valdè oporteat, vt aliqui nubant ſtatim licebit, illos ad mox contrahendum inducere, licet timeas, haud fore diſponendos. Lege Filliuc. *tr.* 1. *n.* 9. & ipſum Suarium *to.* 3. *diſp.* 18. *ſect.* 2.

PROBL. XCI.

Crimen Petri publici peccatoris notum eſt quidem Matriti, non Valliſoleti: peccator hic petens Sacramentum Valliſoleti, eſt, & non eſt repellendus.

CErtum omninò eſt, peccatori publico, ſiuè petant occultè, ſiuè publicè denogandum eſſe Sacramentum, niſi publicè pœnitentiæ ſigna præſtiterit. Quia natcrale præceptum, non conferendi Sacramenta indignis, tunc maxime cenſetur obligare, quando miniſter poteſt commodè ſine detrimento vel inconuenienti Sacramentum peccatori denegare. Sed peccatori publico commodè denegari poteſt, ſi quidem nec in re, nec in externa ſpecie ius habet petendi Sacramentum, nec ſequitur eius infamia; ergo debet illi denegari prorſus, quando de eius non conſtiterit pœnitudine. Porrò peccatores publicos vocito meretrices, concubinarios, vſurarios, Magos, ſortilegos blaſphemos, hiſtriones, qui turpes comœdias publicè repræſentat, exercentem torneamenta, quæ iure prohibentur, vel ludos cum diſcrimine vitæ, raptores, piratas, aleatorem ſacris initiatum, aut beneficiatum; his enim clericis iura ſub mortali conſuetudinem ludendi, notabili quantitate expoſita, prohibent. Alibi plura. His itaque præfatis, requiram, num quando crimen eſt notum ſeu publicum alibi non hîc, peccator petens Sacramenta ſit repellendus? conueniunt Doctores, quando creditur breui peccatorem infamandum etiam vbi Sacramenta petit, ipſi eſſe deneganda tanquam publico peccatori; plus enim præponderat Sacramentorum reuerentia, quam breuis conſeruatio famæ. Quid autem ſi prudenter exiſtimetur famam illius publici apud Matritum delicti nunquam ad Valliſoletum peruenturam? Certè non eſt denegandum Sacramentum petenti. Quia nullum crimen notorium in vno loco per euidentiam facti vel iuris, poteſt in alio loco ſine peccato reuelari; vnde tali peccatori publicè petenti Sacramenta non erunt deneganda; cum enim eius peccatum ſit Valliſoleto occultum, eadem videtur eſſe ratio huius & occulti peccatoris. Sic Petr. Ledeſ. *tr. de Euch. c.* 12. Henriq. *l.* 8. *c.* 57. *num.* 1. Nuñus 3. *p. q.* 80. *a.* 6. *diffic.* 3. Vaſq. 3. *p. diſp.* 209. *num.* 18.

349. *Non eſt denegandum, Sacramentum petenti publico alibi peccatori ſi hic publicus peccator non eſt.*

Crimen

350. *Est denegandum.* Crimen aliquo loco notorium notorietate iuris vel facti potest reuelari sine detractionis piaculo quolibet in alio loco, ac per consequens illi est denegandum Sacramentũ, qui alibi iure vel facto publicus peccator existit. Quia infamis in vno loco iam amisit ius ad famam, ideoque non delinquit contra iustitiam, qui alibi eius delicta reuelat. Contra charitatem verò fateor peccare posse, quando sine causa reuelat; quoniam grauem mœrorem, iacturamque infamato infert. Atqui in hoc casusa cerdos reuelat defectum iusta ex causa, nempè vt inferendam Sacramento irreuerentiam auferat; ergo debet ei Sacramentum denegare; quia cessat charitatis obligatio, ac iustitiæ circa petentes, & Sacramenti religio vrget. Ita Caiet. 2. 2. *q.* 73. *a.* 4. Bonac. *de Sacr. disput.* 1. *q.* 6. *punct.* 4. *n.* 12.

351. *Quid sententiam.* Ego quidem assero, quotiens peccator iam creditur, vel credi potest probabiliter emendatus in eo loco, in quo petit Sacramentum, quamuis alibi fuerit notorius iure vel facto, non esse ei Sacramentum denegandum. Equidem dum non constat oppositum, præsumendum est, iam illum emendatum inibi fuisse. At publico peccatori denegandum est Sacramentum etiam in loco, vbi delictum ignoratur, si constet Ministro, petentem in peccato persistere, ac sine turba aut scandalo denegare possit. Quo casu probabilis mihi est prima sententia, secunda probabilior: praxis verò multum pendet à circumstantiis loci, personæ, temporis, & adstantium, prudentique iudicio ministrantis, qui diiudicet, an breui sit ibi delictum euulgandum, an præsumi debeat peccator emendatus, an proximi infamia præponderet reuerentiæ Sacramenti, vel è contra. Fatur Henriquez *l.* 8. *c.* 57. *numer.* 2. Interdum datur Parocho libera optio admittendi, vel repellendi iuxtà circumstantias occurrentes. Ad cuius resolutionis claritatem ad memoriam reuoco, peccatorem, ac peccatum dici publicum notorietate iuris, quando de delicto constat in iudicio per delinquentis confessionem aut per iudicis sententiam, seu eius declarationem: notorietate autem facti, quando pluribus ita constat, vt nulla possit tergiuersarione celari.

***

PROBL. XCII.

Vt peccator publicus habitualiter possit admitti ad Sacramenta sufficit, & non sufficit, Sacramentalem illum confessionem gerere.

352. *Non sufficit confessio.* SCio, talem esse debere conuersionem & pœnitentiam publici peccatoris ad Sacramenta admittendi, qualis fuerit Sacramenti administratio; nimirum vt si publicè Sacramentum administrandum ei sit, publice constet eius conuersio: si verò petat occultè sufficiat occulta pœnitẽtia, quæ tã ministro, quam aliis, qui forsan aderunt, manifestè cõstet; quia coram Deo iam est ille dispositus, & apud homines datur illius pœnitentiæ notitia sufficiens ad tollendum scandalũ, vt colligitur ex Cap. *Si peccauerit*, 2. *q.* 1. & Cap. *Scenicis*, *de consecrat. disp.* 2. Legendus Vasq. 3. *part. disp.* 209. *c.* 2. & Laym. *l.* 5. *tract.* 4. *c.* 6. *num.* 8. Quæsierim igitur quando peccatum publicum est habituale, nec constat desiisse, quænam debeant pœnitudinis signa exponi, quæ publicam Sacramenti receptionem præcedant? An sufficiat confessio? Confessio non sufficit, sed post illam tempus aliquod bonæ conuersationis expectandum, vt peccator publicus habitualiter vulgo satisfaciat, & scandalum omnino tollatur. Quia aliàs & ministrantes, & accipientes viderentur Sacramenta contemnere, & peccatorum grauitatem non agnoscere. Sic Nauar. *c.* 21. *n.* 55. Petr. Ledesm. *tract. de Euch. cap.* 12. *post* 2. *concl. dub.* 4. Nunus 3. *parte q.* 80. *artic.* 6. *concl.* 2. Laym. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 6. *n.* 8.

353. *Confessio sufficit.* Sufficienter peccator publicus habitualiter pœnitentiæ signum exponet, si coram pluribus ad confitendum accesserit. Quia satis pœnitere censetur, qui publicè init confessionem, qui quidem ritè confessurus, & omnino conuertendus credendus est. Ita Posseuin. *cap.* 12. *n.* 4. Ioan. Sanch. *disp.* 34. *n.* 2. & 3. & alij.

354. *Auctoris restrictio.* Certe si publicus peccator habeat proximam peccandi occasionem, quamuis confessus fuerit, haud est ad Sacramenta admittendus, nisi prius eam depulerit, saltem negatiuè, quatenus alij non cognoscant, illam adhuc persistere. Qui verò non habet proximam delinquendi occasionem, sed solam peccandi consuetudinem, si publicè confessarium adeat, potest ad Sacramenta admitti; quia peccator ex consuetudine proponens firmiter

firmiter amplius non delinquere, potest absolui: publiceque pœnitens, dum confitetur, publica Confessione fit dignus. Si tamen palam ad Confessionem non accesserit, necessarium erit, vt Sacerdos publicè denunciet, eum se iam ad meliorem frugem recepisse.

PROBL. XCIII.

Metu mortis, vel alterius grauis nocumenti potest & non potest vnquam Sacramentum peccatori publico ministrari.

355. *Non potest ministrari.* HAud potest vnquam Sacramentum peccatori publico quolibet graui ex metu exhiberi. Quia est id malum intrinsece, sicut mentiri, quod nullum ob metum licere potest. Supposita enim Sacramentorum institutione, datur præceptum diuinum naturale sancta sancte tractandi, & non dandi sanctum canibus, id est, peccatoribus nè peccatis indignè recipientium cooperemur. Sic Petr. Ledesm. *tr. de Euchar. c.* 12. *post* 2. *concl. dub.* 6. & Nugnus 3. *part. q.* 80. *artic.* 6. *defin.* 4. asserit id quosdam opinatos esse iuniores.

356. *Potest ministrari.* Potest Sacramentum peccatori publico exhiberi, dummodo non ex contemptu Sacramenti, vel Religionis, sed ob alium finem velit etiam publice Sacramentum recipere, & mortem, vel infamiam, vel graue fortunarum detrimentum minitetur. Quia sicut licite Sacramentum peccatori occulto publice petenti (de quo inferius) confertur ob vitandam petentis infamiam: Sic licebit publico peccatori Sacramenta conferre ob euitandam ministrantis mortem, seu infamiam, vel graue Bonorum temporalium nocumentum, tam propriorum quam parentum, coniugis, filiorum, fratrum, ac similium, quæ velut propria reputantur. Ita Ioan. Sanch. *disp.* 34. *num.* 8. & 17. Nunus 3. *p. quæst.* 80 *articulo* 6. *diffic.* 4. Bonacina *de Sacram. disputat.* 1. *quæstio* 6. *parte* 4. *num.* 14.

357. *Idem assero.* Idem assero, eo enim in casu permittit potius alterius peccatum ex iusta causa, quàm ei cooperatur. Rumori tamen spectantium publicum peccatorem recipere Sacramenta Minister, cui metus grauis fuisset incussus, poterit postea satisfacere: vel si non possit, fidat, Deum veritatem propalaturum. Itaque quædam scio esse naturalia præcepta simpliciter necessaria, quæ nullo casu non obligant, scilicet præceptum non fornicandi, non mentiendi, non irridendi, vel conculcandi res sacras, quædam verò necessaria regulariter, quæ in aliquo casu deficiunt, videlicet præceptum non occidendi, vel reddendi depositum: cum tamen ob defensionem propriam liceat occidere, depositumque non reddere, quando petitur ad lædendum. Haud aliter existimarim præceptum non ministrandi Sacramenta indignis, in aliquibus euentibus minime obligare.

PROBL. XCIV.

Peccatori occulto occultè petenti Sacramentum est, & non est denegandum.

DEnegandum non est. Quia quilibet fidelis eo ipso quod baptizatus est ius habet ad omnia Sacramenta petenda. Non ergò potest nisi per manifestam causam illo iure priuari. Sic Di Tho. 3. *p. q.* 80. *a.* 6. Sot. *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *artic.* 6. & Petr. de Ledes. *tr. de Euch. c.* 12. *post* 2. *concl. dub.* 4. docet, non esse prorsus improbabilem hanc sententiam, imo sequendam forsan, quoties Minister ita scit peccatum occultum, vt ipse peccator nesciat à Ministro cognosci; tunc enim denegare Sacramentum ob id crimen esset exprobratio quædam, & contumelia, Possenin. *c.* 5. *n.* 26. asserit, peccatorem occultum occultè petentem Sacramenta, non esse repellendum ex iustitia: bene tamen ex charitate vt sic à delicto resipiscat expelli. 358. *Non est denegandum.*

Denegandum est. Quia naturale præceptum non conferedi Sacramentum indignis obligat quotiescumque Minister potest commodè sine detrimento, vel inconuenienti Sacramenta peccatori abnegare: Atqui peccator hic occultus indignus quidem est secundum se Sacramentorum receptione, nec ius habet ad illa in externo foro, dum petit occultè: nec ex occulta Sacramentorum denegatione infamia repulsi sequitur, nec aliorum scandalum, nec vllum incommodum. Ergo illi deneganda sunt Sacramenta. Ita Suarez. 3. *p. tom.* 3. *disputatio.* 67. *sectione* 3. Vasquez 3. *parte disputatat.* 209. *num.* 51. Coninch. *q.* 80 *n.* 35. Laym. *l.* 5. *tr.* 1. *c.* 6. *n.* 10. *concl.* 2. Tolet. *l.* 6. *cap.* 17. *num.* 5. 359. *Est denegandum.*

Idem asserendum reor; ratio enim primæ sententiæ procedit quando peccator occultus publicè petit Sacramenta, tunc 360. *Idem reor gerendum.*

tunc enim ius habet foro in externo : quo non debet nisi causam ob publicam spoliari. Porrò vt ex occulta sacramenti denegatione nulla sequatur infamia, vel aliorum scandalum, requiritur, vt nullus præter sacerdotem delicti conscium adsit, & peccatorem, cui sacramentum denegatur ; ne repulsus apud aliquem nouiter infametur. Si verò adsint alij, qui peccatum ignorant, iam hoc est occultum respectiuè, nimirum respectu videntium ab hoc homine sacramentum efflagitari : quare negari non poterit sine noua petentis infamia. Si sint autem præsentes, qui peccatum nouerunt, iam hoc erit publicum respectiuè, vnde abnegandum est sacramentum : siquidem nec infamia repulsi, nec aliorum scandalum, nec aliud incommodum ex huiusmodi abnegatione sequitur : & alioqui reuerentia debita sacramento seruatur. Lege Suarium, *tom. 3. disp. 67. sect. 5. concl. 1.*

PROBL. XCV.

Si peccator occultus petat Sacramentum, & quidam astantium peccatum eius norunt, alij tamen ignorant : est & non est ei negandum Sacramentum.

361. *Est denegandum.* SI crimen sit notum maiori parti, denegandum est huiusmodi peccatori sacramentum. Quia peccatum illud dicitur respectiuè publicum. Sic Coninch. *q. 80. num. 29.*

362. *Non est denegandum.* Si qui astantium ignorent delictum petentis sacramentum, licet maior eorum pars norit, negandum non est sacramentum petenti. Quia peccatum non est publicum etiam respectiuè : peccatori autem occulto non est publicè negandum sacramentum. Ita Bonac. *de Sacram. disp. 1. q. 6. pun. 4. n. 13.*

363. *Auctoris mēs.* Profectò praxis prudentiam requirit; nam si decem adsint, quorum nouem piaculum petentis sacramenta norint, propter vnius ignorantiam non videntur nouem scandalizandi. Possunt variæ combinationes excogitari, & sub diuersis circumstantiis infamia noua parua censeri, cum tamen irreuerentia erga sacramentum magna videatur : & è contra.

PROBL. XCVI.

Quando per solam confessionem notum est Sacerdoti peccatum, debet, & non debet Sacramentum occultè petenti denegari.

SI nullum subsit infamiæ periculum, denegandum est. Quia negare Sacramentum in eo casu, non excedit clauium potestatem, quæ datur etiam ad hoc, vt Sacerdos dignos admittat ad sacramenta, indignosque depellat : nec est contra sigillum, quando nullus adest, qui ex abnegatione sacramenti talis peccati confessionem coniiciat. Si Sacerdos per confessionem sciret, pœnitentem occidere eum velle, & eius ensem apud se depositum haberet, an non pœnitenti postmodum suum ensem petenti denegare posset, quamuis pœnitens intelligat ob peccatum in Confessione expressum sibi gladium abnegari ? Ita omnes fatentur, quod quidem nullo modo liceret, si Confessionis sigillum per huiusmodi notitiæ vsum violaretur. Ergo idem asserendum in denegatione sacramenti. Sic Vazq. 3. *p. disput. 209. n. 55.* Petr. Ledes. *tract. de Euch. cap. 12. post 2. concl. dub. 4.* Durand. *in 4. dist. 9. q. 5. & 6.* Bonau. *disput. 21. p. 2. a. 2. q. 1. num. 62.* Scot. *in 4. q. 2. ad 3. & 4.* 364. *Denegandum est.*

Ex sola confessionis notitia, non potest pœnitenti sacramentum denegari. Quia non licet vti confessionis scientia ad regimen pœnitentis, nec loqui cum illo de rebus in confessione auditis, nisi licentiam ipse pœnitens concesserit : ne confessio reddatur odiosa, fideleque ab illa retrahantur, atqui denegare sacramentum petenti quamuis occultè pertinet ad regimen pœnitentis, & est virtualis quædam exprobratio peccati confessi: quamuis enim aliæ causæ prætexantur, saltem ipse petens facilè coniicit, & negari sibi sacramentum ob peccatum in confessione manifestum ; ergo huiusmodi sacramenti denegatio non est licita. Ita Henr. *l. 8. c. 59. n. 3.* Sanch. *l. 3. de Matr. disp. 16. n. 4.* Ioan. Sanch. *disp. 8. n. 10.* Martinus del Rio. *l. 6. Mag. c. 1. sect. 2.* Valent. *to. 4. disp. 6. q. 8. pun. 4.* Laym. *l. 5. tr. 4. c. 6. num. 9.* Dian. *p. 3. tr. 4. resol. 46.* 365. *Denegandum non est.*

Profecto licèt speculatiue forsan probabilius sit, in hoc casu secluso violandi sigillum periculo, posse denegari sacramentum ex sola Confessionis notitia : at non tenetur Minister denegare petenti ; quia præceptum virandi sacrilegium alienum 366. *His adhæret.*

alienum cum tanta difficultate non obligat. Sic enim est difficilis, & grauissimo periculo violandi sigillum exposita huiusmodi denegatio sacramenti, vt magna cautela pluriumque circumstantiarum circumspectio sit necessaria: nec præceptum fraternæ correctionis obligat ad tam difficile medium, quamuis licitum esset. Quotiens enim subsit vel leue periculum exhibendi cuiquam (saltem præter ipsum pœnitentem) occasionem suspicandi sacramentum petenti denegari propter ipsius indignitatem, negari non potest: alioqui confessionis sigillum violaretur. Nec quidem potest Sacerdos etiam occultissimè sic negare petenti sacramentum vt expresse significet, se propter peccatum in confessione cognitum denegare: siquidem hoc esset illi palam tale peccatum exprobrare, quod est prorsus illicitum, si vero possis ita petenti negare Sacramentum, vt nulla inde vel leuissima criminis occulti suspicio proueniat, prætexendo nimirum aliquam aliam verisimilem occasionem, probabile iudico saltem ob primæ sententiæ Doctorum auctoritatem, ex notitia confessionis posse negari sacramentum. Cæterum quoniam in praxi vix casus occurret, quo vitari possit omnis infamia petentis, & aliorum scandalum, omnisque reuelatæ confessionis suspicio, & omne periculum tacitæ saltem exprobrationis, per quam confessio reddatur odiosa: ideo regulariter in praxi negandum non est sacramentum, nisi delictum pœnitentis extra confessionem à sacerdote cognoscatur lege Suar. 3. *p. tom.* 3. *disp.* 67. *sect.* 3. Coninch. *q.* 80. *n.* 37.

PROBL. XCVII.

Occulto peccatori publicè petenti est, & non est denegandum sacramentum.

367. *Non est vnquam abnegandum.* NOn est vnquam denegandum. Quia alias infamia proximus afficietur; præferenda autem est obligatio iustitiæ religioni Sacramenti, cum Deus cultum suum ad hominis vtilitatem ordinet: *Misericordiam volo, & non sacrificium* Ose. 6. Certè cum occultus peccator ius habeat publicè petendi sacramentum, haud debet publicè eo priuari, nisi publicè conuincatur. Adde, ad conueniens Ecclesiæ regimen pertinere, vt bona communia (qualia sunt sacramenta) à Ministro communi dispensentur non secundum priuatam scientiam, sed secundum publicam, alioqui sequerentur scandala, perturbationes, & iniuriæ. Sic D. Thom. *in* 4. *dist.* 9. *q.* 1. *art.* 5. Vazq. 3. *p. disp.* 209. *c.* 3. Suar. 3. *p. tom.* 3. *disp.* 18. *sect.* 2. Ioan. Sanct. *disp.* 37. *n.* 1. Henriq. cum aliis *l.* 1. *c.* 30. *num.* 5. Filliuc. *tract.* 4. *cap.* 9. *q.* 10.

368. *Aliquando denegandum est.* Aliquando denegandum est. Quia estò Parochus negare non possit Sacramentum peccatori occulto publicè petenti, cum ex officio teneatur ministrare: Sacerdos, qui non est Parochus potest licitè denegare, cum facilem prætendere valeat excusationem, remittendo petentem ad suum Parochum: & per consequens tenetur illud denegare propter reuerentiam debitam Sacramento. Ita Durand. *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 5. *num.* 6. Palud. & Maior. *ibi.* Porrò Caiet. 3. *p. q.* 80. *art.* 6. Vazq. 3. *p. disp.* 209. *num.* 41. in Sacerdote quoque non Parocho distingunt docentes, si nondum sit expositus ad publicè dispensandum Sacramentum, debere illud indigno denegare; quia facilem geret excusationem, cum non teneatur: si verò iam sit expositus, & publicè dispensans sacramentum, non possit peccatorem occultum accedentem repellere; iam enim subit munus publici Ministri, nec moraliter poterit infamiam euitare.

369. *Auctoris sententia.* Ego quidem existimo, non posse denegari Sacramentum occulto peccatori petenti publicè, quoties ex publica denegatione repulsi infamia sequeretur; at peccatorem huiusmodi à receptione sacramenti esse repellendum, si repelli possit sine petentis infamia, & aliorum periculo. Tunc enim nulla datur iusta causa sacramentum indigno ministrandi. Quapropter reuerentia sacramenti postulat, vt eius sacrilega receptio vitetur. Legendus Suar. *in* 3. *p. to.* 3. *disp.* 67. *sect.* 4.

PROBL. XCVIII.

Vt Minister possit indignum ab Eucharistiæ receptione prohibere, debet, & non debet alios dignos sacro epulo priuare.

370. *Priuare tenetur.* ACcedunt ad sacram mensam duodecim (ex. gr.) inter quos peccator occultus conatur cœlestem panem indignè recipere: Tenetur ne Sacerdos omnes hostias præconsecratas absumere, aut necessarias non consecrare

crare obliuionem aut inaduertentiam simulando, vt omnes communione priuans, à sacro epulo auertat indignum ? Tenetur quidem. Quia & quilibet tenetur, ab opere consilij cessare propter peccatum proximi præcauendum. Sic fœmina (v.gr.) tenetur, non audire Missam in die profesto, si timet aliquem eius aspectu ad libidinem pelliciendum ; tunc enim Missæ auditio non est opus præcepti, sed consilij. Ergo ministrans Eucharistiam, & cæteri volentes communicare tenebuntur à communione abstinere , quæ tunc est opus consilij , ne peccator sacrilegè communicet : ac subinde Sacerdos debebit, vt peccatorem repellat , alios etiam sine communione relinquere. Sic Vasq. 3. *p. disp.* 209. *c.* 3. *num.* 29. Torres 2.2. *disp.* 96. *dub.* 2. & alij.

371. *Non tenetur.* Non tenetur Minister vel hostias præconsecratas consumere, vel alias de nouo non consecrare relinquendo sine communione dignos , nè indigno Eucharistiam ministret. Quia quoties aliquis peccat non ex passione , sed ex malitia , nullus alius cessare tenetur à bono opere, etiam consilij , propter illius peccatum vitandum. Atqui qui vult in peccato Eucharistiam recipere, planè ex malitia, non ex infirmitate delinquit ; ergò nec alij simul volentes communicare , debent abstinere , nec Minister alios Eucharistiæ receptione priuare ob sacrilegium illius communionis indignæ vitandum. Ità Ioan. Sanch. *disp.* 37. *num.* 4. D. Tho. 2.2. *q.* 43. *art.* 7. Herre. *de peccat. disp.* 32. *q.* 14.

372. *Auctoris resolutio.* Ego autem sic quæstionem ediffero. Si solus peccator occultus petat publicè communionem , debet Minister si possit, vel omnes hostias consecratas absumere, vel alio titulo defectum hostiæ consecratæ prætexere : tunc enim solus peccator Eucharistiæ receptione priuatur. Si celebranda sit alia Missa, quam expectabunt cæteri , peccator verò creditur non expectaturus , debet sacerdos hostias consumere, quia sic sacrilega communio vitatur, nec cæteris irrogatur graue damnum tam breui communionis dilatione. At si cæterorum communio sit ex præcepto, non sunt hostiæ absumendæ ; quia non est omittendum opus præceptum ob euitandum alterius peccatum ex eius malitia proueniens ; solum enim quæstio procedit de opere consilij , cuius sententiam secundam probabiliorem reor; quia fundamẽtum primæ procedit in peccatis ex passione vel ignorãtia prouenientibus : non autem quando proueniunt ex sola malitia. Moneo tamen , in praxi, necessariam esse prudentiam , vt in particulari perpendas personarum temporis, loci , quantitatis , iniuriæ , sacrilegijque circumstantias , simul etiam detrimenti, quod ex carentia communionis aliis proueniet.

PROBL. XCIX.

Peccatori occulto potest & non potest hostia non consecrata exhiberi publicè , ne consecratam sacrilegè recipiat.

SCio quidem , hoc gerendum minime esse ignorante eo peccatore , qui hostiam non consecratam est accepturus; quia tunc non euitaretur eius sacrilegium ex erronea conscientia profectum. Igitur sciente peccatore, si euitetur omnis idololatria quamuis materialis , proposita videlicet hostia consecrata ; quam populus adoret : postea vero mutata, quando peccator accipit non consecratam : huiusmodi est licita fictio, Quia dum occulto peccatori graue periculum immineret, si non communicaret : v.gr. si vir iubeat vxorem communicare , & factum obseruet, vt si videat ab Eucharistia abstinere , credat esse adulteram, nec ipsa possit præ metu, seu perturbatione moraliter disponi : tunc Sacerdos hostiam non consecratam collocans à tergo consecratæ , quam non seiungat donec peccator accedat , & accedentis famæ ac vitæ consulit , & simul reuerentiæ Sacramenti, nec alteri facit iniuriam ; ergo non peccat præbens hostiam non consecratam , imo prudenter variis occurrit incommodis ; vnde sufficiens subit causa huiusmodi adhibendi fictionem pro sacrilegio vitando , & vita seu fama peccatoris tuenda. Sic Bonau. *disp.* 9. *a.* 2. *q. vlt.* Villalob. *tom.* 1. *tr.* 7. *diffic.* 38. *n.* 7. Albert. *in* 4. *dist.* 13. *a.* 20. Altisiodor. *l.* 4. *tra.* 5. *c.* 5. *q.* 4. Ludou. de San Iuan. 1. *part. Summæ tractat. de Euchar. quæst.* 7. *artic.* 8. *diffic.* 4.

373. *Est licita fictio huiusmodi.*

Non licet huiusmodi vti fictione. Quia in Sacramentis fictio quælibet est execrabilis , nisi causa magna subsit , quæ hoc in casu non apparet, siquidem sic communicationem simulans simpliciter se potest disponere si velit ad veram communionem ineundam ; vnde voluntariè quidem sacrilegio maculabitur : & sine causa datur execrabilis fictio cum vel verbis , vel facto , seu actione ipsa

374. *Non est licita.*

Sacerdos significat esse verum Christum, quod re vera non est. Adde, quauis adhibita diligentia, idololatriam materialem non euitari; quoniam ipsamet sumptio taliter facta actus Religionis, latriæque cultus censetur. Ità Valent. *to.4.disp.6.q.8. pun.3.* Reginal. *l.29.num.49.* Henriq. *l.6. c.22.num.4.* Suar. *to.3.disp.67.sect.4.* Vasq. *3.p.disp.* 209. *num.* 41. Malder. Palac. & Nuñus, quos refert, & sequitur Ioan. Sanct. *disp.35.num.3.*

375. *Huic hæreo placito.* Hanc sententiam iudico securiorem, ac probabiliorem, imo primæ probabilitatem omninò abnegarem nisi Auctores graues viderim ei hæresscere, quando peccator in eas adducitur angustias, vt nec possit communionem sine vitæ discrimine omittere, nec moraliter disponi sufficienter valeat. Datur enim tunc eis sufficiens causa fictionis; sicut si quis minetur sacerdoti mortem nisi consecret omnem panem fori, posset verba proferre sine intentione consecrandi, nisi consecrantio petatur in Religionis contemptum. Suppetit enim hoc in casu sufficiens causa fictionis. Legendus Ioan. Sanct. *disp.illa 35.num.6. & 7.* Ego quidem minime auderem ad praxim adducere.

PROBL. C.

Suspicio criminis sufficit, & non sufficit, vt petenti Sacramentum denegetur.

376. *Non sufficit suspicio.* VT quis à Sacramentorum receptione pellatur, non sufficit suspicio criminis, seu infamia. Quia requiritur criminis euidentia, sic iure decernente. Cap. *Quæsitum*, & Cap. *Tua nos, de cohabitat. Clericor.* Sic Sot. *4.dist.12.q.1.a.6.* Vasq. *3.p.disp.209.num.13.*

377. *Sufficit.* Sufficit suspicio criminis, siue infamia, quoties fama delicti & delinquentis orta ex sufficientibus indiciis innotuit maiori parti Parochiæ, vt peccator à Sacramentorum susceptione depellatur. Quia huiusmodi suspicio licet non faciat euidentiam rei, efficit tamen moralem certitudinem. Ita Bonac. *de Sacram. disp.1.q.6. pun.4. num.1.*

378. *Auctoris placitum.* Vt meam sententiam nidicem, triplicem distinguo cum Glossa *ad cap. dixit Dominus 32.q.1.* suspicionem: temerariam, quæ nullo probabili fundamento nititur; probabilem, quando datur ratio sufficiens ad dubium ingenerandum, non tamen ad iudicandum simpliciter peccatum alterius; violentam, quæ probabili ratione deponi non potest, quia nititur talibus indiciis vt licet euidentiam non gerant, moralem tamen certitudinem exponunt. Profecto suspitio prima non sufficit, vt Sacramentum petenti denegetur: quia non est rationabilis causa, sed potius iniusta; nec secunda in dubio enim melior est possidentis conditio, & dum aliquis non probatur sufficienter prauus, præsumendus est bonus, sufficit tamen tertia, vt debeas petenti Sacramenta denegare; vel occultè, si suspicio sit occulta: vel publicè, si violenta seu vehemens illa suspicio publica sit. Quia sic suspectus parum distat moraliter à publico peccatore, violenta namque suspicio moraliter crimini æquiualet manifesto. Lege Vasq. *3.p.disp.210.num.18.*

PROBL. CI.

Eucharistia danda, & danda non est personis de crimine suspectis ad delicti probationem, vel purgationem, ita vt communicans solemniter iuret, se nihil tale commisisse.

379. *Danda est Eucharistia.* DAnda est huiusmodi in probationem Eucharistia. Quia sic olim iura quædam fieri iubebant. Cap. *Sæpe contingit*, Cap. *si episcopos 2.q.4.* Ratio est, quia huiusmodi probatio æquiualet iuramento vel execratorio, vel assertorio. Sic Adrian. *quodlib.3.q.5.* Gabri. *in 4. dist.9.q.2. dub.5.*

380. *Non est danda.* Non est danda Eucharistia hominibus de crimine suspectis ad delicti probationem, vel purgationem. Quia subest sacrilegij periculum, si nocens in peccato communicet ad suum delictum excusandum. Ità D. Tho. *3.p.q.80. a.6. ad.3.* ibi Thomistæ Petr. de Ledes. *de Euchar. c.12. post 2. concl. dub. vlt.* Bonac. *de Sacram. disp.1.q.6. pun.4. num.11.*

381. *Quid auctor?* Assero, non esse dandam Eucharistiam suspectis, vt si post communionem visibiliter non puniantur, credantur innocentes. Hoc enim planè est Deum tentare, miraculum petendo, quod recta ratio non dictat eo in casu postulandum. Vanum etiam est credere, quempiam esse innocentem ex hoc præcisè, quod Deus per Eucharistiam ab illo pœnas non sumpserit. Vnde colligit Sotus *in 4. dist.12.q.1.a.6.* grauiter peccare maritos, qui cogunt vxores ad communicandum coram ipsis, vt adulterij purgent suspicionem. Nec obstat similis zelotypiæ probatio Num. 5. ibi enim Dei aderat promissio miraculosè prodendi

veritatem

veritatem, quæ noſtro in caſu non datur. Porrò Euchariſtiæ receptio per modum aſſertorij iuramenti teſtificantis veritatem non eſt mala intrinſecè, nec vllum continet ſuperſtitionis genus; ſed eſt graue quoddam iuramentum de ſe licitum, de quo putat D. Thom. *in* 4. *diſt.* 9. *q.* 1. *a.* 5. *quæſtiunc.* 2. loqui canones illos in cap. *ſæpe contingit*, & cap. *ſi epiſcopo*, 2. *q.* 4. Quo in ſenſu reor licitũ eſſe cum Henriq. *l.* 8. *c.* 59. *n.* 5. Suar. 3. *p. to.* 3. *diſp.* 67. *ſect.* 6. Vaſq. 3. *p. diſp.* 210. *cap.* 3. *n.* 13. Coninch. *q.* 80. *num.* 39. Quemadmodmodum enim interdum iuramus tangendo Crucem, vel aram, vel Euangelia: ſic iurare poſſumus Euchariſtiam recipiendo debitis circumſtantiis adhibitis, ſicut in aliis iuramentis. Monuerim tamen huiuſmodi iuramentum nec extra grauiſſimos & rariſſimos caſus vſurpandum, quia dedecet Sacramenti reuerentiam, & frequenter adhibitum multis ſacrilegiis anſam exhiberet; nec ita rejiciendum, quaſi nullo poſſit caſu licere. Nam ſi quis in negotio grauiſſimo voluntariè quidem nullo modo coactus Euchariſtiam acciperet ad ſuam innocentiam probandam nec id eſſet per ſe malum nec prorſus inuſitatum. Sic enim legimus feciſſe Gregorium VII. coram imperatore Henrico IV. quem inuitauit ad ſimile teſtimonium ſuæ conſcientiæ reddendum: nec auſus fuit imperator communicare. refert Lambertus in rerum Germaniæ hiſtoria.

LIBER NONVS.

CENSVRÆ IN COMMVNI.

NT Cenſurarum Eccleſiæ in delinquentium flagellationem contortarum poſtmodum peculiaris tractatio facilius innoteſcat, generica nunc prælibabo principia. Cenſuræ itaque naturam, ac conditiones recenſebo, cauſas excuſantes ab ea incurrenda annumerabo, eiuſdem relaxationem, abſolutionemque exponam.

SECTIO PRIMA.

De Cenſuris in Communi Receptiores abſque lite ſententiæ.

CAPVT I.

Quid, quotuplexque Cenſura?

1. *Variæ vocis cenſuræ acceptiones.*

CENSVRA ſumitur generaliter pro omni de re aliqua iudicio, præſertim quo notantur ea, quæ ea in re poſſunt laudari, ſeu vituperari. Sumitur ſpecialiter pro iudicio, ſeu ſententia correctiua, aut pro pœna ipſa impoſita per eam ſententiam; quia apud Romanos conſtituti erant Cenſores, qui mores populi corrigebant, ex quo vox Cenſuræ Eccleſiæ tranſlatione ſumitur? Præterea ſumitur pro pœna correctiua, ſeu medicinali iuriſdictione Eccleſiaſtica impoſita, quæ pœna aliquando nomine ſententiæ, qua imponitur ſignificatur; quia ſola ipſa ſententia abſque coactione aliqua iudicis infligitur; & quia dicta pœna ſola auctoritate Eccleſiaſtica imponitur dicitur, cenſura Eccleſiaſtica Hurtad.

Compl. *tract.*8. *de conscien. difficul.* 1.

2. *Definitio censuræ in communi.*

Censura ergo in communi definitur, *Pœna medicinalis bono spirituali priuans.* Sufficiens hæc est definitio, quia omni, ac soli censuræ conuenit, scilicet conuenit excommunicationi, suspensioni, & interdicto: & ipsis solis, quibus & solis conuenit esse censuram, de quo *sect.* 2. Inprimis ergo censura dicitur *pœna*, quia ob culpam infligitur in eius punitionem. Deinde *medicinalis*, quia vt indicatur. *c.*1. *de sentent.excommunic.* inflictione censuræ contumax punitur medicinaliter, ita eius emendationem intendendo, vt hac posita, censura ex sui institutione exigat auferri. Dicitur *bono spirituali priuans*, & verè ita est etiam quando excommunicatio priuat communi consortio; quia tantum priuat conuictu cum baptizatis, quod sunt Ecclesiæ membra. Suarius *tom.* 5. *disputation.* 1. *sect.* 1. Auila 1. *p. dub.* 1.

3. *Triplex est ad minus cẽsura, excommunicatio suspensio, interdictum, quibus diffinitio aptatur.*

Triplex est ad minus censura, Excommunicatio, suspensio, interdictum. Quia cuilibet conuenit definitio censuræ in communi; cuilibet enim conuenit esse pœnam modo præfacto medicinalis bono spirituali priuans; & quælibet est distincta censura ab alia; quia quælibet diuersis bonis, diuersoque modo priuat. *Diuersis*, inquam, *bonis*; quia Excommunicatio priuat omnibus bonis, quibus suspensio, & interdictum: & etiam aliis, excepto vsu beneficij, quo aliquando priuat suspensio, & non excommunicatio, neque interdictum? suspensio verò priuat aliquibus, quibus etiam interdictum, & non omnibus, & etiam priuat aliis. Item priuat *diuerso modo*, ex quo differentia essentialis seu specifica inter ipsa desumitur; quia Excommunicatio (etiam minor) priuat bonis, vt pertinent ad communicationem communem fidelium inter se; suspensio verò priuat bonis, quatenus sunt vsus potestatis clericalis; interdictum priuat illis, vt sunt quædam bona secundum se, & participabilia à quolibet, & non vt sunt vsus potestatis clericalis, quibus vt sic priuat supensio; nec vt sunt communia fidelibus inter se, seu vni cum aliis, quibus vt sic priuat excommunicatio. Suar. *to.* 5. *disp.* 1. *sect.* 1. Auil. 1. *p. dub.* 1. *&c.*

***

CAPVT II.

De potestate ferendi censuras.

4. *In Ecclesia est potestas ferendi Censuras.*

DE fide est, in Ecclesia esse ferendi censuras potestatem. Exprimitur in Concilio Constanti. *sect.* 8. & 15. & constat ex vsu ac praxi Ecclesiæ, quæ à temporibus Apostolorum tulit censuras præsertim excommunicationem. Id efficaciter deducitur ex Mat. 16. vbi Christus permisit Petro ligandi, ac soluendi potestatem. & Mat. 18. *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* Iidem Auctores.

5. *Censurarum institutio nõ fuit immediate à Christo facta.*

Quamuis potestas ferendi censuras conueniat Ecclesiæ immediatè à Christo, nihilominus censurarum institutio, non fuit facta immediatè à Christo, sed tantum ab Ecclesia, quæ pro arbitrio suo eas instituit, & ordinauit. Quamuis Christus præfatis Matthæi verbis. *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*, generaliter admonuerit, vt inobedientes & rebelles Ecclesiæ caueantur, & cautè cum illis tractetur, sicut cautè tractatur cum Ethnicis & publicanis: tamen nihil specialiter instituit, ac ordinauit; quia id suæ reliquit Ecclesiæ, quæ censuras, vt nunc sunt, instituit, easque quando expedit, pro suo fert arbitrio. Gasp. Hurt. *de cens. in com. diffic.* 3.

6. *Censuræ institutæ fuerunt à summis Pontificibus.*

Censuræ, vt nunc sunt in Ecclesia, institutæ fuere à summis Pontificibus; quia sunt ritus quidam generales toti Ecclesiæ, qui tantum possunt institui ab iis, qui toti præsunt Ecclesiæ, totam eam gubernant. Bonac. *disp.* 1. *de cens. q.* 1. *pag.* 1.

7. *Iis est potestas ferendi censuras, in quibus adest ordinaria siue delegata potestas*

In illis omnibus & solis est potestas ferendi censuras, in quibus est potestas Ecclesiastica in foro exteriori, siue ordinaria, siue delegata: illa autem dicitur ordinaria, quæ conuenit ex vi muneris instituti ex iure ordinario siue diuino, siue humano; delegata verò, seu commissa, quæ non conuenit ex munere dicto modo instituto: sed tantum ex commissione & arbitrio iudicis ordinarij.

8. *Inuenitur huiusmodi potestas in Papa, Episcopis, Archiepiscopis in concilio Prouinciali, legato à latere.*

Vnde in Papa, & in aliis Episcopis habentibus subditos (quamuis non consecratis, sed tantum confirmatis) inuenitur potestas ordinaria ferendi censuras; quia ex proprio munere instituto ex iure ordinario diuino habent exteriorem iurisdictionem Ecclesiasticam. Et in Archiepiscopis respectu suorum diœcesanorum non verò respectu diœcesanorum

Episcopi

Episcopi sibi suffraganei,nisi in quibusdam casibus relatis à Sylueſtro *ver.Archiepiſcopus*) Et in Concilio Prouinciali ad eas ferendas medio statuto. Etiam inuenitur in legato à latere sedis Apostolicæ; quia, in sua Prouincia est ordinarius, & habet iurisdictionem Episcopalem exteriorem ex vi sui muneris instituti ex Iure ordinario Ecclesiastico, vt constat ex *Cap.2.de Offic. Legati in 6.*

9. *In Vicario.* In Vicario quoque,seu Prouisore Episcopi,inuenitur;quia idem est tribunal Vicarij & Episcopi, vt constat ex *Cap.2.de Consuetud. & ex Cap. Romana 3.de Apellat.in 6.*

10. *In Capitulo Cathedrali, sede vacãte,* Reperitur præterea in Capitulo Cathedrali,sede vacante; quià succedit Episcopo in Episcopali iurisdictione, vt deducitur ex *Cap.vnico de Maioritate.in 6.*Etiam reperitur in Vicario ipsius Capituli, vt exprimitur ex Trident.*sess.24.c.16. de Reform.*

11. *In Prælatis non Episcopis Cardinalibus & in superioribus Religionum mediatis, & immediatis.* Reperitur in Prælatis non Episcopis à iurisdictione Episcopali exemptis, & iurisdictione Episcopali perpetua gaudentibus. Etiam in Cardinalibus in suis Ecclesiis;quia in Cardinalibus adest iurisdictio Episcopalis perpetua in suos parochianos. Etiam in superioribus Religionum inuenitur, adhuc conuentualibus, seu immediatis, v. gr. in Guardianis, Rectoribus, Prioribus, &c. quia superiores Religionum adhuc immediati ex priuilegio Pontificio ordinario constituti sunt Iudices & Pastores in foro exteriori: quamuis in aliquibus Religionibus id sit prohibitum superioribus immediatis peculiari ipsarum prohibitione.Gasp.Hurt.*tr. de Cens. in comm.diffic.*4.& alij.

12. *Et in Concilio Generali, Prouinciali, Synodo,Capitulis Religionum, Archidiacoais, Archipresbyteris.* Inuenitur & in Concilio generali, Prouinciali, in synodoque Diœcesana, & in Congregationibus seu Capitulis Religionum. Denique in multis Archidiaconis, Archipresbyteris siuè speciali institutione ordinaria, siuè consuetudine habente vim Iuris ordinarij. Bonac.*vbi sup.*

13. *Non reperitur in Parochis.* Haud reperitur huiusmodi potestas in Parochis, nec ad excommunicandum: qnia ex vi sui muneris non conuenit eis iurisdictio exterior. Hurt.*disp.12. diffic.1.* Bonac.*disp.1.q.1.punct.3.* de quo in Probl.

14. *Reperitur in his, quibus delegatur ab habente potestatem, si capaces sint.* In illis omnibus, & solis inuenitur potestas delegata, seu commissa ad ferendum Censuras, quibus alias capacibus, fuerit delegata seu commissa ab habente potestatem ordinariam;qui hic potest eam alias capacibus delegare. Patet ex Cap. Cum Episcopus, 7.de Offic. Ordin. in 6. Addidi, *Aliàs capacibus*, quia potestas ferendi Censuras non potest licitè nec validè iure ordinario delegari nisi viro. *Cap. Dilecta.12.de Maioritate.* Et non nisi clerico. *Can. In nona*, 16.*q.7.* Et non Clerico coniugato.*Cap.Sanc.2.de Cleric.coniug.*

15. *Ex Papæ dispensatione potest quis suam delegare iurisdictionem clerico coniugato,& non clerico.* Quia tamen mere laicus & fœmina, & Clericus coniugatus, & non baptizatus sunt incapaces præfatæ potestatis solo ex iure Ecclesiastico, in quo Papa dispensare potest: ideo quilibet ordinarius ex Papæ dispensatione potest suam iurisdictionem delegare non solum non Clerico, & multo melius Clerico coniugato: sed etiam viro non baptizato, imò & fœminæ. Attamen circa non baptizatum, & fœminam quæstio (sect.2.) problematica excitabitur. Sayr.*l.1.c.5.*Filliuc.*tr.11.c.2.quæst.8.*

16. *Delegata hæc potestas pendet à delegantis potestate,* Porrò potestas delegata ferendi Censuras,& generaliter iudicandi in foro exteriori, ita dependet à delegantis potestate, vt quando potestas delegantis deficit morte,vel translatione, aut impeditur excommunicatione, aut aliter: etiam deficiat,aut impediatur excõmunicatione,aut impediatur potestas delegata, quando res est integra, (id est, seu causa nondum est inchoata.) *Cap.Relatũ.19. cap. Gratum.20. Cap.Licet.30.Cap.Vltimò de offic.delegati.*

17. *Delegatus valide fert Censuras quo vsque veniat ad eũ reuocatio.* Delegatus, cui reuocata est iurisdictio, validè fert Censuras, & iudicat quo vsque ad eum perueniat reuocatio. *Cap. Vt debitus honor.59.de appellation.Cap.Auditis.8. Cap. Mandato 13. de procurator.* Auil. 2. *p.disp.1.c.3.dub.3.*

18. *Excommunicatus,seu suspensus non toleratus nec licitè nec validè fert Censuras.Imo nec toleratus.* Potestas ferendi Censuras, siuè ordinaria, siuè delegata neque licitè neque validè ab excommunicato, vel suspenso non toleratis exercetur. Quia sunt priuati vsu iurisdictionis,quantum possunt ab Ecclesia. Imo excommunicatus aut suspensus toleratus inualidè, & illicitè eam exercet, etiam quando à fidelibus prouocatur. Quià excommunicatus, aut suspensus toleratus non obligat sub præcepto,aut quasi præcepto: cum licitum sit subditis non communicare cum illo saltem in actibus iurisdictionis,quibus est priuatus: ac proinde nec suis Censuris illigat: incursio enim Censuræ supponit inobedientiam, quæ non reperitur, quamuis non impleatur præceptum excommunicati aut suspensi etiam tolerati. Addiderim quod quamuis excommunicatus aut suspensus non toleratus nequeat,adhuc validè,suam iurisdictionem delegare, quia id est actus iurisdictionis, cuius vsu est omninò priuatus:potest tamen validè,quando est toleratus(etiam quando id facit illicitè,vt quando ipse se se ingerit ad id:) quia eo ipso, quod

quod Ecclesia cum tolerat in fauorem fidelium, relinquit illum sufficientem, vt possit validos efficere actus (exceptis præceptis ob præfatam rationem) sub conditione tamen, si ab ipsis fidelibus, cum quibus communicat, ad eos actus acceptetur. Gasp. Hurt. *tr. de Cens. in commun. diffic.* 4 & alij.

CAPVT. III.

Quibus modis possit Censura ferri.

19. *Alia est Censura à Iure.*

CENSVRA Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti alia est *à Iure*, alia *ab homine*. Censura à Iure dicitur, quæ à Legislatore fertur cum intentione condendi legem, seu statutum generale perpetuum, iniuncta transgressoribus pœna Censuræ. Legis autem nomine tum Papæ, tum aliorum Prælatorum inferiorum, & Conciliorum decreta, ac constitutiones intelliguntur. Quia ab his omnibus leges, & statuta fieri possunt, cum iurisdictionem, id est, merum imperium, quæ ad legem ferendam necessaria est, hi omnes habeant. Suar. *tom. 5. in 3. p. disp. 3. sect. 1.* Sylues. *ver. Excommunicatio*, Coninch *disp. 13. dub. 2. numer. 11.*

20. *Alia ab homine.* *Discrimen inter hasce.*

Censura ab homine est, quæ per Iudicis sententiam infligitur cum intentione ferendi præceptum temporale, & transitorium: vndè hoc inter eas Censuras præcipuum discrimen est, quod Censura ab homine lata cessat, mortuo conditore; Censura verò à Iure durat adhuc eo extincto. *Cap. Finali de offic. legati.* Quia cum lex sit quædam vitæ norma, & magistra, qua hominum vita dirigitur, ea perpetua esse solet, semperque durat, nisi reuocetur: In sententia autem ab homine lata res aliter se habet; cum enim sententia hominis præsentem solummodò respiciat statum, si tulerit sententiam, cum eius morte sententia ipsa tollitur, nisi à successore confirmetur. *Cap. vnico de Maior. & obedient. & Cap. Pastoralis* §. 1. *de offic. ordin.* Ita Vgoli. *de Cens. tab. 1. c. 9. §. 4.* Præpos. *3. p. de Censur. q. 1. dub. 11. n. 74.*

21. *Censura subdiuiditur in eam, quæ est latæ, & quæ est ferendæ sententiæ.*

Quælibet autem Censura subdiuiditur in eam, quæ est *latæ sententiæ*, & *sententiæ ferendæ*. Censura latæ sententiæ dicitur, quæ ipso facto, vel criminis ad missione incurritur absque alia Iudicis sententia. Sententiæ autem ferendæ Censura dicitur, quæ solummodò est commina-

toria, nec ipso facto antè Iudicis sententiam incurritur. Tolet. *l. 1. c. 5. n. 4.* Sylues. *ver. Excommunicatio 1. n. 21.*

22. *Quando censetur Censura esse latæ sententiæ.*

Censebitur autem censura esse *latæ sententiæ*, vel quando per Ius ipsum fertur, & tunc appellatur censura *ipso iure*: & aliquando dicitur Censura *ipso facto*, quia posito facto, seu inobedientia talis legis, statim, nullà alia exspectata sententia, incurritur; & ideo etiam dici assolet latæ sententiæ: quia per ipsam legem est lata sententia de illa, etiam antè commissum delictum. Illa ergò tria, *Ipso iure*, *Ipso facto*, & *Latæ sententiæ* rem signant eandem. Vel quando cum censura hæc aduerbia apponuntur, *Confestim*, *statim*, *illico*, *continuo*, *Ex tunc*, *Omnino*, *Prorsus*, *In continenti*, *Mox*, *Protinus*. Vel quando ponitur censura per verbum præsentis, vel præteriti temporis: vt si dicatur, *Qui hoc fecerit*, *excommunicatur*, *suspenditur*: aut *Est excommunicatus*, *suspensus*: seu *Nouerit se excommunicatum*, aut *suspensum*: seu *sit anathema*: idem enim est Anathema quod maior excommunicatio. Vel quum Censura fertur per verba imperatiui modi præsentis temporis: v. gr. *Subiaceat excommunicationi*, vel *subdatur excommunicationi* vel *Incidat*, *incurrat in excommunicationem*. Suar. *in 3. p. tom. 5. disp. 3. sect. 3.* Tolet. *l. 1. c. 5. n. 5.* Henriq *l. 13. c. 20. §. 2.*

23. *Quando significetur esse ferenda sententia.*

Porrò Censura *ferendæ sententiæ* significatur vel per simplicem eius comminationem, vt cum dicitur, *Sub pœna excommunicationis*, *suspensionis*, *aut anathematis*, *sub interminatione*, *seu interpositione excommunicationis*. Vel per verbum substantiuum, aut aliud significans aliquid de futuro, vt cum dicitur, *Excommunicetis aliquem*, *qui hoc fecerit*, *erit excommunicatus*, seu *Excommunicabitur*, *Excommunicetur*, *communione priuetur*, *Excommunicationis vinculo innodetur*. Nauar. *c. 27. n. 12* Henriq. *l. 13. c. 20. §. 2.* Azor. *to. 3. l. 5. c. 26.*

24. *Quid in dubio?*

Quod si subsit dubium, an Censura sit latæ sententiæ, an ferendæ, iudicandum est, non esse latæ, sed ferendæ. Quia odia non sunt amplianda, sed restringenda, & in mitiorem partem interpretanda. Bonac. *de cens. disp. 1. q. 1. punct. 1. num. 6.* Laym. *de Cens. c. 2. num. 1.*

***

CAPVT

CAPVT IV.

Quænam requirantur in ferente Censuras, ad eas validè ferendas.

25. *Qui fert censuras debet esse viator.*

IN primis requiritur, vt sit viator, beatus enim, aut qui est extra viam, hoc est, iam in alterius vitę termino, non potest ferre censuras. Quia Ecclesia militans per ministros militantes debet gubernari, præcipuè cum Censura sit veluti quidam militantis Ecclesiæ gladius. Reginal. *l.9.num.114.* Alteri. *l.3. disp.7. cap.6.* Coninch. *disp.13. dub.5. num.35.*

26. *Et compos rationis.*

Secundò, vt sit compos rationis. Quia carens rationis vsu non potest iurisdictionis actum exercere: quare nec puer antè vsum rationis, nec perpetuo amens, aut stultus potest hanc recipere potestatem. Filliuc. *tr.11. num.36.* Coninch. *disp.13. dub.5. num.35.*

27. *Et baptizatus.*

Tertiò, vt sit baptizatus. Quia cum Baptismus sit Ecclesiasticæ ianua iurisdictionis, sine Baptismo nullus est ad actum Eccleſiasticum habilis. Vgol. *tab.1. c.2.§.9.* Henriq. *l.13. c.24. num.1.*

28. *Et Clericus.*

Quartò vt non sit Laicus, sed Clericus, saltem primæ tonsuræ. Cap. *Decernimus, de iudicijs, &* Cap. *Ecclesia, de Constitution.* Quia tonsura facit hominem capacem Ecclesiasticæ iurisdictionis. D. Tho. *in 4. dist.19. q.1. art.2.* Suar. *to.5. disp.2. sect.3. num.10.*

29. *Et habēs vsū iurisdictionis non impeditum.*

Quintò, vt vsus iurisdictionis non sit impeditus, v.gr. non sit iudex denunciatus excommunicatus, vel suspensus; vel is, à quo habet iurisdictionem per delegationem, sit denunciatus, vel sit officialis eius; vel antè Censuram non fuit legitima interposita appellatio. Suar. *disp.2. sect.4. num.14.* Filliuc. *tr.11. num.40.* Bonac. *de Censur. disp.1. pun.2. num.4.*

30. *Censura ferenda non est in propria causa.*

Sextò, vt Censura non feratur in causa propria. Quia nullus potest esse actor, & iudex; qua enim parte est actor, debet esse subditus: qua parte est Iudex, debet esse superior; propriè autem nemo est sibi subditus, & superior; ergo. Scio, in casu defensionis licitum tibi esse tuis armis vti ad vim, & iniuriam propulsandam, ferendo Censuram in eum, qui tibi infert violentiam. Cap. *Inter querelas 23. q 4.* Suar. *disp.2. sect.4. num.5.*

31. *Ferens Censuras debet aduertenter eas ferre.*

Septimò, vt ferens Censuras ferat aduertens, & intendens eas infligere. Quia si non aduertat quid agat, non fert validè; non enim agit vt homo. Imo requiritur, quod aduertat plena aduertentia aliàs sufficienti ad mortale. Quia absque ea pronunciatio Censuræ non erit simpliciter humana; & si non ferat Censuras intendens eas infligere non fert illas validè; quia intentio est, quæ humanis actionibus dat valorem. Præterea requiritur huiusmodi intentionis exterior expressio verbis, aut scriptura, aut nutibus facta: aliàs non erit sensibilis, & humana; & quod ea sufficienter exprimatur huius aut illius latio Censuræ. Gasp. Hurt. *tr.de Cens. in commu.diffic.6.* Ex Cap. *cum voluntate 54. de sent. excommunic.*

32. *Debet esse intra suum territorium.*

Octauò, vt Censuras ferens vel in suos subditos sit intrà suum territorium, seu intrà locum suæ iurisdictionis. Clement. *vnic. de Foro competenti.* Quia iurisdictio contentiosa, qualis est ad ferendas Censuras, exercetur pro tribunali, in quo nequit quis extra suum territorium sedere. Vnde Episcopus extrà suum existens territorium, non potest validè vel in suos subditos ferre Censuras. Scio tamen, in ea Clementina concedi Episcopis vi à suo expulsis Episcopatu, vt in loco ei vicinori suam iurisdictionem exerceant, petita (quamuis non obtenta) licentia à loci Episcopo. Hurtad. citatus.

CAPVT V.

De ijs, qui possunt Censuris illigari, siue de Censuræ subiecto.

33. *Possunt alligari Censuris omnes & soli homines baptizati.*

CENSVRIS possunt illigari omnes & soli homines baptizati, viatores, rationis, ac doli capaces, & qui in Ecclesia superiorem habent. Itaque causa materialis remota, seu subiectum Censuræ in primis est homo baptizatus, non paganus, Iudæus, aut Catechumenus. Quia Ecclesia non habet iurisdictionem directam super non baptizatos. Hæretici tamen, Apostatæ, atque schismatici Cēsuris possunt illigari. Quia Ecclesię associati fuerunt, fide Christi in Baptismo suscepta. Cap. *Gaudemus, de diuort.* cap. *de Iudæis, 45.* Nauar. *c.27. num.13.*

34. *Debet esse viator, qui illigandus censuris est.*

Deinde illigandus censuris debet esse viator id est, agens vitam in hoc mortali corpore: vnde mortuus, Dæmon, animalia irrationabilia, non ligantur Censuris. Quia non sunt homines viatores. Sayr. *l.1.c.8.* Suar. *to.5. disp.5. sect.1.*

35.

Præterea debet esse rationis, ac doli capax.

Debet esse dolo capax.

capax. Quia sicut nondum adulti peccare non possunt, ità nec Censuris ligari: cùm huiusmodi personæ legibus ac præceptis obligari nequeant. Coninch. *disp.* 13. *dub.* 6. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 4.

36. *Insani Censuris non afficiuntur.*

Vnde perpetuo amentes, insani, & furiosi Censuris non afficiuntur. Quia non habent rationis vsum, nec sunt doli capaces. Attamen si ante amentiam, furorem, vel insaniam aliquod delictum perpetrarint, Censuris affici possunt. Quia tunc sufficienter censentur contumaces, & contra legem continentem Censuram deliquisse. Idem dicendum de dormientibus, ac ebriis, si tempore somnij, aut ebrietatis aliquod commisere peccatum sub Censura vetitum, modo delictum secuturum præuiderint. Sylui. *in supplem. q.* 22. *art.* 4. Præpos. *de Cens. q.* 1. *dub.* 5.

37. *Debet esse subditus ferentis Censuram.*

Ad hæc debet esse subditus illius, à quo Censura emanat. Quia par in parem non habet imperium. Alteri. *l.* 3. *disp.* 10. *c.* 2. 3. *&c.* Rodrig. *p.* 1. *c.* 78. *num.* 1.

38. *Summus Pontifex non potest Censuris ligari.*

Summus verò Pontifex Censura non potest alligari, neque ab homine, nec à canone. Quia neminem in terris superiorem habet qui cunctis est superior: & licet secundum Canonem viuere debeat, tamen sicut cunctis hominibus, ità etiam & iuri præest. Cap. *Cuncta per mundum*, 9. *q.* 3. Cap. *inferior*, *d.* 21. *Extrau. Vnam sanctor. de maior. & obedient.* Cap. *Nemo iudicabit* 9. *q.* 3. Nauar. *c.* 27. *num.* 13. Bonac. *de Censur. disp.* 1. *q.* 1. *pun.* 4. *n.* 13.

39. *Possunt Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, Cardinales.*

Episcopi autem, Archiepiscopi, Patriarchæ, Cardinales excommunicatione generaliter lata ligantur, nisi illorum fiat exceptio. Quia lex generalis generaliter intelligenda est: & hi omnes superiorem habent Papam, cuius iurisdictioni subjiciuntur. Attamen suspensioni & interdicto generaliter latis non non illigantur, nisi fiat illorum expressa mentio. Quia determinat Summus Pontifex Cap. *Quia periculosum, de sent. excommun. in* 6. Suar. *to.* 5. *disp.* 5. *sect.* 1. *num.* 27. 30. Sylvest. *ver. Episcopus, q.* 11.

40. *Non potest quis si ipsum Censura ligare.*

Porro te ipsum non potes Censuris alligare. Quia non es tibi ipsi subditus saltem quo ad vim coactiuam. Gaspard. Hurt. *tr. de Cens. in commu. diffic.* 7.

41. *Possunt impuberes ligari Censura à iure lata.*

Pueri, & impuberes ratione vtentes possunt simpliciter quacumque ligari Censura à iure lata, vt constat ex Cap. 1. *& vltimo de sent. excom.* Quia ex vna parte possunt mortaliter delinquere, & ex altera nullo iure Censura contra eos lata irritatur. An autem possint Censura ab homine lata ligari, proprio Problem. indicabo. Ægid. *disput.* 13. *dub.* 6.

Profecto licet perpetuo amentes (vt vidimus) qui post rationis vsum in amentiam inciderunt, possunt ligari Censuris, quando ante amentiam causam sufficientem dedere: non autem ligantur quo ad effectus in prohibitione consistentes. Quia iam sunt prohibitionis incapaces: sed quo ad alios, quorum capaces existunt Gasp. Hurt. *tr. de Censur. in commu. diffic.* 7.

42. *Perpetuo amentes non ligantur quoad effectus in prohibitione consistentes.*

Qui verò incidit in amentiam tantum temporaneam, potest ligari Censuris etiam quoad effectus in prohibitione consistentes, si aliàs sit, aut fuerit causa sufficiens. Quia sicut habitualiter, & quasi in actu primo retinet vsum rationis, quamuis pro eo, tempore impeditum, ita etiam est capax prohibitionis in actu primo, etiam si ab obligatione in actu secundo pro eo tempore ob præfatum defectum excusetur. Hurta. citat.

43. *Incidens in amentiam temporaneam potest ligari quoad effectus in prohibitione cõsistentes.*

Existens extra suum Episcopatum in alieno non ligatur Censu is annexis statuto perpetuo, seu constitutioni perpetuæ sui Episcopatus. *cap.* 2. *de constitut. in* 6. Vbi redditur ratio, *Quia extra territorium ius dicenti non paretur impune.* Quibus verbis supponitur, Episcopum non habere iurisdictionem ad dicendum ius extra suum territorium; quia dicitur, existentem extra suum Episcopatum non obedientem suo Episcopo, non fieri dignum pœna. Adhuc Hurta *diffi.* 8.

44. *Existes extra suum Episcopatum, non potest in alieno ligari Censuris annexis statuto perpetuo.*

Attamen subditus existens in aliena Diœcesi potest ligari Censuris à suo Episcopo ratione delicti commissi in proprio Episcopatu: v. gr. si habens animarum curam non resideat eo quod absens in alieno adsit Episcopatu. Quia tunc omissio residentiæ fit in Episcopatu proprio; aut si quis furtum fecit in propria Diœcesi, & in aliena existens, non satisfacit. Quia ratione delicti sortitur quis forum. Cap. *vltimo de foro compet.* Existens itaque in aliena Diœcesi in iis casibus incurret Censuram annexam statuto, aut præcepto siue generali, siue speciali notificato quidem siue ante egressionem è suo Episcopatu siue post, ex consensu Episcopi loci, in quo est: qui requisitus debet consentire; quia alter Episcopus habet ius ratione delicti; ex vna enim parte, statuto seu decreto notificato, Censura, quæ ei annectitur, executioni mandatur absque aliquo actu iudiciali faciendo in alieno territorio, inualidè namque fieret absque Episcopi illius territorij consensu, quamuis iniustè negato; & ex altera vero parte ratione delicti in proprio

45. *Subditus existens in aliena Diœcesi potest ligari Censuris à suo Episcopo ob delictum commissum in proprio Episcopatu.*

proprio Episcopatu commisso,manet subditus suo Episcopo alieno in territorio. Hurt. *tr.de censur. in commu. diffic.*8.

46. *Existens in aliena Diœcesi animo semper manendi in ea, illigatur.* Existens in Episcopatu alieno animo semper manendi in eo, statutis, & præceptis illius obligatur, & eis censuris illigatur annexis. Quia ex tunc acquirit domicilium, & fit illius incola loci. Hurt.*ibi.*

47. *Existens tanquam hospes potest ratione delicti in eo Episcopatu commissi ligari censura, &c.* Existens in Episcopatu alieno absque animo semper manendi, tanquam hospes & alienigena, potest ratione delicti in eo Episcopatu commissi, ante publicationem, præcepti generalis, & ante intimationem specialem, ligari censura ipsi præcepto annexa siue generali Episcopi Diœcesis, in quo est, ei notificato in eo Episcopatu, siue generaliter si est generale, siue specialiter si est speciale: v. gr. si commisit furtum, vt satisfaciat. Quia ratione delicti sortitur quis forum quoad illud.Cap.*vlt. de foro compet.* Auil. 2.*p. c.*3. *disp.*2. *dub.*3.

48. *Comprehenduntur statuto, qui post id fiunt subditi.* Statuto facto antea, & censura ei annexa etiam comprehenduntur ij, qui post factum statutum fiunt subditi. Quia obligatio statuti etiam durat eo tempore, quo iam sunt subditi. Suar.*disp.*5.*sect.*5. Ægidi. *disp.*13. *num.*59.

49. *Vagi possunt ligari ab Episcopo loci, in quo actu habitant.* Vagi verò ligari possunt cẽsuris ab Episcopo loci, in quo actu habitant, & non ab alio Episcopo. Quia sunt subditi Episcopo illius: & ei soli; actualis enim habitatio in vagis est loco domicilij,quod eis conuenit iure scripto, sed vsu ac praxi inducto. Hurt. *tr.de censur.in commu.diffic.*9.

50. *Vna Censura irretitus remanet subiectum capax alterius.* Vna censura irretitus remanet adhuc subiectum capax alterius censuræ non tantum diuersæ rationis,sed etiã eiusdem. Quia ligatus vna Censura potest adhuc transgredi legem continentem censuram, & sicut culpa iterari potest,ita etiam reiterari potest, & debet pœna. Imo cum causæ multiplicari possint, potest enim quis esse incendiarius, fractor Ecclesiarum, percussor Clericorum, &c. ita etiam & excommunicationes possunt iterari; replicato enim morbo, remedium etiam replicari debet.Nec refert,quod qui iam est excommunicatus, priuatus est omnibus communibus bonis, scilicet suffragiis, Sacramentis,&c. quare non poterit amplius eisdem bonis priuari: Potest enim quis pluribus ex titulis, iisdem priuari bonis: sicut per plura peccata mortalia idem homo priuatur gratia pluribus ex titulis; & licet secunda excommunicatio actu non priuet illis bonis, cum cadat in subiectũ illis iam priuatum; tamen habet vim priuandi, & est priuatiua eorumdem,si iam iis priuatus non esset.Propterea tot sunt censuræ,quot sunt moraliter, & formaliter actus contra præceptum præcipiens, vel prohibens sub censura. Quia lex, apposita censura, legis curat vitari transgressionem; & vbi adest vna legis transgressio, ibi vna censura incurritur: & vbi multiplex transgressio excitatur, ibi multiplex reperitur censura. Quod autem de excommunicatione dixi, de suspensionis etiam, ac interdicti iteratione asserendum est,propter rationis paritatem.Suar.*to.*5.*disp.*5.*sect.*2.*n.*4.Filliuc.*tr.* 11.*c.*5.*quæst.*7.Præpos.*de cens. q.*1. *dub.*5.*n.* 23. Alteri. *l.*3.*disp.*10.*c.*7.

51. *Tot censurarũ es capax subiectum, quot actiones prohibitas multiplicasti.* Quando actio versatur circà terminum definitum, & in eo consummatur, multiplicata actione, multiplicantur peccata: & consequenter tot censurarum es capax subiectum, quot actiones multiplicasti. Id patet in eo, qui sæpius successiuè fornicatur sine temporis mora cum vna ac eadem persona: nam actus fornicationis habent terminum definitum, in quo consummantur; fornicatio enim sequens non continuatur cum præcedente, nec cum ea efficit vnam actionem moralem. Secus dicendum, si actio versetur circà terminum, qui non est certus, nec definitus, sed habet extensionem, & latitudinem, vt est percussio contra vnum & eumdem Clericum; hæc enim cum non habeat certum, & definitum terminum, percussio censetur continuari, si fiat successiuè & respectu eiusdem personæ, ac consequenter constituit vnum peccatum. Suar. *de censur. disp.*5. *sect.*3.*n.*6. Dian. *p.*5. *tr.*9. *resol.*60.

52. *Violans legem vno actu habente plures circumstãtias non mutantes speciem, vnã incurret censuram; plures autem, si circumstantiæ mutent speciem.* Violans legem vno actu habente plures circumstantias, quarum quælibet sub censura prohibentur, vnam censuram incurret, si circumstantiæ non mutent speciem, sed tantum intra speciem eandem aggrauent. v. gr. percutit quis sacerdotem, qui simul est Diaconus, & subdiaconus, non incurret plures excommunicationes. Quia circũstãtiæ sacerdotij & Diaconi speciem actus moralis non immutant;& licet singuli ordines per se sufficiant, vt percussor sit excommmunicatus; tamen non propterea in plures incidit excommunicationes; omnes enim ordines illi cõcurrunt per modum vnius, & solum in eadẽ specie delictum aggrauant. Quando autem tales sunt circumstantiæ, vt actus moralis speciem mutent, tot incurrentur censuræ, quot circumstantiæ violantur. Quia formaliter manent distincta peccata in specie; ergò plures transgressiones & plures censuræ. Ex. gr. Si quis

violenter percutiat eum, qui simul Monachus est, & clericus, illius percussio censetur esse duplex trangressio, vna contra reuererentiam debitam Religioso statui, altera contra reuerentiam debitam statui Clericali, Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *pun.* 5. *n.* 8. & 9. Suar. *disp.* 5. *sect.* 3. *n.* 13. Alteri. *l.* 3. *disp.* 10. *cap.* 8.

53. *Cum actus à multis superioribus habentibus eandem potestatem prohibentur, vnica incurritur censura.*

Pone actum à multis superioribus prohiberi eandem habentibus potestatem: incurritur vna solum modo censura, cum fit aliquis actus ab ipsis prohibitus. Quia etsi ferentes censuras sint materialiter multi, formaliter tamen in potestate videntur vnus. v. gr. deferens semel arma Sarracenis vnam tantum excommunicationem incurrit, quamuis diuersi summi Pontifices excommunicationis Censuram contra deferentes prohibita Sarracenis tulerint. Licet enim hi multi fuerint in personis, fuerunt tamen vnus in potestate, ob eamdemque causam pœnam eandem excommunicationis contra eosdem proferentes, tacitè censentur, vnam & eandem excommunicationem, non diuersam inducere. Nec obstat, quod alij eam reseruent, alij non, quia qualitas hæc speciem, & substantiam excommunicationis non mutat. Nauarr. in cap. *Ita quorumdam. de Iudæis notab.* 11. Sayr. *l.* 1. *c.* 10. *num.* 10. Palud. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *a.* 4.

54. *Cum actus prohibetur à pluribus diuersam habẽtibus potestatẽ plures incurruntur Censuræ.*

Pone autem, actum prohibitum esse ab habentibus diuersam potestatem: tunc tot censuræ incurrentur, quot sunt superiores prohibentes, modo quisque tulerit censuram tanquam suam, & intenderit ferre nouum ius, & nouam pœnam imponere. Quia multiplex contumacia formaliter exponitur, quamuis vna sit materialiter. Ex. gr. Episcopus maritimæ ciuitatis sententiam excommunicationis tanquam suam, & à se latam contra deferentes arma prohibita sarracenis fert: hæc tanquam diuersa ab ea, quæ in iure, & per Bullam Cœnæ contra eosdem fertur, erit æstimanda; quia auctores sunt, diuersi, neque eadem fungentes potestate, vt successores, ac prædecessores. Dixi, *tanquam suam.* quia si lata esset tanquam innouatio, & publicatio illius, quæ fertur à iure, iam eadem cum illa censenda esset, & contra faciens, vnam tantum excommnnicationem ex vnico facto incurret. Filliuc. *tr.* 11. *n.* 142. Suar. *de Cens. disp.* 5. *sect.* 2. *n.* 13. Coninch. *de Pœnit. disp.* 7. *dub.* 6. *n.* 46.

Caput VI.

De peccato, ob quod Censura fertur.

55. *Censura non fertur nisi ob peccatum proprium.*

Censvra non fertur nisi propter peccatum. Quia pœna est, connotãs quidem culpam. Peccatũ autem id debet esse proprium ad excommunicationem incurrẽdam, vt patet Cap. *si habes* 24. *q.* 3. Quãuis enim vnus pro alio pœna corporis affici possit, vt paruuli Sodomitarũ, qui beneficio ætatis paterna flagitia nesciebant, cælesti fuere igne consumpti. *Gen.* 16. pœna tamen spirituali, quæ animam respicit, qualis est excõmunicatio maior, vnus pro altero puniri non potest. Nauar. *c.* 27. *n.* 9. Sanch. *de matr. l.* 9. *disp.* 32. *n.* 29. Dian. *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* 51.

56. *Suspensio, & Interdictum potest ferri ob peccatum alterius.*

Suspensio vero potest ferri ob peccatum alterius, vnde fertur in communitatem ob delictum alicuius ex illa (sententia autem excommunicationis in communitatem non fertur, ne innocens ob aliorũ culpam percutiatur similiter, & Interdictum ob alterius piaculum ferri potest, & tunc non fertur propriè in pœnam illius, qui non peccauit, sed in pœnam delinquentis, qui in alio punitur. Propterea peccatum, ob quod fertur Censura, debet esse externum, hoc est, exterius verbo signove aliquo, aut facto expressum. Quia de internis non iudicat Ecclesia nec iudicare potest, cum ea cognoscere non valeat. Vnde quæ sola mente perpetrantur, humanæ iurisdictioni, & potestati non subsunt, donec vel per actus exteriores, quorum sunt causa manifestantur, vel per omissionem rei notæ exprimantur. Coninch. *disp.* 13. *dub.* 8. *n.* 68. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 1. Vasq. 1. 2. *disp.* 158. *c.* 5. *n.* 48. Attamen contra communem hanc assertionem Problema excitabitur *sect.* 2.

57. *Excommunicatio maior non potest ferri ob culpam leuem.*

Excommunicatio maior non potest ferri nisi ob peccatum mortale. Quia est pœna grauissima, & consequẽter peccato leui maior inæqualis, & iniusta est ac proinde nulla, quando ob peccatum tantum veniale fertur. Vnde non potest valide ferri, nec incurri ob non parendum in re leui superiori. Imo vt Contra Glossam in Cap. *Duo* docent communiter Doctores, nec ob non parendum coram Iudice in re leui. Quia nec in non patendo superiori in re leui, nec in non comparendo coram illo in re leui potest adesse mortale piaculum Can. *Nemo Episcoporum q.* 3.

Excommunicatio minor potest ferri, 58.

&

Excommunicatio minor ferri potest ob leue piaculum.

& incurri ob peccatũ tantũ veniale. Quia omnibus pensatis leuis est pœna; quamuis enim ex obiecto sit graue malum, ob maximam tamen facilitatem, qua potest auferri, leue est; potest namque auferri à Confessario ordinario, imo à quolibet simplici Sacerdote. Vnde id intelligitur de excomunicatione minori, vt nunc fertur, quæ tantum fertur à iure, quam potest Confessarius peccati venialis auferre; & etiam intelligi potest de excommunicatione minori, si feratur generaliter ab homine; quia etiam à Confessario peccati venialis auferri potest. Non tamen est verum de excommunicatione minori, si specialiter feratur ab homine; quia hæc tantum potest à iudice in foro exteriori auferri, ac proinde tunc esset grauis pœna, est enim graue ex obiecto malum, ac difficile ablatu. Gasp.Hurt. *tr.de Cens.in com.q.*10.

58. *Iudices Papa inferiores non possunt ferre censuram ob peccatum præteritum facti absque contumacia.*

Iudices Papa inferiores non possunt licitè ferre censuram ob peccatum exterius præteritum factum absque inobedientia, seu contumacia respectu Ecclesiæ, seu ministrorum Ecclesiæ, idest, quando non præcessit aliqua iuridica monitio, seu iussio, aut prohibitio, qua monuerint, opus illud peccati non esse faciendum. Quia ferre censuram non præsupposita præfata monitione iure est Canonico prohibitum. cap. *Romana* 5. *de sent.excom.in* 6.& cap. *Reprehensibilis* 26. *de Appellationibus.*

59. *Censura fertur, & incurritur ob peccatum completum in suo genere.*

Censura lata ob aliquod peccatum tantum fertur, & incurritur ob illud in suo genere completum. Quia imposito pœnæ est odiosa; ergo est strictè, vt sonat verbis, interpretãda. Vnde qui conatur percutere Clericum, si verè non percutit, vel quia aberrauit, vel quia impeditus fuit, vel aliter, non incurrit canonis excõmunicationem, *si quis suadente*. Et qui percutit aliquem, si mors non sequatur, non incurrit censuram si lata fuit ob homicidium, quousque mors sequatur: & si non sequitur, quamuis miraculosè impediatur, numquam incurret. Quia quamuis antè mortem actio ex parte delinquentis fuit perfecta, non tamen est perfecta quatenus, nomine *homicidium* significatur quod signat actionem delinquentis vt coniunctam cum morte. Et qui scribit ad aliquem, non incurrit censuram latam ob scribendum ad illum, quousque ad illum scriptura peruentet. Et qui profert hæresim absque assensu hæretico interiori, non incurrit excommunicationem latam contrà hæreticos; quia hæreticus perfectè non est. Suar. *disp.*4. *sect.*3. Auil.2. *p.c.*5. *disp.*3. *dub.*5. Ægidi. *disp.*13. *num.*75.

60. *Consulẽs, aut mandãs opus, cui est annexa censura, eam non incurrit.*

Qui consulit, aut mandat opus, cui est annexa Censura, hanc non incurrit, quamuis ex consilio, aut mandato fiat opus (nisi ea sit etiam extensa ad consulentes aut mandantes.) Quia qui consulit, aut mandat opus non illud in rigore efficit. Imò quando censura fertur ob consilium, aut mandatum, non incurritur, si non sequitur opus: & quamuis sequatur, non incurritur ante opus secutum, quando censura principaliter fertur tantum propter opus, vt fertur (v.gr.) excommunicatio contra mandantes clerici percussionem. At quando censura etiam fertur principaliter ob consilium, aut mandatum, statim incurritur ante secutum opus: & quamuis nunquam sequatur, vt fertur excõmunicatio in cap. 1. *de homicidio in* 6. contra eos, qui mandant aliquem occidi per assassinos (quæ excommunicatio iam non habet locum, quia iam nõ sunt assassini,) & vt fertur in Clem. *de pœnis c.*1. contra Religiosos Mendicantes, qui in concionibus docent aliquid animo retrahendi populum à solutione decimarum: subintellige tamen animo exterius expresso. Gasp. Hurt. *tr. de cens. in diffic.*13.

61. *Censura lata ob consilium, aut mandatum accessoriè, non incurritur nisi effectu secuto.*

Censura, quæ lata est ob consilium aut mãdatum non principaliter, sed accessoriè (qua ratione censenda est ferri, quoties non constat etiam ferri, principaliter) non incurritur nisi secuto effectu, & aliquando non incurritur, quamuis sequatur effectus: tunc videlicet, quandò gerens effectum non gerit illum motus consilio, aut mandato; sed eodem modo efficit illum, ac si non fuisset consultus, seu mandatus Quod quidem contingit, quando consilium aut mãdatum vel non fuit à principio efficax; vel si fuit, defuit esse efficax ante effectum secutum. Porro adest discrimen inter consilium & mandatum quantum ad desitionem efficacitatis, quod mandatum eo ipso quod reuocatur, & reuocatio sit mandatario nota, desinit esse efficax; quia in mandato agitur res mandantis, & in eius gratiam, & vt ei placeatur; ac proinde cognita opposita mandantis voluntate, etiam mandatum desinit mouere, seu esse efficax. In consilio verò non agitur res cõsulentis nec in eius gratiam; ac proinde non eo ipso quod reuocatur, quamuis reuocatio fiat nota consulto, desinit mouere, & esse efficax Suar. *disp.* 4. *sect.*3. Auila 2. *p.c.* 5. *disp.*3. *dub.*5. Ægidi. *disp.*13. *n.*75.

62. *Censura lata cõtra facientes aliquod opus, non comprehenditur consulens.*

Censura lata contra facientes aliquod opus, (v.gr. percussionem clerici) non comprehenditur consulens, quando in ratione

Prehenditur consulens, quãdo in latione id non significatur.

Censuræ id non significatur. Quia consulens nõ dicitur absolutè, & simpliciter facere opus: qui enim consulit clerici percussionem, quamuis sit causa moralis percussionis, quæ fit ex vi talis consilij, non tamen dicitur percutere. Conueniunt Doctores, vno aut altero excepto.

63. *Resipiscentia à consilio, seu mandato impedit Censuræ incursionem, si perueniat ad mandatarij notitiam.*

Reuocatio seu resipiscentia à mandato seu consilio perueniens ad mandatarij seu consulti notitiam, qua mandatum, aut consilium desinit mouere, seu esse efficax, (quod semper efficit reuocatio mandati nota mandatario, & non semper reuocatio consilij, quamuis nota consulto) impedit incursionem Censuræ. Quia tunc nec mandans, nec consulens est causa operis, ob quod principaliter solùm lata est Censura. Doctorum commune est placitum.

64. *Censura fertur pro peccatis futuris valide, & licitè.*

Censura fertur pro peccatis futuris, quando annectitur iuri aut præcepto, quo iubetur, vt in posterum fiat aliquid sub hac, aut illa Censura ipso facto incurrenda, quod est ferri pro peccatis futuris, sub conditione si fiant: siue subintellecta quando sic fertur: *Qui furatus fuerit, sit excommunicatus*; siue expressa, vt quando dicitur; *Si quis furatus fuerit, sit excommunicatus.* Itaque censura validè, & licitè fertur iure, seu lege, siue valide & licitè annectitur iuri seu legi pro peccatis futuris. Quia latio censuræ medio iure pro peccatis futuris nullo iure cauetur. *Id planè multis Canonibus & statutis Ecclesiasticis factum est.*

65. *Censura potest valide ferri ab homine pro peccatis futuris.*

Censura potest validè ferri ab homine, seu à iudice tam generaliter, quam specialiter pro peccatis futuris. Quia id nullo iure irritatur. An verò licitè ferri valeat, proprio Problemate discutiam.

CAPVT VII.

De Monitione Canonica ante Censuræ lationem præmittenda.

66. *Ad ferendam censuram iure aut præcepto pro peccatis futuris non requiritur monitio.*

AD ferendam censuram medio iure, aut præcepto siuè generali siue speciali pro peccatis seu transgressionibus futuris sub conditione, *si fiant*, siuè expressa, siuè subintellecta, nullo iure prærequiritur alia monitio quam latio iuris aut præcepti, & eorum promulgatio, eis annectendo censuram ipso facto incurrendam. Quia ipsum ius, aut præceptũ cui censura annectitur, non tantum semel aut iterum, sed continuè admonet. Quod autem ad ferendam censuram medio præcepto tam generali quam particulari (in quo est maior difficultas, quam medio iure) nulla alia monitio prærequiratur, satis constat ex cap. *Romana* 5. *de sent. excommunicat. in* 6. In quo quamuis sermo sit de pronunciatione excõmunicationis ab homine tam generaliter quam specialiter, & tam pro peccatis præteritis vel præsentibus quam pro futuris: nihilominus ad pronunciandam excommunicationem pro peccatis præteritis vel præsentibus, quæ fertur ab homine, noua sentẽtia post commissum peccatum: prærequiritur quod præcesserit monitio canonica ante peccatum. Ad pronunciationem verò excommunicationis tam specialiter quam generaliter pro futuris, nulla fit mentio admonitionis distinctæ ab ipso præcepto, cui excommunicatio annectitur. cap. *Reprehensibilis* 26. *de Appellat.* dicitur: *Vt nec Prælati proferant sententiam suspensionis vel excõmunicationis, non præmissa Canonica monitione: nisi talis sit culpa, quæ ipso suo genere inducat pœnam suspensionis, vel excommunicationis.* ideſt, annexa sit iuri, aut præcepto ipso facto incurrẽda. Vbi supponitur, posse incurri suspensionem aut excommunicationem annexam iuri, aut præcepto, nulla Canonica monitione præmissa. Vnde praxis iudicum qui dum censuras tam generaliter, quam specialiter, medio præcepto pro peccatis omninò, aut aliquo modo futuris, admonent addendo, *Trina Canonica monitione præmissa*, non est necessaria. Reginal. *l.* 9. *n.* 183. Sayr. *l.* 1. *c.* 12. Alteri. *to.* 2. *disp.* 7. *cap.* 2.

67. *Monitio facienda authoritate illius, qui laturus est censuram.*

Admonitio facienda est auctoritate illius, qui laturus est Censuram. Quia huiusmodi admonitio vices gerit citationis, legitima autem citatio facienda est Iudicis auctoritate. Suar. *disput.* 3. *sectio.* 11. *numero.* 1. Panormit in Cap. 1. *de Iudiciis num.* 33.

68. *Monitio debet esse competẽs.*

Monitio seu citatio præmittenda debet esse competens. Cap, *Sacro de sent. excommunic.* & Cap. *Romana eodem tit. in* 6. Competens autem monitio est illa, quæ ter geritur, & dicitur Canonica, quia non priuatim sed secundum Iuris ordinem à Christo, & sacris Canonibus præscriptum fieri debet. Cap. *constitutione, de sent. excommunic. in* 6. ita vt biduum saltem inter vnamquamque illarum intercedat. Sufficit tamẽ aliquando vna admonitio pro tribus, assignatis competentibus aliquorũ dierum interuallis. V. gr. si Iudex concedat sex dies absolutè, eo quod virtualiter tria interualla videãtur hoc in termino contineri:

neri: modo Iudex explicet, hunc vltimum esse terminũ. Imo quando periculũ esset in mora, tunc ex prudentia Iudicis posset illa dierum pluralitas in vnum diem commorari assignando duas, vel tres horas pro singulis monitionibus: vel etiam ad breuius tempus coarctari possunt; quando enim de contumacia constat, nil vltrà debet expectari. Henriq. *l.* 13. *cap.* 17. §. 3. Præpos. *de Cens. quæst.* 1. *dub.* 12. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *cap.* 5. *n.* 4.

69. *Monitio facienda coram personis idoneis ad testificandum, & debet fieri personaliter, nec sufficit fieri ad domum nisi aliquibus in casibus.*

Canonica admonitio, seu citatio communiter facienda est coram personis idoneis ad testificationem., per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio. Et fieri debet personaliter ad reum, nec sufficit fieri ad domum eius, nisi in hisce casibus: Quando reus se abscondit, vel impedit, quo minus personaliter citetur: tunc enim satis est, vt ad domum illius citatio fiat; quod si reus domum non habeat, fieri debet admonitio, vel citatio ad valuas Ecclesiæ illius loci, vt ad notitiam hominis deuenire queat. Quando iam semel fuit citatus personaliter, tunc reliquæ citationes possunt ad eius domum geri. Quando aliqua citatio facta ad domum peruenit ad citati notitiam, tunc reliquæ citationes ad domum fieri possunt. Quando quis iterum in excommunicationem iniicitur, eo quod male absolutus erat, tunc citatio ad domum facta sufficiens æstimabitur. Vgolin. *tab.* 1. *c.* 18. §. 1. Couar. in Cap. *Alma mater. p.* 1. §. 9. *n.* 4. Bonac. *disput.* 1. *q.* 1. *pun.* 9 *num.* 9.

70. *Si quis à Iudice declarãdus sit, necessum est, eum prius citari, data ei suæ defensionis copia.*

Si per latam sententiam ipso iure vel ab homine, aliquid in futurum fieri prohibitum est sub pœna excommunicationis, aut suspensionis; alia insuper admonitio non requiritur, sed ipso facto, seu criminis admissione censura contrahitur, vt dixi. Quibus adde, si à Iudice declarandus sit, vel denunciandus, necessum esse, eum prius citari, data illi suæ defensionis copia, quippè quæ naturali iure debetur. Quia cum iudicium inter Iudicem & partes exerceatur, opus est, vt pars in iudicium vocetur, seu citetur. *Cap. inter quatuor, de maior. & obedien.* citatio enim fit, vt pars sciat causam, quæ agitur in iudicio, & ad se defendendum possit comparere. Panorm. *in Cap. Peruenit.* 1. *n.* 5. *de appellat.* Tolet. *l.* 1. *c.* 44. Suar. *disp.* 3. *sect.* 10. *n.* 15.

71. *Quinque requiruntur cõditiones, vt sit monitio canonica ad* suspensionẽ, & interdictũ, ad excommunicationem sex.

Igitur vt monitio sit canonica completè (id est, vt sit qualis prærequiritur Iure Canonico) pro ferenda quacumque censura requirit quinque conditiones. Primo debet esse iussio, cuius nomine comprehenditur præceptum tam negatiuum quam affirmatiuum; quia Iure Canonico prærequiritur monitio, vt censura non feratur nisi contrà inobedientes Ecclesiæ, qui non erunt inobedientes, nisi monitio sic præceptiua. Secundo debet esse iuridica, id est, non priuatim facta, sed ordine Iuris, & nomine Iudicis, & ipsi reo (vt diximus) nisi malitiosè abscondatur. Tertio debet esse trina vel vna pro tribus arbitrio Iudicis, & cum competentibus interuallis. Quarto debet fieri cum comminatione censuræ. *Cap. sacro*, 48. *de sent. excommun.* & confirmatur Iudicum conditione, qui nunquam censuram infligunt nisi præsupposita illius comminatione. Quintò vt à Iudice feratur censura contra eos qui communicant cum excommunicato in locutione, & in aliis, ob quæ iure incurritur excommunicatio minor, prærequiritur canonica monitio, qua ille, qui censura est ligandus, expresse & nominatim moneatur, vt pro excommunicatione maiori disponitur in Cap. *Constitutionem*, & pro omnibus censuris in Cap. *statutum.* At pro ferenda excommunicatione etiam addiderim sextam conditionem, nempe vt si excommunicatio feratur ab homine, monitio fiat coram personis, quibus possit iuridice probari, vt disponitur. Cap. *sacro.*

72. *Non omnes conditiones hæ eodẽ modo requiruntur, sed diuersimodè.*

Porro non omnes conditiones hæ prærequisitæ à iure in monitione præuia ad latam censuræ à Iudice, eodem modo requiruntur. Quia (in primis) quod monitio sit præceptiua & iuridica, imo quod vsque ad notitiam rei perueniat, requiritur ad valorem censuræ, ita vt aliter lata, sit nulla iure naturali Ecclesiastico; quia aliter non fertur contra inobedientes Ecclesiæ, aut eius Ministris, quod est contra eius institutionem, seu naturam, quam habet ex Ecclesiæ institutione. Deinde quod sit trina, vel vna pro tribus, & cum competentibus interuallis, etiam quando necessitas non postulet ea moderari, non est necessarium ad valorem censuræ; sed tantum vt licitè fiat; quia ad valorem censuræ absque fundamento requiritur plusquam canonica monitio iuridica; quod est verum, quamuis censura feratur à iudice delegato, & non solum quando in delegatione non exprimitur, quod seruetur trina monitio, vel vna pro tribus; (in quo omnes conueniunt) sed etiam quando id exprimitur, vt contra nonnullos Vazq. *dub.* 12. aduertit. Demum quod ea moneatur nominatim, qui ligandus est censura ob communicationẽ cum excom

excommunicato in locutione, & aliis, ob quæ iure incurritur excommunicatio minor, prærequiritur ad valorem censuræ, vt exprimitur *Cap. Constitutioni*, & supponitur. *Cap. statutum.* Imò in eis ad valorem etiam requiritur, quod sit Canonica, seu competens. Et in *Cap. statuimus.* 3. ad valorem prærequiritur Canonica monitio. Vnde ad valorem cuiuscumque censuræ ob communicationem cum excommunicato existimo requiri monitionem cum omnibus præfatis conditionibus, nempe ad valorem suspensionis, & interdicti monitionem cum quinque prioribus conditionibus: & ad valorem excommunicationis etiam cum conditione sexta. Gaspar Hurt. *tr. de cens. in com. diffi.* 20.

CAPVT VIII.

De iis, quæ impediunt censuræ incursionem.

73. *Ad memoriã reuoco, aliam esse ignorantiam facti, aliam iuris, aliam ipsius censuræ: & quamlibet harum aut inuincibilem, aut vincibilem esse.*

IAM expressimus aliam esse ignorantiam facti, qua quis ignorat factum suum, v. gr. se occidere; aliam iuris siue naturalis, siue positiui, qua quis ignorat, suum factum siue homicidium esse prohibitum; aliam ipsius censuræ annexæ facto prohibito: & quamlibet ignorantiam ex iis esse vel inuincibilem aut physicam, quæ physice vinci non potest, vt quando rei ignoratę nulla est oborta dubitatio, nec suspicio, quæ ignorantia absolutè dicitur inuincibilis: aut moraliter, quæ quamuis physice vinci valeat, quia rei ignoratæ sit orta dubitatio, nequit tamen moraliter vinci, quia diligentia prudenti, seu probabili, qua maior fieri non obligat, attenta substantia & circumstantiis negocij vinci non potest: & hæc dicitur probabilis, seu moraliter inuincibilis; alteram esse vincibilem, quæ non modo physicè, sed etiam moraliter vinci potest: & hanc vincibilem ignorantiam posse esse culpabilem, aut mortaliter quando est rei grauis, & est plenè voluntaria: aut tantum venialiter, quando est rei leuis, vel si rei grauis non tamen est plenè voluntaria, quia scilicet dubitatio præcedens non fuit, plenè considerata; & rursum ignorantiam vincibilem alteram esse supinam, seu crassam, quæ videlicet non vincitur, quia ignorans ex tædio addiscendi scire non curat: & alteram affectatam, quæ non vincitur, quia ignorans ex fine aliquo siue liberius viuendi, siue ex alio, requirere omittit. Hoc ex præfatis lib. 1. operæ pretium duxi ad memoriam reuocare.

74. *Ignorantia facti inuincibilis impedit censuræ incursionem.*

Igitur ignorantia facti inuincibilis, quamuis solum moraliter, impedit censuræ incursionem. Quia excusat ab omni culpa etiam veniali; absque culpa autem nequit censura incurri. Vnde quando quis) ex gr.) in nemore Clericum occidit existimans inuincibiliter saltem moraliter esse feram, haud excommunicationem incurrit. Quamuis ignorans det operam rei alias illicitæ, v. gr. illicitæ venationi; nam ex eo quod ignorans det operam rei aliàs illicitæ, non definit ignorare inuincibiliter, factum suum ex tali ignorantia; quia factum sic ignoratum nequit esse voluntarium: voluntarium enim est, quod à principio intrinseco cum cognitione procedit. Vasq. *dub.* 14. Couarr. 1. *p.* §. 10.

75. *Idem dicendũ de ignorantia inuincibili alicuius circumstantiæ, ex qua oritur illa culpa.*

Quod dictum est de ignorantia inuincibili facti dicendum est de ignorantia inuincibili alicuius circumstantiæ, ex qua oritur illa culpa, ob quam censura fertur: v. gr. quando quis inuincibiliter ignorat, hominem, quem occidit, esse Clericum. Quia ea ignorantia quamuis non excuset factum à culpa iniustitiæ homicidij, excusat tamen à malitia sacrilegij homicidij Clerici, ob quam tantum, & non ob malitiam iniustitiæ lata est censura. Gasp. Hurt. *tr. de cens. in commun. diffic.* 21.

76. *Actualis inaduertentia facti, etsi adsit habitualis scientia impedit censuram.*

Omnimoda inaduertentia actualis facti, quamuis adsit scientia habitualis, impedit censuræ incursionem. Imo quando censura prærequirit culpam mortalem à tali censura excusat plenę aduertentię defectus. Quia absque plena aduertentia non fit peccatum mortale. Hurt. citat.

77. *Ignorantia vincibilis facti impedit censurã, quãdo est plenè voluntaria.*

Ignorantia vincibilis facti vel crassa, seu supina non impedit censuræ incursionem, quando est plenè voluntaria, quamuis operans rem non gerat illicitam, quum censura fertur absolutè contra eos qui aliquid fecerint, non addita particula, *scienter*, nec æquiualente. Quia hæc ignorantia non excusat à culpa mortali, ob quam tantũ censura incurritur, exceptis excommunicatione minori, & interdicto personali particulari puro non reseruato, lato à iure, vel generaliter ab homine, quæ etiam ob solum veniale incurruntur. Hurt. *ibi.*

78. *Et quando censura non fertur absolutè, sed addita particula scienter.*

Ignorantia vincibilis facti ordinariè crassa, vel supina impedit incursionem censuræ, quando censura non fertur absolutè contra eos, qui aliquid fecerint: sed addita particula, *scienter*: contra eos videlicet, qui aliquid scienter fecerint. Quia huiusmodi ignorantia nõ æquiualet

scinntiæ

scientiæ, quæ requiritur ad huius Censuræ incursionem. Hurt. *inibi*.

79. *Ignorantia iuris inuincibilis impedit Censuram.*

Ignorantia Iuris (cuius nomine etiam comprehenditur præceptum transitorium tam generale, quam speciale) quo factum est prohibitum, quando inuincibilis est, quamuis tantum moraliter, impedit censuræ incursionem. Quia hæc non incurritur nisi ob culpam à qua præfata excusat ignorantia. Nam qui inuincibiliter ignorat, (quamuis tantum moraliter) suum factum esse prohibitum iure aliquo siue naturali, siue positiuo, non peccat. Ob eandem rationem impedit inaduertentia omnimoda actualis ipsius Iuris, quamuis adsit scientia habitualis illius. Quia excusat à culpa. Imo quamuis adsit aduertentia actualis illius, sinon sit plena, impedit censuræ incursionem, quæ quidem tantùm ob mortale piaculum incurritur. Ægidi. *disp.* 13. *dub.* 10. Suar. *disp.* 4. *sect.* 8. Auil. 2. *p. disp.* 5. *dub.* 7.

80. *Ignorantia inuincibilis censuræ annexæ statutis perpetuis impedit.*

Ignorantia inuincibilis Censuræ annexæ statutis perpetuis Ordinariorum impedit eius incursionem. Quia Pontifex id speciali dispositione stabiliuit *Cap. Vt animarum* 2. *de constitutionib. in* 6. Quo non leuiter probatur ignorantiam inuincibilem Censuræ eam non impedire, aliàs non fieret hæc exceptio nouiter à Pontifice Bonifacio VIII.

81. *Non impedit ignorantia inuincibilis censuræ latæ iure Pontificio.*

Ignorantia inuincibilis Censuræ latæ Iure communi Pontificio non impedit illius incursionem, quamuis impediat ignorantia inuincibilis Censuræ latæ Iure particulari Pontificis vt Episcopi Romani pro eo Episcopatu, sicut & aliorum Ordinariorum. Nec impedit ignorantia inuincibilis Censuræ annexæ præcepto siue generali, siuè speciali: & multo minus ignorantia inuincibilis censuræ latæ à Iudice noua sententia facta post violationem præcepti Iudicis comminantis sub censura, quæ ferri assolet in absentem. Quia tunc, quamuis adsit hæc ignorantia, censura fertur in contumacem respectu Ecclesiæ sub censura comminantis, quod in omnium sententia ad Censuræ valorem sufficit. Gasp. Hurt. *tr. de cens. in commu. diffic.* 22.

82. *Metus leuis non impedit.*

Metus leuis, quo timemus leue malum non impedit censuræ incursionem. Quia non excusat à culpa, ob quam censura incurritur, quamuis eam attenuet. *Cap. sacris* 5. *de iis. quæ vi, metusue causa fiunt.*

83. *Impedit metus grauis, quoties excusat opus à culpa.*

Metus grauis, quoties excusat opus, cui annexa est Censura, à culpa prærequisita ad censuram illam incurrendam, ab illa excusat. Quia ad eam incurrendam culpa prærequiritur. Vnde metus grauis excusans à peccato mortali inobedientiæ respectu Ecclesiæ, excusat ab excommunicatione maiori & à suspensione, & ab omni Interdicto (excepto personali speciali puro non reseruato) lato generaliter à Iure, vel ab homine. Et quoties excusat à peccato veniali inobedientiæ respectu Ecclesiæ, etiam ab excommunicatione minori, & à nuper excepto Interdicto, excusabit. Gasp. Hurt. *tr. de cens. in commu. diffic.* 23.

84. *Metus grauis non incussus in legis contemptum regulariter excusat à censura incursione, quando opus est contra ius Ecclesiasticum, aut diuinum pure positiuum.*

Metus grauis non incussus in legis contemptum regulariter excusat à peccato, ac proinde etiam à Censura quando opus, vel omissio est tantum contrà ius aut præceptum Ecclesiasticum, qualis est omissio Missæ: imo etiam quando est contra ius diuinum purè positiuum, qualis est omissio susceptionis aliquorum sacramentorum. Addidi particulam, *Regulariter*, quia non semper excusat, sed tantum quum impletio iuris Ecclesiastici, aut etiam diuini censetur minoris momenti, seu vtilitatis bono communi, quam indemnitas à graui malo, quod imminet ex impletione illius: quod regulariter contingit (excepto aliquo raro casu) quia pro tunc ius illud seu præceptum non obligat. At quando opus, cui est annexa censura, non tantum est contra ius, aut præceptum Ecclesiasticum, vel diuinum: sed etiam contra naturale, qualis est incestus, & quale est furtum, quando prohibetur ab Ecclesia sub censura, metus grauis non excusat à peccato mortali, non solum vt est contra ius naturale, sed neque vt est contra ius, aut præceptum Ecclesiasticum, siue vt est inobedientia respectu Ecclesiæ: quia tunc etiam ius, aut præceptum Ecclesiasticum obligat, cum tantum obliget ad id, ad quod aliàs quis est obligatus iure naturali; tunc enim non exponit subditum alicui periculo, cui non sit alias iure naturali expositus. Hurt. citat.

Quando opus est contra ius naturale, minimè.

85. *Quando ex omissione eius quod per censuram prohibetur, tibi graue malum imminet, potes id efficere.*

Itaque qui incurrit censuram, potest efficere id, quod alias per censuram prohibetur (si id per Censuram non inualidatur) quando ex omissione ei imminet graue aliquod damnum. Quia prohibitio Censuræ est purè Ecclesiastica, & eius obseruatio non censetur maioris momenti, quam indemnitas à graui damno. Vnde qui secreto commisit delictum, cui annexa est censura, potest,) si aliàs sit in statu gratiæ) celebrare, etiam absque præuia confessione, quoties id sit necessarium, ne cum ipsius infamia alij coniiciant eum aliquod perpetrasse delictum, ob quod non audet celebrare; ac proinde non fiet irregularis:

quia irregularitas hæc absque peccato mortali non incurritur. Addidi consultò particulam, *Si per Censuram non inualidatur*: quia si inualidetur, vt per excommunicationem maiorem inualidatur sacramentalis absolutio, non poterit id efficere: est enim contra ius naturale virtutis Religionis inualidè absoluere. Hurt. *inibi.*

86. *Ordo iuridicus necessario requiritur.* Iniustitia censuræ proueniens ex defectu ordinis iuridici ad valorem requisiti, v.gr. ex defectu monitionis iuridicæ, impedit censuræ incursionem. Quia censura sic lata est nulla. Duran. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. Cordub. *l.* 1. *q.* 43. & alij.

87. *Non requiritur necessariò pronunciatio in scriptis.* Iniustitia Censuræ proueniens tantum ex defectu pronuntiationis censuræ in scriptis, non impedit eius incursionem Quia verè valida est. Supponitur in *Cap.* 1. *de sent. excom. in* 6.

88. *Non impedit malus finis Iudicis.* Iniustitia, seu illicitudo proueniens ex malo fine Iudicis, multo minus impedit. Quia etiam censura sic lata verè valida est Ægid. *disp.* 13. *dub.* 12. & alij fere omnes.

89. *Appellatio legitima impedit Censuræ incursionem facta antè latam sententiam.* Appellatio legitima facta antè quam Iudex absolute ferat sententiam ipso facto ob peccatum iam factum impedit censuræ incursionem (nisi quando Iudici concessum est, vt non obstante appellatione in causa procedat.) Quia per appellationem eximitur quis, quoad eum articulum, in quo appellat, à Iudicis potestate, eiusque iurisdictio suspenditur: latio ergo Censuræ post appellationem, vt pote à non iudice, vel ab impedito, seu suspenso, est nulla, ac proinde non incurritur. Cap. *Ad præsentiam.* 16. Cap. *Pastoralis.* 53. *de appellation.* Cap. *Licet.* 14. *de sent. excom.* Cap. *si à Iudice* 10. *de appellat. in* 6.

90. *Et post lationem censuræ sub conditione si fiat appellatio ante factam transgressionem.* Appellatio legitima (id est, ex rationabili causa) post lationem censuræ sub conditione futuræ transgressionis, siuè expressa, siue tacita, (v.gr. quando dicitur, *Solue*, vel *si non solueris intra tres dies*) facta, seu interposita antè impletionem conditionis, id est, antè factã transgressionem, impedit illius incursionem, vt significatur Cap. *Præterea* 40. *de apellat.* Quia scilicet latio censuræ sub conditione à puncto appellationis factæ sistit, & perfici nequit, ab eo enim puncto Iudex, à quo lata fuit, est suspensus, & impeditus, & eius subditus appellans eximitur ab eo, quoad illum articulum. Couar. 1. *p.* §. 10. Henriq. *l.* 13. *c.* 16 Alteri. *l.* 3. *disp.* 5. *c.* 1.

91. *In sententiis Censurarum sub conditione latis potest fieri appellatio etiam post decem dies.* In sententiis Censurarum sub conditione latis (quales sunt omnes, quæ pro peccatis futuris feruntur) fieri potest appellatio etiam post decem dies à puncto sententiæ latæ. Quia sententia, seu latio censuræ sub conditione non est perfecta, nec absolutè ac simpliciter sententia, quousque conditio impleatur; ac proinde quousque impleatur conditio, non comprehenditur sub iure decem dies, ad appellandum intra eos à sententia, præscribente; terminus namque iste præscribitur pro appellatione à sententia absolutè & simpliciter tali, vndè à sententia perfecta, & absoluta. Et ob hanc rationem crediderim, post dies decem posse appellari à sententiis conditionalibus quarumcumque aliarum pœnarum antè conditionis earum impletionem. Couarr. 1. *p.* §. 10. Suar. *disp.* 3. *sect.* 6. Indicatur Cap. *Præterea.* 40. *de appellat.*

92. *Appellatio facta antè sententiam censuræ absolutam impedit eius incursionem.* Appellatio facta ante sententiam censuræ absolutam, siuè absolutam à suo principio, siuè postea factam absolutam conditionis impletione, impedit incursionem censuræ, quamuis appellatio intrà tempus præscriptum, ad sequendam appellationem, omninò differatur, Cap. *Licet.* 14. *de sent. excom. in* 6. Quia appellatio facta antè sententiam absolutam, impedit, ne perficiatur, si lata fuit sub conditione antè appellationem, & omninò impedit sententiæ valorem, si fuit omninò seu absolutè lata post appellationem, ob defectum iurisdictionis expeditæ in Iudice; iurisdictio enim appellatione impeditur, suspenditur, siuè dormitat; ac proinde quamuis postea appellatio deferatur, sententia nequit perfici si lata fuit sub conditione; & nequit validè ferri, si omninò feratur post appellationem. Quod ob eandem rationem est verum, in quibuscumque aliis sententiis, quandò antè eas absolutas appellatio supponitur. Couar. 1. *p.* §. 10. *n.* 6. Auil. 2 *p. c.* 5. *disp.* 5. *dub.* 12. Alteri. *l.* 3. *disp.* 5. *c.* 1.

93. *Appellatio non legitima si admittitur à Iudice impedit.* Si appellatio non est legitima, & non admittatur à Iudice, non impedit Censuræ incursionem. Quia talis appellatio fuit nulla. Nihilominus si admittatur, impedit. Quia quamuis fuerit nulla, & ab ipsa appellatione non eximatur, eximitur tamen ab ipso Iudice sua voluntate illum eximente. Iidem Doctores.

94. *Appellatio facta post sententiam latã, quamuis facta intra decem dies non impedit.* Appellatio facta post sententiam Censuræ, latam, & siuè à principio, siue impletione conditionis absolutam, quamuis facta intra ipsos decem dies Iure præscriptos, non impedit Censuræ incursionem (quamuis deuoluat causam ad Iudicem superiorem ad quem appellatur.) Quia censura lata secum trahit executionem, vt de excommunicatione dicitur Cap. *Pastoralis.* 53. *de appellat.*

appellat. ac proinde censura semel lata incurritur, seu executioni mandatur: & consequenter appellatio facta post latam sententiam censuræ, & absolutam, nequit eam impedire. Cap. *Is, cui.* 20. *de sent. excom. in 6.* Cap. *Præterea.* 40. Cap. *pastoralis,* 53. *de appellat.* Cap. *Ad reprimendam.* 8. *de iudice ordinar.*

95. *Nec impedit denunciationem iam incursæ censuræ.* Imo huiusmodi appellatio facta post sententiam censuræ latam, non impedit denunciationem censuræ iam incursæ. Quia denunciatio est quid accessorium censuræ, ac proinde eam sequitur. Excipio tamen suspensionem à beneficio, & ab aliis distinctis ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ, quæ per sequentem appellationem suspenditur. Definitur id Cap. *Pastoralis.* 53. *de appellat.* Cap. *vero Is, qui.* 20. *de sent. excom.* indicatur, dum dicitur, suspensionem ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ, non impediri per sequentem appellationem, & id tacetur de suspensione à beneficio, & aliis.

96. *Appellatio à sententia censuræ declaratoria iam facta suspendit talem sententiam.* Appellatio à sententia censuræ declaratoria iam facta, suspendit talem sententiam. Quia sententia declaratoria non secum trahit executionem. Auila 2. *p. c.* 5. *disp.* 5. *dub.* 11. Porro id quod de appellatione dixi, asserendum etiam est, de recusatione iudicis ferentis censuram; quia eadem omnino ratio.

97. *Consensus partis, in cuius fauorem lata est censura sub conditione, antè eius incursionem impedit.* Consensus partis, in cuius fauorem lata est censura sub conditione, absolutè præstitus antè impletionem conditionis, & antè quam incurratur, eius incursionem omnino impedit absque iudicis consensu; v.gr. consensus creditoris, ad cuius instantiam lata est excommunicatio contra debitorem, si non soluat intra tres dies, omninò impedit excommunicationis incursionem absque consensu iudicis, si intra eos tres dies debitum omnino remittat. Nauar. *c.* 28. *n.* 15. Syl. *ver. censura.* & omnes.

CAPVT IX.

De Absolutione à censuris.

98. *Censura solum absolutione tollitur.* CENSVRA nullo alio modo potest auferri, quam legitimi iudicis absolutione: vnde non tollitur per mortem, aut depositionem ferentis. Quia cum sit pœna inflicta per legitimam authoritatem transit in rem iudicatam. Nec semel contracta per se ipsam cessat, deposita contumacia, si absolutè & indefinitè lata sit. At si sub conditione tali sit lata v. gr. cum primum reus à contumacia recesserit, liber sit, absolutus existat ipso facto; tunc alia absolutione non indiget. Quia valor absolutionis à voluntate absoluentis pendet. Cap. *si Episcopus.* 11. *q.* 3. Cap. *cum desideres de sent. excom.* Suar. *disp.* 7. *sect.* 1. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 16. *q.* 5. *concl.* 1.

99. *Censura reseruata ab homine auferetur ab eo, qui tulit, &c.* Censura reseruata ab homine per sententiam generalem vel particularem lata iure communi potest auferri per eum, qui eam tulit, vel per eius superiorem successorem, aut eius delegatum. Quia absolutionis valor ab absoluentis pendet voluntate. Cap. *perpetuas.* Cap. *sacro, de sent. excommunic.*

100. *Censura non reseruata à quocumque habente potestatem absoluendi à mortalibus.* Censura autem non reseruata lata per sententiam generalem, tolli, ac auferri potest à quocumque potestatem habente absoluendi à mortalibus. Cap. *nuper de sent. excom.* Quia eo ipso, quo superior censuram non reseruauit, censetur, aliis facultatem absoluendi concessisse. Nauar. *cap.* 27. *n.* 44. Reginal. *l.* 9. *n.* 12. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 15. *numer.* 22. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 28.

101. *Absolutio censuræ potest inuito dari.* Absolutio censuræ inuito impendi potest. Quia censura est pœna, ideoque sicut fertur in inuitum, ita etiam ab inuito potest auferri. Id autem intelligo, quantum est ex parte censuræ, & respectu habentis iurisdictionem ordinariam in foro externo. Nam respectu potestatis delegatæ, & in ordine ad forum conscientiæ requiritur consensus personæ absoluendæ, quæ se voluntariè tali in foro subdat. Et quidem censura ab homine lata aliquando potest prudenter etiam inuito relaxari. Quia non est contra aliquod ius positiuum, quod vniuersaliter id prohibeat: neque contra rationem per se, & intrinsece, cum non sit per se contra iustitiam, aut contra charitatem, aut aliam similem virtutem: & alioqui possit esse consentaneum charitati, si subditus saltem ob fragilitatem illo indigeat remedio. Addo, esse etiam consentaneum fini censuræ: quæ medicinalis est pœna: & ideo si non prosit, sed potius nocumento sit, merito auferri potest. Tria tamen seruanda innuerim. Primo, vt non vergat talis absolutio in cuiusuis præiudicium; quia hoc esse posset contra iustitiam commutatiuam. Secundò, vt non sequatur scandalum, aut contemptus censuræ; hinc enim absolutio esse posset contra charitatem, veletiam contra iustitiam legalem. Tertio, vt sufficienter constet, non esse sperandum fructum

rctum ex tali censura, sed detrimentum potius sequi. Est communis Theologorum sententia. Lege Eligium Basæ. *ver. censura. n.* 38. Caspens. *tr.* 25. *disput.* 2. *sect.* 13.

102. *Quando est lata à iure, seruandus est ordo in ea præscriptus.*

Quando verò censura est lata à iure, ab eo præscriptus est aliquis ordo, qui seruari debeat, ille seruandus erit ab inferioribus Prælatis necessariò. A Papa autem ex æquitate, nisi res aliud postulet. Vbi denique nihil est in particulari præscriptum, relinquitur prudentis iudicis arbitrio, vt possit etiam aliquando licitè auferre ab inuito censuram, concurrentibus præfatis conditionibus in censura lata ab homine. D. Thom. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *a.* 5. Auil. 2. *p. c.* 7. *disp.* 2. *dub.* 2. Dian. *p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 10.

103. *In concessione generali sedis Apostolicæ absoluendi ab omnibus iuris censuris, comprehenduntur ea, quæ Diœcesano statuto Episcopi ferunt.*

In generali sedis Apostolicæ concessione absoluendi à quibuscumque censuris iuris, haud dubiè etiam comprehenduntur censuræ, quas Episcopi Diœcesano statuto, vel sententia generali reseruant. Quia talis reseruatio est solum respectu inferiorum, & non respectu summi Pontificis, qui ab omnibus censuris Episcopalibus potest absoluere, & consequenter etiam aliis absoluendi facultatem expedire. Vnde cum Religiosis mendicantibus concessum sit priuilegium à Paulo III. & Sixto V. absoluendi à quibuscumque censuris etiam sedi Apostolicæ reseruatis (exceptis iis, quæ in Bulla cœnæ continentur: assero mendicantes ab omnibus censuris Episcopalibus absoluere posse suos pœnitentes: non obstante Decreto Clementis VIII. & declaratione Cardinalium ex mandato Vrbani VIII. 1628. 17. Nouemb. Quia quòd præfata decreta restringunt dicta priuilegia quo ad casus, quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, vel in posterum reseruabunt, non ideo habent locum in censuris; nam à diuersis non fit illatio, *Leg. Papinianus ff. de minor*, Cap. *Ad audientiam, de decimis*; & censura non est casus, sed pœna casus vt docet Nauarrus. Addo, quia Clementis decretum est pro Italia, & illa declaratio derogatoria priuilegiorum nusquam alibi apud priuilegiatos est promulgata; quæ tamen promulgatio necessaria est, vt reuocatio huiusmodi priuilegiorum suum effectum sortiatur. Hæc asseruerim ex sententia adeo probabili, vt inter certas possit assertiones exponi. Suar. *de censur. disp.* 7. *sect.* 13. 14. 15. Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 1. *cap.* 7. *numer.* 5. Reginal. *lib.* 8. *cap.* 5. *numer.* 55. Diana *p.* 3. *tract.* 2. *resol.* 13.

104. *A censuris notoriis priuilegiatus non facile absoluat sine consensu ordinarij.*

A censuris notoriis non debet priuilegiatus absque ordinarij consensu facile absoluere, si hæ ad Forum iudiciale deductæ, aut probabiliter sunt deducendæ. Quia absolutio danda non est, prius quam parti læsæ sit satisfactum: propterea quod reus, postquam absolutionem in foro conscientiæ à censura obtinuit, non ita efficaciter ad præstandam satisfactionem, seu emendationem gerendam possit vrgeri. In rigore tamen absolutio est valida: imo & licita pro foro conscientiæ. Quia dum Pontifex intendit facultatem absoluendi, vel dispensandi limitare. dum crimen est publicum, vel ad forum contentiosum deductum, assolet id exprimere, vt patet in priuilegio Episcopis cõcesso in Trident. *sess.* 24. *c.* 6. cum ergo Pontifex hanc limitationem priuilegiis Religiosorum non adiecerit, non est cur nos illam adiiciamus. Addiderim, illam absolutionem pro foro exteriori non prodesse, sed tantum pro foro conscientiæ: vnde non infert damnum ordinariis; quia illi, non obstante absolutione priuilegiorum ex virtute, possunt contra reos in foro exteriori procedere, sicuti possent etiamsi illli in interiori non essent foro absoluti. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 28. *num.* 2. Coninch. *disp.* 14. *dub.* 16. *num.* 207. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *art.* 3. Bonac. *de clausu. q.* 1. *punct.* 5. *n.* 3. Sanch. *l.* 6. *Moral. c.* 17. *n.* 43.

105. *Censuræ absolutio simplex, & ad cautelam.*

Triplicem distinguo censuræ absolutionem. Prima est, quæ dicitur absolutio simplex. Hæc datur simpliciter, & sine vlla restrictione homini censura innodato, de cuius censuræ valore non est dubium, quamuis dubium esset de eius iustitia. Secunda est, quæ absolutio *ad cautelam* vocitatur. Hæc datur sub conditione, vbi an censura valeat, ob periculum, quod inesse potest, dubitatur. Interdum verò, etsi nulla suspicio, aut dubium censuræ contractæ adsit, præmitti solet absolutio à censuris ante Pœnitentiæ Sacramentum, ad vitandam irreuerentiam; vel ante collationem Ordinum ad irregularitatem Ordinati vitandam; vel antè electionem, & collationem Ecclesiastici beneficij, aut alicuius priuilegij, ad vitandam eius inualiditatem. Suar. *de censur. disp.* 7. *sect.* 8. *num.* 12. Filliuc. *tract.* 11. *cap.* 10. *numer.* 311. & 312. Vgolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 23. §. 1. *n.* 9.

106. *Absolutio censuræ ad reincidentiam.*

Tertia est absolutio *ad reincidentiam*, cum scilicet datur sub conditione, quam nisi absolutus intra præfixum tempus, vel quam primum commode possit, ad impleat, in eamdem, vel potius similem denuò

nuò incidam cenſuram. Hæc in duobus datur caſibus. Vel quando quis in mortis articulo, vel in aliqua alia neceſſitate abſoluitur ab eo, à quo de iure abſolui alias non potuerat: tunc ſi conualeſcens, aut, impedimento ceſſante, cum primum commodè poteſt, ſuperiorem illum, à quo iure ordinario abſoluendus erat, adire contẽpſerit, paratus ab eo recipere mãdatum, & exequi: in eamdem ſpecie cenſuram ipſo iure incidit. Vel cum quis abſoluitur à ſede Apoſtolica, aut eius legato, Nuncio, aut Pœnitentiario Papæ, cum mandato, vt præſentet ſe Ordinario ſuo, aut alteri pœnitentiam ab eo ſuſcepturus, ſeu vt parti, cui obligatus erat, ſatisfaciat; ſi hæc cum primum commodè poterit implere contempſerit, excommunicationem ſpecie incidit in eamdem. Hi duo caſus in Cap. *Eos, qui, de ſent. excommun. in 6.* expreſſe habentur.

107. *Non eſt neceſſaria certa forma ad abſolutionem Cenſuræ.* Ad cenſuræ abſolutionem non eſt neceſſaria certa, ac determinata forma verborum; ſed ſufficiunt quæcumque verba ore prolata, vel ſcriptis expreſſa, quibus ſufficienter abſolutio notetur. Epiſcopi tamen, aut alij Prælati ſummo inferiores Præſule non poſſunt impendere abſolutionem cenſuræ per nutus, ſeu ſigna abſque verbis vel ſcriptura; quia hi tenentur Iuris ſeruare formam: At ſummus Pontifex ſi declaret, ſe velle ſolo nutu, vel facto abſoluere, poteſt id præſtare; quia habet ſupremam poieſtatem, & facultatem abſoluendi non ſeruata forma iuris. Valent. *tom. 4. diſp. 7. q. 17. punct. 8.* Suar. *de cenſ. diſp. 7. ſect. 9. n. 13. 14.* Sanch. *de matr. l. 8. diſp. 4. n. 24.*

108. *Poteſt ſacerdos his vti verbis: ego te abſoluo: ad abſoluendum à peccatis, & ſimul à Cenſuris.* Poteſt Sacerdos his verbis. *Abſoluo te* validè vti ad abſoluendum à peccatis, & ſimul à cenſuris; modo iiſdem verbis intendat abſoluere & à cenſuris, & à peccatis. Et in hoc caſu abſolutio à cenſuris cenſetur prior natura abſolutione à peccatis: & verificatur ſenſus formæ Sacramentalis, ſufficienterque indicatur relatio vinculi cenſuræ. Henriq. *l. 4. c. 11. numer. 3. lit.* X. Filliuc. *tract. 11. n. 328.*

109. *Certior tamen abſolutionis modus præſcribitur.* Certum modum abſolutionis hunc expono: *Ego te abſoluo* ab omnibus cenſuris & peccatis tuis. Quia certum eſt, illa ſola verba: *Ego te abſoluo* eſſe eſſentialia, & ſufficientia ad abſolutionem Sacramentalem: quod non eſt adeo certum de abſolutione à cenſura, ſi aliquo modo non exprimatur. Suar. *de Cenſ. diſp. 10. ſect. 2. num. 7.*

110. Abſolutio cenſurarũ omnium generalis data à Confeſſario habente facultatem abſoluẽdi à cenſuris ex officio, vel ex priuilegio, comprehendit etiam cenſuras reſeruatas, quas pœnitens ex obliuione tacuit. Vnde ſi hic poſt confeſſionem recordetur alicuius cenſuræ, vel peccati obliti, poteſt abſolui à quouis ſimplici confeſſario potẽte abſoluere à mortali peccato, quod intelligendũ ea lege, quod fuerit inculpabilis obliuio: ſeu non fuerit adeò culpabilis, vt ſit inualidum Sacramentum? nam ſi eſt inualidum, ſeu nullum Sacramentum, inualida etiam, ac nulla erit à cenſuris, & peccatis reſeruatis abſolutio. Quia dum confeſſarius abſoluit, habet ac habere debet intentionem, remouendi quamcumque reſeruationem à pœnitente, illum iuxta poteſtatis ſuæ extenſionem abſoluens. Vnde talia peccata deſinunt eſſe reſeruata & habere excommunicationem adiunctam: quippe quæ per priorem abſolutionem ſublata fuerunt, & remanent deinceps à quolibet proprio ſacerdote ſolubilia. Dian. *part. 3. tract. 4. reſol. 145.* Nauar. *c. 16. num. 13.* Henriq. *l. 6. c. 16. n. 5.*

Facultas generalis abſoluendi à cenſuris, comprehendet cenſuras etiam reſeruatas.

111. *In abſolutione non ſemper exprimenda cenſuræ cauſa.* In abſolutione cenſuræ per ſe loquendo expreſſio cauſæ cenſuræ ipſius non requiritur. Quia huiuſmodi expreſſio nullo præſcribitur iure. Fieri tamen poſſet, vt neceſſarium aliquando ſit exprimere cauſam, v. gr. ſi quis pluribus cenſuris ſit irretitus, & abſoluens vnam tantum intendat auferre: tunc exprimenda eſſet cauſa cenſuræ, vt conſtet quænam auferatur. Item in abſolutione pro foro externo rationabiliter cenſuræ cauſa exprimeretur. Suar. *de cenſu. diſp. 7. ſect. 9. n. 6.* Filliuc. *tr. 11. c. 10. q. 7. n. 329.* Nauar. *c. 26. n. 8.*

112. *Habens priuilegium abſoluendi à cenſuris ſine limitatione, poteſt in vtroque foro.* Habens priuilegium abſoluendi à cenſuris, ſi illud concedat facultatem, nec limitet expreſsè aut implicitè ex circumſtantiis ad forum interius; tunc poterit in foro abſoluere vtroque. Quia cum hæc facultas ſit gratia eſt latè interpretanda: in foro tamen exteriori talis abſolutio nõ ſuffragatur, niſi ſatisfacta parte, iuxta declarationem Pij V. Et vt de illa conſtet, ac proſit in eodem foro, debet qui ſoluit, fidem facere in ſcriptis coram Notario, & teſtibus, idque fieri debet de licentia pœnitentis in foro interno. Rodrig. *in ſum. cap. 83. n. 9.* Suar. *de cenſ. diſp. 7. ſect. 5. n. 21.* Filliuc. *tr. 11. n. 291.*

113. *Quid nomine partis, & ſatisfactionis intelligatur in præſenti.* Verum nomine *partis* in hac materia non intelligitur ſuperior Prælatus cenſuræ conditor, ſed alia perſona diſtincta, quæ læſa fuit. Nomine verò *ſatisfactionis* intelligitur reſtitutio famæ, vel aliorũ bonorũ. Vnde infero, nomine partis non intelligi

ligi Iudicem ; cui ipso iure applicatur pœna pecuniaria ; quia Iudex non est pars, sed tertius inter partes. Hinc poterit absolui pœnitens antè quam soluat iura Iudici, vel tabellioni; quia hoc non pertinet ad partis satisfactionem , sed ad delinquentis pœnam , ad quam nemo tenetur, ante condemnationem. Henriq. *l.* 13. *c.*27.*n.*3.Suar.*de cens.disp.*7.*sect.* 5.*n.* 47. Auil.*p.*2.*c.*7.*disp.*3.*dub.*7.

114. *Absolutus à Cẽsura in foro conscientiæ non indiget noua absolutione.*

Absolutus à Censura in foro cõscientiæ, nõ indiget noua absolutione, quando eius crimen defertur ad Iudicem. Quia reuera fuit absolutus. Consequenter potest se gerere tanquam absolutum. Auil. citat.

115. *Is cui competit potestas ordinaria absoluendi, valide potest, nõ satisfacta parte; sed non licite.*

Confessarius, cui competit potestas ordinaria absoluendi à quacumque Censura reseruata, valide potest absoluere pœnitẽtem, qui nõdum parti læsæ satisfecit, quãuis antea potuerit satisfaciendi exhibere cautionem. Quia cum ordinarius non habeat iurisdictionem limitatam, ideo validè ea vtitur, quoties voluerit; grauiter tamen delinqueret absoluendo pœnitentem antè realem satisfactionem, quam poterat præstare. Et quidem auctore me , non solum contra charitatem , sed & contra iustitiam delinquet, cum ex officio bonum partis procurare teneatur. Cap. *Venerabilibus*, §. *sane sent.excom.in* 6. Filliuc. *tr.* 11.*n.* 295. Nauar.*c.*27.*n.*37.Sylu. *ver Absolutio.*3.*n.*3. Henriq.*l.*13.*c.*28.*n.*2.

116. *Idem asserendum de habẽte potestatem delegatam.*

Idem assero de habente facultatem delegatam seu priuilegium absoluendi absque limitatione satisfactæ partis ; valide enim absolueret. Quia vices exerit Ordinarij ; & priuilegium tantum valet , quantum sonat. Suar.*de Cens.disp.*7.*sect.*5.*n.*42. Sa *ver. Absolutio ab excõmunicatione*,*n.*4.

117. *Quando potestas absoluẽdi cum limitatione datur satisfactionis, hæc requiritur tanquam conditio necessaria.*

Quando in Priuilegio limitate conceditur potestas absoluendi à Censuris sub his formis : *Non valeat , non possit absoluere, non possit absolui, nullius est roboris, vel momenti absolutio* : satisfactio requiritur tanquam conditio necessaria , & priuilegium limitat potestatem , ac iurisdictionem. Suar. *disp.* 7. *sect.* 5. *num.* 44. Sayr. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 10.

118. *Potest absolui pœnitens, qui satisfacere non potest.*

Qui habet priuilegium absoluendi cũ limitatione satisfactionis, potest absoluere pœnitentem qui moraliter non potest satisfacere, aut qui nõ potest satisfacere sine graui damno famæ , vel status, vel bonorum : modo creditor æquali damno non laboret. Quia benignè exponenda sunt verba priuilegij , cum superior non velit obligare pœnitentem ad impossibile. Nauar. *c.* 27. *n.* 45. Reginal. *l.* 9. *num.* 65. Suar. *disp.* 7. *sect.* 5. *n.* 41.

119. *Qui dubitat se teneri ad satisfaciendum, potest sine satisfactione in foro externo absolui.*

Qui dubitat , se teneri ad satisfaciendum, in foro externo potest antè præmissam satisfactionem absolui. In foro verò interno non ita absolutè loquendũ est. Quia forum internũ non præsumptioni sed verbis ipsius pœnitẽtis innititur. Nau.*c.* 26.*n.* 7.Suar.*disp.*7.*sect.*5.*n.*45.Reginal.*l.*9.*n.*67.

120. *A censuris iuris reseruatis absoluit qui eas tulit, &c. à non reseruatis Prælati habentes iurisdictionẽ in foro externo.*

Absoluere potest à censuris iuris reseruatis , qui eas tulit, vel eius superior , vel successor in dignitate. A censuris autem iuris nemini reseruatis absoluere possunt omnes Prælati iurisdictionem habentes in foro externo , vt Episcopus, Abbates, Priores , Guardiani , Rectores , &c. Imo etiam Parochus , & alius quicumque sacerdos potestatem habens absoluendi à mortalibus. Quia dum superior non reseruat absolutionem, censetur cuicumque confessario concedere facultatem absoluendi, communi consuetudine attestante: licet in aliquibus locis sancitum sit, ne Parochi, vel alij sacerdotes à censuris absoluant, excommunicatione minori excepta. Suar. *disp.* 7. *sect.* 3. *&* 4. Henriq. *l.* 13. *c.*27.Reginal.*l.*9.*n.*12.

121. *Censura lata contra personam particularem auferenda est ab eo, qui eam tulit, &c.*

Censura lata contra personam particularem aliquam per sententiam particularem auferenda est ab eo, qui eam tulit: vel ab eius superiore, aut successore , vel saltẽ ab habente facultatem delegatam ne perturbetur ordo iudicandi. Valent. *tom.* 4. *disp.*7.*q.*17.*punct.*8.Filliuc.*tr.*11.*n.*303.

122. *Episcopi absoluunt ab omnibus censuris reseruatis.*

Episcopi absoluere possunt non solum à cẽsuris à se, vel à prædecessoribus latis: sed etia ab omnibus Censuris summo præsuli reseruatis per se ipsos, aut Vicarium ad hoc specialiter deputatum. Concil. Trident. *Sess.*24.*c.*6.Henriq.*l.*13. *c.*7.*n.*5.

123. *Explico Tridẽtini præfatam Episcopi concessionem.*

Adnotarim circa hanc Tridentini concessionem in primis, absolutionem ab Episcopis datam tantummodò forum extendit conscientiæ. Deinde , absolutionem debere ab Episcopo impendi , in propria Diœcesi. Tertio , peccata debere esse occulta , id est, non publica , nec notoria nec famosa , licet possint testibus probari. Delicta autem dicuntur publica, quum in maiori parte viciniæ , Collegij, Parochiæ , vel Monasterij vulgariter cognoscuntur. Quarto , delicta non debere esse ad forum contentiosum deducta. Dicuntur vero delicta ad forum ducta contentiosum, cum primum denunciatio, aut accusatio de illis coram legitimo est facta Iudice. Si tamen reus non fuit in iudicio conuictus , sed potius se purgauit ac defendit falsis testibus , aut via iniqua, & à Iudice fuit absolutus definitiue, vel ab instantia , censentur delicta adhuc

huc occulta, ab illisque poterit Episcopus soluere,cum non fuerint deducta ad forum contentiosum cum effectu probationis,Sanch. *l.*1.*Moral.c.*11.*& l.*8. *de Matr. disp.* 34. Reginald.*l.*1.*n.*135.

124. *Hæc potestas Capitulo sede vacante competit.*

Hæc eadem potestas absoluendi à censuris occultis summo Pontifici reseruatis, competit etiam capitulo, sede vacante, aliisque Prælatis Episcopalem iurisdictionem habentibus.Sayr.*in Claui. l.6. cap.*11. *n.*83.Rodr.*tom.*1.*qq.q.*61.*a.*9.

125. *Quinam hic nomine Episcopi,& nomine subditorum intelligendi.*

Porrò circa præfatum Tridentini decretum adnotarim, nomine Episcopi, cui conceditur absolutio ab hæresi, & aliis censuris reseruatis eo in decreto intelligi Episcopum electum, ac confirmatum, quamuis non consecratum. Quia huic competunt ea, quæ sunt iurisdictionis, quamuis sacerdotes non sint; talis autem est facultas dispensandi, & absoluendi à censuris. Præterea quia ad hanc absolutionem non exigitur sacramentalis confessio, quæ soli Sacerdoti fieri potest: sed facta ab Episcopo non Presbytero absolutione à censura, potest quilibet confessarius à peccato absoluere. At non satis est Episcopum esse consecratum, si Diœcesi, ac subditis careat, quales sunt Episcopi titulares. Nomine subditorum in hoc decreto intelliguntur etiam vagabundi;quia cum nullibi habeant domicilium,subduntur Episcopo, cuius in Diœcesi reperiuntur. Et habentes duplex domicilium ex æquo in duplici Diœcesi. Et peregrini, vt sunt scholastici, ac mercatores propriam diœcesim habentes: hi absolui possunt ab Episcopo eius Diœcesis, in qua inueniuntur ex generali Ecclesiæ consuetudine seu ex interpretatiua propriorum Prælatorum voluntate. Et Religiosi exempti (secundum probabilem sententiam) hi enim si ex Prælati sui licentia subiiciantur Episcopo, potest cum illis Episcopus vti facultate huius decreti. Sanch. *l.*4. *Moral.c.* 39. *n.*32. De hac circa Religiosos assertione iterum Problemate proprio differendum. Bassæus *ver.Censura,n.*29.

126. *Potest Episcopus absoluere à censura Papæ reseruata, cum ea innodatus longa infirmitate, etiam non periculosa,laborat,aut senectute,vel paupertate grauetur: vel si sit excommunicata fœmina, vel impubes,aut si alio simili impedimento afficiatur,quod legitimum existimetur iuxta prudentis viri iudicium: quamuis postea impedimento cessante,teneatur summum adire Præsulem. Ratio desumitur ex benigna Pontificis voluntate qui non præsumitur voluisse absolutionem cum tanto incommodo reseruare. Imò laborans aliquo ex præfatis impedimento, non tenetur mittere Romam epistolam,vel procuratorem pro absolutione obtinenda, nec adire legatum, etiam si possit, vel alium habentem absoluendi priuilegium.Nauar.c.*27.*n.*90.Reginal. *l.*9. *n.*2.Sanch.*l.*2.*Moral.c.*13.*num.*36.Henriq. *l.*12. *c.*3.*num.*1. *datus infirmitate,paupertè, &c. laborat.*

In absolutione, quæ foro externo impenditur,huiusmodi ritum obserua: Præcedat rei petitio non quidem ex necessitate,& essentia absolutionis,sed ex congruitate. Deinde pœnitens promittat, se mandatis Ecclesiæ pariturum. Si censura cum alterius sit detrimento contracta, satisfactio realis est præmittenda, si fieri possit, sin minus iuratoria, vel debita causa sufficiet.Demum debet censuratus leuiter cædi virga,fune, aut flagello, dum Psalmus *Miserere* recitatur. *Cap. Per tuas, &* Cap. *A nobis* 2.*de sent. excom.* Tolet.*l.*1.*cap.*14. *n.*14.Sayr.*l.*2.*cap.*18.Nauar.*cap.*26.*num.*8. 127. *Ritus seruandus in absolutione fori externi.*

Post absolutionem publicanda est absolutio,si delictum pub,icum erat,& censura denunciata, nè fidelibus cum eo participantibus scandali, ac ruinæ præbeatur occasio. Quum autem pœnitens solum in foro conscientiæ absoluitur, opus non est hasce ceremonias obseruare.Imo non esset peccatum mortale etiam in externo foro eas omittere, secluso contemptu, & scandalo. Vndè si quis in absolutione excommunicati,secluso contemptu,iuramentum non exigeret, vel aliquem Psalmum pœnitentialem non recitaret, aut orationem Dominicam omitteret: solum venialiter delinqueret. Tanner. *tom.*4. *disp.*6. *q.* 10.*n.* 124.Suar.*de cens.disp.*19.*sect.*2.*n.*13. Turria. *de censur. l.*2. *disp.*24. *dub.*3.Hic adnotat,mendicantes priuilegium absoluendi sine solemnitatibus habere.Concessit Fratribus Minoribus Leo X. 128. *Post absolutionem publicandam absolutio peccati publici.*

SECTIO SECVNDA.

De Censuris in communi Problemata.

CAPVT X.

Circa numerum censurarum,& eum, qui possit ferre censuras.

PROBL. I.

Sunt, & non sunt aliæ censuræ præter tres illas, Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum.

129. *Aliæ censuræ sunt præter tres assignatas.*

NON solum Excommunicatio, suspensio, & interdictum censuræ sunt, sed & Irregularitas contracta ex delicto est verè censura. Quia est verè pœna. Item cessatio à diuinis. Imò depositio, ac degradatio, ob eandem rationem: pœnæ enim sunt, quibus Ecclesiastici delinquentes flagellantur. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 3. *a.* 1. & Medina 1. 2. *q.* 96. *a.* 4. *ad* 1. de Irregularitate. Sotus autem de cessatione à diuinis. De depositione verò *aliqui* quos presso nomine memorat Gasp. Hurt. *tract. de cens. in commu. diffic.* 1.

130. *Non sint aliæ censuræ præter tres.*

Excommunicatio tantum, suspensio, ac interdictum Censuræ sunt. Tùm quia id videtur Innocentius III. Cap. *Quærenti* 2. *de verbor. signif.* Dum interrogatus, quid per censuram Ecclesiasticam deberet intelligi in literis Pontificiis, (idem est in queiscumque aliis) respondit, intelligi excommunicationem, suspensionem, & interdictum. Qui eo ipso, quod aliam non enumeret, sentit tantum illas tres esse: nec enim generaliter interrogatus satisfeciisset, si alia censura existeret. Tum quia censuræ definitio solis tribus conuenire quis ambigat? Ita Sayr. *l.* 1. *c.* 1. Ægidi. *disp.* 17. *dub.* 1. Nauar. *c.* 27. *n.* 1. & alij.

131. *Idem asserо, & expono.*

Hanc teneo sententiam, cuius rationem sic illustro. Censuræ definitio non conuenit irregularitati contractæ ex delicto; quia hæc non est pœna; non enim fertur in punitionem, sed ad euitandam indecentiam, quod persona huiusmodi maculata flagitio ordinibus initietur, aut susceptos exerceat. Et quamuis esset pœna, non esset censura; quia non esset pœna medicinalis; fertur enim quasi auferendo potestatem absque spe recuperationis. Non conuenit cessationi à diuinis; quia hæc non est pœna, cum non imponatur in punitionem, sed tantum assumatur in signum mœroris ob enormem iniuriam factam Ecclesiæ, & per modum defensionis, vt cogat lædentem ab iniuria desistere. Cap. 1. *de sent. excom.* Non conuenit depositioni; quia hæc non est pœna, cum non feratur in punitionem peccati, adhuc quando fertur in peccatum: sed etiam ad vitandum nocumentum, quod excitari posset, si persona tali crimine fœdata non deponeretur. Imò quamuis esset pœna, non esset censura; quia non esset medicinalis: fertur namque quasi auferendo potestatem absque spe recuperationis. Non denique conuenit degradationi (quæ supra depositionem tantum addit solemnitatem quandam, & Clericalis priuilegij priuationem:) quia degradatio non est pœna, cum non feratur in punitionem, sed ad vitandam ignominiam, quæ Ecclesiastico eueniret statui, si Clericus brachio seculari traderetur, ea ceremonia, ac priuatione non adhibita. Imò quamuis esset pœna, non esset censura; qui medicinalis non esset: fertur enim in perpetuum absque recuperationis spe.

PROBL. II.

Ex Præsulis summi dispensatione quilibet Ordinarius potest, & non potest suam iurisdictionem ferendi censuras delegare viro non baptizato.

132. *Potest non baptizato delegari iurisdictio ferendi censuras, ex Papæ dispensatione.*

QVia mere laicus (vt vidimus) & fœmina, & Clericus coniugatus, & non baptizatus sunt incapaces ferendi censuras ex solo Iure Ecclesiastico, in quo Papa dispensare potest: ideo quilibet ordinarius ex summi Præsulis indulto potest suam iurisdictionem ad ferendum censuras delegare non solum non Clerico, & multo melius Clerico coniugato, (in quo Doctores conueniunt) sed etiam viro non baptizato. Quia hic ex solo Ecclesiastico Iure prohibetur, in quo summum Præsulem dispensare posse quis ambigat? Sic Sayr. *l.* 1. *c.* 5. Gasp. Hurt. *tr. de censur. in gen, difficul.* 4. Vgolin. *c.* 2. §. 9. *n.* 5.

133. *Non potest delegari.*

Non potest delegari potestas ferendi censuras viro non baptizato. Quia hic non tantum

tantum Ecclesiastico iure sed diuino & quasi naturali est incapax iurisdictionis; vnde in hoc non potest summus Pontifex dispensare. Nec de hac re vllum extat Ecclesiasticum statutum, nec decreta, quæ Vgolinus adducit quidquam ad rem præsentem faciunt: sed ex perpetuo vsu, ac traditione Ecclesiæ, quæ ius diuinum declarat, id habetur. Ita Suar. *de cens. disput. 2. sect. 3. n. 12.*

134. *Idem teneo.* Idem prorsus existimo, quia hæc conditio generalis est ad omnia Ecclesiæ munia, eo quod Baptismus ianua sit Ecclesiæ. Vnde multo magis necessarium est ministrum censuræ ferendæ esse baptizatum quam esse clericum; quia hoc posterius est necessarium ordinariè ex congruentia quadam: illud vero prius est semper & absolute necessarium; nam qui re ipsa nondum est Ecclesiæ membrum, non potest spiritualem iurisdictionem in eam exercere, ex omnimoda indispensabili incapacitate.

PROBL. III

Ex summi Præsulis dispensatione potest & non potest ordinarius delegare iurisdictionem ferendi censuras fœminæ.

135. *Non potest delegari fœminæ hæc potestas.* DIximus fœminæ minime posse delegari potestatem ferendi censuras; quia incapax est iurisdictionis spiritualis ad claues pertinentis, præsertim quæ ad iudicium, vel sententiam ferendam valeat. Quæsierim tamen, an ex summi Præsulis dispsẽatione id munus possit Ordinarius fœminæ delegare? Non potest. Quia hæc potestas clauium iure diuino (in quo Papa nequit dispensare) tantum data est Apostolis, atque eorum aliqua ratione successoribus. Fœminæ autem nullo modo possunt Apostolis succedere. Et confirmatur ex eo quod neque Christus neque Ecclesia vnquam huiusmodi potestatem vlli fœminæ commisere, vt aptè annotat Innoc. III. Cap. Noua. Cap. *de pœnitentiis. & remis.* Sic Auila, quem citat, & sequitur Ægidi. *disp.* 13. *dub.* 4.

136. *Potest fœminæ delegari.* Potest ex Papæ dispensatione committi fœminæ potestas ferendi censuras. Quia hoc non est contra ius diuinum: & ideo nihil est, cur Pontifex ex absoluta potestate id gerere non possit, sicut etiam potest hanc iurisdictionem laico conferre. Ita Suar. *de cens. disp. 2. sect. 2. n. 7.* Paluda. *in 4. dist. 19. q. 2. a. 1.* Sot. *hic dist. 20. q. 1. a. 4.* Nauar. *cons. 73. de sent. excom.* Vg. *c. 2. §. 7. n. 5.*

His hæreo sciens tamen secundum communem legem, & vsum Ecclesiæ nunquam huiusmodi Præsulis summi potestatem fuisse datam executioni. Ideo existimo, nec consuetudine induci posse, neque à Pontifice vnquam fœminæ tam indecenter impendendam huiusmodi potestatem; quia licet non sit contra ius diuinum simpliciter, aut naturæ: est tamen minus vtrique consentaneum. Nec his obstat Cap. *dilecta de maioritate*, vbi Pontifex iubet obseruari suspensionem, qua quædam Abbatissa sibi subiectos ab officio suspenderat. Ibi enim suspensio latè sumitur, non scilicet pro censura, sed pro præcepto, quo illa sibi subditis ob inobedientiam interdixerat officij, ac beneficij administrationem. Vnde Pontifex ibi præcepit cuidam Abbati, vt per censuras compellat illos subditos Abbatissæ obedire: clare ostendens Abbatissam censuras ferre non posse. 137. *Hanc teneo sententiam.*

CAPVT XI.

Circa eos, qui possint censuris illigari.

PROBL. IV.

Pueri, ac impuberes possunt, & non possunt valide illigari censuris ab homine latis.

138. *Non possunt impuberes ligari censuris validè.* VIdimus *sect.* 1. pueros, ac impuberes posse simpliciter ligari quacumque censura à iure lata Quæsierim autem, an valeant censuris ab homine alligari? Non possunt. Quia huiusmodi ætas non censetur sufficiens ad intelligendum ordinem iudiciarium. Propter quod nec de iure citari potest, nec ad agendum, vel defendendum se in iudicio admitti. Cap. *vlt. de iudiciis in 6.* Et quamuis in aliis causis possit per procuratorem, vel tutorem agere: tamen in huiusmodi causa, quæ valdè ad animum spectat, non potest ad id obligari. Sic ex Abbates Socino, & aliis docet. Vgolin. *c.* 17. §. 3. *n.* 5.

139. *Possunt validè pueri ligari censuris.* Possunt validè pueri, & impuberes censuris ab homine illigari. Quia ex vna parte possunt mortaliter delinquere, ex altera verò nullo iure censura contra eos lata irritatur, imò nec prohibetur, contra eos ferri. Ita Suarius *disputatione* 5. *section.* 2. Ægidi.

disp. 15. *dub.* 6. Casp. Hurt. *tr. de cens. in commu. diffic.* 7.

140. *Mea sententia possunt validè, illicitè tamen.* Hoc affirmandum probabilius puto. Quodvero impuberes nõ percipiant ordinem iudiciarium, non obstat, quo minus censuris generaliter latis alligentur: quia tunc non est necessarium ad censuræ incursionem, ordinem iudiciarium interuenire. Nec obstat, vt ligentur censuris latis specialiter contra illos; quia instrui possunt de ordine iudiciario: sicut possunt ligari alij puberes ordinem iudiciarium ignorantes; quia possunt etiam instrui: imò & quamuis non possent, possent medio procuratore se defendere. Crediderim tamen (contra Ægidium citatum) id si validè quidem, vt vidimus, haud tamen licitè posse præstari; nec enim impuberes in huiusmodi causa, quæ valdè ad animum spectat, iustè possunt diuexari. Attamen non inuenio ius, quo reddatur nulla sententia lata in impuberē; & ideo si alioqui in re intercedat vera contumacia, & reliqua necessaria ad valorem censuræ ex hoc capite non censeo esse nullam. Quod maxime verificatur, & in praxi habet locum etiam absque iniustitia, vel indecentia in censura interdicti; nam si populus interdicitur, sine dubio comprehenduntur etiam impuberes, si iam sint doli capaces, quatenus iam possunt, vel etiam tenentur sacris interesse, vel ea percipere, humano, & rationabili modo illis rebus vtendo.

PROBL. V

Subditus Episcopi in aliena Diœcesi existens potest, & non potest censuris annexis præcepto siue generali, siue speciali sui Episcopi alligari.

141. *Potest censuris ligari.* POtest quidem. Quia præceptum, & censura ei annexa non tam respiciunt territorium, seu locum iurisdictionis, quã personas subditas: ac proinde obligat suos subditos, & censura præcepto annexa ligat eos vbicumque reperiantur. Sic Suar. *disp.* 5. *sect.* 5. Sayr. *lib.* 1. *c.* 7. & alij Filliuc. *tr.* 11. *n.* 152.

142. *Non potest.* Non potest illigari censuris annexis præcepto huiusmodi. Quia iurisdictio Episcopi non extenditur vltra suum territorium, vti satis innuit Pontifex Cap. 2. *de constitut. in* 6. dum reddens rationem, ob quam qui extra territorium Episcopi furantur, non ligentur statuto Episcopi excommunicantes fures, ait: *Quia extra territorium ius dicenti non paretur impunè.* Vbi per ius dicere non intelligit ferre statutum, seu legem; sed vti iurisdictione; ac proinde Episcopus tantum habet iurisdictionem in personas ratione territorij, quando in eo habent domicilium, aut quasi domicilium. Ita Henriq. *l.* 13. *c.* 26. Ægidi. *disp.* 13. *n.* 61. & alij

143. *Idem puto asserendum.* Idem existimarim, ex præfati Pontificis verbis annotans, Episcopum nihil posse validè præcipere, aut prohibere extra suam Diœcesim existenti circa actus ibidem ita committendos, vel omittendos, vt non simul committantur, vel omittantur aliqua ratione in Diœcesi, eiusque rationem redddit, Eo quod Episcopi iurisdictio non extendat se vltra Diœcesim; quæ ratio æqualiter valet, siue censura feratur per sententiam siue per statutum.

PROBL. VI.

Alienigena existens in alieno Episcopatu ligatur, & non ligatur censura generaliter lata, annexa dicto, seu præcepto generali Episcopi Diœcesis in qua est lata non in satisfactionem delicti antea commissi.

144. *Alienigena hac censura ligatur.* ALienigena huiusmodi illigatur Censura generaliter lata ãnexa præcepto generali Episcopi Diœcesis illius, in qua est lata, licet non feratur in satisfactionem delicti prius perpetrati. Quia ratione violationis edicti fit subditus ei Episcopo. Sic Glossa in Cap. *A nobis.* 21. *de sent. excommunic.*

145. *Alienigena hac non ligatur censura.* Alienigena huiusmodi ea Censura non alligatur. Quià ille quamuis in illa adsit Diœcesi non est subditus ei Episcopo, vt supponitur in dicto Cap. *A nobis*; non enim acquisiuit domicilium, nec quasi domicilium in ea, ratione cuius quis ad Parochiam, ac Episcopatum pertinet; ergo non obligatur eius præcepto generali, nec ligatur censura ei annexa: & ob hanc rationem etiam non ligatur censura specialiter annexa præcepto speciali; sicut nec obligatur ipso præcepto; quia scilicet non est ei subditus. Ita Coninch. *disputat.* 13. *numer.* 58. Gasp. Hurt. *tract. de censur. in commu. diffic.* 9. & alij communiter.

146. *Idem existimo:* His adhæreo, negans, alienigenam ratione violationis præcepti generalis: seu specialis Episcopi non continentis materiam

materiam aliàs Iure naturali, aut diuino prohibitam, fieri subditum ipsi; quia tali violatione non delinquit, cùm nondum inter eius subditos annumeretur, vt eius præcepto obedire teneatur.

PROBL. VII.

Alienigena ligatur, & non ligatur censuris annexis statuto perpetuo Diœcesis in qua adest.

147. *Alienigena his censuris subiacet.* Ligatur quidem alienigena perpetuo statuto annexis censuris. Quia statutum perpetuum respicit territorium, & personas ratione territorij. Sic Filliuc. *tr.* 11. *c.* 5. & alij.

148. *Non subiacet his censuris alienigena.* Non ligatur alienigena censuris statuto perpetuo annexis hisce. Quia nemo obligatur statuto, ac proinde nec censura ei annexa alligatur nisi ratione domicilij, seu quasi domicilij fiat illius diœcesis aut Reipublicæ. Vbi est statutum illud, incola. Ita Ægidi. *disp.* 13. *num.* 58. Gasp. Hurt. *tr. de cens. in commu. diffic.* 9. & alij.

Hisce assentior existimans ita statutum respicere territorium, & personas ratione illius, vt non respiciat omnes, quæ in eo sunt; sed tantum eas quæ ad illud pertinent, & illius sunt incolæ.

CAPVT. XII.

Circa peccata, ob quæ possit ferri censura.

PROBL. VIII.

Suspensio, & Interdictum possunt, & non possunt ob peccatum veniale ferri.

149. *Possunt suspensio & interdictum validè ferri ob leuem culpã.* Vidimus sect. 1. Excommunicationem maiorem non posse ob peccatum ferri veniale, excommunicationem vero minorem posse. Quæsierim autem an suspensio, & interdictum valeant ob leue piaculum contorqueri? suspensio, & interdictum integrè & plenè, vt communiter feruntur possunt validè ferri, & incurri ob peccatum tantummodo veniale. Quia etiam excommunicatio minor potest ob leue piaculum ferri, cum tamen sit maior pœna, quam suspensio & interdictum adhuc plene & integrè lata. Dixi, *Plenè & integrè, vt communiter feruntur*, quia si tantum sint ab vna actione, & ad breue tempus, vt ferri possunt pro arbitrio Iudicis (quamuis tunc non erunt censuræ) possunt, vt potè pœnæ leues, ferri, & incurri ob peccatum veniale. Igitur vel integrè & plenè quando censuræ sunt, possunt ob leuia piacula ferri. Sic Caiet. *ver. Præcepti transgressio*, Nauar. *c.* 27. *num.* 165. Henr. & Auila apud Gasp. Hurt. *tr. de cens. in commu. diffic.* 10.

150. *Suspensio & interdictum ferri non possunt ob venialia piacula.* Suspensio & interdictum integrè, ac plenè latum, & vt est censura ferri non potest ob leue peccatum. Quia suspensio, & interdictum plenè lata, sunt ex obiecto grauia mala, & non possunt facilè auferri (sicut aufertur excommunicatio minor,) quamuis non reseruentur; confessarius enim ordinarius non potest hac censuras auferre, sicut potest excommunicationem minorem. Excipe interdictum personale particulare purum latum à iure, vel generaliter ab homine, & non reseruatum, quod quidem potest ob peccatum veniale tantum ferri, & incurri; quia non est intensiuè maior, imò est minor priuatio, quam excommunicatio minor: & ita facilè potest auferri, ac minor excommunicatio; potest enim ab ordinario tolli confessario. Ita Ægidi. *disp.* 13. *dub.* 8. Vasquez 1. 2. *disput.* 158. Suar. *de cens. disp.* 4. *sect.* 4.

151. *His adhæreo, sententiamque illustro.* Hosce sequor, quorum roboro, seu probo illam propositionem: Nulla suspensio vel interdictum (illo excepto personali particulari puro, id est, non adiuncto locali,) possunt auferri à confessario ordinario. Quia illa censura, & ea sola potest à confessario ordinario auferri, cuius absolutio non reseruatur, & potest sacramentaliter fieri, & cuius absolutio prærequiritur ad absolutionem à peccatis, vt confessarius non impediatur huiusmodi censura ab officio suo, & cuius absolutione non perturbatur tribunal ferentis censuram; vt contingit, quando persona ligata censura est iudicialiter incognita, eo quod censura fuit lata à iure, vel generaliter ab homine. Atqui nulla suspensio impedit absolutionem à peccatis, quia dari potest suspenso, ita manenti; neque interdictum personale speciale mixtũ, seu adiunctum generali, sicut nec hoc generale locale, ex concessione summi Præsulis, Cap. *Alma mater.* 24. *de sent. excommunic. in* 6. Itaque suspensio non potest validè ferri ob peccatum veniale, non solùm specialiter ab homine, sed nec à iure, nec generaliter ab homine; quia nulla potest facilè auferri, cum nulla possit à confessario ordinario tolli. Et nullum interdictum specialiter ab homine potest ob peccatum

ferri veniale; quia non potest facilè auferri, cum à confessario ordinario in foro sacramentali tolli non valeat, sed tantum à Iudice ipso in foro exteriori. Sicut etiam excommunicatio minor si feratur specialiter ab homine, non potest ob peccatum tantum veniale validè ferri ob rationem eamdem.

PROBL. IX.

Censura potest, & non potest ferri ob peccatum purè internum.

152. *Ob peccatum purè internũ potest ferri censura.*

OB peccatum purè internum potest ferri censura. Quia potestas Ecclesiæ est spiritualis: ergò, potest præcipere actus purè internos & spirituales, eosdem prohibere: inobedientesque præcepto, aut prohibitioni censuris flagellare. In Clement. I. *de hæret.* excommunicantur Inquisitores, qui in causa Fidei, odio, vel amore aliquid omittunt. Et in Clement. I. *de statu Monach.* excommunicatur Monachus Benedictinus, qui absque licentia Prælati se confert ad Curiam Regiam animo illum accusandi. Sic Adrian. *Quodlib.* 8. *q.* 1. *lit. G.* Medin. *cap. de pæn. tr. de Orat. q.* 15. Cordu. *l.* 4. *qq. q.* 13.

153. *Non potest ferri censura ob peccatum purè internũ.*

Non potest validè ferri censura ob peccatum merè internum, quod in actum exteriorem sensibilem non procedat: Quia homo nequit actus purè internos cognoscere; ergò quamuis sit superior nequit de illis iudicare, nec eos præcipere, seu prohibere; ac proindè neque eos, nec eorum omissiones censuris punire. Ita Cap. *Tua nos.* 34. Cap. *sicut tuos.* 33. *de Simon.* Can. *Erubescant.* 32. Suar. *disp.* 4. *sect.* 2. Ægidi. *disp.* 13. *dub.* 8. Vazq. 1. 2. *disp.* 160.

154. *Id approbo, & expono.*

His consentio adiiciens, cum hoc bene stare, quod prohibito actu exteriori, etiam indirectè & per accidens maneat prohibitus actus internus efficax voluntatis: quia est causa actus exterioris prohibiti; & prohibito, seu illicito facto actu exteriori, nequit non esse illicitum ad illum conari: nihilominus pœna imposita pro opere exteriori non incurritur ob affectum efficacem illius, si opus ipsum non sequatur; quia pœna non deriuatur secundario ex actu exteriori in affectum efficacem, sicut deriuatur culpa, siue malitia. Quamuis igitur Ecclesiastica potestas etiam quoad forum contentiosum sit spiritualis, id est, circa ea, quæ ad æternam vitam animæ conducunt, quia tamen residet, & concessa est hominibus modo generali, & ordinario, qui verè sunt sensibiles, & dependenter à sensibus cognoscentes, & iudicantes: ideo talis potestas directè non se extendit nisi ad ea, quæ possunt sensibus percipi. Porro Vazquez ad exempla Inquisitorum, ac Monachi Benedictini, & si quæ alia adducantur, respondet, nullum actum internum contentum in illis præcipi, nec prohiberi, nec puniri ab Ecclesia, nisi verbo, aut alio signo exterius indicetur, quamuis cum actu exteriori coniungatur. Vnde Inquisitores non incurrunt excommunicationem, quamuis ex odio vel amore non procedant in causa Fidei, nisi signo aliquo exteriori indicent omissionem procedendi ex odio vel ex amore prouenire. Nec Monachus Benedictinus curiam iniens animo accusandi superiorem, censura afficietur, nisi exterius indicet se eo animo curiam adire.

PROBL. X.

Censura potest, ac non potest ferri ob peccatum exterius absque inobedientia respectu Ecclesiæ.

155. *Potest ferri censura ob peccatũ absque inobedientia.*

EXcommunicatio maior ac maiori ratione suspensio, & Interdictum potest validè ferri etiam à Iudicibus inferioribus ob peccatum exterius absque præfata inobedientia respectu Ecclesiæ. Quia peccatum exterius quamuis non sit contra præceptum Ecclesiasticum, potest dignum esse censura, & potest ab Ecclesia puniri in bonum animæ illius qui delinquit: & ex alio capite censura ex eo quod feratur absque inobedientia respectu Ecclesiæ nullo iure irritatur: ergò potest ferri validè ob peccatum exterius, quod non sit contra Ecclesiæ præceptum. Sic Almayn. *de potest. Ecclesiast. cap.* 10. Cordu. *l.* 2. *qq. quæst.* 27. *ad* 2. Caiet. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2.

156. *Non potest ferri censura ob peccatum absque inobedientia.*

Censura non potest validè ferri à Iudicibus, ac consequenter nec incurri nisi ob peccatum exterius inobedientiæ, seu contumaciæ respectu Ecclesiæ. Quia excommunicatio, suspensio, & interdictum instituta sunt ab Ecclesia in pœnam contra sibi contumaces, seu inobedientes, Christo profante: *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Mat. 18. Ideo ad censuram infligendam præcipimur Iure canonico admonitionem fieri, imo trinam, aut vnam pro tribus ad imitationem trinæ admonitionis,

monitionis, quam Christus superius iusserat fieri peccatori, quamuis vnam tantum præscripserit fieri ab Ecclesia, & alias duas à proximo. Igitur contra institutionem, ac naturam censurarum est, ferri ob peccatum, quod non sit inobedientiæ, seu contumaciæ respectu Ecclesiæ: ac proinde aliter lata inualida erit non iure Ecclesiastico puro naturæ censuræ superaddito: sed iure Ecclesiastico naturali, id est, iure suæ naturæ, quam habet ex Ecclesiæ institutione. Ita Suar. *de cens. disp.* 4. *sect.* 5. Auil. 2. *part. cap.* 5. *disput.* 1. *dub.* 10. Ægidi. *disput.* 13. *dub.* 8. Vasq. *de excommunic. dub.* 12.

157. *Horum mentem sequor. improbans tamen quod additur à nõnullis circa comminantem Censuras.*

Horum mentem libenter amplector, non tamen probo quod Suarius, Auila, & Ægidius addunt, nempè ad valorem censuræ prærequiri contumaciam respectu Ecclesiæ comminantis sub censura. Quia absque fundamento talem reor comminationem requiri. Quamuis enim ea comminatio ab Ecclesia non fiat, qui ei non obedit, vere contumax dicitur in Ecclesiam, & eam non audire, quod sufficit vt censura puniatur. Addiderim, non posse censuram validè ferri absque inobedientia respectu Ecclesiæ, à Iudicibus Papa inferioribus; quia (quidquid alij renuerint) potest Censura validè ferri à summo Præsule absque præfata inobedientia. Potestas enim Papæ ad ferendas validè censuras non est limitata ad eas præscripto modo ferendas. Certè per ipsius institutionem, per quam inferioribus limitatur, coarctata non est; quia sibi Pontifex nequit eam potestatem tollere, seu limitare. Nec limitata est à Christo Domino illis verbis: *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*: quia Christus hisce verbis non limitauit Ecclesiæ facultatem ad Censuras eo tantum modo instituendas, & ferendas, nec eas eo tantum modo instituit. Attamen Pontifex illicitè ferret censuram absque præfata inobedientia, quandò ad secum dispensandum in sua institutione non adsit rationabilis causa: Papa enim quo ad vim directiuam suo iure tenetur.

***

PROBL. XI.

Censurâ lata contra facientes comprehenduntur etiam, & non comprehenduntur mandantes, seu commendantes, ac committentes alteri opus, ob quod Censura fertur.

VIdimus sect. 1. Censura lata contrà facientes aliquod opus, v. gr. percussionis Clerici non comprehendi consulentes, quando in latione censuræ id non exprimitur. Quæsierim tamen, num comprehendantur mandantes, & committentes alteri opus id, ob quod censura fertur? Comprehenduntur planè. Patet ex Cap. *Mulieres, de sent. excomm. in 6.* dum dicitur, eos quorum authoritate, ac mandato alij iniiciunt manus violentas in Clericos, esse excommunicatos excommunicatione lata ab Innocentio II. *in Can. siquis suadente diabolo* 17. *q.* 4. reseruata sedi Apostolicæ: hæc autem excommunicatio fertur non solum contra facientes, sed contra eos, quorum authoritate opus nefarium perpetratur. Ratione ostendo, quia qui aliquid mandat alicui efficere absolute, simpliciter dicitur illud efficere. Iudex enim, qui mandat, seu committit executori aliquem suspendere, absolutè dicitur illum suspendere; ergo Censura lata contra facientes aliquid, etiam comprehendit mandantes: hi enim absolutè illud malum efficere dicuntur. Sic Rosel. *ver. Excommunicatio.* 1. *casu* 43. *numer. vlt.* Sylues. *Excommunicatio* 9. *n.* 79. *& Excommunicatio.* 10. *quæst.* 4.

158. *Comprehenduntur mandantes, & committentes.*

Non comprehenduntur mandantes, seu committentes aliquid gerendum cui annexa censura. Quia lex pœnalis vt pote odiosa strictè est accipienda secundum propriam, ac rigorosam significationem verborum. Qui autem mandat, seu committit aliquid efficere, id non efficit propriè & in rigore: mandare enim & efficere sunt in rigore distinctæ actiones: quamuis mandans opus aliquando dicatur absolute & simpliciter illud efficere, tunc videlicet cum id assolet effici per alios, vt ædificare, suspendere, sepelire mortuos, &c. Ita Ægidi. *disp.* 14. *n.* 188. Nauar. *c.* 27. *n.* 51. Gasp. Hurt. *tr. de cens. in com. diffic.* 14. & alij communiter.

159. *Non comprehenduntur mandantes, seu committentes.*

Idem asserendum existimo, quod quidem confirmarim ex eo quod in nonnullis Iuribus, quibus fertur Censura contra

160. *Idem puto asserendum.*

facientes aliquid, etiam additur contra mandantes, vt constat. Cap. vlt. *de pœnis in 6.* & Clement. I. *eodem tit.* & multis excommunicationibus Bullæ Cœnæ. Ergò dum contra mandantes non adiicitur huiusmodi censura, eos minime comprehendit. Vnde excommunicatio, quæ Cap. *Mulieres*, supponitur incurri ob mandatum percussionis Clerici non est ex vi canonis, *Si quis suadente diabolo*, in quo tantum fertur excommunicatio contra clericum percutientes; sed ex vi præfati Cap. *Mulieres*, in quo excommunicatio illa lata extenditur ad mandantes; ad quam extensionem gerendam motus fuit Pontifex ratione pro prima sententia adducta, quia scilicet ille dicitur committere scelus cuius authoritate, ac mandato perpetratur, quæ ratio non sufficit ad illam excommunicationem incurrendam, nisi Pontifex ea motus, præfatam gereret extensionem. Quemadmodum etiam in Cap. *Quantæ.47. de sent. Excommunic.* extenditur censura prædicti canonis ad non impedientes Clerici percussionem cum possint, ad quam extensionem mouetur Pontifex, quia illi consentiunt, consentientes autem pari pœna, ac facientes, plectendi sunt. Quæ ratio non sufficeret ad illam excommunicationem incurrendam, nisi etiam Pontifex ea motus huiusmodi gereret extensionem.

PROBL. XII.

Quando mandatum, aut consilium (circa Clerici percussionem v.gr.) reuocatur quidem, sed tamen manet efficax, quia reuocatio non venit ad notitiam percussoris: tunc reuocatio huiusmodi impedit, & non impedit Censuræ incursionem.

161. *Non impedit censura incursionem.*

PRocedit quæstio de Censura lata ob opus, & extensa ad mandantes, ac consulentes, lata quidem principaliter ob opus tantum, & quæ ob id non incurritur antè opus secutum. Vidimus, resipiscentiam à mandato, vel consilio peruenientem ad notitiam mandatarij, vel consulti, quam mandatum, vel consilium mouere desinit, seu esse efficax, impedire censuræ incursionem. Quæsierim tamen, num quando mandatum, aut consilium post reuocationem, aut pœnitentiam mansit efficax siue adhuc mouens, vel quia reuocatio non peruenit ad mandatarij notitiam, vel aliunde; tunc reuocatio, seu pœnitentia censuræ impediat incursionem? Monuerim, non procedere quæstionem, quando reuocatio seu pœnitentia non est efficax quantum est ex se, id est, quando non est talis, vt mandans, aut consulens, quantum in se est, pro temporis opportunitate non curet impedire efficaciam seu influxum sui mandati, aut consilij, si commode potest notificando reuocationem, & si necessarium sit, aliter impediendo, nè opus eueniat; quia quando reuocatio non est ita efficax non impedit censuræ incursionem: tunc enim mandans, aut consulens non tantum est causa moralis operis, sed etiam permanet inobediens saltem habitualiter superiori prohibenti mandatum, aut consilium; quia non retractat illud efficaciter quantum ex se est. Procedit ergo difficultas, quando reuocatio seu pœnitentia est efficax, quantum est ex se, & tamen non impedit influxum mandati aut consilij in opus, eo quod mandans, aut consulens nequit, saltem commodè, quamuis id procurauerit: an scilicet tunc reuocatio habita antè censuræ incursum illum impediat? Non impedit. Quia etiam tunc mandans, aut consulens verè contumax, seu inobediens fuit Ecclesiæ, quæ prohibuit mandatum aut consilium, & sub censura lata, & ex mandato, aut consilio vere fuit factum opus. Sic Ægidi. *disp.14. dub.15.* & alij quam plures.

162. *Impedit.*

Impedit quidem. Quià per illam reuocationem, seu resipiscentiam ex se efficacem cessat, imò destruitur inobedientia habitualiter perseuerans. Ecclesia autem supposita institutione censurarum vel non potest validè, vel intendit ligare censura eum, qui antè incursionem iam non est inobediens adhuc habitualiter, sed pœnitens efficaciter: Sicut etiam debet absoluere ab incursa censura eum, quem efficaciter quantum est ex se, pœnitet inobedientiæ factæ. Ita Innocent. *in Cap. Mulieres.6. de sent. excommun.* Tabie. *ver. excommunicatio 5. casu.1. n.35.* Auil. *part.2. disp.3. dub.7.*

163. *Hoc mihi probabilius.*

Probabiliorem hanc puta sententiam, quam exemplis confirmo. Nam ob hanc rationem censura lata iure aliquo vel præcepto contrà scribentes ad aliquas personas, v. gr. ad Moniales, non incurritur quando antèquam epistola ad personæ ad quam immittitur, manus aduentet, scribens resipiscit: quia censura non incurritur antequam scriptura ad personam perueniat, & inobedientia cessat, prius quam aduenia, & incursa censura sit. Et qui scribit

scribit ad excommunicatum si, ante quam scriptura peruentet ad eum, ita resipiscit, vt si commodè posset impediret epistolæ peruentum, haud incurret minorem excommunicationem iure latam ob communicationem cum excommunicato. Et qui venenum clerico propinat, si ante mortem clerici omnino efficaciter resipiscat, non incurret excommunicationem latam in Can. *si quis suadente.*

PROBL. XIII.

Censura potest, & non potest licitè ferri ab homine, seu iudice pro peccatis futuris.

164. *Non potest ferri.* VIdimus *sect.* 1. censuram posse ferri validè ab homine pro peccatis futuris, Requiro, an licitè? censura ab homine non potest ferri, pto futuro piaculo licitè. Quia Cap. *Romana.* 5. *de sent. excom. in* 6. Innocentius IV. ait: *Caueant, nè sententias excommunicationis, siue specialiter, siue generaliter, pro culpis futuris proferre præsumant.* Vbi verbum *Caueant*, videtur planè prohibitionem continere. Sic nonnulli *Canonistæ*, quos suppresso nomine memorat Gasp. Hurt. *tr. de cens. in commu. diffic.* 16.

165. *Potest ferri.* Censura potest ab homine non solum validè, sed & licitè ob peccata ferri futura, quod quidem iudices regulariter efficiunt. Quia in Cap. *A nobis.* 21. *de sent. excommun.* & in Trident. *sess.* 25. *c.* 3. *de Reformat.* Supponitur licitè id fieri. Ità Couarr. 1. *p.* §. 10. Vasq. *de excommun. dub.* 12. Suar. *de censur. disp.* 3. *sect.* 4.

166. *Idem sentio.* Hanc magis probans sententiam, affero clausulam cap. *Romana* 5. non vrgere; quia verbum illud. *Caueant* aut non continet prohibitionem, sed simplicem admonitionem, ne id fiat: aut si prohibitionem continet, id non prohibetur simpliciter & absolutè: sed tantum quando non est rationabilis ad id causa; eo enim in Cap. tantum cauetur, ne feratur censura à iudicibus pro peccatis futuris omninò (nempe *Qui tale fecerit sit excommunicatus*) nisi quando peccatum, seu culpa præcedit, id est, nisi quando peccata similia ei, ob quod vitandum fertur censura, fuerint commissa.

PROBL. XIV.

Perpetrans crimen, cui annexa est censura, committit, & non committit duplex peccatum

167. *Committit duplex piaculum.* PErpetrans delictum, cui censura est annexa, duplici piaculo maculatur, altero contra eam virtutem, aduersus quam aliàs est crimen, excluſa censura; altero inobedientiæ contra debitam obedientiam; ex. gr. committens furtum, cui censura annexa est, duplex committit peccatum, vnum iniustitiæ, inobedientiæ alterum. Sic Henriq. *l.* 5. *c.* 7. & alij.

168. *Vnicum peccatum committit.* Vnicum perpetrat ille peccatum contra eam scilicet virtutem, contra quam aliàs est, secluſa censura: v. gr. committens furti crimen solum peccatum perpetrat iniustitiæ. Quia non est speciale aliquod præceptum non incurrendi censuram; Ità Auil. 2. *p. c.* 5. *disp.* 1. *dub.* 11. Cordub. *in sum. q.* 11. Gasp. Hurt. *tr. de Cens. in commun. diffic.* 17.

169. *Cum his sentio.* Cum his sentiens reor non esse necessarium, ad incurrendam censuram illam, actum specialem inobedientiæ ortum ex affectu expresso non se subiiciendi superiori; sufficit enim actus inobedientiæ generalis contra præceptum superioris ortus ex motiuo vtilis, aut delectabilis, vel ex alio; obedientia autem generalis non est virtus distincta ab ea, contra quam est actus ille (v. gr. furti) ob quem censura incurritur.

CAPVT XIII.

Circà admonitionem in ferenda censura adhibendam.

PROBL. XV.

Censura potest, & non potest licitè ferri, nulla monitione præmissa.

CONSTAT, Petrum furatum esse: potest ne licitè sine vlla præmissa monitione, censura flagellari- 170. *Potest quidē.*

Potest quidem. Quia Apostolus 1. *Cor.* 5, sine vlla monitione incestuosum excommunicare videtur. Præterea in multis canonibus refertur, quomodo diuersi diuersos excommunicauerint, nec tamen fit mentio, eos ante monuisse Cap. *Guillisiarius*, Cap. *inter querelas.* 23. *q.* 4. cap. *in primis*

mis.2.q.1.cap.1.& 2.36.q.1. Item *D.Gregorius* cap. *Quidam. 5.q.1.* quemdam occultum auctorem libelli famosi excommunicat, nisi se reuelet, ad quod tamen non tenebatur Adde: Cap *Duo* sunt referri. Innocentium (*dist. 96.*) Arcadium excommunicasse, & Theodosium ab Ambrosio excommunicatum fuisse ob factum absolutè præteritum. Sic Caiet. 2.2. q.69. *a.2.* §. *Ad secundam dicitur.*

171. *Non potest.* Vt censuræ licitè ferantur, necessaria est præmittēdą canonica monitio. Quia id expresse, Cap. *Reprehensibilis. de appellation.* præcipitur. Ita Ægidi *disp.13.dub.9. n.79.* ex communi Doctorum.

172. *Falsam reputo primam sententiam.* Falsam omnino reputo primam sententiam, iura enim illa nihil omnino probant. Porro nulla ratione ostenditur Apostolum non monuisse prius secretò illum incestuosum, quam excommunicasse. In aliis adductis exemplis sumitur argumentum similiter ab authoritate negata solummodò, ideoque est inualidum. Addo iura, quæ illis locis supponunt, censuras illas fuisse validè latas, aut ferendas (quod adiicio, quia Cap. 1. & 2.36. *q.* 2. agitur de censuris ferendis) etiam supponunt in iis fuisse setuatum id, quod ad earum essentiam requiritur. Nec est verum, Innocentium excommunicasse Arcadium ob factum omninò præteritum; quia eum excommunicauit eo quod D. Chrysostomum iniustè eiectum in exilium nollet reuocare. Similiter D. Ambrosius fortè excommunicauit Theodosium, eo quod nollet agere condignam pœnitentiam ob tantum scelus commissum; nam statim atque hanc peregit, eum communioni restituit. Cum autem tunc temporis Pontifices Romani, atque omnes probi Episcopi fuerint maxima obseruantia erga imperatores: incredibile omninò est, eos tam graues eis inflixisse pœnas, ante quam eos sui officij monerent. Imò de Ambrosio historiæ narrant eum sæpius monuisse Theodosium, ne eam cædem designaret. Addiderim, ipsum non tam videri excommunicasse Imperatorem, quam donec ageret pœnitentiam, aditu Templi prohibuisse.

***

PROBL. XVI.

Censuram latam in defensionem propriam debet, & non debet præcedere admonitio.

CVm admonitio solum requiratur in censuris ab homine latis per sententiam ob culpam commissam, dubitare quis poterit, num quando censura non fertur per modum iudicij, sed per modum defensionis propriæ, teneatur qui illam tulerit, monitionem præmittere? Minime tenetur. Quia tunc excommunicatio non est à iudice vt iudex est, sed à persona priuata defendente ius suum; præmittere autem monitionem solum est præceptum iudici, vt ex Cap. *sacro* constat. Addiderim, tunc esse notam contumaciam, & ideò non esse necessariam monitionem. Sic multi Canonistæ, quos refert Couar. §. 9. *num. 6.* & alij, quos memorat, ac sequitur Vgolin. *c.18.l.2.* 173. *Non debet præcedere.*

Tenetur quidem præmittere monitionem. Quia iura non limitant hoc præceptum de monitione præmittenda ad solos iudices cum ea formalitate iudicandi, sed absolutè prohibent, *nequis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti monitione præmissa, promulgare præsumat*: quæ sunt verba Cap. *sacro.* Ille autem qui in sui iuris defensionem alium excommunicat, verissimè dicitur in eum promulgare excommunicationis sententiam; illa enim vox *sententiam* non necessario sumitur in eo rigore, quo est actus iudicij propriè sumpti; sed prout communiter dici solet de censura excommunicationis, etiam si per præceptum feratur. Nec est verum, ibi intercedere aliquam contumaciam ante admonitionem, etiam si delictum aliquod præcedere possit; quia nondum ille fuit inobediens formaliter præcepto Ecclesiæ, licet fortasse in re aliqua ius suum Prælato denegauerit: quod interdum sine peccato posset contingere. Ita Couar. citat. Abbas in Cap. *Venerabilis de Censur. n.* 3. qui refert Hostiensem. Suar. *de cens. disp.3.sect.8.n.10.* 174. *Debet præcedere.*

Hanc sententiam arbitror veriorem; imo addiderim, si res ad praxim reducatur, vix posse aliter huiusmodi censuram prudenter ferri. Constituo communem casum de Episcopo, qui visitans suam Diœcesim ab aliquo Parocho vel Abbate non admittitur ad visitandum, eo quod se asserat exemptum. 175. *Hoc verius putarim.*

Hoc

Hoc in casu aiunt omnes præfati Auctores, si huiusmodi Episcopus antea erat in possessione visitandi illam Ecclesiam,posse excommunicationis sententiam ferre in talem Parochum, vel Abbatem, etiamsi appellationem interposuerit. Interrogo igitur, an ille Parochus, seu Abbas denegans locum visitandi titulo tuendi ius suum grauiter peccauerit antè admonitionem Episcopi, nec ne. Nam si non peccauit, nec censura fertur quasi in punitionem commissi delicti;ergò non potest ferri nisi per modum præcepti, & pro peccato futuro, id est, si contradicendo, & resistendo perseuerauerit ; & tunc iam subimus casum, in quo Decreta statuunt, monitionem præcedere. Vnde in eo casu verissimum censeo non esse necessariam aliam admonitionem præter præceptum ; quia ipsum satis admonet. Quoniam vero huiusmodi præcepta semper imponuntur sub aliquo termino peremptorio, vt si intra illum conditio impleatur, statim ipso facto incurratur censura : oportebit,terminum illum seu tempus tantum esse quantum ad deliberandum, & humano modo agendum moraliter sufficiat : quod iuxtà causæ qualitatem prudentiæ prælati est committendum, Præceptum autem tempore illo toto instans,sufficienter æquialet etiam trinæ monitioni. Si autem Parochus censeatur, vel præsumatur grauiter peccasse hoc ipso, quod suum Prælatum à sua possessione perturbare tentauit, tunc rursum interrogo, an Prælatus illum excommunicet propter delictum commissum vt puniat illud, vel vt cogat desistere à vi inchoata. Sub priori ratione non se gerit Prælatus tanquam se defendens : sed tanquam verus Iudex : quia punire delictum commissum nil refert ad defensionem : vnde ille est propriissimus actus Iudicis vt sic ; ergo tunc habent locum omnia Iura, quæ admonitionem præmittendam statuunt ; debet ergò illam præmittere, si ea intentione velit censuram ferre. At si ad hoc ferat Censuram, vt ille ab incepto desistat non potest aliter hoc facere, quam hoc ipsum præcipiendo sub censura ipso facto incurrenda : adeóque iam illa est censura sub conditione futuræ culpæ, & admonitionem continet in ipsomet præcepto.

***

PROBL. XVII.

Quando delictum tale est vt propter illud sit in Iure imposita Censura,v gr. excommunicatio ipso facto incurrenda : potest, & non potest reus iterum ab homine excommunicari absque vlla alia monitione præmissa.

176. *Potest quidem.* POtest quidem. Quia in Cap. *Reprehensibilis, num.6.* hic textus habetur : *Prælati non proferant sententias suspensionis, vel excommunicationis in subditos, nisi fortè talis sit culpa, quæ ipso suo genere suspensionis,vel excommunicationis pœnam inducat. Sic Additio ad* Abbat. *in præfato* Cap. *Reprehensibilis.*

177. *Non potest.* Non potest. Quia vt noua censura imponatur, noua contumacia necessaria videtur:ideoque noua etiam admonitio. Neque satisfaciet qui dixerit, illum iam fuisse admonitum per legem, vnde opus non est, vt iterum admoneatur. Nam illud verum est respectu censuræ latæ per legem, vel ad summum etiam ad denunciationem eius, non vero ad nouam Censuram ferendam.Ita Hostiens.citat.ab Abbate in Cap. *Reprehensibilis, n. 6.* Inclinat. Couarru. §.9.*num.*5.docet Suar.*de Censur. disp.3.sect.10.n.14.*

178. *Idem affirmo.* Idem affirmo, quia textus ille pro prima sententia expositus nullam vim habere videtur:propriissimè enim & satis ad literam intelligitur de sententia declaratoria, qua aliquis publicè denunciatur excommunicatus : cumque materia sit odiosa, non est amplificanda, sed potius restringenda. Vnde Glossa ibi solum ait, tunc posse delinquentem puniri sinè admonitione. Estque hoc rationi consentaneum quià iam ille excommunicatus est per ius, ideoque mirum non est, posse denunciari per sententiam, nam talis denunciatio pure respicit præteritum absque noua contumacia : & ideò potest absolutè ferri sinè admonitione in futurum. At vero quod homo ferat in illum nouam censuram, quod re vera est nouum vinculum & nouum infert nocumentum, idque faciat sine noua admonitione præuia : neque illo habetur in textu, neque vllo in alio. Estque contra commune ius ; quia ille, qui deliquit contra ius licet in eo fuerit contumax respectu legislatoris : tamen non fuit contumax respectu alterius hominis, à quo iterum censura percutitur. Quinimo si ab ipso admoneatur, fortasse resipiscet ;

piscet: ergò præter rationem est, vt absolutè, & sinè vllo respectu ad futurum, nouo vinculo illigetur.

PROBL. XVIII.

Censura est, & non est valida, quando nulla admonitio præcessit.

179. *Est inualida.* DIximus, Censuram sine præuia monitione latam iniustam esse: quæsierim in præsenti, an valida sit; Si loquamur absolutè de admonitione, etiam de illa quæ includitur in omni lege, vel mandato, quod respicit futurum, & non cadit in præteritum nisi sub aliquo ordine ad futurum: Sic monitio præuia est necessaria ad censuræ valorem, vt si omninò excludatur, censura nulla sit. Sic Victor. *in sum. tr. de excomm. n. 6.* Suar. *de censur. disp. 3. sect. 12. n. 3.*

180. *Non est inualida.* Loquendo absolutè de admonitione, censura lata sine illa, iniusta quidem est, id est inique data, & contra iustitiam legalem, licet non contra commutatiuam: non tamen nulla. Quia lex quæ præcipit hunc ordinem in censura ferenda seruari, non præscribit illum vt substantialem, nec irritat sententiam aliter latam: ergo si aliàs Iudex habet iurisdictionem, & sufficientem causam erit sententia valida, etiam si monitio non præcedat. Assumptum probatur ex Cap. *sacro*, vbi post latum illud præceptum, subditur: *Si contrà præsumpserit*, (Iudex) *etiamsi iusta fuerit excommunicationis sententia, ingressum Ecclesiæ per mensem sibi nouerit interdictum.* Si ergò iusta esse potest sententia etiamsi monitio non præcedat, non poterit esse nulla. Ita Abbas Cap. *Sacro*, & Cap. *Reprehensibilis de appellat. num. 13.* & alij, quos refert & sequitur Couarru. §. 9. *n. 7.* Nauar. *in Cap. Cum contingat. de Rescrip. causas.*

181. *Hanc amplector sententiam.* Hanc communem Canonistarum sententiam amplector, si intelligatur de trina admonitione, hæc enim Canonica & competens appellatur, & de illa solum loquuntur iura allata. At vero si loquendum nobis sit de monitione absolutè, primam sequor opinionem; nec enim validam putarim Censuram, è qua omnino monitionem dixeris ablegari. Addiderim, etiamsi loquamur de monitione trina canonica, excipiendos hosce casus in iure expressos irritantes censuram ob defectum canonicæ admonitionis omissæ. Cap. *statuimus, de senten. excommunicat. in 6.* Excommunicatio maior lata à Iudice contra participantes cum excommunicatis in locutione & aliis absque canonica monitione præmissa, irrita decernitur illis verbis: *Aliter Excommunicatio in participantes prolata non teneat.* Cap. *statutum.* eadem lex extenditur ad Suspensionem, & Interdictum in eosdem participantes lata. Cap. *Constitutionem.* eodem titulo declaratur in hoc casu præter alia etiam requiri, vt hi, qui monentur, nominatim exprimantur. In hoc ergo casu, qui singularis videtur esse in Iure, censura fit nulla ob prætermissam canonicam monitionem, nec ex illo licet argumentum sumere ad alios; quia ius speciale est. Ratio autem huius specialitatis esse potuit, vt coerceretur facilitas, vel nimia licentia, quam in hoc Iudices sumere possent cum magno animarum discrimine. Etenim cùm Iudices nimium studeant, & procurent, vt Censuræ à se latæ seruentur: excedere facilè in hoc possent, idem genus Censurę ferentes in participantes, & in primò excommunicatos.

CAPVT XIV.

Circa ea, quæ Censuræ incursionem impediunt.

PROBL. XIX.

Ignorantia inuincibilis facti impedit, & non impedit, incursionem Censuræ latè contrà eos, qui scienter aliquid fecerint, quando est affectata vel adeò crassa, & ex tanta negligentia, vt moraliter censeatur affectata esse.

182. *Non impedit Censuram* NOn impedit. Quia huiusmodi ignorantia scientiæ, seu dolo æquiualet. Sic Ægidi. *de cens. disput. 13. dub. 11.* Sanch. *lib. 9. disput. 32.*

183. *Impedit Censuram.* Impedit quidem. Quia quod fit ex ignorantia, vel cum ea, quæcumque illa sit, non fit scienter, seu cum dolo: verè enim fit ignoranter. Et quamuis huiusmodi ignorantia ferè æquiualeat scientiæ seu dolo quoad incurrendam culpam, non tamen quoad pœnam: quando hæc imponitur contra scienter seu ex dolo peccantes. Ita Sylvest. *ver. Culpa. q. 11.* Ang. & Tabie. *ver.* Dolus. Vasq. *dub. 15.*

Idem

184. *Idem asserp.* Idem affirmandum mihi reor, putans planè ob eandem rationem etiam excusare huiusmodi ignorantiam à censura lata contra eos,qui aliquid facere præsumpserint: aut contra eos, qui ausu temerario aliquid fecerint: quia pro eodem sumuntur. Porrò idem est aliquid facere scienter seu ex dolo, & illud facere ausu temerario, & præsumere illud facere, imò & illud contemnere.

PROBL. XX.

Quando factum, cui annexa est censura, aliàs est prohibitum lure naturali aut diuino, vel humano sæcularr: ignorantia inuincibilis Iuris Ecclesiastici prohibentis tale factum sub censura ipso facto incurrenda, impedit, & non impedit censuræ incursionem.

185. *Non impedit.* NOn quidem impedit. Quia *Regula* 13. *de regul.iuris in* 6. dicitur, *Ignorantia* facti *excusat. non Iuris.* Et Cap. *Cum illorum*, 32. *de sent.excom.* asseritur, eos,qui Iuris,ignari Clericos percusserunt indigere dispensatione. Sic Couarr. 1. *p.* §. 10. *num.* 9. Scot. *in* 4. *dist.* 6. *q.* 8.

186. *Impedit quidem.* Impedit planè. Quia ea ignorantia existente, (idem dixerim de inaduertentia actuali) non est contumacia respectu Ecclesiæ ob quam tantùm incurritur censura,sicut ob eamdem tantùm validè fertur. Ità Suar. *de Censur. disp.* 4. *sect.* 8. Auil. 2. *p. disp.* 5. *dub.* 7. Vasq. *dub.* 16. Ægidi. *disput.* 13. *dub.* 20.

187. *Cum his opinor.* Hanc mentem amplector,ratus quidem illam Regulam 13. tantùm in foro contentioso procedere, in quo non præsumitur ignorantia Iuris, quamuis facti præsumatur. Verùm in eo Cap. *Cum illorum* tantùm est sermo de ignorantia vincibili, vt ex contextu facilè deduci poterit.

PROBL. XXI.

Ignorantia inuincibilis ipsius censuræ annexæ Iuri, impedit, & non impedit incursionem illius, quamuis non sit ignorantia ipsius Iuris, seu prohibitionis.

188. *Impedit huiusmodi.* HVIusmodi ignorantia Censuræ Iuri annexæ impedit eius incursionem. Quia ad valorem Censuræ requiritur contumacia respectu Ecclesiæ ferentis Censuram,aut sub illa comminantis. Sic Suar. *de Cens.disp.* 4. *sect.* 8. Auil. 2. *p.disp.* 5. *dub.* 7. Ægidi. *disp.* 13. *dub.* 10.

189. *Non impedit.* Non impedit Censuræ incursionem huiusmodi ignorantia. Quia absque fundamento aliquo ad valorem Censuræ requiritur contumacia respectum Ecclesiæ Censuram ferentis, aut sub illa comminantis; sufficit enim contumacia respectu Ecclesiæ simpliciter præcipientis, seu prohibentis aliquid. Ita Vasq. *dub.* 16. Couarruu. 1. *p.* §. 10. Gasp. Hurtad. *tract. de Cens. in communi diffic.* 22.

190. *His assentior.* His assentior submonens, ex peculiari dispositione Cap. *Vt animarum.* 2. *de Constitut. in* 6. nouiter facta à Bonifacio VIII. ignorantiam inuincibilem censuræ annexæ statutis Ordinariorum perpetuis incursionem illius impedire. Quo non leuiuiter confirmarim,ignorantiam inuincibilem censuræ eam non impedire,aliàs enim hæc exceptio nouiter haud fieret à Pontifice.

PROBL. XXII.

Petrus censura ligatus à Iudice, quamuis prudenter timeat contrà eum esse iam latam censuram à Iudice pro transgressione præcepti ipsius sub censura comminantis: tenetur, & non tenetur se gerere vt censura ligatum quoad effectus in prohibitione consistentes, quoad vsque ei censura lata & incursa intimetur.

191. *Non tenetur.* SVppono, Censuram quosdam effectus per se ipsam exequi absque delinquentis notitia, scilicet quòd reddatur incapax beneficij, vel priuetur suffragiis, quosdam verò præcipere, vt ab iis se se reus abstineat,nempe participationem Sacramentorum,communicationem, & alia huiusmodi. Itaque Petrus censura illigatus, licet timeat, contra eum iam à Iudice latam esse censuram, non tenetur se gerere vt censura ligatum quoad effectus in prohibitione consistentes, videlicet participationem sacramentorum, communionem, &c. etiamsi teneatur quoad effectus in irritatione consistentes,nempe incapacitatem beneficij, priuationem suffragiorum, &c. Excusatur ergo reus ab effectibus, qui in priuatione consistunt quovsque non est ei censura, legitimè intimata. Quia in dubio prudenti melior est possidentis conditio. Sic Suar. *de cens.disput.* 4. *sect.* 11. Vgol. quẽ citat, ac sequitur. Filli. *tr.* 11. *c.* 8. *n.* 266.

192. *Tenetur quidem.* Petrus censura illigatus si prudenter timeat, contra eum esse iam latam à Iudice pro transgressione præcepti ipsius sub censura comminantis: tenetur se gerere vt censura ligatum quoad effectus etiam in prohibitione consistentes. Quia id prudenter timens non potest se se à periculo subeundi censuram eximere. Ita Gasp. Hurt. *tr. de censur. in commu. diffic.* 22. & alij.

Licet prima sententia probabilitate non careat, & possis tuta sequi conscientia: probabiliorem admodum teneo secundam. Quando enim Petrus prudenter timet, non id ignorat inuincibiliter, sed vincibiliter, vndè temerariè se exponit periculo gerendi contra censuræ prohibitionem.

PROBL. XXIII.

Metus grauis, quo scilicet timemus graue aliquod detrimentum siue vitæ siuè famæ, siuè diuitiarum: impedit, ac non impedit censuræ incursionem.

193. *Non excusat censura incursionem.* QVando opus, cui est annexa censura, non tantum est contrà Ius, aut præceptum Ecclesiasticum, vel diuinũ: sed etiam contra ius naturale, qualis est incestus, seu furtum, cum prohibetur ab Ecclesia sub censura; tunc metus grauis non excusat à peccato mortali non solum vt est contra Ius naturale, sed neque vt est contrà Ius, aut præceptum Ecclesiasticum, seu vt est inobedientia respectu Ecclesiæ. Quia tunc etiam Ius, aut præceptum Ecclesiasticum obligat, cum tantum obliget ad id, ad quod alias quis est verè obligatus Iure naturali, tunc enim subditus non exponitur alicui periculo, cui non sit alias expositus Iure naturali. Igitur metus grauis non impedit cẽsuræ incursionem. Sic Gasp. Hurt. *tr. de censur. in commu. diffic.* 23. Durand. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 5. *ad* 3. Caiet. 1. 2. *q.* 96. *a.* 4.

194. *Excusat quidem.* Metus aliquandò efficit, vt peccans contrà Ius naturæ, non peccet contra Ecclesiæ præceptum, quo res alias est prohibita. Quia cum certum sit, talem metum communiter excusare ab obseruatione præcepti Ecclesiastici, nulla est ratio, cur etiam in hoc casu non possit excusare, ita vt actio etsi sit contrà Ius naturale, non tamen sit contra Ecclesiasticum. Quotiens igitur metus tam grauis est, vt efficiat factum aliquod non esse peccatum contra præceptum Ecclesiæ, excusat etiam à censura, etsi alias sit contra Ius naturæ. Quia censura nunquàm incurritur, nisi quis contra præceptum Ecclesiæ deliquerit. Ita Ægidi. *disp.* 13. *dub.* 13. *n.* 101. Suar. *disp.* 6. *sect.* 3. legendus.

Hæreo Ægidio, cuius sententiam sic illustro. Potest fieri, vt metus absolutè tollat omnem rationem legis, ob quam res etiam in se mala ab Ecclesia prohibita sit: v. gr. Iure Ecclesiastico prohibita est fornicatio in loco sacro propter loci reuerentiam, fœmina metu mortis inducta inibi fornicatur: hæc peccat contra castitatem, non tamen contra loci reuerentiam; quia non tenetur hanc irreuerentiam cum tanto suo periculo euitare: & consequenter nec peccat contra prohibitionem Ecclesiæ: quia Ecclesia non aliter intendit hunc actum prohibere, quam quatenus contra reuerentiam loco sacro debitam exponitur. Metus itaque grauis aliquando efficit, vt peccans contra Ius naturæ, non peccet contrà præceptum Ecclesiæ quo res alias est prohibita. Dixi aliquando efficere, quia non semper. Nam potest fieri, vt ratio præcepti Ecclesiastici sit tam grauis, vt nullus metus à præcepti excuset obseruatione, v. g. cum factum cedit in grauissimam Ecclesiæ iniuriam: vt fit quando quis in contemptum Ecclesiæ cogit aliquem eius præceptum violare. Tunc huic potius moriendum, quam præceptum violandum, siue factum alias sit contra Ius naturæ, siue non. Igitur quoties metus efficit, vt opus non sit contrà præceptum Ecclesiæ delictum, à censura etiam excusat, etsi alias sit contra Ius naturæ. At quoties metus non excusat à peccato contrà præceptum Ecclesiæ, aut quia ille leuis est, aut quia hoc obligat etiam in graui periculo, non excusat à censura. Hoc probat apertè Cap. *sacris de iis, qui vi.*

195. *Huic hæreo.*

PROBL. XXIV.

Nunquam metus excusat à censura incurrenda, aliquandò metus planè excusat, stando Iuri canonico.

196. *Nunquam metus excusat.* IN vberiorem Problematis proximi elucidationẽ generatim requisierim, an aliquis metus excuset à censuræ incursione, si Iuri Canonico sit standum? Notarim duplicem esse metum, aliũ leuẽ, quo leue aliquod malum timemus: alium grauem, quo graue timemus malum, v. gr. mortem, mutilationem, infamiam, aut amissionem notabilis partis bonorum: de quo præcipuè quæstio procedit. Nunquam metus excusat à censura incurrenda. Quia nunquam excusat ab obseruatione præcepti. Cap. *sacris*

sacris, de iis, quæ ibi. Vbi de iis, qui metu inducuntur, vt communicent cum excommunicatis dicitur: *Quia licèt metus attenuet culpam: quia tamen eam non prorsus excludit (cum pro nullo metu debeat quis mortale crimen incurrere) excommunicationis labe credimus inquinari.* Sic Durand. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 5. *ad* 3. Caiet. 1. 2. *q.* 96. *a.* 4.

197. *Aliquando excusat.* Aliquando metus excusat à censura incurrenda. Quia (vt vidimus Probl. 23.) nonnunquam excusat ab obseruatione præcepti, etiam stando Iuri Canonico. Hoc enim apertè probat Cap. *sacris* citatum, nec amplius. Agit enim apertè de actu, qui est peccatum contra Ecclesię prohibitionem, scilicet de communicatione cum excommunicatis hic & nunc illicita, & peccaminosa, quæ solo Iure Ecclesiastico prohibita est. Dicit itaque Pontifex, metum non excusare à pœna, quia non excusat à culpa. Non quod nunquam vllo casu excuset, (hoc enim dici nequit) sed quia quandoque non excusat. Ita Ægidi. *disp.* 13. *dub.* 12. *n.* 102. & alij.

198. *Hanc sector mentem.* Hanc teneo sententiam iudicans textum Cap. præfatum hunc sensum exprimere: Tunc non excusat metus ille à pœna, quando non excusat à præcepti obseruatione, siue à culpa contra præceptum commissa. Quod accidit, quoties excommunicati cogunt aliquem secum communicare in præcepti Ecclesiastici contemptum.

PROBL. XXV.

Iniustitia censuræ, prouenies tantum ex defectu causæ, vt quando verè non est causa seu peccatum, est tamen iuridicè probata: impedit & non impedit censuræ incursionem, ita vt innocens in quem lata est, teneatur, & non teneatur obedire.

199. *Verè incurritur.* CEnsura iniusta ex defectu causæ, iuridicè tamen ac sufficienter probatæ, verè incurritur, & obligat etiam in conscientia, etiam in occulto. Quia censura præfato modo iniustè lata est secundum Iuris ordinem; ergò verè est valida, ac proinde etiam in occulto ei obediendum. Deduci videtur ex can. *sententia.* 11. *q.* 3. dum dicitur: *Sententia pastoris, siuè iusta siuè iniusta, timenda est.* qui deductus est ex Gregorio. *hom.* 126. Sic Cordub. *l.* 1. *q.* 43. Durand. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4.

200. *Non incurritur* Censura iniusta ex causæ seu piaculi defectu iuridicè probati, non incurritur.

Quia censura huiusmodi validè non fertur nisi ob contumaciam seu inobedientiam respectu Ecclesiæ, tantum enim ad hanc reprimendam est instituta; ergò verè non incurritur nisi à verè contumaci, & inobediente, & non à tali probato, si verè talis non est. Vnde nec in conscientia, & quoad Deum obligatur. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *a.* 3. Ægidi. *disput.* 13. *dub.* 12. Gasp. Hurt. *tr. de censur. in commu. diffic.* 24.

201. *Hanc teneo sententiam.* Hanc sententiam teneo, & confirmo. Quia tunc sententia censuræ fundatur in præsumptione in particulari casu: ergò cũ præsumptio sit falsa, sententia illa est nulla, & non obligat in conscientia. Monuerim tamen, eum, qui sic iniustè sententiam censuræ patitur, teneri coram eis, quibus sententia censuræ est nota, & ignota innocentia, se gerere vt censura innodatum, ratione scandali, ne eis videatur eum censuram contemnere; sed non teneri ad id ratione obedientiæ; quia non tenetur immediatè ratione censuræ, cum non sit valida: nec ratione alicuius prohibitionis à Iudicę superadditæ ipsi censuræ, quia Iudex nullam ponit, cum nihil aliud gerat, quã ferre censuram. Sed quamuis ad id teneatur scandali ratione, imo & admittam obedientiæ ratione teneri, puto non fieri irregularem celebrando, non solum quando in occulto celebrat, sed etiam quando in publico: quia quamuis abstinere teneatur, non tamen ex vi censuræ. Porrò Canon ille, in quo dicitur *sententia pastoris quamuis iniusta, timenda*, intelligendus de sententia iniusta valida, quòd timenda sit propter ipsam: & de iniusta nulla, quòd timenda sit ob scandalum. Quamuis autem sententia illa sit iuridica, quia tamen fundatur in falsa præsumptione, & in casu singulari, verè est nulla, & minimè obligans.

PROBL. XXVI.

Priuatim nouit iudex, Antonium reum ex iuridica probatione, verè esse innocentem: potest, & non potest contrà eum ferre censuram.

202. *Potest ferre contra eũ censuram.* IVdex noscens priuatim, Antonium innocentem esse, licet ex probatione iuridica constet esse crimine maculatum: potest adhuc contra eum sententiam censuræ ferre. Quia illud generale principium est verum omnino. Iudex iustè quemuis reum condemnat; qui legitimè secundum allegata probatus est nocens, etiam si sciat eum esse innocen-

tem. Sic communiter Thomistæ secuti Angelicum Doctorem 2.2.q.67.a.2.

203. *Non potest.* Iudex priuatim noscens Antonium innocentia pollere, licet ex probatione iuridica constet perpetrasse delictum, minimè potest eùm censuræ sententia percutere. Quia censura culpam necessario sequitur. Sic Ægidi.*disp.*13.*dub.*13.*n.*106. Lessi. *de Iust. c.* 29. *dub.*10.

204. *Quid sentiã.* Certe prima sententia ita generatim intellecta graues admodum patitur difficultates. Inde in præsenti refello, quod ex ea sequitur, omnes Iudices in Anglia, qui Catholicos ad grauissima supplicia condemnant, communiter hoc sine culpa, atque adeò iustè facere. Nam communiter per falsos testes Catholici in iudicio secundum omnia allegata in perniciem Regis, aut Patriæ conspirasse probantur: nec vllus audet pro illis contrarius testis stare. Quare cum illi Iudices sola priuata scientia norint eos esse omninò innocentes, & testes contra conscientiam mentiri, secundum primam sententiam iustè eos condemnabunt. Quod nullus Catholicus admittet. Legendus Lessius citat. Plura hac de re pulchrè adnotantur.

PROBL. XXVII.

Qui secreto nouit Antonij, iuxta allegata & probata censura affecti, innocentiam, semper potest, & non semper potest à superiore iussus, eum denuntiare ex communicatum.

205. *Semper potest.* IS, cui delegatur, vt sententiam, qua in Antonium, quem nouit innocentem, censura lata est, publicè denunciet: semper potest denunciare eum esse excommunicatum. Quia Cap. *Pastoralis de offic.iudi. deleg.*§. *Quia verò*, hoc absolutè definitur. *Attendentes itaque, quòd non cognitio, sed executio tantum demandetur eidem: respondemus, quòd cum ordinarius obsequi teneatur delegato*, (scilicet Pontificis) *etsi sciat sententiam illam iniustam, exequi nihilominus teneatur eamdem.* Sic multi Iuristæ. quorum, presso nomine, meminit, Ægidi.*disp.*13.*dub.*13.

206. *Non semper potest.* Is, cui delegatur, vt sententiam, qua in aliquem, quem nouit innocentem, censura lata est publicè denunciet: non semper potest denunciare: sed tunc solummodo licitè poterit Iudici præcipienti parere, quando (si nullo modo valeat mandatum excutere) Iudex cum tali scientia eam potuit ferre sententiam. Quia nulla est ratio cur cæteris paribus non liceat tibi denunciare ex Iudicis præcepto sentẽtiam, quam Iudex potuit ferre. Casu autẽ quod Iudex cum tali scientia tua non potuisset censuram ferre, nec tu poteris denunciare. Quia hac ratione etiam aliquo modo compelleres reum ad peccandum: grauius enim vrgeret eum sententia denunciata, quam non denunciata. Ita Ægidi.*disp.*13.*dub.*13.*num.*126. & alij.

207. *Hanc sequor mentem.* Sequor Ægidium, ratus decisionem illam Cap. *Pastoralis* §. *Quia vero*, non esse ita generatim intelligendam, quasi quacumque ratione sententia sit iniusta, is cui præcipitur, vt eam exequatur, ad id obligetur, aut exequi possit. Non itaque intelligenda est de sententia iniusta contra iustitiam commutatiuam, qua reo vero fit iniuria: sed de sententia iniusta solum iniustitia legali, quæ scilicet est commissa eo quod in processu non sit seruatus ordo iuris accidentalis, ob quem defectum sæpè sententiæ aliàs validæ dicuntur iniustæ, vt patet Cap. *Romana, de sent. excom. in* 6. Id ostendo, quia illa decisio non videtur latius extendenda, quàm potuit extendi ratio, quam Pontifex ad eam probandam adfert. Atqui illa ratio benè probat, quemuis à superiore iussum exequi sententiam, in qua talis solummodò iniustitia commissa est, licitè eam exequi, nec amplius probat. Ergo decisio non est latiùs extendenda. Minorem ostendo: Nam quod cognitio causæ non sit demandata executori, bene probat, eum non debere curare, vtrum in cognitione causæ benè processum sit: non tamen probat, eum non debere curare, an executio sit hic, & nunc licita: quia antequam hanc possit suscipere, scire debet, num licita sit. Profectò si reus consentiret, vt Iudex in tali casu ferret talem sententiam: aut alter iussus latam denunciaret, & nullo modo per hoc esset incitandns ad peccandum: eos posse id facere existimo; quia tunc cessaret ratio, cur esset illicitum.

PROBL. XXVIII.

Census partis prorogans terminum præfixum à Iudice, ad tempus suspendit, & non suspendit censuræ incursionem vltra terminum à Iudice præfixum sine nouo ipsius consensu.

208. *Non sufficit.* COnsensus partis absque consensu Iudicis non sufficit ad censuræ suspensionem sed transacto termino statim incurritur.

curritur. Quia ſicut ferre cenſuram, eſt actus iuriſdictionis, ita etiam eam differre,ſeu ad tempus ſuſpendere ; ergo partis conſenſus abſque iudicis aſſenſu non ſufficit. Sic Sylu. & Hugol apud Caſp. Hurt. *tr.de Cenſ.diffic.26.n.*112.Nau.*c.27.n.*15.

209. *Sufficit quidem.* Conſenſus partis prorogantis terminum abſque conſenſu iudicis ſufficit ad ſuſpendendum cenſuræ incurſionem vltra terminum à iudice præfixum. Quia cenſura non incurritur niſi ob contumaciam , quæ non reperitur , quando par conſentit , quod non fiat (verbis gratias) ſolutio intra terminum à iudice præſcriptum ; ſed contenta eſt,quod fiat intra terminum à ſe prorogatum ; intra terminum enim prorogatum non peccat non ſoluendo: quod ſolum iudex præcipit , ſub cenſura ; conſenſus ergò partis prorogantis terminum ſufficit ad ſuſpendendam cenſurarũ incurſionem : quod efficit pars non directe , ac poteſtatiuè , (quod ſolum poteſt iudex efficere)ſed tantum indirectè , auferendo materiam contumaciæ, ſeu inobedientiæ , differt naturalem obligationem quaſi in actu ſecundo ſui debitoris,cui iudex præcipit à debitore ſatisfieri.Ita Angel. *excõmunicati.* 1.*n.*20.Henriq.*l.*3.*c.*2.Suar.*diſput.*3.*ſect.*6

210. *Conſentio.* Conſentio quidem , contra hoſce Auctores adiiciens , elapſo termino à parte ipſa prorogato , incurri cenſuram abſque nouo conſenſu iudicis ex vi Præcepti à principio facti , & lationis cenſuræ ei annexæ;quia iudex, qui præxficit trium dierum terminum(v.gr.)vt intra illud fiat aliquid (v.gr.) ſolutio, non præfixit illum ad finiendum intra illum ſuum præceptum: ſed tantum ad finiendam permiſſionem aut licentiam differendi ſui præcepti impletionem,

CAPVT XV.

Circa abſolutionem à cenſuris.

PROBL. XXIX.

Facultas abſoluendi ab omnibus caſibus & cenſuris comprehendit ac non comprehendit diſpenſationem à voto & irregularitate ex delicto.

211. *Non comprehdit.* VI habet facultatem abſoluendi aliquem à caſibus & cenſuris, non ideo cenſendus eſt facultatem habere, vt diſpenſet in voto, ac in irregularitate ex delicto. Quia in contrariũ praxis Romanæ curiæ:& omnis Canoniſtarum doctrina exponitur;poteſtas enim abſoluendi non extenditur ad irregularitatem & votum , quæ tolluntur diſpenſatione, non abſolutione. Sic Nauar. *c.* 27. *n.* 254. Clau Reg. *c.* 1. *n.* 6. Suar. *diſp.* 1. *ſect.* 3. Sanch. *l.* 6. *Moral*,*c.*17.*n.*43.

212. *Comprehendit.* Quid habet facultatem abſoluendi aliquem à caſibus & cenſuris , cenſetur habere facultatem diſpenſandi in voto , & in irregularitate ex delicto. Quia per Bullam Crnciatæ accipit Confeſſarius facultatem diſpenſandi in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delicto : aliquæ enim illarum dicuntur pœnæ,ac vere Cẽſuræ,vt patet ex Bullæ verbis.Ita Ioan.de la Cruz Direct.*p.*2.*de .Irreg.dub* 15.*concl.* 2.Salon,Arag.Banes 2.2.*q.*64.*a.*8.Salas *de legib. tract.* 15.*ſect.* 1.*concl.*2.*n.*16.

213. *Probilior mihi prima ſententia.* Probabilem hanc ſententiam puto, cui non repugnat curiæ Romanæ ſtylus , qui quidem fundatur in contrariæ ſententiæ probabilitate , nec ideo tollit probabilitatem alterius. Probabiliorem tamen reor primam quia video communiorem.

PROBL. XXX.

Datur abſolutio quæ vocitatur, Ad reincidentiam *ad quam requiritur, & non requiritur nouum contumaciæ delictum , noua item iudicis ſententia.*

214. *Non requiritur nouum delictum.* DIximus *ſect.* 1. abſolutionem *Ad reincidentiam* eſſe cum abſolutio datur ſub conditione , quam niſi abſolutus intra præfixum tempus vel quamprimum commode poteſt adimpleat, in eamdem, vel ſimilem cẽſuram denuò incidat. Quæſierim igitur , an ad huiuſmodi reincidentiam requiratur nouum contumaciæ peccatum, nouaque iudicis ſententia?Non requiritur. Quia , pro reliquo tempore vltra tẽpus determinatum , pro quo fuit abſque conditione abſolutus , non abſoluitur abſolute, ſed ſub conditione operis,nullo ſuperaddito, qun indicetur reſpectus ad culpam;ergo deficiente conditione , quamuis abſque culpa deficiat,nõ perſeuerat abſolutus,ſed reincidit in excommunicationẽ: & non aliunde quã ex vi ſententiæ primo latæ,ex vi cuius perſeueraret,quamuis excommunicatus fieret impotẽs ad ſoluendum,vel ad aliud opus,ſub cuius cõditione fuit abſolutus pro illo reliquo tempore. Sic Gaſp.Hurt.*de excom.diſp.*1.4.*diffic.* 3.*n.*12. Turri. *de cenſ.l.* 2. *diſp.* 24. *dub.* 2.

*Eſcob. & Mend.Theol.Mor.*T.I.

Villalobo. *tom.* 1. *tract.* 16. *diffic.* 23. *num.* 6.

215. *Requiritur planè.* Requiritur ad hanc reincidentiam nouum contumaciæ peccatum, noua iudicis, aut legislatoris sententia lata sub conditione, nisi tale quid absolutus præstiterit, ad quod iure obligatur. Quare si id ipsũ absque sua culpa intermiserit, aut distulerit, reipsa in censuram non reincidet. Quia scilicet similis censura recurrat, post absolutionem iam datam, simile contumaciæ peccatum necessarium est. Ita ex Cap. *Veniens. 2. de testib. &* Cap. *Apostolicæ. de except.* Couuaru. *p.* 1. §. 11. *n.* 6. Sayr. *de censur. l.* 2. *c.* 16. *n.* 8. Nauar. *c.* 27. *numer.* 46. *&* 113. Henriq. *l.* 13. *c.* 20. *n.* 2. *lit.* V. Suar. *disp.* 7. *sect.* 8. *n.* 20.

216. *Auctoris sententia.* Duplex quidẽ *ad reincidentiam* absolutio. Altera conceditur ex intentione absoluentis ad limitandum tempus, vel effectum, v. gr. ad ferendum testimonium, Cap. Veniens. *2. de testibus*, vel ad recipiendum beneficium vt in literis Papæ collationum beneficiorum. Altera vt perpetua sit, & simpliciter valeat, sed sub conditione satisfaciendi, vel se præsẽtandi de futuro intra certum tempus, quo elapso, & non posita conditione, iterum censuram recidat in eamdem: v. gr. cum quis absoluitur in articulo mortis ab eo qui aliàs non posset, & postea conualidatus ex morbo, non se legitimo superiori præsentat. Cap. *eos qui. de sent. excom.* Prima absolutio dicitur improprie ad reincidentiam, secunda verò propriè, vti pluribus Suar. *disp.* 4. *sect.* 8. *àn.* 16. Quando igitur absolutio ad reincidentiam impenditur primo modo, redit eadem censura, licet non adsit noua contumacia, nec noua sententia; quia de nouo ex vi prioris sententiæ, quæ iusta fuit, redire potest, semper enim respicit priorem contumaciam, occasione cuius fuit illata. Quando verò absolutio traditur ad reincidentiam secundo modo, redit quidem eadem censura moraliter, sed interdum ex noua contumacia, interdum ex antiqua. Id exponam. Duobus modis ea dari potest. Primo absque certo termino, tantum sub ea conditione: *Cum primum possis*: & tunc reincidentia non est sine noua culpa, includitur enim in tali absolutione præceptum se præsentandi. Quod si violetur non se præsentando, cum iam adimpleta conditio fuerit, bonæ scilicet valetudinis: tunc ratione huius culpæ & inobedientiæ reincidetur in eamdem censuram. Secundo intra certum terminum, nulla facta mentione de potentia vel impotentia, sed absolutè de actione restituendi, v. gr. & tunc etiamsi non committatur noua culpa, reincidetur in censuram si conditio non impleatur, quacumque id causa contingat: quia cum sit eadem censura moraliter, nouam contumaciam non requirit. Si tamen adesset vera impotentia recurrendum esset, antèquam terminus præfixus elabatur, ad iudicem, & impetanda, allegata ac probata impotentia dilatio, Quod si non obtineatur, confugere ille poterit ad superiorem: alioquin non poterit censuræ incursus euitari. Legendus Suar. citatus.

PROBL. XXXI.

Absolutio Censurarum potest, & non potest impendi ab habente absoluendi facultatem, extra Pœnitentiæ Sacramentum.

IMpendi non potest extra Pœnitentiæ Sacramentum. Quia id præscribit illa clausula nouissimè à Sacra Pœnitentiaria apposita: *Audita confessione, & non aliter.* Adde, personæ prudentis esse, semper dum potest, per viam tutam incedere, & non exponere conscientiæ actiones sub opinione Doctorum. Sic Pereg. *comment. constit. Relig. Theatin. tit. commutatio* §. 3. citans. Cordub. & Sorbum. 217. *Non potest impendi.*

Absolutio censurarum potest extra confessionem impendi. Quia quamuis in concessione facultatis dicatur, *Audita confessione, & non aliter*: hæc clausula referenda est ad absolutionem à peccatis; vnde habens priuilegium absoluendi à censuris in foro conscientiæ, potest illarum absolutionem extra confessionem impendere etiamsi non absoluat à peccatis: aliud enim est forum conscientiæ, aliud forum Sacramenti Pœnitentiæ. Imo qui habet facultatem absoluendi in foro Pœnitentiæ, potest absoluere extra Sacramentalem confessionem, quoties absolutio cadit supra materiam, ad quam per se non requiritur absolutio Sacramentalis, nisi aliter ex concessionis verbis colligatur. Ita Sanch. *de matr. lib.* 8. *disp.* 15. *n.* 25. Suar. *de Relig. tom.* 2. *tract.* 6. *l.* 6. *c.* 16. *n.* 4. Diana 4. *p. tr.* 4. *resol.* 8. 218. *Impendi potest.*

Hanc magis probo mentem, sciens priuilegium absoluendi à censuris, fauorabile quidem latè interpretandum; quia licet priuilegia sint iuri communi derogatoria ideoque iuris ordo dicãtur, & odia restringenda: hoc tamen non habet locũ quando priuilegium 219. *Magis probo hanc sententiam.*

priuilegium in fauorem publicum est concessum : tunc enim non odium, sed fauor, Principisque beneficium censetur, ideoque late interpretandum, quantum eius verba patiuntur. Glossa & Panorm. Cap. *Fin. 2. de simon.* Quod maiorem vim habet, quando huiusmodi facultas non particulari alicui, sed integro impenditur Ordini. Quod verò huiusmodi priuilegia non ampliẽtur immeritò innotescit ex Suar. citato, & Henriq. *l. 7. c. 30. n. 6.* Fateor quidem prudenti tutiorem viam esse ineundam, quando minus tuta cum errandi periculo arripienda esset, At quum quis ex probabili opinione operatur, per viam tutam omnino incedit. Vnde apposite Ioan. Sanch. *in select. disp. 44. n. 66.* asserit, quod communiter inquiunt Doctores inter opiniones probabiles dari vnam altera securiorem, ac tutiorem, non esse ità intelligendum, quod maius periculum incidendi in culpam possit inueniri, vnam opinionem sectando, quam aliam ; nam cum quælibet opinio probabilis tutam reddat conscientiam in operando, non minus tutus erit operans iuxtà vnam, quam iuxtà aliam opinionem.

PROBL. XXXII.

Quando in priuilegio conceditur limitate potestas absoluendi à censuris satisfacta parte, *vel de consensu* partis : *satisfactio, aut consensus hic requiritur, & non requiritur tanquam conditio necessaria limitans potestatem.*

220. *Erit inualida.* ABsolutio erit inualida data ante satisfactionem partis. Quia concessio illa censetur conditionata, si non formaliter, saltem æquipollenter. Sic Suar. *de cens. disp. 7. sect. 5. num. 44.* Sayr *l. 2. c. 18. num. 10.* Filliuc. *tr. 11. c. 9. n. 295.* Caiet. *ver. Absolut.*

221. *Erit valida.* Absolutio erit valida data ante satisfactionem partis. Quia superior apponens huiusmodi clausulas, non intendit nouam formam inducere, aut limitare iurisdictionem ; sed solummodo certiorem facere confessarium, vt iuris communis formam obseruet. Ità Sanch. *de Matr. l. 3. disp. 33. n. 3.* Dian. *p. 5. tr. 9. res. 12.* Auila *2. p. c. 7. disp. 3. dub. 9. concl. 2.* Tanner. *to. 4. disp. 5. q. 10. dub. 6. num. 127.*

222. *Idem assero.* Idem assero, nisi in priuilegio addatur particula expressè irritans absolutionem, vel præscribens nouam formam ; quamuis absolutio non licitè detur. Certè in iure communi præfata verba non irritant absolutionem, etiam si eam illicitam reddant ; ergò nec in priuilegio : atque adeò in priuilegio addita tantum admonent delegatum de obligatione iuris communis : vnde multo efficacius erit valida absolutio facta à delegato, quando in priuilegio non conceditur facultas simpliciter nullo addito : nec in eo delegans parti læsæ præiudicat, cum deleget sub obligatione iuris formam seruandi : sicut nec præiudicat qui confert Ordinariorum õfficium, ex quo conuenit adeò ampla potestas homini, vt absolutio prędicto modo facta, valida sit. Addiderim tamen, eum, qui absque huiusmodi satisfactione, aut cautione censura illigatum absoluit, ad restitutionẽ damni inde obuenientis parti læsæ teneri ; quia absoluens tenetur, minimè absoluere, nisi præcedat satisfactio, aut cautio exhibeatur, parti læsę attendendo, vti ex *cap. 2. de sent. excom. in 6.* & ex *cap. 28. de verbor. signif.* deducitur.

PROBL. XXXIII.

Iuxta Trident possunt Episcopi ab omnibus censuris summo Præsuli reseruatis absoluere : certè vbi concilium receptum non est possunt, & non possunt Episcopi eius priuilegio vti.

223. *Vti non possunt.* VIdimus *sect. 1.* per Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 6.* datam Episcopis copiam absoluendi non solùm à censuris latis à se, vel à suis prædecessoribus : sed etiam ab omnibus cẽsuris, & casibus summo Pontifici reseruatis per se ipsos, aut Vicarium ad hoc specialiter deputatum. Quæstioni itaque do, num Episcopi, vbi Tridentinum receptum non est, possint huiusce capitis priuilegiis vti ? Non possunt, Quia par debet esse fauorum, & onerum ratio ; vbi ergo Tridentinũ non recipitur quo ad leges & onera, quoad fauores nequit acceptari ; nec enim mens concilij fuit aliter eos concedere. Sic Suar. *de censur. disp. 41. sect. 2.* asserens ita decisum esse à sacra Concilij Congregatione. Garsias *de benef. p. 7. c. 11. n. 23.* Sanch. *to. 1. Mor. l. 2. c. 11. n. 2.* & alij, quos citat, ac sequitur Barbos. *de potest. Ep. p. 2. alleg. 39. n. 3.*

224. *Vti possunt.* Possunt Episcopi illo Concilij priuilegio vti. Quia decretum illud non in gratiam priuatorum, sed pro salute populi fuit expressum, quam remorari non debet sicubi hærsies, peruicacia, aut aliæ quorumdam causæ aliàs fortasse iustæ publicationem acceptionemque Concilij impediant : cum etiam in priuatis alter

alterius odio non debeat prægrauari, vel conditio eius deterior fieri; neque Ecclesia pia mater morbis filiorum idonea quædam remedia auferre velle censenda est ideo, quia non omnia ægroti recipiunt: Crudelis planè medicus diceretur, qui nollet aliter curare. Ita Zipæus *in cõsultat. canoni. l.4. tit. de Congregatione spirituali, consult.1.* Andr. Duual. *tr. de sum. Pont. p.3. q.7.* docet, in Gallia Episcopos vti facultate dispensandi per canonem *liceat* Concilij Tridentini absque vllo ad summum Præsulem recursu.

225. *Auctoris resolutio.* Certe ausus non fuerim post Congregationis declarationẽ, Zypei approbare placitũ, ideo Suario. meromgero. Scio tamen, ex Sanch. citato, secus intelligendum, vbi circà aliquam specialem legem, vel onus concilium receptum non est: nil enim impediret, quominus quo ad fauores cum cęteris legibus & oneribus reciperetur. Constat enim ex sententia communi in *tract. de legibus*, legem quoad partẽ posse recipi, quoad partem minimè, atque quoad solã partem receptam obligare. In super posset Tridentinum quoad omnia alicubi receptum esse, ac obligandi vires sumpsisse; at postmodum decursu temporis contraria esse consuetudine derogatum quoad leges & onera, manente in robore pristino quoad fauores. Quia cum semel ius acquisitum sit ad fauores, nec consuetudo legitimè præscripta amplius quam id, de quo præscripta est, abroget: non est, cur consuetudine solum inducta circà leges & onera, & proinde illa abroganti fauores quoque abrogati censeantur.

PROBL. XXXIV.

Episcopus electus & confirmatus quamuis non consecratus potest, & non potest vti illo absoluendi à censuris omnibus priuilegio.

226. *Vti non potest.* NOn potest vti priuilegio dato à Trident. Episcopus electus & confirmatus, ante consecrationem. Quia Episcopus non consecratus vere ac propriè Episcopus non dicitur. Vt patet ex textu in Cap. *Eam te.* vbi, *Ante promotionem tuam*, & *Neque esses adhuc in Episcopum consecratus.* Sic Abb. Felin. & Deci. Glos. 1. & communis in Cap. 1. *de religio. domib.* Glos. *ver. Pontificum in* Clement. 2. *de celebr. Missa.* Glos. 2. in Clement. 1. *de pœnis.* Ias. *leg. 2. n. 4. ff. de inofficioso testam.* Manuel. *qq. Regular. to. 1. q 18. a. 2.*

227. *Potest vti.* Episcopus electus, ac confirmatus quamuis cõsecratus non sit, potest ad absoluendum à censuris vti Tridentini priuilegio. Quia dicitur verus Episcopus quoad omnia quæ pertinent ad potestatẽ iurisdictionis, cum nomen Episcopus videatur ex sui etymologia electis confirmatis competere, quibus quidem à confirmationis tempore, possessione legitima capta, totius Diœcesis administratio incũbit. Cap. *Cum in cunctis. §. Cum vero.* Huiusmodi itaque Episcopis competunt ea, quę sunt iurisdictionis; ergò eis competit facultas dispensandi, & à cunctis censuris absoluendi. Ita Villalob. *to. 1. tr. 21. diffic. 9. n. 4.* Trul. *in Decal. to. 1. l. 1. c. 3. dub. 4. n. 2.* Suar. *to. 5. disp. 42. sect. 1. num. 7.* Sanch. *de Matr. l. 8. disp. 2. num. 1.*

228. *Approbo hãc mentem.* Hanc mentem veram esse omnino putarim, submonens huiusmodi facultatem non competere Episcopis solum electis, & nondum confirmatis à summo Præsule; quia electi à Principe nondum Episcopali nomine decorantur: Nec Episcopis carentibus Diœcesi, seu titularibus; quia priuilegiũ illud in ordine ad subditos expeditur.

PROBL. XXXV.

Capitulo sede vacante, competit, & non competit hæc ex Tridentino facultas à censuris absoluendi.

229. *Non competit* NOn competit. Quia sacra Cõgregatio (vt referunt Suari. & Garsias,) declarauit, prędictam facultatem solis Episcopis priuatiuè concedi; ergo excluditur capitulum sede vacante. Præterea capitulum sede vacante succedit Episcopo in iis, quæ sunt iurisdictionis ordinariæ iure communi generali ad Episcopum spectantis: non verò in iis quę Episcopo iure speciali competunt, ex Innoc. in cap. *Cum in cunctis, n. 7. de elect.* Abbate, & aliis, sed huiusmodi facultas conuenit Episcopo non iure generali, & ordinario, ipsis concesso Episcopis ergo non transit in capitulum sede vacante. Sic Filliuc. *to. 1. tr. 20. c. 10. n. 276.* Suar. *de cens. disp. 4. sect. 2. n. 13.* Bonac. *de cens. disp. 7. q. 5. pun. 1. n. 6.* Ledes. *to. 2. tr. 1. c. 6. post 20. concluf. diffic. 1.*

230. *Competit planè.* Competit planè. Quia capitulum, sede vacante, non solum succedit Episcopo in iis, quæ competunt ei iure communi generali sed etiam in iis, quæ iure speciali ei competunt tanquam ordinario & ex iurisdictione ordinaria: vti in iurisdictione, quam habet Episcopus ex consuetudine. Sanch. *de Matr. l. 8. disp. 2. n. 10.* Garsi. *de benef. p. 5. c. 7. n. 41.* Villalob.

*tom.*1.*tr.*21.*diffic.*9. *n.*5. Lege Abbatem *ad* Cap.*Cum olim.q.*10.*& ad* Cap.*At si clerici* §.*de adulter.*Caspens.*in cursu Theolog.to.*2. *tr.*25.*disp.*5.*sect.*17.*n.*120.

231. *Idem iudicarim.* Idem iudico ; quia (vt rationem explicem ab hisce Doctoribus adductam) licet facultas hæc absoluendi à Censuris Episcopo competat iure speciali Tridentini,tamen competit ei iure communi, & ex iurisdictione ordinaria ei tributa huiusmodi decreto:cum sit potestas competens non personæ, sed dignitati & officio in perpetuum, & consequenter ordinaria ; Ergo Capitulum , sede vacante , succedit in præfata iurisdictione dispensandi , & absoluendi. Addiderim , Cardinalium Collegium, sede vacante, hac Concilij facultate potiri.

PROBL. XXXVI.

Abbates,alijque Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem includuntur, & non includuntur sub nomine Episcopi in Decreto Concilij , vt possint ,aut non possint à Censuris reseruatis absoluere.

232. *Non includuntur,* NOn includuntur. Quia licet aliquando sub nomine Episcopi Prælati inferiores comprehendantur ; in præfato Concilij Decreto minime comprehenduntur : tùm quòd cum illa constitutio sit exorbitans à Iure communi, illiquederoget, non est amplianda, sed potius limitanda , vt nomine Episcopi ij intelligantur, qui sunt verè Episcopi,saltem confirmati : tum quia sacra id Congregatio his verbis expressit. *In hoc Decreto non comprehenduntur inferiores habentes iurisdictionem ordinariam , & quasi Episcopalem : sed tantum Episcopi priuatiuè quoad omnes alios.*Sic Ledes.*in sum.tom.* 2.*tr.*1.*c.*6.*diffic.*1.Bonac.*de cens.disp.*7.*q.*5. *punct.*1.*n.*6.Filliuc.*tom.*1.*tr.*20.*c.*10.*n.* 270. Suar.*to.*4.*disp.*30.*sect.*2.*n.*6.

233. *Includuntur quidem.* Includuntur plane. Quia illud Tridentini Decretum est fauorabile ; ergo ampliandum. Porro hi Abbates, ac Prælati in sua ditione plenam Episcopalem iurisdictionem habent , nam Vicarium deputant , tribunal erigunt , denunciationes matrimoniales remittunt , in aliis casibus dispensant , in quibus Episcopus assolet dispensare,ad Confessiones audiendas approbant, vita functorum voluntatem exequuntur.&c. vt docet Quint.Mand.in Regul.Cancel.*reg.*2.*q.*2.*n.*8.Ricci.*in praxi aurea,resol.*295.*&* 304. & alij ab ipso relati. Ergo in Tridentini decreto nomine Episcoporum includuntur Abbates , aliique Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentes ob rationem idemtitatis , illisque eadem facultas conceditur. Ita Trul. *Dec. t.*1.*l.*1.*c.*3.*dub.*4.*n.*3. Auil.*p.*7.*disp.*10. *dub.*6.Henr.*l.*6.*c.*16.*n.*1. Sanc.*de Mat. l.*8. *disp.*2.*n.*12.Villalob.*to.*1.*tr.*21.*diffic.*9.*n.*7.

234. *Auctoris sententia.* Profecto si declaratio sacræ Congregationis Cardinalium authentica exponatur, omninò primæ sententiæ mihi subscribendum.At si dum non constat expressè probabiliter secundam amplector. Imò credens præfatam declarationem sufficienti authoritate niti haud ineptè potest quis cum Beia *in Resp. cas.consc.part.*4.*cas.* 37. sacram Congregationem non loqui de iis Prelatis qui sunt exempti,ac proprium territorium habent ab Episcopis prorsus distinctum : sed de aliis Prælatis non exemptis,& eidem,in multis, subiectis Episcopo, qui quidem nec verè nec æquiualenter sunt Episcopi.

PROBL. XXXVII.

Prælati Regularium possunt, & non possunt vti Concilij Tridentini priuilegio, vt suos subditos à Censuris reseruatis absoluant.

235. *Possunt vti.* PRælati Regulares, saltem Generales ac Prouinciales nomine Episcoporum in Concilij Decreto comprehenduntur possuntque ex vi illius vti facultate inibi concessa absoluendi à censuris occultis alioqui Papæ reseruatis,& dispensandi super Irregularitatibus. Quia etiam hi Prælati Regulares sunt exempti , & iurisdictione quasi Episcopali fruuntur in subditos regulares , propriumque territorium obtinent , quod non est pars Diœcesis alicuius Episcopi:sed est velut propria Diœcesis : nam Monasteria sunt exempta, & immediatè quoad iurisdictionem in vtroque foro eisdem met Prælatis subiiciuntur : & consequenter sunt æquipollenter Episcopi sicut Abbates ; ergò comprehenduntur in præfato concilij Decreto sicut Abbates , aliique Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem obtinentes in sæculares subditos ; & vi decreti possunt erga suos subditos regulares dispensandi , & absoluendi priuilegio potiri. Sic Rodrig. *to.*1. *qq.*Regul. *q.*61.*a.*9.Beia *p.*4.*cas.*37. Barth. à S.Fausto *l.*3.*Thesau.Religios. q.*125.Portel.*ver.Prælati.n.*36.Sayr.*l.*3. Thesau.*c.*7. *num.* 24.

Prælati

236. *Non possunt.* Prælati Regulares non possunt Concilij priuilegio vti circa absolutionem à censuris,&c. Quià ex verbis Concilij constat, nomine Episcoporum non intelligi hic qualitercumque habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, sed solum habentes eam in aliqua Diœcesi sibi subdita,vt patet ex illis verbis: *Quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua.* Ergo non comprehenduntur Prælati Regulares, cum nullam propriam Diœcesim sortiantur. Ita Suar. *de Relig.t.4.tr.8.l.2.c.12.n.12.*Sanch.*de Matr. l.8.disp.2.n.13.*Alteri.*de cens.to.2. disp.8.c.* 3.Ledes.*to.2.tr.1.c.6.post* 20.*conc.diffic.* 3.

237. *Primam sententiam probabiliorem puto.* Primam magis probo sententiam, quæ quidem Tridentini mentem sufficienter videtur retinere. At licet ex secundæ sententiæ fundamento difficile valeat cum ipsa componi, adhuc præfata absoluendi à Censuris potestate Regulares Prælati vel Conuentuales potiuntur per Bullam Pij V. die 21. Iulij anno 1571. quam affert Rodrig.*qq.Regul.to.* 1.*q.*61.*a.*9.& Suar. *to.* 4.*disp.*30.*sect.*2.*n.*7.

PROBL. XXXVIII.

Episcopi possunt & non possunt absoluere à Censuris reseruatis regulares exemptos ex vi decreti Tridentini ex superioris eorum licentia.

238. *Non possunt.* NOn possunt. Quia Episcopi per hoc decretum nequeunt absolutionis aut dispensationis beneficium impertire nisi suis subditis; sed Prælatus Religionis nequit Religiosum exemptum per Pontificem Episcopis subiicere; ergo nequeunt Religiosis exemptis absolutionem à censuris impertire. An huiusmodi exemptionis beneficium personale est? Minimè, sed tota hoc priuilegio donatur. Non igitur Prælati priuati consensus sufficit, vt possit communi Religionis iuri cedere, & Religiosum Episcopo subiicere. Sic Rodrig. *qq. Reg. tom.2.quæst.*63.*artic.* 10.*& tom.* 1. *quæst.*

239. *Possunt plane.* Possunt equidem. Quia exemptio Religiosorum est potissimum in fauorem Religionis inducta, vt eius subditi quietius Domino famulentur, & ne passim ab Ordinariis valeant disturbari: vnde in iis, quæ quietem, & fauorem Religiosorum concernunt, non debent esse peioris conditionis,quam alij de eadem Diœcesi non exempti. Nec rationi consentaneum est, vt exemptionis priuilegium in hoc casu contra eius finem operetur, hanc impediens subiectionem. Atque adeò in fauorabilibus eiusmodi censetur per epicheiam tota Religio consentire. Ita Auil. *de cens. p.2.c.7.disput.*1.*dub.*6.Henriq.*lib.*10.*n.*2. in Glos.*lit.H.*Suar.*de Pœnit.disp.*30.*sect.* 2.*n.* 3.*& de cens. disp.*41.*sect.* 2.*n.*12. Moli. *de Iust.to.*4.*disp.*61.*n.*4.Trul. *Decal.to.*1.*l.*1.*c.* 3. *dub.*4.*n.*6.

240. *Hoc mihi probabilius.* Hanc mentem sequor, & confirmo ex Cap. *Luminoso.* 18.*q.*2. vbi habetur, Episcopus de Abbatis consensu potest iurisdictionem in Monasterio exempto exercere.Porrò diuersa extant Pontificum priuilegia circa hanc de superiorum licentia Religiosorum Episcopo subiectionem, vt ab ipso impetretur absolutio,auctore Corduba *in Comp.priu.Mendicantium.ver.Absolutio ordinaria quo ad fratres* §. 1. *in addit.*Vnde quidquid sit de iure, saltem Religiosi fruentes Mendicantium priuilegiis possunt eorumdem virtute se se de superioris licentia Episcopo ad eum subiicere effectum. Addiderim, id etiam nonnunquam de tacita superioris facultate licere, v.gr. si Prælatus sit impeditus eo quod sit excommunicatus denunciatus, aut obiit, aut longè abest, nec alius adest eius vicem gerens. Imo & quandoque licebit præsente Prælato, ac non impedito, v. gr. quandò ille iniustè licentiam petitam Religioso adeundi Episcopum casu, quòd ipse eum nequeat absoluere, denegaret. Quoniam per epiicheiam censetur Pontifex, Religioque annuere, ne Episcopo non absoluente, cogatur Religiosus diuagari, & ad sedem Apostolicam gratia absolutionis accedere. Limito tamen doctrinam, si absoluendi facultas, quæ immediato Prælato non adest, in Prouinciali, aut alio Præsule Religionis adesset: tunc Episcopus haud posset absoluere de immediati superioris licentia, nisi etiam Prouincialis aut superioris alius mediati consensus accederet. Remittendus hoc in casu Religiosus ad illum, vt ipse absoluat, aut alij absoluendum remittat. Quià dum intra Religionem patet remedij via, non est visa Religio consentire, vt extraneo è pharmacopolio medicamina requirantur.

PROBL. XXXIX.

Episcopus extra suam Diœcesim existens potest, & non potest facultate Tridentini circà absolutionem à Censuris reseruatis vti.

241. *Non potest Episcopus.* NOn potest. Quia Decretum illa verba apposuit: *In Diœcesi sua*, quæ quidem

dem referenda ad Episcopos absoluentes, & ex ipsis sunt limitanda, ita vt Episcopus extra propriam Diœcesim existens non possit vti hac facultate sibi concessa, sed necessariò debeat sua adesse in Diœcesi, vt ea vti valeat. Certè illa particula, *In Diœcesi sua* non possunt commode ad subditos referri. Atqui congruentiæ ratio efficacius in Prælatis, quam in subditis procedit: magis enim pax & concordia inter Præsules lædi potest, ex eo quod vtatur quis potestate absoluendi sibi concessa extra propriam existens Diœcesim quam ex eo quod existens in propria Diœcesi subditum alibi existentem absoluat. Sic Castro Pal. *tom.* 1. *tract.* 4. *punct.* 3. §. 1. *num.* 13. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 20. *numer.* 5. Manu. 2. *tom. summ. c.* 69. *numer.* 1. Barbo. *alleg.* 39. *numer.* 7.

242. *Potest quidem.* Potest Episcopus extra propriam Diœcesim existens Tridentini vti facultate circa Censurarum absolutionem. Quià per verba tam ambigua & commodè contrario sensui accommodari obnoxia, non est credendum, Tridentinum ita Episcopi facultatem arctare voluisse, ac omnia corrigere, quæ iurisdictionem voluntariam extrà propriam Diœcesim exerceri posse docent. Ita Suar. 3. *part. tom.* 4. *disput.* 30. *section.* 2. *num.* 3. *& tom.* 5. *disput.* 41. *sect.* 2. *num.* 11. Ledes. *in summ. tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 6. *post* 20. *concl. diffic.* 1. Dian. *p.* 7. *tr.* 2. *resol.* 8.

243. *His adhæreo.* Mentem hanc sequor eiusque roboro rationem; quia quum Tridentinum noluit Episcopum extra Diœcesim propriam existentem exercere munia, non verbis ambiguis vtitur, sed disertissimo sermone exponit. *Sess.* 6. *c.* 5. *de reform. Nulli*, inquit, *Episcopo liceat, Pontificalia in alterius Diœcesi exercere.* Et *sess.* 23. *c.* 1. *de reform.* volens, vt antiquior Episcopus propria in Diœcesi existens ex suffraganeis approbet causas absentiæ Archiepiscopi, fatur: Episcopo antiquiori residenti. Vbi *τὸ Residenti* aperte demonstrat, necessarium esse, vt intra propriam Diœcesim existat; nec enim alias residens dicetur. Legendus Sanch. *to.* 1. *Mor. l.* 2. *c.* 11. *n.* 16.

PROBL. XL.

Episcopus potest, & non potest cum subditis existentibus extra Diœcesim Tridentini vti facultate circa Censurarum absolutionem.

244. *Non potest vti hac facultate.* NOn potest Episcopus existens extra propriam Diœcesim subditos absolnere, sed particula illa, *In Diœcesi sua* limitatoria sunt facultatis absoluendi. Quia illa verba ibidem apposita, *In foro conscientiæ* sunt limitatoria: ex vi enim illorum absolutio non prodest pro externo foro: ergo etiam illa verba, *In Diœcesi sua* limitatoria sunt. Adde, nullam in decreto clausulam superfluere, imo neque syllabam vnam, vti Sanchez *l.* 3. *de Matr. disp.* 46. *n.* 4. docet.) Sed superfluerent illa verba, si potestas absoluendi non limitaretur vel ad subditos existentes in propria Diœcesi Episcopi, vel ad Episcopum sua in Diœcesi commorantem; ergò ad vnum de duobis est limitanda. Sic Castr. Pal. *to.* 1. *tr.* 4. *disp.* 4 *punct.* 3. §. 1. *n.* 12. probans minorem syllogismi.

245. *Potest vti facultate hac.* Episcopus potest vti hac facultate à concilio concessa, etsi subditi extra Diœcesim existant. Vnde *τὸ In Diœcesi sua* exponenda sunt de subditis suæ Diœcesis, id est de illis, qui licet extra Diœcesim commorentur, ad ipsam pertinere videantur. Quia si Tridentini contextum attentè perpendas, ea particula, *In Diœcesi sua* potius videtur ad Episcopi personam referri, vt exigatur, ipsum intra Diœcesim adesse, non subditos. *Liceat* (inquit Concilium) *Episcopis, quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua absoluere.* Porrò post particulam, subditos virgula apponitur diuidens eam à particula, *In Diœcesi sua*, quasi hæc illi minimè colligetur. Ita Sanch. *l.* 2. *Mor. c.* 11. *n.* 17. Fagund. *Decal. p.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *n.* 34. Bossi. *de Iubileo sect.* 1. *casu* 10. §. 6. *n.* 167. Dian. *p.* 7. *tr.* 2. *resol.* 9.

246. *Probabilior hæc mihi sententia.* Ego quidem vtramque sententiam probabilem, & tutam in praxi esse putarim, hæc autem mihi probabilior; quia particula *In Diœcesi sua* potius videtur accomodanda Præsuli, quam subdito, Diœcesis enim Episcopi est, non subditorum. Legitimum itaque horum verborum, *Quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua*, sensum esse existimo, vt nullatenus Episcopi limitent iurisdictionem; sed tantum velint, vt Episcopus possit absoluere quoscumque sibi subditos, quomodocumque ipsi subdantur, nempe vel quia sunt ordinarij subditi, vt pote qui inibi domicilium habent: vel quia ei subduntur quoad solum pœnitentiæ forum, eo quod in Diœcesi sua tanquam peregrini, seu aduenæ inueniantur. Hinc (vti adnotat Sanchez) Episcopus præfata potest facultate vti, etsi tam ipse quam subditi extra Diœcesim adsint. Lege Thesaurum *in praxi de Pœnis, p.* 1. *c.* 23. §. 6.

PROBL.

PROBL. XLI.

Episcopus facultatem absoluendi ab hæresi potest, & non potest subdelegare.

247. *Non potest.* NOn potest. Quia expresse Tridentinum soli Episcopo,& non eius Vicario facultatem absoluendi ab hæresi concedit, hanc statuens inter hæresim ac reliquos Papales casus differentiam, vt ab his possit Episcopus per se seu vicarium absoluere, ab illa verò solum per se : *Eis* (inquit) *tantùm, & non eorum Vicariis sit permissum.* Porrò si huiusmodi facultatem Episcopus posset alteri delegare,nulla adesset inter absolutionem ab hæresi, & ab aliis Papalibus occultis casibus differentia. Sic Cast.Pal.*to.*1.*tr.*4.*disp.*1.*punct.*3.§. 1.*n.*20.Suar.*de cens.disp.*41.*sect.*2.*n.*8.Lorca 2.2.*disp.*45.*n.*11.Ledes.*to.*2.*sum.c.*6. *post* 20.*concl.diffic.*6.

248. *Potest plane.* Episcopus potest deputare certum confessarium,vt à peccato hæresis certam personam absoluat. Certam quidem ; potest enim designare Antonium, qui Petrum hæresi maculatum diluat, non generaliter alios hæresi infectos;nec enim poterit Episcopus generalem facultatem alicui impartire. Vnde hæc adest differentia inter heresim,ac alios casus reseruatos : nam in aliis casibus occultis potest Episcopus alicui deputato facultatem impendere generalem, vt absoluat;in peccato autem hæresis non potest dare facultatem , vt quoties quis in hæresim inciderit,absoluatur : sed quando casus particularis occurrit , potest Episcopus in particulari deputare aliquem,vt ab illo hæresis crimine absoluat. Quarè cum Concilium Trid.*sess.*24.*c.*6.*de refor.*præcipit,in crimine hæresis solum posse Episcopum absoluere,& non eius Vicarium, sensus est,Episcopum non posse deputare vicarium,vt generaliter ab omnibus hæresis peccatis absoluat:non tamen abnegat posse vicarium ad specialem casum hęresis ab Episcopo deputari. Ita Fagund. *de Præc. Eccl.præc.*2.*l.*8.*c.*8.*n.*36.Sanch.*l.*11.*Mor. c.* 11.*n.*22Laym.*l.*1.*tr.*5.*p.*2.*c.*5.*num.*2.Mour. *exam.Theol.p.*4.*c.*9.*n.*1.

249. *Huic sententiæ subscribo.* Primæ sententiæ aliquando firmiter inhærebam, ratus à Concilio huiusmodi facultatem industriæ viri Episcopali dignitate conspicui delegari:quando autem ex cõsilio speciali, industria personæ eligitur, facultas non potest nec in generali,nec in speciali delegari;vnde concludebam Episcopum non posse alicui facultatem impertire,vt ab hæresis crimine absolueret. At iam suppositionem reor falsam esse, nam quando aliquid conceditur superioribus præsentibus, ac futuris non censetur tunc electa esse industria personæ, cum personis incognitis hæc facultas concedatur, doctore Iasone *in leg. More,ff.de iurisd.omn. Iud.n.*75. Igitur cum Tridentini facultas absoluendi omnibus Episcopis præsentibus,ac futuris impendatur,nullatenus specialis viri industria quæritur , ideo secundæ sententiæ subscribam.

PROBL. XLII.

Episcopus potest,& non potest facultatem sibi à Concilio datam absoluendi à reliquis Censuris Papalibus aliis delegare generaliter.

250. *Non potest.* NOn potest Episcopus generaliter committere aliis facultatem absoluendi à Censuris aliis Papalibus.Quia Concilium expresse concedit Episcopis posse per se dispensare,ac absoluere,vel per Vicarium specialiter deputatum;huiusmodi enim facultas Episcopis habito respectu ad personæ industriam impenditur.Sic Henriq.*l.*6. *c.*14.*n.*7.Glos.*lit.O.*& alij.

251. *Potest quidem.* Potest Episcopus aliis delegare facultatem absoluendi à Censuris Papalibus,hæresim si excipias.Quia in Concilij decreto non eligitur industria personæ,sed iurisdictio illa conceditur ratione dignitatis & officij, si enim eligeretur industria personæ,nec generaliter , nec specialiter posset Episcopus delegare.Ita Laym. *l.*1.*tr.*5.*p.*2. *c.*5.*n.*2.Sanch. *l.*2 *Mor.c.*11.*n.* 23. Suar. *de Pœnit.disp.*30.*sect.*2.*n.*9.

252. *Idem asserо.* Idem assero. Quotiens enim aliquid Prælatis præsentibus ac futuris in perpetuum conceditur,non potest dici personæ industriam esse electam, cum personæ incognitæ delegetur. Vnde præfata facultas ordinaria scilicet, vt pote ratione dignitatis & officij ex iuris priuilegio Episcopis competens poterit speciali commissione alicui generaliter delegari, sicuti alia ordinaria quæcumque.

PROBL. XLIII.

Episcopus aliquo delicto maculatus, ob quod Censuram reseruatam incurrit, potest,& non potest ab alio absolui,ex potestate ab ipso delegata.

253. *Non potest.* NOn potest Episcopus facultatẽ Concilij delegatam sibi, vt alios absoluat Censuris Pontificiis illigatos committere alicui, vt ipse incurrens Censuram huiusmodi

modi ab eo possit absolui. Quia ipse Episcopus est delegatus. Sic Alteri.*de Censur. tom.2.disp.8.c.3.concl.4.*

254. *Potest planè.* Potest Episcopus aliquo eiusmodi crimine alligatus deputare Confessarium, vt sibi absolutionem impertiri valeat. Quia ex vi Decreti Tridentini ablata est r eseruatio à præfatis irregularitatibus, suspensionibus, & excommunicationibus occultis : & consequenter respectu Episcopi non censentur amplius casus reseruati, sed vt comprehensi sub eligendi Confessarij facultate sibi iure communi concessa, Cap. *Fin. de Pœnit. & remis.* ergo poterit alteri cõmittere Confessario à se electo, vt se ab huiusmodi Cẽsur. absoluat. Ità Filli. *to.1.tr.20.c.10.n.172.* Suar.*de Censur.disp.* 41.*sect.2.n.9.* Sanch.*l.2.Mor.c.11.num.11.*

255. *Hanuc sententiam tueor.* Hanc tueor sententiam, nam cum huiusce Decreti vi possit Episcopus delegare ad alios absoluendum, cur non poterit hanc potestatem alteri committere in ordine ad seipsum? nec enim Præsul deterioris debet esse conditionis quam subditi. Vnde sacra Congregatio declarauit, Episcopum posse Confessarium deputare qui secum in omnibus irregularitatibus occultis dispenset, & se in omnibus casibus à quibus ipse possit absoluere subditos, absoluat. Lege Amicum *tom.5.de Iust. disp.6.sect.3.n.50.*

PROBL. XLIV.

Episcopus potest, & nõ potest absoluere ex vi Decreti Tridentini subditum, cum delictum est publicum in vno loco, & occultũ in alio vbi geritur absolutio, si sit spes inibi nunquam publicandũ.

256. *Non potest.* NOn potest. Quia quod alicubi publicum est, simpliciter nõ est occultum: & regulariter loquendo quod aliquo in loco est publicum facilè ad alia loca defertur. Sic Bonac. *de Cens.disp.1.q.3.pun.2.n.3.* Suar.*to.4.disp.30.sect.2.n.2.* Castr.Pal. *to.1.tr.4.punct.3.§.1.n.4.*

257. *Potest planè.* Potest planè. Quia si contingat delictum in vna ciuitate esse publicum, & in alia, vbi absolutio, aut dispensatio petitur, occultum esse, & speratur, notitiam delicti non esse facillimè illuc peruenturam: tali in loco delictum vere dicitur occultum esse. Ita Facund.*de Præc.Eccl.præc.2.l.8.c.8. num.28.* Auil.*p.2.c.7.disp.1.dub.11.concl.3.* Sanch.*l.2. Mor.c.11.n.20.* Macha.*to.2.l.4. p.6.tr.12.docum.4.n.2.*

258. *Cum his sentio.* Cum his sentio. Itaque si accidat, delictum vna in ciuitate publicum diuagari vel per facti notitiam, vel quia in iudicio confessum, vel quia per iudicis sententiam probatum est: in alia verò ciuitate, in qua petitur à Censuris reseruatis absolutio, vel in Irregularitate dispensatio; esse occultum: licebit Episcopo absoluere; & dispensare, modo notitia non sit illuc facillimè peruentura. Quemadmodum enim excommunicatus in vno loco denũciatus, seu publicus Clerici vna in vrbe percussor, non est in alia, vbi talis excommunicatio est occulta, vitandus vel ab iis; qui factum norunt, quia ius suæ retinet famæ: nostro in casu idẽ videtur asserendũ.

PROBL. XLV.

Casus occulti, in quibus, & à quibus iuxta decretum Concilij potest Episcopus dispensare, & absoluere, sunt & non sunt ij, qui probari non valeant.

259. *Casus occultus est qui probari non potest: secundum iuris terminos.* PRæmitto ex præscripto Iuris ac Iurisperitorum doctrina, aliquid tripliciter occultum dici posse. Primo, illud quod nõ est sua natura probabile, quia vt tale sub hominis non cadit cognitionem, eiusmodi sunt cogitationes hominũ, de quibus nec Ecclesia iudicat. Secundò, id quod sua quidem natura est probabile, probari tamen nõ potest, quia nemo illius notitiam callet, vt potè coram nemine patratum. Tertiò, illud quod probari sanè possit; quia notum, sed tam pauci sint conscij, vt neque vulgare est, neque in iudicium deductum. Hoc præmisso, quæsierim, quinã dicantur in præsenti casus occulti, in quibus valeat Episcopus dispensare, & à quibus possit absoluere? Occultus vocitatur non ille casus, qui sua natura est probabilis, sed probari non potest; nec qui probari potest quia notum, sed vulgare nõ est, quia paucis reseratum: sed qui secundum Iuris terminos nullatenus potest probari. Quia solum hic casus simpliciter occultus est. Sic Gutier. *in qq.Canon.l.1.c.15.n.27.* Rodrig.*in Bulla* §.*9.n.69.* Garsi. *de Benef.p.7. c.11.n.46.* & alij.

260. *Non is casus est occultus.* Occultus appellatur in præsenti non ille casus, qui nullatenus probari potest: sed qui sua quidem natura est probabilis, sed probari non potest: & qui probari potest, quia notus aliquibus, sed planè tam paucis, vt vulgare nequeat appellaris. Quia casus huiusmodi absolutè iuxta Iuris præscripta sunt occulti. Ita Sãch. Lessi. Duard. Alteri. Nauar. Fagund. Azor. Suar. quos citat, ac sequitur Bossi.*de Iubil.sect.1.cas.10. §.3.n.26.*

261. *Assentior hisce.*

Assentior planè; quia illo Cap. 6. Trident. in facultate dispensandi, & absoluendi concessa, excipiuntur delicta ad forum contentiosum deducta: ergo non excipiuntur occulta, quæ probari possunt, si tamē ad cōtentiosum non sunt deducta forū. Præterea quia occultum in Iure plerumque accipitur non prout est improbabile, sed prout distinguitur à notorio, publico, vel famoso Abbas Cap. *Fin. de temp. ordi.* Vbi occultum crimen ad hoc vt quis possit promoueri, illud appellat, quod notorio opponitur, licet probari valeat. Igitur potest Episcopus dispensare, & absoluere, quando delictum non sit publicum, vel notorium, licet sit notum tribus, vel quatuor, nec de illo sit fama apud maiorem viciniæ, vel Collegij portionem. Vnde magna in Ciuitate quinque aut sex oculatos testes adesse, non satis dixerim ad notorium. Lege Henriq. *l.*13. *c.* 5. §. 2.

PROBL XLVI.

Delictum deductum ad forum contentiosum, in quo, & à quo Episcopus dispensare, ac absoluere non potest: est & non est illud, de quo denunciatio, vel accusatio coram legitimo Iudice facta est, & reus ratione illius, fuit citatus.

262. *Est quando accusatio facta est coram Iudice legitimo, &c.*

DElictum deductum ad forum contentiosum dicitur quando denunciatio, vel accusatio coram legitimo Iudice facta est, & reus ratione illius citatus fuit: nec necessarium est, delictum esse plene ac perfectè deductum, quo vsque lis sit contestata. Quia citatio est primus iudicij actus. Sic Henriq. *l.*2. *c.*11. *n.* 21. Auil. *de Cens. p.*2. *c.*7. *disp.*1. *dub.*11. *concl.* 3. Sanch. *l.*2. *Mor. c.*11. *n.*20.

263. *Est quando delictum est perfectè huic foro traditū.*

Delictū deductū ad forum contentiosum dicitur, quando delictum est plenè ac perfectè huic foro traditum re scilicet cōtestata; nec sufficit, factam esse accusationē, ac reum esse citatum. Quia forum contentiosum dici non potest, nisi inter partes super delicto commisso contendatur, negando, vel confitendo, quo quidem actu litis etiam in criminalibus contestatio inducitur. Ita Bossi. *de Iubil. sect.*1. *cas.*10. §. 3. *n.*36. Cast. Pal. *to.*1. *tr.*4. *disp.*4. *punct.* 3. §. 1. *n.*15. Trul. *in Decal. to.*1. *l.*1. *c.*3. *dub.*4. *n.*9.

264. *Idem existimo.*

Hos imitor ratus quidem, forum contentiosum à lite mota non differre; quia dem est, in foro contendere, ac in eo litem moeiure: at lis mota dicitur, postquam litis facta fuerit contestatio. Cap. *ex parte.*30. *de verb. signif.* exponēte Surdo *de alim. tit.* 5. *q.*8. *n.*4. Delictum igitur post litis contestationem, & non ante deductum ad forum contentiosum dicendum. Monuerim tamen, à delicto sic ad forum contentiosum deducto absoluere non posse Episcopum, nec in eo dispensare etiam alibi, vbi omnino ignoratur; quia vbicumque deductum sit, simpliciter deductum vocitatur.

PROBL. XLVII.

Delictum deducitur ad forum contentiosum, probatur, finitur iudicium & punitur reus: potest, & non potest Episcopus vti Concilij facultate ad huiusmodi Censuræ ex illo delicto contractæ absolutionem.

NOn potest. Quia euidens est illud delictum notorium esse, & publicum, siquidem est in iudicio probatum: ea autem, quæ sic probata sunt, notoria sunt, Mascardo auctore *de probation. concl.*1101. *n.*13. *& concl.*1296. *n.* 15. Tiraquel. *de retract. lign.* §. 36. Menoch. *de arbit. casu* 166. *n.*6. Sic Suar. *de cens. disp.*41. *sect.*2. *n.*5. Bonac. *de cens. disp.*7. *q.* 5. *punct.*1. *n.*6. Cast. Pal. *to.*1. *tr.*4. *punct.*3. §. 1. *n.* 17. 265. *Non potest.*

Potest equidem. Quia intentio Concilij fuit, auctoritatem iudicij conseruare ad quem spectat de delicto illo cognoscere, & non concedere delicta pnblica ad hoc vt publicum caueatur scandalum; verùm in hoc euentu damnum euitatur vtrumque: auctoritati enim Iudicis nil detrahitur, cum iam sit suo officio functus illud delictum puniendo: cessat etiam publicum scandalum punitione illa humiliter à delinquente tolerata, cum per illam purgatus exponatur à crimine, & Reipublicæ satisfaciat; ergo nil obstabit, quominus possit Episcopus dispensare, & absoluere. Ita Bossi. *de Iubil. sect.* 1. *cas.*10 §. 3. *n.*46. Caspens. *in Cursu Theol. tom.*2. *tr.*25. *disp.*5. *sect.*17. *n.*16. Marchin. *de sacram. Ordi. tr.*2. *p.*9. *diffic.*4. *n.*11. Dian. *p.*7. *tr.*2. *resol.*19. 266. *Potest quidē.*

Porrò à primæ sententiæ sum Doctoribus (licet secundā satis probabilem existimē) Quia illud, delictū est cū effectu ad forum contentiosum deductum: siquidem est ibi probatum, ac punitum, ergo non comprehenditur sub Tridentini priuilegio Probo consequentiam, quia priuilegium est de delicto occulto nec ad contentiosum deducto forum. Addo, absolutionem 267. *Primam sententiam eligo.*

quæ

quæ in Tridentini priuilegio conceditur, solùmodo pro foro conscientiæ exponi: at delictum sic manifestum non solũ indiget pro foro cõscientiæ, sed & pro exteriori foro absolutione; ergo sub concessione illa huiusmodi delictũ non fuit comprehensũ.

PROBL. XLVIII.

Reus à delicto ad forum contentiosum deducto liberatur: potest, & non potest à censuris absolui ab Episcopo ex Tridentini concessione.

268. *Non potest absolui.* ESto, delictum ad forum deductum contentiosum probatum non fuerit, & sententia absolutoria fuerit sequuta: adhuc tamen delictum occultum non est, & ideo à censura ob id contracta non potest reus absolui. Quia Cõcilium absolute excipit delicta ad forũ contentiosum deducta, & consequenter sola deductio sufficit, vt Episcopus vi decreti dispensare, absoluere nequeat. Sic Gutier. *l.* 1. *qq.* Canon. *c.* 3. Man. *in sum.* 1. *p. c.* 168 *n.* 16. & alij.

269. *Potest absolui.* Finito iudicio, & data sententia absolutoria, potest Episcopus decreti illius facultate dispensare, & absoluere. Quia tale delictum adhuc manet occultum, nec potest dici ad contentiosum forum deductum cum effectu eo quod probatum non fuit. Quod verum quidem est, etiamsi reus deprauatis mediis absolutionem ab huiusmodi crimine obtinuerit. Ita Henriq. *l.* 14. *c.* 27. *n.* 8. Suar. *de censur. disput.* 41. *sect.* 2. *n.* 6. Sanch. *de matr. l.* 8. *disp.* 34. *n.* 5. Cast. Pal. *tom.* 1. *tr.* 4. *disp.* 4. *punct.* 3. §. 1. *n.* 16.

270. *Idem asserendum reor.* Idem mihi asserendum est, imo contra Suarium addiderim, hanc sententiam veram esse, etiamsi delictum fuerit semiplenè probatum: adhuc enim manet occultum, nõ nito iudicio, & sententia absolutoria lata; quia vel reus definitiue absoluitur, & tunc nullum est dubium; aut absoluitur ab instantia, seu ab obseruatione iudicij: & tunc adhuc res manet occulta sicut prius: etenim per illam sententiam interlocutoriam id iudicium est terminatum, & sublata infamia ex deductione in forum oborta. Hoc enim discrimen tantum intercedit inter absolui deffinitiue, & solum ab instantia: quod in priori casu nunquam potest id crimen iterum in iudicium adduci: in posteriori autem potest quidem, sed ex nouis indiciis nouisque probationibus. Quaru in vtroque casu id iudicium omnino est terminatum resque in pristinum statum redacta.

PROBL. XLIX.

Post decretum Tridentini Pontifex nouis aliquibus constitutionibus aliqua crimina, censuraſque ob ea contractas sibi reseruat: potest, & non potest Episcopus ab hisce censuris occultis absoluere, & in suspensionibus, aut irregularitatibus dispensare.

NOn potest. Quia noua constitutio absolute reseruando censetur Concilio derogare, cuius non est necessaria derogatio expressa, maxime in lege contraria. Declarauit Gregorius XIII. *Quærentibus, an hoc decretum locum habeat in casibus post Concilium Tridentinum ex noua lege sedi Apostolicæ reseruatis.* S. D. N. Gregorius XIII. *audita relatione Congregationis, non habere locum, respondit.* Sic Garsi. *de benef. p.* 11. *cap.* 10. *n.* 122. 123. Floron. *de casibus p.* 1. *cap.* 4 §. 22. *num.* 5. 271. *Non potest.*

Potest Episcopus, quando in noua constitutione clausula sufficienter derogans Tridentini decreto non apponitur. Quia licet Concilium verbo præteriti temporis vtatur, extenditur tamen etiam ad futurum propter naturam legis, cuius est proprium, futura comprehendere. Cap. Fin. *de conſ. leg. Ariani* Cap. *de hæretic.* Vbi habetur legem *semper esse in viridi obseruantia, & semper loqui.* Concilium autem generale vim legis habet. Adde Concilium huiusmodi facultatem concedere Episcopis generaliter, non distinguendo inter reseruationes præteritas, & futuras; ergò generaliter est intelligendum. Leg. *Pretio. ff. de publ. in rem. act.* Ita Bonac. *de cens. disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. *n.* 1. Bossi. *de iubil. sect.* 1. *cas.* 10. §. 5. *n.* 249. Suar. *de Pœnit. disp.* 30. *sect.* 2. *n.* 12. 272. *Potest plane.*

Hanc eligo sententiam sciens Concilium in præfato decreto circa reseruationes Pontificias regulam generalem apponere: vt scilicet intelligantur de criminibus publicis, non verò de occultis cum limitatione in eodẽ decreto posita; & tam in reseruatis, quã in reseruãdis, eamdem esse absolutionis rationem, si sunt occulta, ac proinde debet in vtrisque eadẽ esse legis dispositio: cur enim minor Episcoporũ in nouis reseruationibus, quã in antiquis erit auctoritas? Potrò declarationem illã Gregorij vel satis non constat esse authenticã vel intelligenda est quando noua cõstitutio in reseruatione apponeret clausulam, quæ sufficienter derogationem decreti 273. *Hanc eligo sententiam.*

Tridentini exprimeret. Hinc vt exemplo planius fiat, existimo, posse Episcopum vi decreti Concilij absoluere ab excommunicatione contracta delictum occultum duelli. Quia licet Clemens VIII. videatur clausulam derogatoriam continere: *Etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum, quibus personis &c.* tamen ea in clausula nulla fit mentio Tridentini; ad reuocandam autem illam Concilij facultatem requiritur, vt specialis de illo fieret mentio, teste Couar. *lib. 4. variar. c. 16. n. 6.* & Sanch. *de matr. tom. 3. l. 8. disp. 35. n. 17.* Ita obseruauit Sixtus V. in Bulla sua contra clericos malè promotos, & quotidie Pontifices in Bulla cœnæ Domini obseruant.

PROBL. L.

Episcopus decreti Tridentini vigore potest, & non potest absoluere à censura occulta contracta ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. ob ingressum in Sanctimonialium Monasteria.

274. *Non potest.* NOn potest. Quia sic declarauit Sacra Cardinalium Congregatio: & quia præfatæ censuræ reseruatio post Tridentinum exponitur. Sic Barbos. *de potest. Episc. p. 2. alleg. 39. n. 45.* Graff. *in praxi l. 1. c. 5. n. 7.* Gauant. *in Man. Episc. ver. Absolutio n. 15.* Alced. *in praxi Episc. p. 2. c. 6. n. 11. & 22.*

275. *Potest quidem.* Potest quidem. Quia in Bullis Pij, & Gregorij nō reuocatur facultas, de qua loquimur, Episcopis in Tridentino concessa: vndè obseruatur in praxi ab Episcopis, quando ingressus in Monasteria Monialium est occultus. De declaratione autem illa non constat authenticè. Ita Dian. *p. 7. tr. 2. resol. 22.* Bossi. *de Iubi. sect. 1. cas. 10. §. 5. n. 154.* Mazuchel. *tr. de casib. reseru. disp. 2. c. 2. diffic. 1. n. 24.* Bonac. & Beia apud Dian.

276. *Hoc verum existimo.* Hoc verum existimo, addens cum Sanchez *l. 6. Mor. c. 17. n. 41.* posse Episcopos vigore Concilij absoluere à suspensione, quam incurrunt Religiosi fœminas intra claustra admittentes, si sit occulta: idem dicendum de Prælatis Regularium. Quia Episcopi, ac Prælati Regulares virtute Tridentini habent facultatem absoluendi à quibusuis casibus, suspēsionibus, & irregularitatibus occultis; sed hanc facultatem nullū ius nouū vel abstulit, vel moderauit, vel limitauit; ergo pari modo licebit Episcopo vel prælato Regulari à præfata cēsura absoluere admittentes fœminā intra claustra. Idem assero de Moniali è Monasterio ad malū finem egressa: hanc enim Episcopus aut Prælatus Regularis sibi subditam potest absoluere, ex generali illa Concilij facultate à quibusuis casibus occultis sedi Apostolicæ reseruatis absoluendi.

PROBL. LI.

Per Bullam cœnæ est, & non est Episcopis reuocata facultas data per Tridentinam absoluendi ab hæresi occulta & casibus aliis in ipsa contentis.

277. *Est derogata.* PEr Bullam Cœnæ est Episcopis derogata facultas per Tridentinum data, nec possunt absoluere ab hæresi, & casibus aliis in ipsa expressis. Quia in Bulla cœnæ adest clausula hæc derogatoria: *Non obstantibus &c.* quæ licet sit generalis, sufficit tamen ad derogandum Concilij decreto: quod quidem indubitatum est, vbi derogatio noua Pontificia nequit verificari, nisi Concilio derogatio illa generalis censetur specifica, & indiuidua. Leg. 2. ff. *de liber. & posthu.* Secus illa derogatio esset futilis, ac superflua. Certè in casu nostro si Pontifex illis verbis: *Ac per cuiusuis Concilij decreta* non derogauit Tridentino, rogo, cuinam alij Concilio fuit hisce verbis derogatum. An Prouincialibus? Minimè, quia nomine *cuiusuis Concilij* non veniunt sola Prouincialia, cum præterita Concilia generalia sint; & quia nullum est assignabile Prouinciale Concilium, quod Episcopis facultatem absoluendi ab hæresi occulta vel ab aliis Bullæ cœnæ casibus, impertiret. Sic Trul. *in Decal. tom. 1. l. 1. c. 3. dub. 4. n. 11.* Gasp. *in cursu Theol. to. 2. tr. 15. disp. 5. sect. 6. n. 38.* Dian. *p. 7. tr. 2. resol. 23.* Marchi. *de Sacram. Ordi. tract. 1. p. 9. diffic. 9.*

278. *Non est derogata.* Per Bullam cœnæ non est Episcopis derogata facultas absoluendi ab hæresi occulta, & aliis casibus in ipsa expressis. Quia correctio iuris vitāda est, quoad fieri possit; sed absque correctione iuris Tridentini stare potest clausula Bullæ cœnæ reuocans facultates, quibus absolutio poterat impertiri; ergo asserendū est, clausulam illam Bullæ cœnæ hanc Tridentini facultatem minimè reuocare Minorem probo. Quia Bulla appositè potest intelligi de peccatis publicis, & de absolutione, quæ non solum pro foro conscientiæ, sed etiam pro foro externo prosit: si quidem nihil in Bulla habetur, quod nos cogat reuocationem illā de peccatis occultis & de conscientiæ foro intelligere. Sensus igitur Bullæ est, vt nullus possit absolui, absolutione proficiente in foro externo, vel à peccatis publicis

publicis priuilegiorum prætextu. Quod si hoc modo intelligatur manet integrum Tridentini decretum; nam Tridentinum concedit solum casus occulti absolutionem, & pro foro conscientiæ. Ergò si Bulla reuocat casus publicos, & absolutionem pro foro externo proficientem non immutat, nec corrigit Tridentini decretum. Ita multi, quos refert, & sequitur Bossi. *de Iubil. sect.* 1. *cas.* 10. §. 2. *n.* 10.

279. *Primam eligo opinionem.* Primæ sententiæ Doctoribus adhæreo, sciens, derogationem indultorum, seu facultatum à voluntate pendere Pontificis qualitercumque de ea constet; ergo derogando decretis *cuiusuis Concilij*, necessariò fatendum est, Pontificem. Satis suam mentem exponere circa reuocationem huius facultatis absoluendi ab hæresi occulta, præsertim accedentibus tot viuæ vocis oraculis, & Sacræ Congregationis responsionibus. Pro secunda sententia assolent allegari textus Cap. *Ex parte.* Cap. *Nonnulli.* & Cap. *eam te, de Capel. Monach.* Qui quidem procedunt, vbi nulla mentio Conciliorum neque in genere, neque in specie, neque per verba æquipollentia facta fuit. At nostro in casu fit expressa mentio derogationis cuiusuis concilij, quæ nequit, nisi ipso Tridentino derogato, verificari.

LIBER DECIMVS.

IVSTITIA, IVS, CONTRACTVS IN GENERE.

QVia Iustitia Virtus est latissimè patens, vt quæ in omnibus hominum negotiis, quibus inter se communicant, reperiatur, præmiserim (institutum meum perficiens) genericam eius tractationem, vt cum ad species Iustitiæ, Iuris, ac Contractuum euoluendas, dante Numine, accingamur, iam generatim fax rutilet, è qua singularium materiarum volitantes tenebræ facilius possint ablegari.

SECTIO PRIMA.

De Iustitia, Iure, ac Contractibus in genere Recept. absque lite sententiæ.

CAPVT I.

Quid Iustitia.

1. *Iustitia accipitur pro omnium virtutum complexione.* IVstitiæ nomen duobus modis accipitur. Primò pro omnium virtutum complexione: Iustum enim dicitur quod est adæquatum regulæ suæ, cui debet commensurari. Vnde iustitia dicitur ea affectio, quæ hanc efficit adæquationem. Cum igitur collectio omnium virtutum siue actu, siue habitu conformet formaliter, & veluti commensam reddat voluntatem suæ legi diuinæ, apte iustitia vocitatur, & quæuis virtus pars iustitiæ. In scripturis sic passim accipitur, *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Mat. 6. Ad quæ Chrysost. hom. 12. in Mat. *iustitia nihil aliud est, quam omnium mandatorum plena custodia.* D. Thom. *q.* 80. *a. vnico.*

2. *Accipitur in præsenti pro constanti, ac perpetua voluntate tribuendi cuique ius suum.* Secundo accipitur *iustitia* pro virtute particulari, qua voluntas inclinatur ad ius suum cuique ad æqualitatẽ reddendum. Sic definitur ab Vlpi. *leg. iustitia. Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.* siue iustitia est virtus inclinans ac firmans voluntatem ad perpetuò cuique tribuendum ius suum: idque ad æqualitatem. Dicitur *constans voluntas*, quia est propositum habituale deliberatũ, & firmum. Perpetua voluntas,

quia ad perpetuo reddendum nam qui semel tantum, aut bis, non autem semper, in omnique euentu vellet cuique suum ius reddere non esset iustitiæ virtute decoratus. *ius suum*, id est, quod cuique stricta obligatione est debitum: debet autem reddi hoc ius ad æqualitatem, alioquin non perfectè redditur, ac proinde non erit perfecta iustitia; quia iustitia æqualitas quædam est, vel certe inuoluit (vti nomen insinuat) æqualitatem. August. *l.* 19. *de ciuit. c.* 21. & Ambros. *l.* 1. *de offic. cap.* 24. simili penè modo iustitiam definiunt.

3. *Iustia est virtus.* Hinc patet, iustitiam esse virtutem. Quia reddere cuique ius suum, & constituere vbique in actionibus, quibus homines inter se communicant debitam proportionem, & æqualitatem, est per se honestum, & rectæ rationi consentaneum: ac proinde virtutis opus. Lessi. *de Iust. l.* 2. *c.* 1. *n.* 3.

4. *Adest in voluntate* Constat etiam, hanc virtutem esse in voluntate, quam inclinat; vt velit cuique reddere quod debet. Quia est propositum, & inclinatio voluntaria ad id, quod iustum est. Hæc autem virtus recte disponit hominem ad alterum in functionibus, & commutationibus mutuis. Quia inclinat, vt velis, & præstes, quod alteri debes, & iuri eius ex æquo respondet. Lessi. citat.

5. *Distinguitur à reliquis virtutibus.* Hinc distinctio huius virtutis à reliquis exponitur. Ab iis quidem, quæ sunt in intellectu; quia est virtus voluntatis: A cæteris, quæ sunt voluntatis differt obiecto. A Theologicis, quod earum obiectum sit Deus, iustitiæ autem debitum proximo. A Religione, quod Religio spectet debitum Deo, vt primo principio, cui æquale reddi non potest: iustitia debitum proximo, cui potest æquale rependi. A Pietate, quia pietas spectat solum modo debitum parentibus & patriæ ratione ortus, cui etiam satisfieri ex æquo non potest. Ab obseruantia, quia hæc spectat debitum maioribus ratione gubernationis, cui etiam præmium æquale ab homine nequit referri. Ab aliis iustiæ partibus, quia debitum, quod spectant, est minus debito iustitiæ. A Temperantia quia hæc non disponit meam functionem ad alterum, sed ad me ipsum: inclinando me v. gr. vt comedam, & bibam sicut ratio dictat mihi ad bonam valetudinem, ad functiones animi ac corporis conuenire. A Fortitudine denique, quia hæc non respicit quid alteri debeatur, sed quo se deceat sustinere, & quantum &c. Lessi. ibid. *n.* 5.

6. *Non est iustitia hominis ad seipsum, patris ad filium, serui ad Dominum.* Porrò cum iustitia sit ad alterum, hominis ad se ipsũ non est iustitia propriè. aut iniuria: neque patris ad filium, aut filij ad patrem quo ad iura ac debita quæ sunt inter ipsos, qua tales sunt. Quia quod filius vt filius debet patri, debet ei lege pietatis, non iustitiæ; debet enim ei non vt alieno ac prorsus distincto, sed vt principio sui esse; similiter quod pater filio: debet enim ei tanquam sibi ipsi: est enim filius aliquid patris, scilicet fructus eius, & veluti pars ab illo abscisa, in qua natura paterna cõseruetur. Arist. 8. *Eth. c.* 12. Quare cum inter ipsos tanta sit vnio, maius est debitum quam vulgaris iustitiæ. Pari modo inter Dominum, ac seruum quà tales sunt propriè non est Iustitia: ius enim domini in seruum non est Iustitiæ, sed despoticum, quo potest illi imperare, illoque vti suum incommodum, illum vendere, permutare, donare. Seruus etenim est domini instrumentum, ac possessio. Seruus verò domino debito obseruantiæ seu duliæ, & debito obedientiæ obstringitur. Si tamen spectentur, vt sunt homines distincti, & in multis rebus liberi, suique iuris, diuersa iura habentes. Sic potest inter eos esse Iustitia, & iniuria, vt si v. gr. dominus seruum occidat, vel mutilet? quia in vita, membrisque tuendis, & conseruandis seruus non subest domino sed sui iuris est: si seruus furetur vel damnum domino inferat; si fugam contra ius & fas arripiat, hoc enim furti genus est. Lessi. in ibi.

7. *Iustitia obiectum.* Verum iustitia primario circa solas actiones ritè ad res vt sunt actionum materia, non autem circa passiones vt temperantia, ac fortitudo, versatur. Quia proprium officium iustitiæ non est curare vt homo non nimium irascatur, vel ne metuat, aut nè voluptates amet plus quam par est: sed vt cuique præstet, quod ei est debitum. Et quamuis ab hoc impediri possit per iram, timorem, pecuniæ aut voluptatum amorẽ; tamen eius non est, hæc impedimenta per se ipsã tollere, sed aliarum virtutum præsidio; omnes enim virtutes se mutuo iuuant, dum quæuis tollit quædam aliarum impedimenta. D. Tho. *q.* 58. *a.* 9.

8. *Iustitia secundariò potest passiones moderari.* Potest tamen iustitia secundariò moderari passiones, quatenus illa moderatio est medium necessarium ad finem ipsius intrinsecum, qui est cuique ius suum reddere. Quia possum velle moderari irã, amorem pecuniæ, & timorem, nè alicui faciam iniuriam: & ex vi huius intentionis sequetur illarum passionum moderatio absque interuentu intentionis, quæ

sit

sit alterius virtutis ; atqui intentio illa neminem lædendi est actus Iustitiæ ; ergo iustitia etiam passiones moderatur. D. Thom. *a.9.*

Caput II.

De iustitia generali, quæ legalis dicitur, & de iustitia particulari Distributiua ac commutatiua.

9. *Est quædam generalis iustitia, quæ legalis dicitur.*

Est quædam generalis iustitia, quæ legalis dicitur. Quia omnis pars Reipublicæ dupliciter ad alteram comparatur : primò vt pars ad partem, ciuis ad ciuem ; & sic est iustitia particularis, quæ hominem in hac habitudine perficit ; secundò vt pars ad totum, scilicet ad ipsam Rempublicam ; & sic est iustitia generalis, quæ hominem in habitudine ad Rempublicam perficit. D. Thom. *q.*58. *a.*5.

10. *Iustitia legalis est virtus, quæ bonum Reipublicæ commune intuetur.*

Iustitia legalis est specialis virtus, quæ bonum commune Reipublicæ intuetur, ac procurat. Quia velle, ac procurare bonũ Reipublicæ, habet specialem rationem honesti, & laudabilis, quæ non inuenitur in aliarum virtutum functionibus ; multo enim id est laudabilius, quam priuata curare ; ergo ad specialem virtutem pertinet ; quæ rectè dicetur *iustitia legalis* : iustitia quidem, quia respicit quodammodo alterum, id est, Rempublicam : legalis autem, quia extendit se ad omnia, quæ propter commune bonum lege sunt statuta. D. Tho. citat. Soto *de iust. l.3.q.2.a.3.*

11. *Iustitia hæc legalis virtus obedientiæ est.*

Si qua virtus specialis seu particularis sit *iustitia legalis* vocitanda, videtur hoc nomen maximè virtuti obedientiæ conuenire. Quia quæ Aristost. *l.*5. *Ethi. c.*1. *&* 9. 2. tribuit iustitiæ legali, magis obedientiæ, quam vlli alteri virtuti particulari conueniunt. Primo, quia iustitiæ legalis obiectum iuxta Aristotelem est id, quod lege sancitum ; atqui id ipsum est obedientiæ obiectum. Secundò, quia obedientiæ competit esse in magna apud homines admiratione, esseque instar Hesperi inter virtutes, & omnes virtutes complecti, (quæ Aristoteles Iustitiæ legali tribuit) quia omnes virtutes inserit, insertasque custodit. Tertiò denique, quia hæc virtus respicit alterum, idest, superiorem, cuius legibus obedit, & bonum commune, quod in legum custodia consistit. D. Thom. *q.*120. *a.*2.

12. *Iustitia particularis diuiditur in distributiuã, & commutatiuã.*

Profectò iustitia particularis rectè diuiditur in distributiuam, ac commutatiuam. Quia ex sententia Aristotelis 5. *Ethic. c.*2. duæ exponendæ iustitiæ partes, quarum vna dirigimur in distributionibus, altera autem in commutationibus. Certè in Republica est triplex habitudo, prima partis ad partem, secunda totius ad partes, tertia partium ad totum. Virtus, quæ singulas partes disponit ad bonum totius Reipublicæ, est iustitia legalis, de qua dictum ; quæ vero disponit ad partem, est iustitia particularis. Profecto ad partem est duplex habitudo, nempe totius ad partem, & partis ad partem ; virtus, quæ dirigit partẽ ad partem scilicet ciuem ad ciuem, vt constituatur æqualitas inter ciues in actionibus, quibus inter se communicant, dicitur iustitia commutatiua : Quę verò dirigit totum, seu congregationẽ ad partes in distribuendo per ciues rebus communibus, officiis, & oneribus, iuxtà proportionem inter ipsos repertam dicitur iustitia distributiua. Hæc proprie residet in Principe, vel Magistratu, ad quem huiusmodi distributiones pertinent : in priuatis secundario, quatenus eos disponit, vt iustam distributionem ament, eaque legitimè facta acquiescant. Cum D. Thom. *q.*60. *a.*1. communis Theologor.

13. *Hæ dua iustitiæ particularis distinguntur, species.*

Hæ duæ species distinguuntur primò, quod iustitia commutatiua disponat priuatum hominem ad priuatum, vel eos qui se instar priuatorum habent. Iustitia distributiua communitatem, vel eum, qui communitatem repræsentat, ad priuatum. Secundo quod illa dirigat cõmutationes, hęc distributiones. Tertio quod illa spectet cõditionẽ rei alterius, vt ei reddat æquale, hęc conditionem personæ, (v.gr. sit ne diues an pauper, nobilis an ignobilis, doctus an indoctus, idoneus ad officium an ineptus) vt secundum proportionem illarum cõditionum fiat distributio. Quartò, finis intrinsecus illius est, constituere æqualitatem inter datum & acceptum ; huius finis est, constituere æqualitatem inter proportionem, & proportionem vt eadem sit proportio inter res, quæ distribuuntur, quæ est inter conditiones personarum, quibus fit distributio : v. gr. est aliquid distribuendum secundum dignitatem personarum : si is, cuius dignitas est vt duo, accipit tres aureos : is, cuius dignitas est vt quatuor, accipiet sex : is, cuius dignitas est vt octo, accipiet duodecim. Hinc patet quando militi datur stipendium, vel operariis publicis merces à Republica pro cuiusque merito, non dari per iustitiam distributiuam, sed per commutatiuam : quia non spectatur conditio personarum, sed operarum quas

præstiterunt ; & nihil aliud intenditur, quam vt in singulis constituatur æqualitas rei ad rem, scilicet mercedis ad operas. Vnde respublica non comparatur tùc ad illos vt totum ad partem: sed vt pars ad partem, vt ciuis ad ciuem : subdit enim rationem vnius personæ conducentis operas singulorum. Lege Aristotel. *l.5. Ethic.c.3. & 4.* D.Tho.*q.60.a.1.&.q.62.a.1.*

CAPVT III.

Quidnam ius.

14. *Nomen iuris tripliciter accipitur.*

NOMEN *iuris* potissimum tripliciter accipitur. Primo est idem quod iustum : iustum autem & accipitur generatim pro legitimo (& sic omne opus virtutis, quatenus consentaneum legi dicitur *ius* & *iustum*) & speciatim pro eo quod est æquale, & alteri debitum ; hæc enim tria inuoluit iustum strictè acceptum, æqualitatem, debitum, & esse ad alterum, sic dicimus reddere ius alteri. Secundò, est idem quod *lex* quæ est regula iusti in genere : cumque sententia iudicis sit etiam veluti quædam lex, etiam ipsa ius dicitur ; hoc modo dicitur iudex dictare ius, & præesse iuri dicendo: quamuis tunc possit accipi pro iusto & æquo. Tertio accipitur ius pro *legitima potestate*. Sic acceptum potest hoc modo describi.

15. *Definitio iuris.*

Ius est potestas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, vel quasi functionem : cuius violatio iniuriam constituit. In primis dicitur *potestas*, id est, habitudo quædam ad aliquid, vnde dicimur aliquid posse. Deinde *legitima*, id est à lege concessa ; quia facultas, quæ secundum legem non competit, non est ius, sed vis & iniuria. Lex autem hanc potestatem concedens vel est diuina positiua, vt ad Sacramenta percipienda: vel est naturalis, vt ad vsum membrorum, ad vitam per cibum & potum sustentandam, ad Matrimonium ineundum, ad vim vi propulsandam, & similia. Vel est humana, vt ad successionem hæreditatis, ad præscribendam vel vsu capiendam certo tempore rem alienam, ad acquirēdum, possidendum, retinēdum, alienandū per varia contractuum genera. Tertio, *Ad rem aliquā* vt ad obtinendum rem aliquā per successionem hæreditariam, per testamentum, per donationem liberalem, per contractus, per occupationem. Quartò, *Ad functionem* : vt ad liberum vsum membrorum, ac rerū suarum. Quintò, *Quasi functionem* ; vt ad possessionem ciuilem, & naturalem, ad retinendum dominium, statum, & conditionem in qua est. Sextò, *cuius violatio*, &c. quia iniuria nihil est aliud quam alieni iuris violatio. Dicitur autem violari, non quando aliquis priuatur suo iure ; sed quando, iure manente, contra illud agitur ; non enim agi potest contra ius, quod non est. Arist. 5. *Ethic.c.1.* D. Tho.*q.80.*

16. *Ius siue iustū in genere est obiectum obedientiæ.*

Porrò si ius accipiatur pro *iusto in genere*, est formaliter obedientiæ obiectū. Quia sic idem est quod legitimum, seu lege statutum ; atqui hoc est obiectum formale obedientiæ, quæ ideo vult, & facit, quia est præceptum. Dixi *formaliter*, quia si *legitimum* sumatur materialiter pro eo quod est lege statutum, est obiectum omnis virtutis ; lex enim in omni materia virtutis aliquid statuit. Lessi. *l.2. cap.2. num.4.*

17. *Ius, speciale iustum est obiectum iustitiæ particularis.*

Si *ius* accipiatur pro *iusto speciali*, quod est æquale debitum alteri : est obiectum formale iustitiæ particularis. Quia is peculiari ratione dicitur iustus, qui hanc æqualitatem debitam amat, intendit, & seruat. Iniustus qui eam non seruat, vt patet in contractibus ; ergo hæc æqualitas quatenus debita est obiectum formale iustitiæ. Consequentia patet, quia obiectum formale cuiusuis virtutis est illud bonum honestum, quod per illam virtutem in opere intenditur. Lessi. citat. *num.5.*

18. *Hæc iustitia, seu æqualitas est duplex.*

Hæc autem æqualitas est duplex, altera rei ad rem, v.gr. pretij ad merces, rei reddendæ ad rem sublatam : quæ æqualitas dicitur esse secundum proportionem *arithmeticam*, estque obiectum iustitiæ commutatiuæ. Altera proportionis ad proportionem, v. gr. cum est æqualitas inter proportionem rerum, quæ distribuuntur, & dignitates secundum quas distribuuntur : quæ æqualitas dicitur esse secūdum proportionem *geometricam*, estque obiectum iustitiæ distributiuæ. Ratio huiusce appellationis est, quia Arithmetica præsertim vulgaris, spectat propriè proportionem numerorum & quantitatum : Geometria verò proportionem proportionum, Lessi. vbi suprà.

19. *Ius, pro lege, est regula iustitiæ.*

Ius secundo modo, videlicet pro lege, non est obiectum, sed regula iustitiæ, & cæterarum virtutum. Quia virtutes in suis functionibus debent dirigi secūdum præceptum legum: nisi enim legibus sint conformes, non erunt studiosæ, nec laudabiles. Lessi. inibi, *n.6.*

20.

Ius pro potestate legitima non est obiectum,

Ius pro potestate legitima, est aliquid, vnde obiectũ iustitia pendet.

quod iustitia intendit : est tamen aliquid vnde obiectum iustitiæ quodammodo pendet, & ad quod intrinsecum ordinem habet,quod formale obiectum *cui* dici potest. Quia etsi Iustitia in opere suo non intendat ius alterius,intendit tamen id,quod iuri alterius est debitum : ac proinde id quod intrinsecum ordinem habet ad ius alterius. Profecto obiectum *cui* est is cui præstatur : hoc in proposito est proximus noster quatenus Ius habet, ratione cuius illi aliquid est debitum.Ex iure enim ipsius in me vel mea nascitur in me debitum præstandi id, quod illud ius impleat, & exhauriat ; quo posito, iustitia inclinat, vt id velim affectu, & præstem effectu. Itaque ius est ratio obiectiua in obiecto *cui*, vnde tota ratio iustitiæ pendet. Lessi. *l.2.c.2.num.7.*

CAPVT IV.

De iuris Diuisionibus.

21. *Ius diuiditur in iustum per æqualitatem proportionẽ, & iustum per æqualitatem rerum,*

SI *ius* accipiatur primo modo, vt idem sit quod *iustum alteri debitum*,diuiditur in *iustum per æqualitatem proportionum* , & in *iustum per æqualitatem rerum.* Si accipiatur secundo modo pro lege,diuiditur sicuti lex. Vnde ius aliud est *Naturale*, aliud *Positiuum*.Ius Positiuum aliud est *Diuinum* aliud *Humanum*. Ius Diuinum aliud est *vetus*, aliud *Nouum*. Ius humanum aliud est *ius gentium*, aliud *ius canonicum*, aliud *ius ciuile*. Omnes Theologi.

22. *Ius naturale.*

Ius naturale dicitur,quod ex ipsis naturis rerum oritur , scilicet ex natura rationali , & naturali conditione operum , de quibus hoc ius disponit. Vnde eius rectitudo,supposita existentia naturæ humanæ non pendet ex aliqua libera ordinatione Dei,vel hominis ; sed ex ipsa rerum natura. Itaque sicut naturæ conditio est immutabilis,ita quoque lex naturalis est immutabilis , manentibus iisdem circumstantiis rerum : vt bonum faciendum , malum vitandum. Deus colendus, & reliqua, quæ in Decalogo continentur,vel euidenter ex eo deducuntur. Omnes Theologi.

23. *Ius positiuum, diuinum vetus , nouum, Humanum , Gentium, Ciuile, Canonicum.*

Ius positiuum est,quod pendet ex libera Dei, vel hominis voluntate ; vnde mutari potest , etiam si omnes circumstantiæ , cum quibus antea obligabat , eædem maneant. Ius *diuinum vetus* est , quod Deus in veteri Testamento tulit de ceremoniis, ac politia. *Ius nouum* , quod in nouo , vt sunt ea , quæ de Sacramentis præscribuntur. *Ius humanum* est , quod authoritate humana , seu puri hominis est conditum. *Ius gentium* est , quod passim apud omnes gentes seruatur. *Ius ciuile* , quod authoritate Principum sæcularium est conditum. *Ius canonicum*,quod authoritate Pontificis vel Concilij est compactum D.Thom.1.2. *quæst.96.*

24. *Ius naturale positiuum,ius ad rem , ius in re, & alia iura.*

Si *ius* verò accipiatur tertio modo, scilicet pro potestate legitima, diuidendus primò ex parte principij,nempe secundum diuisionem legum , quibus oritur. Vndè aliud est *Naturale* , quod lege vel concessu naturæ competit : aliud *positiuum*,quod lege positiua, vel concessione libera Dei, vel hominum competit. Secundo diuidi potest ex parte termini, quem respicit, & sic diuiditur in *Ius ad rem*, & *Ius in re. Ius ad rem* dicitur,quod non tribuit actionem ad rem , sed tantum in personam : tale ius est , quod mihi competit per stipulationem , per donationem , per emptionem, aliosue contractus , ante traditionem rei. Si enim res illa alteri vendatur , & reipsa tradatur, manet illi, nec potero vindicare, seu recuperare ab eo , qui emit ; quia non erat res mihi obligata ; sed tantum habeo actionem personalem in eum,qui me fraudauit. Tale etiam ius est, quod habeo per electionem, postulationem , præsentationem ad beneficium. Imo tale etiam est, quod habeo per beneficij collationem ante acceptationem. *Ius* autem *in re* dicitur, quod tribuit actionem realem , seu quod rem obligatam habet. Tale est , quod habetur per emptionem, & alios contractus, secuta rei traditione : per collationem beneficij,secuta acceptatione : per testamentum, vel successionem ab intestato, secuta acceptatione. Tale etiam ius est dominium rei,& vsus,& vsusfructus,idest, ius vtendi, & fruendi respectu rei , quæ subest illis iuribus.Item iura , quæ dicuntur *seruitutes*. Ius etiam hypothecæ , ac pignoris. Denique omne ius , quod rem aliquam siue in corporalem , (vt sunt agri , domus, supellex) siue incorporalem (vt sunt officia, beneficia , redditus , seruitutes) ita nobis obstrictam tenet, vt ex ea possimus percipere fructus , vel emolumenta, vel securitatem creditorum , vel honorem : dicitur *ius in re*.Quocumque autem res talis transeat , potest vindicari tanquam nobis obstricta ; quia res omnis cum suo onere, quo est affecta , transit. Lessi. *l.2.c.4. n.10.* ex comm.Doctor.

CAPVT

CAPVT V.

Quid, & quotuplex Contractus.

25. *Quid contractus strictè.*

CONTRACTVS propriè, strictè, & in rigore sumptus est *vltro citroque obligatio.* Definitio hæc non intelligenda formaliter, quasi contractus sit formaliter obligatio: sed causaliter, quia scilicet causat, seu parit obligationem. Contractus itaque formaliter est signum practicum vltro citroque obligationem ex consensu contrahentium pariens. Obligatio autem est vinculum iuris, quo adstringimur ad aliquid: vbi nomine iuris, quodlibet ius potest intelligi siue naturale, siue positiuum. Ex Vlpia. *leg.* 19. *Labeo, ff. de verb. propriet.*

26. *Quid contractus late.*

Contractus autem latius ac minus propriè sumitur pro pacto, ex quo oritur obligatio solùm ex altera parte. Et in hac secunda acceptione etiam donatio, quæ incipit à promissione acceptata est, & dicitur contractus; quia est tractus voluntatum duorum, in quorum vno inducitur obligatio. Addidi, *quæ incipit à promissione acceptata*, quia donatio, quæ incipit à traditione rei, non est contractus in hac secunda acceptione; ex ea enim donatione vt sic non oritur obligatio. Gasp. Hurt. *to. de Iust. & Iure, tr. de contr. disp.* 1. *diffic.* 1.

27. *Quid contractus latissimè.*

Contractus latissimè sumitur pro quocumque pacto, seu conuentione, siue ex eo oriatur obligatio, siue non. Et in hac acceptione etiam donatio acceptata incipiēs à traditione dicitur, & est contractus; quià est verum pactum, seu vera conuentio tradentis, & recipientis, pactum enim *est duorum vel plurium in idem placitum, & consensus*, id est, reciprocus, seu mutuus consensus circa idem; vnde contractus in hac vltima acceptione cum pacto coincidit. Ex *leg. si donationis.* Vlpia. *leg.* 1. *ff. de pactis.*

28. *Quo nam modo vnus contractus ab altero discernatur.*

Porrò vnus contractus potest discerni ab altero vel ex materia circa quam ipsius, vel ex obligatione, quæ est effectus proprius ipsius contractus. Quod si materia sit ad plures contractus indifferens, tunc natura seu essentia ipsius contractus dignoscenda est ex intentione declarata contrahentium, qua intendunt, hunc, vel illum contractum efficere: & ex obligationibus quibus intendunt illigari. Gasp. Hurt. citat.

29. Iam contractuum nomina expono. Contractus quidem alius est *nominatus*, alius *Innominatus. Nominatus* dicitur, qui gaudet proprio, seu speciali nomine, quo ab aliis dignoscitur, vt emptio, venditio, mutuum, locatio, & alij. *Innominatus* dicitur qui non gaudet proprio, seu speciali nomine: sed tantum generico. Huius contractus quatuor sunt species: *Do, vt des, Do, vt facias, Facio, vt facias, Facio, vt des.* Qui omnes gaudent nomine generico permutationis: & in dubio, an contractus sit nominatus censendus est innominatus, ex *leg.* 1. *& 2. ff. de præscr. verb.* Moli. *disp.* 252.

Contractus nominatus, & innominatus.

30. *Respectiuus, & non respectiuus.*

Alius est *respectiuus*, alius *non respectiuus. Respectiuus*, seu reciprocus, seu mutuus est, qui mutuam parit obligationem in vtroque contrahente, vt contractus emptionis, & venditionis. *Non respectiuus* dicitur, qui non parit obligationem mutuam, vt contractus promissionis acceptatæ. Moli. cit.

31. *Nudus, & vestitus*

Alius est *Nudus*, & alius. *Vestitus.* Contractus *nudus* dicitur omnis conuentio, aut promissio contrahendi acceptata, carens omni alio firmamento, nempe forma stipulationis, & iuramenti, & aliis. Contractus verò *vestitus* dicitur, qui supra nudum pactum addit aliquid, quo vestitur, firmatur, seu roboratur, nempe formam stipulationis, aut iuramentum, aut aliud simile. Moli. vbi suprà.

32. *Lucratiuus, & oneroſus.*

Alius est *lucratiuus*, alius *Oneroſus.* Contractus *lucratiuus* seu gratuitus dicitur, quo aliquid permittitur, aut traditur absque pretio, vel mercede: vt commodatum, testamentum, donatio, ac simplex promissio. *Oneroſus* autem dicitur, qui loco eius. quod datur, vel promittitur, debet dari aliud, vel promitti: vt emptio, venditio, locatio, ac conductio. Moli inibi.

33. *Bonæ fidei, & stricti iuris.*

Alius est *Bonæ fidei*, alius *stricti iuris.* Contractus *Bonæ fidei* est, in quo iudex potest ex æquo & bono arbitrari, quod sibi visum fuerit, quamuis non fuerit expressum in ipso contractu: vt emptio, locatio, societas, commodatum, depositum, pignus, permutatio, & alij similes. Contractus autem *stricti iuris* est in quo iudex adstringitur ad verba: vt fit in stipulatione, feudo, emphiteusi, promissione, ac donatione. Vnde in præsenti bona fides non sumitur, vt opponitur malæ fidei, sed vt opponitur rigori, & significat æquitatem, & benignitatem in iudicando. Baun. *to. 3. l. 1. tr. 1. q. 1.*

34. *Diuinus, diabolicus, Ecclesiasticus, ciuilis.*

Enim vero contractus ex personis, cum quibus fit, distinguitur in *Diuinum* & *Diabolicum*: *Ecclesiasticum & ciuilem.*

Diuinus

Diuinus est, quo cum Deo contrahimus, aut cum Sanctis in ordine ad Deum: vt vota omnia. *Diabolicus* pactum continet cum dæmone: vt maleficium, Magia, & veneficia. *Ecclesiasticus* est, quo cum Ecclesia contrahimus, & ad hoc genus pertinent solemnis professio, beneficia Ecclesiastica, solemne votum in Religione approbata, aut in Ordinum susceptione. *Ciuilis* est, quo homo cum homine contrahit emendo, locando, mutuando, &c Baun. citat.

35. *Realis & personalis.*

Ratione autem materiæ diuiditur Contractus in *Realem*, & *Personalem*: & si quilibet propter ius & obligationem personalis dici queat, eò quod ius, actio, & obligatio, quæ cum quolibet contractu cohærent. In personis contrahentium hæreant.

Alius Contractus est is, quo dominiũ rei transfertur, & alius, quo vsus fructus, vel vsus rei tantum. Alius qui dominium plenum, & absolutum tribuit: hic quidem gratis illud præbet, vt donatio gratuita, testamentum, legatum. Si autem non gratis, sed datur res pro re, est commutatio. Si datur pecunia pro re, est emptio; vel res cuius vsus non distinguitur à dominio, pro simili postea capienda, est mutuum. Qui autem contractus vsum fructum transferunt id faciunt vel gratis & in perpetuum, vel pro annua pensione. Qui ad primum genus pertinent, dicuntur Feuda, in quibus dominus dominium vtile rei transfert in alium, reseruato sibi directo seu proprietate eius, idque gratis nulla petita annua pensione, sed seruitio tantum personali. Contractus autem, qui pro translatione dominij vtilis pensionis loco quidpiam postulat, nominatur Emphyteusis, ad quam reuocantur Libellus, & census. Cæteri sunt Contractus, in quibus vsus rei datur qui si erit gratuitus, dicetur commodatum: si cum obligatione pensionis soluendæ, aut numerandæ pecuniæ, locatio atque conductio vocitabitur. Baun. *to.* 3. *l.* 1. *tr.* 1. *q.* 1.

36. *Contractus, qui re, qui verbis, qui consensu colligantur.*

Alij sunt contractus qui re colligantur, aut verbis, aut consensu. Qui re perficiuntur, suo nomine dationem significant: vt mutuatio, donatio, commodatum. Qui solo consensu inuicem, sunt emptio venditio, locatio, conductio, societas, &c. Vbi enim emptor & venditor de merce danda pro pretio inuicem conuenere, contractus sic est ratus, vt actio & obligatio vtrimque exoriatur. Contractus autem, qui solis verbis perficiuntur, sunt *Acceptilatio*, & *stipulatio*. Acceptilatio quidem est imaginaria solutio. Quod enim ex verborum obligatione debetur Titio, id si velit Titius remittere, poterit sic fieri: vt patiatur hæc verba debitorẽ dicere: Quod ego promisi, habesnè acceptum? & Titius respondet. Habeo. At stipulatio est verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum se, aut facturum, quod interrogatus est, respondet. *Instit. l.* 3. *ti.* 30. §. 2. *l.* 5. *ff. de verb. oblig.*

37. *Cõtractus qui publica scriptura,*

Sunt alij Contractus, qui scriptura essentialiter perficiuntur, & ante scripturam rati non habentur vel ex dispositione Iuris, qualis est Emphyteusis: vel ex voluntate contrahentium, quia nolunt Contractum ratum habere, quousque scriptura fiat: ac proinde ante eam talis non est Contractus quia antè eam non est consensus contrahentium saltem absolutus, quod potest cuicumque contractui conuenire. Gasp. Hurt. *tr. de Contract. disp.* 1. *diffic.* 3.

CAPVT VI.

De Contractus seruandi obligatione.

38. *Omnis cõtractus parit obligationem saltem in foro conscientiæ.*

OMNIS Contractus parit obligationem naturalem, seu Iure naturali obligat, saltem in foro conscientiæ (nisi ex defectu aliquo sit nullus) Quia quilibet Iure naturali tenetur conuentioni cum altero legitimè factæ stare. Addidi, *In foro conscientiæ*, nam contractus non obligant in foro exteriori communi ciuili; quia Ius commune ciuile quamuis eis Contractibus non resistit, eis tamen non fauet, ne lites multiplicentur. *Leg. Iuris gent.* §. *finali de pact.* Iure tamen ciuili Castellæ datur actio ad compellendum nudè paciscentem, vt stet promissis. *Leg.* 3. *ti.* 8. *l.* 3. *Ordin. quæ est lex* 2. *ti.* 16. *l.* 5. *Recop.* Imo Iure canonico datur contrà nudè paciscentem actio. Cap. 1. *de pact.* quamuis solum in causis ad tribunal Ecclesiæ pertinentibus, aut ratione personarum, aut ratione materiæ: & in causis laicorum temporaliter subiectorum summo Præsuli. Si tamen contractus promissionis acceptatæ vestiantur aliquo robore Iuris ciuilis communis, nempe Iuramento, aut forma stipulationis, aut alio, etiam obligant in foro exteriori ciuili communi, seu Cæsareo. Hurtad. citat. *diffic.* 4.

39. *Nulla naturalis, aut ciuilis ex contractu, cui leges repugnant.*

Nulla oritur vnquam obligatio Naturalis, aut ciuilis ex contractu, cui leges repugnant.

Vtilis, obligatio à Contractu, cui leges repugnant.

gnant. Quia vt lex potest ab operando impedire ob publicum bonum, ita & operibus eamdem ob causam vim suam & effectum tollere valet; sed effectus consensus mutui qui contractum efficit, est obligatio, ergo si hæc à Republica impeditur, aut tollitur, non nisi frustrà ac superuacanee aliqua ex Contractu expectabitur. Ex. gr. Contractus Matrimonij initi inter affines, raptorem & raptam, aut clandestino ausu non tenet. Trident. *sess.24.c.4. & c.6.* præscribente. Cuius causa haud dubie illa est, quia Reipublicæ tam ciuilis, quam Ecclesiasticæ in opera subditorum tanta potestas attribuitur, quanta est ad regimen necessaria. Baun. *to.3.l.1.tr.1.q.4.*

40. *De consensu mutuo liberãtur contrahẽtes ab obligatione.*

De mutuo consensu liberare se contrahentes possunt à præstandæ rei conuentæ obligatione. Quia omnis obligatio per quas causas nascitur potest per easdem dissolui. *De regul. Iur. in 6.reg.1.* Atqui Contractus vim suam à mutuo consensu partium habet; ergò earumdem voluntate, ac dissensione tolli potest. Excipe Matrimonium per verba de præsenti ritè celebratum, quod dissolui nisi per ingressum Religionis antè consummationem nequit: eo quod Iure naturali, ac diuino sit indissolubile. Trid. *sess.24.can.6.*

41. *Peccat, qui contractus Nominatos nõ exequitur.*

In foro conscientiæ contractus omnes Nominati ita sunt præstandi, vt peccatum sit ab eis recedere, altera parte inuita. Quia per acceptationem promissionis alienæ ius ad rem promissam acquiritur; ergo non potest promissarius ea priuari sine iniuria. At qui omnis contractus saltem implicitè habet promissionem rei dandæ pto pretio, aut contra; igitur implendus est parte altera volente. Maiorem probo. Quia omnis promissio acceptata iure Naturæ ac Gentium obligat, cum sit piaculum non stare promissis: per eam ergo ius acquiritur ad rem promissam. Nec enim apparet, quonammodo, aut quare sit implenda promissio, nisi quia propter ius à promissario acceptante acquisitum, res, ad quam terminatur, facienda est, aut danda. Hosce excipe casus. 1. Cum partes sunt ad agendum Iure Canonico vt ciuili inhabiles: vt sunt consanguinei ad Matrimonij contractum. 2. Cum est contractus Iure ciuili irritus; quia contractus nullus & irritus in Iure non differunt quo ad vim obligandi; atqui ex non contractu nulla nascitur rei faciendæ obligatio. 3. Cum constat, aut rationabiliter saltem præsumitur, contrahentes noluisse, se statim perfectè obligare. Præsumi autem id debet vel ex consuetudine, praxique loci, vel ex negotij qualitate, aut ei addita circunstantia: v.gr. si contrahentes dicant, se velle suam voluntatem scriptura firmare aut sibi dent arrhas aliquas voluntatis suæ testes super futuro contractu, vt sit in locatione, & emptione; quia hæc duo indicant ex praxi hominum, & locorum consuetudine, ea quæ præcedunt confectionem instrumenti publici seu scripturæ, præparationes esse ad contractum secuturum: arrhæ autem datione contrahentes posse à contractu resilire, ea tamen lege, vt arrha pereat ei, qui exhibuerat, Sylvest. *ver. Pactum n.4. Leg. contractus Cod. de fide instrum.*

Aliqui excipiuntur casus.

Pactum nudum, vel (vt alij loquuntur) contractus Innominatus qua talis est actionem in foro Ciuili non tribuit vni contrahentium, ad cogendum alium, vt id præstet, super quo est conuentum. Quia sic Principes præscripserunt, qui quidem etsi vim iis auferre noluerunt, eos irritando: eis tamen noluerunt assistere, contra recedentem, actionem concedendo. Hosce excipe casus 1. Quando contrahentes pacti sunt, contractum se ex capite pœnitentiæ non reuocaturos, sed tantum ex capite causæ non secutæ: vel si dixerint contrahendo, se velle modo perfectissimo agere; quia contractus obligat secundum contrahentium intentionem; ergo cum perfectius sit manere obligatum ex contractu, quam non esse (si perfectissimo modo dixerint, se velle contrahere) censendi sunt esse obligati. 2. Quando pactum quod nudum est, Iuramento firmatum fuit, tenentur ita operari, vt propter reuerentiam Deo debitam nunquam videantur Deum in falsi testem adduxisse. 3. Quando ex parte altera satisfactum est contractui: nam tunc alter contrahentium tam Iure canonico, quam ciuili cogitur stare promissis, implendo, quæ facturum se pollicitus est. Dueñas *regul 3.limit.7.* Sylvest. *ver. Pactum, q.3.* Couar. in Can. *Quamuis pactum, p.1.§.2. & p.2. §.4. n.24.* Lessi. *l.2.c.17. dub.6.* Rebel. *lib.1.de contr. sect.1.q.3.*

42. *Contractus Innominatus non dat actionem vni contrahẽtium, vt alium cogat, in foro ciuili.*

In foro conscientiæ contractus omnis Innominatus valet, nec in eo datur locus pœnitentiæ, altero eorum non volente. Quia de ratione contractus est obligatio mutua iustitiæ commutantis, aut fidelitatis, vt definitur *Leg. Iabeo*, Sed contractus Innominatus; ergo naturaliter obligans. Sylvest. *ver. Pactum, n.3.* Anto. Com. *c.8. de Contr.*

43. *In foro conscientiæ contractus Innominatus valet.*

CAPVT.

CAPVT VII.

De iis, qui legum præscripto contrahere impediuntur.

44. *Omnes qui sui iuris sunt, possunt contrahere.*

NATVRALITER omnes, qui sui iuris sunt, possunt contrahere, seque circa id, quod est contractus obiectum, obligare per mutuum consensum. Quia de ratione contractus est solus consensus qui sit liber, & non impeditus circa rem siuè deponendam siue alienandam, in quam vtrinque consentitur; sed consensus eorum, qui sui iuris sunt, est liber & non impeditus; hoc enim ipso quòd tales sunt, dominium rei, & eius vsum non impeditum habent. Commune Theolog.

45. *Qui rationis est expers cõtrahere non potest.*

In foro vtroque, & quoad omnes euentus, qui rationis est expers, contrahere non potest. Quia contractus omnis liber esse debet, & voluntarius; atqui talis cadere non potest in rationis expertem; ergò. Excipe eum, qui lucidis vtitur interuallis: quia vt tunc sua potest administrare, ita & donare, & contrahere. *Inst. de inutil. stipulat.* §. 8. Sylvest. *ver. Donatio. q.* 3.

46. *Prodigi contractus invalidi, nisi iuret.*

Prodigos amentibus adiunge, postquam eis alienatio rerum suarum est interdicta, aut datus curator. Si tamen promittant cum Iuramento se daturos quidpiam, aut datum non reuocaturos, seruandum est Iuramentum, nisi relaxetur. Quia alias fieret iniuria reuerentiæ, quæ Numini debetur. *leg.* 1. *ff. de cura furiosor. leg. Is, cui bonis. 6. ff. de verb. obligat.*

47. *Religiosus nequit sine superioris licentia obligare contractu.*

Quoad certos euentus validè se obligare nequit Religiosus contra consensum expressum, aut præsumptum superioris sui. Quia Religiosus sui non est Iuris. Certè facta à Religioso tibi donatio firmior esse nequit, quam quæ ab eodem fit Deo: at hæc in multis valida non est, nisi consentiente superiore fiat. Dixi *consensum præsumptum* excipiendum. Nam si Religiosus superioris nomine, aut conuentus contrahat, ratione alicuius administrationis, aut negotij sibi expressè aut tacitè commissi, non tantùm naturaliter, sed etiam ciuiliter Monasterium obligabitur, examinata semper ad prudentis arbitrium personarum ac negotij conditione. Nauar. *in can. Non dicatis, n.* 74. Panormit. *in cap. Quando, de offic. ordin.*

48. *Pupillus pubertati nondum proximus se communiter obligare nequit.*

Pupillus pubertati nondum proximus communiter se ciuiliter obligare non potest. Quia infans, & qui infantiæ proximus est non multum à furioso distat: huiusmodi enim ætatis pupilli intellectu ad contrahendum sufficienti non pollent. Porrò in Iure is dicitur pubertati proximus, qui decem cum dimidio annos numerat. Si mas est: nouem cum dimidio si fœmina. Communiter tamen ita vocatur quisquis impubes, cuiusmodi censendus qui annum ætatis decimumquartum nondum attigit, si est mas: si fœmina duodecimum. Ratio assertionis est, quia sui impos validè contrahere non potest, cum onus contrahentium proprium non intelligat: atqui communiter qui necdum sunt pubertati proximi, sapere non norunt, quæ pactorum sunt leges, qui nexus, iuraque contrahentium. Eos sanè ea ætate nec dum doli capaces esse, habet Glossa *in leg. 9. ff. pro patrib.* cum Iustinia. *ad instit. de inutil. stipulat. l.* 3. *ti.* 20 §. 10.

49. *Pubertati proximus cũ authoritate tutoris potest contrahere.*

Pubertati proximus (qualis censetur esse, qui rationis tanta vi pollet, quanta naturali, ac ciuili Iure ad contractum sufficit, (quod Iuris præscriptione post exactum decimum annum cum dimidio in masculis accidit) cum authoritate tutoris, potest contrahere, seque tam ciuiliter, quam naturaliter obligare. Quia eo in casu tutor supplet, quod ad rationis vsum perfectum pupillo deesse videtur. Antè eam verò ætatem tutor solus contrahit, nec pupillus ex proprio consensu obligatur. Iustin. *Instit. de inutil. stipul.* §. 9. Faber. *Instit. de authorit. tutor.* §. 1.

50. *Minor sine curatoris authoritate, non potest se alteri ciuiliter adstringere.*

Si minor cutatorem habeat, non potest se validè adstringere alteri ciuiliter, nisi hic author fiat. Quia sic lex præscripsit. *Instit. tit. de authorit. tutor.* vbi negatur actio creditori, aut alteri contrahenti cum minore ad eum cogendum, nisi tutoris consensus interueniat. Sanch. *l.* 6. *de Matr. disp.* 38. & plures citati ab eo Auctores.

51. *Pubes, qui curatorem non habet, potest se ciuiliter, & naturaliter obsecrare.*

Si pubes curatorem non habet, etsi sit minor vigintiquinque annis, poterit tamen modo vtroque se obligare, id est ciuiliter & naturaliter. Quia ad id agendum existimatur sufficienti iudicio pollere ex ipsa de consensu Iudicis curatoris carentia, quæ tacitum quoddam est testimonium opinionis, quam conceptam habent de minoris probitate, eiusdemque idonea, ac sufficienti ad se regendum prudentia. Attamen gaudet tum restitutionis beneficio in integrum, si læsus sit ex contractu, *l.* 3. *Cod. de in integrum restit.* Quo beneficio quandiu non vtitur, alter non tenetur

restituere. Sanch. *de Matr. l. 6. disput. 38. num. 31.*

52. *Minor ætate potest maiorē sibi obligare ciuiliter, licet curator non consentiat.*

Potest minor ætate maiorem sibi obligare ciuiliter, siue curator consentiat, siuè non. *Leg. Obligari. ff. de auctorit. tutor. & in Instit. 20. l. 3. tit. 20 §. Pupillus. 9.* Iudex autem decreto suo, sententiaque approbati nam si contraxisse ei tum nocuit, locus est reparandæ iniuriæ restitutionis beneficio, qua eum quoque gaudere habet Lex 2. Cod. *si tutor Inuenerit.* Quia consensus tutoris, decretumque Iudicis tantum efficiunt, vt res absolute valeat, sed priuilegium ad eam redeundi, si læsio aut iniuria interuenit, non adimunt Lessi. *dub. quæst. cap. 17.*

53. *Res immobilis aut alicuius pretij non potest alienari etiam approbante tutore.*

Si res alienandæ sint immobiles, aut mobiles alicuius pretij, quæ seruando seruari possint, etsi tutore approbante distrahantur; earum abalienatio est nulla, facta sine decreto Iudicis, seu sententia, quæ causa legitima nitatur, v. gr. dissoluendi æris alieni, comparandi fundi, alienandæ familiæ, euitandi alicuius grauis incommodi, &c. de qua Iudici constare debet eiusque imperio actis quibus rem pupillarem vendi, mutari, ac distrahi patitur: inseri. Quia Lex 4. Cod. *de administrat. tutor. & Lex si minor.* Cod. *de prædijs* id imperat. At cum Lex contractui resistit, eius obligatio est inanis. Igitur alienatio rei immobilis facta à minore nulla erit nisi cum assensu curatoris Iudicis sententia accesserit. Excipe casum, in quo Contractus à minore pubere factus firmaretur iuramento; nam etsi sit ei ciuiliter onerosus celebratus absque curatoris auctoritate, si iuramento tamen firmetur, est implendus, & datur ad id alteri contrahenti actio: nec auxilium restitutionis poterit minor implorare. Mald. *de contr. dub. 2.* Sanch. *l. 6. de Matr. disp. 38. n. 13.* Laym *l. 3. sect. 5. tr. 4. c. 9. n. 6. §. 4.* Minore pubere dixi, nam pupillum non posse ciuiliter iuramento obligari certum puto: de quo inferius. Deinde excipiendi Religiosi, iis enim est per leges integrum ante professionem omnia sua alienare, ac cui voluerint donare absque curatoris facultate sine beneficio restitutionis in integrum; Sanch. *de Matr. l. 6. disp. 38.* Sylui. *ver. Minor.* Sa. *ibi, n. 2.*

54. *Nouitij renunciatio etiam iurata, nisi sit de licentia Episcopi facta intra duos menses proximos professioni, est nulla.*

Nouitij tamen ex decreto Trident. *sess. 25. c. 16. de refor.* renunciatio, ac dispositio etiam iurata, nisi sit de Episcopi licentia, vel eius Vicarij facta intra duos menses professioni proximos, nulla est, nec intelligitur suum sortiri effectum, nisi professione secuta. Casu tamen, quo id per Episcopum intuitu Religionis ineundæ, aut profitendæ liceat nouitio: nulla omnino Iuris ciuilis solemnitas erit necessario adhibenda. Laym. *l. 3 tr. 4. c. 9. de contr. n. 9.* Sanch. *lib. 7. Mor. cap. 9.*

55. *Filius familias impubes non potest ex cõtractu ciuiliter obligari. adhuc auctore patre.*

Filius familias (id est constitutus sub patria potestate) si sit impubes, non potest ex contractu, quamuis circa bona castrensia, adhuc auctore patre, ciuiliter obligari. Si tamen sit pubertati proximus, poterit naturaliter obligari, sicut de pupillo pubertati proximo dixi. Et si pubes sit, poterit quando non est in præiudicium patris, sola sua auctoritate, independenter à patre, valide & efficaciter contrahere, id est, obligari, & obligare ciuiliter, & naturaliter. Excipe contractum mutui pecuniæ, & contractu ex pecunia ipsi credita facto; ex quibus absque patris licentia nequit obligari. *Instit. §. Inutilis. Reg. 38. ff. de actionibus & obligat.* Quod nonnulli non improbabiliter ad filium familias pubertati proximum extendunt. Vnde filius familias pubes potest pro sua libertate, absque patris consensu, circa bona castrensia & quasi castrensia valide contrahere. Quia id in patris præiudicium non cedit, cum filius habeat eorum dominium, & liberam administrationem. Potest etiam, absque patris consensu, dum ab eo alimenta non recipiat, suas operas artificiales alteri locare, & se ad seruiendum alteri obligare. Quia nec id est in præiudicium patris, cum eas operas patri non debeat, sed tantum obsequiales, id est, ei obedire quo ad domus gubernationem, quando est cum patre ob eandem rationem potest absque patris assensu alio proficisci, aliquam artem addiscere, & studiis operam nauare. Quia nihil his oppositum debet patri ex iustitia. Ex iustitia dixi; scio enim patri in magna necessitate constituto teneri filium ex pietate etiam operis artificiliabus subuenire. Gasp. Hurtad. *tract. de contr. disp. 1. diffic. 14.*

56. *Nequit filius familias circa bona profectitia contrahere absque patris consensu.*

Nequit filius familias circa bona profectitia contrahere absque patris consensu. Quia est in patris præiudicium: pater enim totum dominium, vsumfructum ac administrationem habet. Nec etiam potest circa bona aduentitia. Quia quamuis habeat eorum dominium, non tamen vsum fructum, nec administrationem. Excipe tamen hosce casus, in quibus filius familias non solum dominium: sed & vsum fructum atque adminstrationem sortitur. 1. Si vsus fructus filio à patre condonetur: quod potest pater efficere; quia id non est

Sex excipiuntur casus.

donare

donare do suis (quod pater non potest) sed est id non vsurpare de bonis filij, quod pater poterat: ac proinde filius non tenetur condonationē vsus fructus conferre in legitimam, quando cum fratribus cernat hæreditatem paternam. 2. Quando filio aliquid donatur, aut relinquitur ab aliquo sub ea lege, quod vsus fructus ad ipsum pertineat, non ad patrem. 3. Quando filius adiit aliquam hæreditatem, & legatum, vel donum accepit suo patre contradicente; quia tunc æquum est, vt pater ex eo commodum non reportet. 4. Quando filio relictus est ab aliquo vsus fructus nudus rei absque proprietate. 5. Quando filius simul succedit cum patre in fratris aut sororis hæreditate. 6. Quando pater crimine hæresis, aut alio vsum fructum amittit. Extra hosce casus non potest filius nisi ex consensu patris valide contrahere. Imo, patre consentiente, solum potest de eis ad pias testari causas, non ad prophanas. Scio tamen, in Castellæ Regno posse filium pro solo arbitrio suo de tertia parte eorum testari. Moli. *disput.* 261. Sanch. *l.* 6. *de matr. disp.* 10. Rebel. 2. *p. l.* 1. *q.* 8. *sect.* 3. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 8. Vbi assignat septem modos, quibus filius familias à patria liberatur potestate, & sui iuris efficitur; quod etiam Rebellus *sect.* 6. tradit.

57. *Ex contractibus seruorum nulla obligatio ciuilis oritur.* Ex contractibus seruorum siue cum suis Dominis, siue cum aliis nulla obligatio ciuilis exoritur, nec in aliis cum quibus contrahunt: ac proinde ex contractu nec ipsis datur actio in foro exteriori contra alios; nec aliis contra ipsos. Quia iure positiuo ita disponitur, Leg. *In personam.* Leg. *Quod attinet. ff. de reg. iuris.* Excipe contractū, quo seruus pro sua libertate pecuniam Domino promisit; & quo Dominus promisit seruo pro pecunia libertatem. Quia ex eo contractu oritur ciuilis obligatio in seruo pecuniam Domino pro data libertate exhibendi: & in Domino libertatem donandi accepta pecunia. Constat ex Leg. *Promissæ* Cap. *An seruus & leg. vix, ff. de iudice.*

58. *Oritur tamen naturalis.* Quamuis ex contractu serui non oriatur obligatio ciuilis, obligatio tamen naturalis oritur, siue in foro conscientiæ in ipso seruo, qui cum aliis contrahit: & in aliis, cum quibus contrahit seruus. Quia hæc obligatio nullo iure impeditur, imo id in iure supponitur Leg. *Quod attinet, & leg. serui, ff. de action. & obligat.*

59. Ex contractu subditorum cum Principe in subditis ciuilis, ac naturalis oritur obligatio. Quia neutra iure aliquo impeditur. Et ex contractu Principis cum oritur in ipso naturalis obligatio. Quia hæc nullo impeditur iure. Gasp. Hurt. *tr. de contr. disp.* 1. *diffic.* 14. *Ex contractu subditorum cum Principe vtraque oritur obligatio.*

60. *Clerici seculares possunt valide ac licitè contrahere.* Clerici sæculares possunt valide ac licitè contrahere. Quia & possunt habere dominium, bonorumque administrationem, & nullo iure sunt impediti. At an eis Religiosisque sit prohibita negotiatio, alibi differendum. Hurt. inibi.

61. *Etiam vxor sine licentia mariti circa aliqua bona.* Vxor potest contrahere absque mariti consensu circa illam quantitatem cuius dominium habet. Potest autem ex bonis mariti pro libito vti iis, quæ suæ sortis expendere assolent tam ad eleemosynas, quam ad honestam recreationem, & ad alias donationes, adhuc dissentiente marito. Quia totum id pertinet ad decentem vxoris statum, quem maritus potens commodè sustentare tenetur. Lessi. *dub.* 14. Bonac. *disp.* 2. *q.* 10. *punct.* 2. De aliis autem quæ vxor potest dissentiente etiam marito expendere, tractatio redibit, cum de Iust. & iure in particulari differuero.

CAPVT VIII.

De iis, quibus contractus assolent esse inualidi.

62. *Nullus contractus est validus sine mutuo contrahentium consensu.* NVllus contractus potest esse validus, sine mutuo contrahentium consensu. Quia contractus nunquam est validus, quin ex eo mutua sequatur obligatio in contrahentibus præstandi conuenta; ob quam causam vocatur contractus obligatio reciproca, leg. *Labeo, ff. de verb. oblig.* sed contractus vim obligandi efficaciter sinè mutuo contrahentium consensu non habet. Leg *contractus, cod de fide instrum.* Moli. *de primog. c.* 2. *n.* 61.

63. *Non quilibet consensus efficit contractum validum.* Non quilibet duorū consensus contractum efficit validum, sed is tantum qui ad translationem rei in alium de contrahentibus, sufficit. Quia cōsensus in rem modo non sufficienti datus, idē est ac nullus; at ex cōtractu nullo nulla sequitur obligatio; ergo nec translatio rei. Maiorē probo, quia furiosi & amentis acta irrita sunt, ac nulla: cuius causa est illa, quia nequeunt consentire modo sufficienti, ac requisito ad eorum validitatem. Baun. *tom.* 3. *l.* 1. *q.* 7.

64. *Ad hanc sufficientiam pertinent.* Ad hanc sufficientiam pertinent verba, quibus contrahentes suam explicant intentionem. Quia ad contractum est ne-

verba quibus, contrahentes suam explicant intentionem.

cessarius consensus mutuus contrahentium super eo quod est obiectum contractus; at hic est impossibilis, nisi sit vtrique parti notus: nosci autem quonammodo possit, si verbis, nutibus, aut signis non se prodit? Vnde verissimum illud Iurisconsulti effatum, intentionem scilicet, quæ latet, nil in humanis contractibus operari. Leg. *Complures. 62. ff. de locat.* Ideo nec sponsalia, nec matrimonium sine verbis aut signis iniri posse probabilius existimo: quidquid Syluester *ver. matrimonium. 2. q. 10.* renuat.

65. *Attendenda est intentio contrahentiũ, si verba sint dubia.*

Quando verba sunt in foro conscientiæ dubia, si de contrahentium intẽtione constet, ab ea vis, omneque momentum pacti cuiusuis est desumendum. Quia verba de se ac natura sua nequeunt inferre vllum nexum, aut vinculum; vis ergo omnis ab intentione manat proferentium verba, quiasi intentio absit, verba in foro conscientiæ non obligant. Igitur cum incertum est, qualem verba sensum habeant, ad partium intentionem est recurrendum. Sanch. *l. 1. de sponsal. disp. 18. n. 1.*

66. *Contractus est nullus, si repugnet in stipulationem deduci.*

Cum res, quæ consensus mutui est obiectũ, adeoque contractus talis est, vt ei repugnet, in stipulationẽ deduci: contractus est iure nullus. Eiusmodi sunt res sacræ, homines, & alia, quæ in humano non assolent exponi commercio. Quia non potest contractus validus esse sine consensu; at hic non cadit nisi in materiam idoneam, & capacem, qualis est solummodo, quæ potest in stipulationẽ deduci, Leg. *inter stipulationem, §. Sacramentum. ff. de ver. oblig.*

67. *Contractus est nullus, si sit à persona prohibita.*

Contractus est nullus, cum ait à persona prohibita contrahere: vt in matrimonij contractu consanguinei omnes in quarto gradu, & affines. Nec enim possunt contrahere in gradibus illicitis. Idem iudiciũ gero de pupillis, ac minoribus (vt dixi) sine tutoris consensu ac iudicis decreto contrahentibus in re immobili: cum lex ciuilis, nihil eos validè ac efficaciter gerere posse asserat in hoc genere sine consensu tutoris, ac decreto iudicis. Id quod hac ostendo ratione: defectus formę, modique, quocum contractus fieri debet, eum reddit inanem, sine viribus, aut sanè irritandum; sed tam consensus tutoris quam iudicis decretum ad formam contractus minoris aut pupilli pertinent; ergo si desit, sine viribus contractus exponitur. Ferrar. *in sua pract.* Baunius. *tom. 3. l. 1. tract. 1. q. 7.*

68. *Contractus hypotheticus non habet obligandi vim, si conditio non apponatur.*

Contractus hypotheticus vim obligandi nullam habet, si conditio, cum qua est inis, non apponitur. Leg. *cedere diem, ff. de verborum obligat.* Quia ex contractu, cui consensus deest, nulla oritur obligatio; talis est hypotheticus, cum eius conditio deest: nam obligationis initium est voluntas contrahentium deliberata, qua intendunt nullatenus persistere contractum, haud exposita conditione. Baun. citat.

69. *Nullius roboris est contractus, qui sine culpa geri nequit.*

Contractus, qui sine culpa impleri nequit; nullius roboris est. Quia peccare nemo cogitur; atqui contrahentes delinquere cogerentur, si vitiosus contractus præstandus esset. Certè quando duo iura impleri simul nequeunt, maius minori præualet; atqui hic duæ sunt obligationes, & vtraque ad non peccandum, in hoc tamen differentes, quod vna Deum respiciat, altera proximum, quæ simul ambæ nequeunt impleri; ergo cum quæ Deum pro obiecto habet longe sit maior ea, quæ dirigitur ad proximum, cuius causa contractus impleri debebat, huic standum non erit. Adhuc Baunyus ibidem.

70. *Contractus est nullus quando contrahentes sententiis discrepant.*

Contractus est nullus, proindeque nulla ex eo oritur obligatio, quando contrahentes sententiis discrepant nec inter se de vna eademque re contrahendo conueniunt. Quia in societate coeunda (idem est de quolibet alio contractu) concurrere in idem duæ voluntates debent; nam si dissentiant aliud pro alio existimantes, nil valet ea societas, quæ in consensu consistit. Leg. *in omnibus negotiis, ff. de act. & oblig.* atqui in idem voluntates & animi contrahentium non coëunt, cum discrepant sententiis, vnumque vni, alterum alteri est propositum. Vlpian. *leg. 1. ff. de pactis.*

CAPVT IX.

De metu, dolo, reique impossibilitate irritante Contractus.

71. *Duplex metus.*

AD memoriam aduoco, metum cogentem voluntatem, ad eligendum aliquid, diuidi in eum qui est viri cõstantis proprius, & eum, qui nõ cadit nisi in timidũ & nullius animi virũ. Metus prior nominatur iustus, & probabilis: posterior autẽ iniustus, & improbabilis appellatur. Vt metus sit iustus, probabilis, aut grauis, quatuor sunt necessaria. Primũ, vt circa graue malum, v. g. exilium, mortem, fustigationem, status mutationem. Secundum, vt metuens probabiliter existimet, sibi imminere malum, quod timet, nam viri inconstantis est qualibet mali

mali opinione commoueri. Tertium, vt inferri possit ab eo, à quo incutitur; quia si nihil præter verba habet, metui eum deberi quis credat? Quartum, vt malum, cuius metus, incutitur, deriuari alio non possit, aut impediri; quia quæ vitari possunt, his permoueri debere hominem honeste aut iustè, quis dicet? Scio quidem metum grauem fœminæ imbecilli, posse respectu viri constantis esse leuissimum, & è contra. Bonau. *in* 4. *dist.* 29. *art.* 1. *q.* 1. Sanch. *lib.* 4. *matr. disput.* 4. *num.* 12. Rebuff. *de resciss. contract. num.* 2. & alij.

72. *Licet contractus metu factus iusto non sit iure naturæ nullus, tamen in foro conscientiæ rescindi potest.*

Igitur contractus graui metu, seu iusto, aut probabili expressus non est iure naturæ irritus. Quia ad validitatem contractus iure naturæ nihil aliud exigitur, quam consensus mutuus non impeditus legibus, & voluntarius; sed eius, qui metu cogitur, consensus absolutè est voluntarius nec vllis legibus impeditur: non Canonicis, quia Alexander. III. in Cap. *Abbas, de iis, qui vi, metuque*, eum non irritat, sed irritandum ait: nec ciuilibus, cum proferri nulla queat, quæ id planè perspicuèque asserat. Quod autem consensus huiusmodi metu expressus absolutè voluntarius asserit D. Thom. 1. 2. *q.* 6. *a.* 6. Cum quæ metu fiunt, eius opinione, absolute sint voluntaria, inuoluntaria secundum quid: quæ nolitio est inefficax, quia in actū non influit; explicatur enim his verbis: *Nollem, si metus abesset*, quæ conditio cum non existat, nihil in re ponit. Certè circa hoc non conueniunt Doctores, vnde res proprio Problemate discutietur. Suppono autem hanc partem vti certam mihi, vt viam sternam alij resolutioni, nempe: licet contractus graui metu factus non sit iure naturæ nullus, in foro tamen conscientiæ, pro arbitrio eius qui iniuriam est passus rescindi potest. Quia decretal. 2. Alex. III. fatur, *Quæ vi, aut metu fiunt, debent de iure in irritum reuocari.* Non ergo sunt irrita, sed irritanda. Ratione probo. Quia qui metum incutit passi virtutem lædit, eique gerit iniuriam; ergo ab hoc in illum res non transfertur solide, & irreuocabiliter; habet enim omnis iniuria obligationem eum cui fit, restituendi in locum suum; at in casu præsenti non potest fieri restitutio, nisi rescisso contractu; rescindi ergo, rumpique debet. A quonam precor? A iudice quidem Leg. 1. *ff. de eo quod metus causa.* Ludouicus Lopez *parte* 2. *de matr. cap.* 40. Ledesm. *ibid. q.* 47. *dub.* 1.

73. *Vt contractus ex metu possit in conscientia irritari, debet iniustè incuti ab eo, quo cum contrahit.*

Vt contractus ex metu factus possit in conscientia irritari debet iniustè incuti ab eo quidem, quocum contrahis, aut si ab alio, saltem de eius voluntate: in eum finem, id est, extorquendi consensus causa: alias enim metus contractum non irritat. Quia contractus factus metu graui irritari nequit nisi ratione iniuriæ; at nulla iniuria geritur, cum quis iustè terretur: ei enim ad euadendum malum quod meretur, permittitur eligere quidpiam malo illo commerito minus. Rebuf. *tom.* 2. *const. Regular. de resciss. contract.* Tabie. *ver. coactio q.* 3. *n.* 9. Nauar *lib.* 3. *concil. cons.* 2. *de Regular. n.* 2.

74. *Contractus graui metu factus non est ciuili in foro ipso iure irritus.*

Contractus metu graui factus non est in ciuili foro ipso iure irritus. Quia Leg. *vltima: cod de iis, quæ vi*, decernitur, donationes, venditiones, transactiones, quæ per metum sunt extortæ, à iudice infirmari; sunt ergo antè iudicis sententiam in foro ciuili aliquomodo validæ; igitur iure ipso non sunt in eo foro irritæ. Item præcipit Lex *mulier* 21. §. *si metu coactus, ff. de eo quod metus causa.* Excipe casus, qui liberum consensum exigunt, & metum cadentem in constantem virum excludunt. Primus est renignatio quæ metu facta graui etiam in foro ciuili est nulla maximè in Gallia (vt adnotat doctissimus Stephan. Baunyus *tom.* 3. *l.* 1. *tr.* 1. *q.* 8.) etsi enim in can. citato iubeatur donatio huiusmodi in irritum reuocari, tamen iure nouo Galliæ plane est irrita. Secundus est, matrimonium metu graui initum, quod quidem inane esse declarauere Pontifices. *Decret.* Alex. III. *Cum locum.* 14. *de sponsal. Cum locum non habeat* (inquit Pontifex) *consensus, vbi metus vel coactio intercedit, necesse est, vbi assensus cuiusquam requiritur, coactionis materia repellatur. Decret. Honorij III. Consultationi eod. titulo. & Cap.* 2. *de eo qui duxit.* Tertius casus est Religiosa professio; hanc enim ex metu graui incusso factam nullius esse roboris præcipit Ecclesia, Cap. *de iis, quæ vi metuque.* Similiter votū simplex ex pari metu incusso ab homine concepto non valet; secus si loquamur de eo quo diuinitus sæpe mens concutitur hominū ad peccati fugā. Quartus est sponsalia simili metu extorta, quæ Ecclesiastico iure sunt irrita. *Decret. Ex literis, de desponsat. impuber.* Quintus, dotis solutio ac promissio, ex metu enim iusto est nulla. Leg. *Si mulier*, §. *si dos, ff. de eo quod metus causa.* Sextus propagatio iurisdictionis. Leg. 2. *ff. de iudiciis.* Septimus, auctoritas tutorū, quæ metu extorta nullius

Nouem casus excipiuntur.

ponderis est Leg. 1. *ff. de auctor. tuto.* Octauus, absolutio ab excommunicatione Gregori. X. *in Cap. vnico de iis, quæ vi metuque.* Nonus denique, testimonium eorum qui ad fidem faciendam testamentorum adhibentur, cum vinculis tenentur constricti, vel sunt in hostium potestate. Leg. *Qui testamento, ff. de testam.* Henriq. *l.* 11. *de matr. cap. 9. n.* 4. Glossa Canon. *super hoc, de renun. resignat.* Rosella *ver. Impedimentum* 10. Rebuff. 3. *p. praxis benef. tit. de resignat. metu facta.*

75. *Contractus ex metu leui non est nullus in foro ciuili.*

Iam verò contractus, cui metus leuis causam dedit, non est ciuili nullus in foro. Leg. *metum. 6. §. Quod metus causa.* Quia quæ leuia sunt, quæ sapienti non curanda ordinem & ius rerum maximarum peruertere non debent; quo ex genere cum sint contractus quando quidem his publica continetur incolumitas, propagatur commerciorum inter homines, animorumque societas: non decet metus leuis habere rationem, sed potius à iudice reiiciendi, qui se huiusmodi ex metu contraxisse obiecerit. Cap. *Ex literis, de desponsat. impub.* 11. habetur, sponsalia metu reuerentiali facta non esse irrita, nisi ad reuerentiam patris debitam accedant minæ, quæ cum timori superueniunt causam dant iudici honestam ea rescindendi, quemadmodum & alios contractus. Couarr. *parte 2. cap. 4. §. ex sequenti n.* 3. 4. & 5. multis id probat.

76. *Contractus ex leui metu iure naturæ sunt firmi, sed rescindi possunt.*

Et si in foro conscientiæ contractus leui metu initi iure naturæ sunt firmi, rescindi tamen possunt, si fuit hic illorum causa sintque inuoluntario secundum quid admixti. Quia metus grauis ideo dat ius irritandi contractum, quod tollit libertatem ad consensum necessariam; atqui id æque potest agere metus leuis, & reuerentialis, cum ex vtroque possit tanta sequi in homine rationis perturbatio vt sibi non constet, nec contrahendo videat, vtrum sibi id expediat, nec nè: quin imo habeat circa huiusmodi rem repugnantiam, ratione cuius sit contractus inuoluntarius secundum quid; ergo ex tali metu factus rescindi potest. Laym. *tract.* 4. *de contract. capit.* 7. Barbat. *cons.* 60. Montald. *lib.* 8. Sanch. *de matr. lib.* 4. *disp.* 6. *num.* 7. Robert. Annæus *lib.* 1. *rer. iudicat. c.* 16.

77. *Facta metu reuerentiali in foro interno valida sunt, sed in externo reuocanda.*

Facta metu reuerentiali purè, in foro externo sunt valida, in interno reuocanda, si hic causa extitit sine qua non contrahendi, nec nisi ex parte voluntatis inuoluntariè, & secundum quid. Quod vsu venit, quando is, in quem talis metus cadit, ideo consentit, quia patris, Domini, aut mariti imperiis, ac precibus contradicere non audet. Probatur assertio: Quia metus reuerentialis mixtum inuoluntarium cum nolitione saltem conditionali iunctum; nam sic coactus voluntate repugnante in rem consentit, à qua quidem abhorret; fit ergò sic consentienti iniuria, quam reparari æquitas, ratioque postulat. Porrò quis putet aliter hanc posse reparari, nisi per contractus recissionem? Igitur in foro interno necessariò huiusmodi gerenda est reparatio. Laym. *l. 3. sect. 6. cap. 6.* Nauar. *cap. 17. n. 30.* Lessi. *de Iust. dub. 6. num.* 48. Reginal. *l* 25. *cap.* 4 *sect. 2. n.* 40. Sanch. *l. 4. de matr. disp. 9.*

78. *Quod facit metus reuerentialis, gerit precum importunitas.*

Quod efficit metus reuerentialis, nempe vt facultas sit ei, qui metum passus est, rescindendi contractus, id præstat precum importunitas, quæ inuoluntarium voluntario admixtum parit: timor item iræ grauis, aut diuturnæ patris, seu superioris iræ subeundæ. Quia ideo metus grauis inualidandi contractus ius tribuit, quòd libertatem ad consensum necessariâ adimat; atqui hæc æque precum importunitate tollitur, aut metu: cum qui rogando, instando, vrgendo, molestiam affert, iniuriam nonnullam rogato inferat, à qua vt se se expediat in rem consentit; ius ergo ad eam nullum ab hac iniuria roganti aduenit: imò necessitas, vt pro ea rogato satisfaciat. At ex iustitiæ commutatiuæ præscripto id fieri nequit, nisi ille integrum restituat, & id in quo eum læsit, reddat; ergo cum in libertate læserit, sententia iudicis pro non facto debet haberi, quod est eiusmodi importunitate factum: alioqui libertas in pristinum non rediret statum. Lessi. *l. 2. c. 17. dub. 6.* Lopez *p. 1. inst. c. 96.* Sylui. *ver. Restitutio. 2. num. 9.*

79. *Contractus dolo initus aut errore, qui incidit in rei qualitates, validus est.*

Iam verò contractus dolo initus, aut errore, qui in rei incidit qualitates, validus est. Quia veri contractus essentia est in consensu contrahentium, at contractus in quem dolus aut error incidunt, vtriusque contrahentis consensum liberum habet circa rei venalis substantiam, licet per errorem alter contrahentium quantitati pretij minimè consenserit: quare est huiusmodi contractus absolutè voluntarius, secundum quid autem tantum ob errorem circumstantem inuoluntarius: qui cum sit circa accidentia & minus præcipua motiua causam substantialem consensus non elidit. Suar. *q. de contr. addit. ad q. 57.*

Porro

80. *Est tamen in potestate eius, qui decepit, discindere, aut corrigere contractum.*

Porro licet huiusmodi contractus sit validus, tamen in potestate eius, qui decepit, est, discindere contractum, aut corrigere, reuocando eum ad iusti pretij æqualitatem. Quia ius æqualitatem in commerciis exigit; ad hanc ergo decipiens contractum rediget, aut dissoluet, nisi secus decepto visum erit. Certè id operam dare contrahentes necessarium est omnes fraudem amouendo, si culpæ expertes esse velint; at nulla ratio facilior, quam contractum dirimere, aut eum iustitia pretij ad æqualitatem reducere. Sylu. *ver. culpa. q.7.* Angel. *ver. dolus, num.7.* Conrad. *in epito.* Suar. citat.

81. *Non valet in vtroque foro, si contrahentis expressè vel tacitè animum repugnantem habeant, &c.*

Contractus, in quos dolus incidit, non valent in vtroque foro, si contrahentes animum habeant expressè vel tacitè repugnantem rei, in quam dolus incidit: v. gr. si dicerent apud se, nolle se quidpiam agere, nisi omnes qualitates, quas animo ante ceptas habent, rei insint. Quia nulla priuata obligatio, qualis est contractuum gigni solet, si alteri contrahentium animus eam subeundi desit; at dolus in contractum ciuilem circà qualitates incidens, animum eius, qui circumuenitur auertit à voluntate contrahendi, si hæ à re abfuerint; ergò error, & dolus contractum vitiant, quando contrahentium intentio actu aut virtute est conditionalis non contrahendi, nisi existente tali qualitate, aut circumstantia. Sanch. *l.10. de Matr. disp.9. num.13.* Layman. *l.3. tr.4. sect.5. c.5. n.3.*

82. *Matrimonium ex nullo qualitatis errore est irritum.*

Excipe Matrimonium, quod quidem ex nullo qualitatis errore circa illud incidente est irritum. Quia talis qualitas est extra eius essentiam: & quia cum errore talis qualitatis Matrimonium est absolutè voluntarium. Sanch. *l.7. de Matr. disp.18. num.18.* & alij, quos citat.

83. *A quocumque alio contractibus dolo circa qualitates initis potest recedi.*

A contractibus reliquis, in quibus dolus circa qualitates interuenit, si sint hypothetici, recedi potest, si nondum sunt expleti. Quia in omni contractu spectanda est intentio habitualis contrahentium; at in contractu gratuito, cui dolus aut error dant causam, subest tacita intentio non contrahendi, nisi ea conditio insit, qua hi ad contrahendum excitantur. Vasq. *c.2. q.3. & 4.*

84. *Quæ vi humana nequeunt esse, subiici non possunt pro materia contractus.*

Quæ esse vi humana nequeunt, pro contractus materia subiici non possunt. Quia omne impossibile vt tale, nihil est, cum inuoluat repugnantiam; at obligatio esse ad nihil non potest; ergo neque ad impossibile. *Instit. de inutilib. stipulat. tit. 20.* dicitur, *Impossibilis enim conditio habetur, cui natura impedimento est, quominus existat.* Baun. *to.3. lib.1. tract.1. q.13.*

85. *Contractus de re turpi inanis est.*

Contractum denique de re turpi fieri non oportet, factus autem inanis est. Quia cum obligatio, & actio proprietates sint indiuiduæ contractus, si ex pacto turpi nulla sequitur obligatio nullum, quoque contractum esse patet omninò. Certè ad malum obligationem esse quis credat, si nè iuramentum quidem contra bonos mores conceptum sit obligatorium. Reg. *Non est obligatorium, de reg. iuris in 6. reg. 58. Leg. Pacta quæ, Cod. de pactis. Cod. de inutilib. stipul. instit. l.3. §.24.*

CAPVT X.

De iuramento contractus aliàs inualidos confirmante.

86. *Iuramentum promissorium additum contractui, est obseruãdum ex obligatione virtutis Religionis, &c.*

IVRAT contrahens aliquid futurum: v.gr. se staturum promissioni, aut se non resiliturum à contractu venditionis: quæsierim, num contractus tam promissionis, quam reliqui aliàs iure ciuili inualidi, qualis est contractus pupilli non proximi pubertati, & contractus prodigi habentis curatorem eo iuramento promissorio superaddito, fiant validi, & ex iustitia obligent? *sectione 2.* problematicè respondebo. In præsenti autem aliquas subiiciam in quibus Doctores assolent conuenire circa iuramentum contractibus hærentem assertiones. Iuramentum promissorium præfato modo superadditum contractui facto in alterius commodum, semper est obseruandum saltem ex obligatione virtutis Religionis, quoties id, quod iuratur non verè seu strictè ipsi iuranti prohibetur: siue quoties potest fieri absque peccato iurantis: dummodo is, in cuius fauorem factum est iuramentum velit sibi impleri, quod iuratum est. Quia ad id obligat reuerentia debita Deo, qui eo vel in testem, vel fideiussorem eius, quod iuratur, adducitur. Addidi, *Dummodo is, in cuius fauorem factum est iuramentum, velit sibi impleri, quod iuratum est.* Nam si careat ea voluntate, vel quia non acceptauit id, quod sibi iuratum est faciendum in sui commodum, vel quia si acceptauit, eam postea reuocauit acceptationem; præfatum iuramentũ adhuc ex Religione non obligat. Gasp. Hurt. *tr. de contr. disp.1. quæst.7. ex cap. Quamuis pactum, de pactis in 6.* & cap. *Cum contingat, de iure iurando.*

87. Quando contractus turpitudinem con-

Contractus turpitudinem continens nullo in foro accessione iuramenti est validus.

tinent ex parte exigentis, aut acceptantis, in nullo foro accessione iuramenti sunt validi, seu implendi. Quia Innocentius III. in Cap. *Ad nostram*, 20. *de iure iurando*, statuit, eum qui iurauit, vsuras non repetere, posse nihilominus, iuramento non obstante, id facere. Igitur ab eo iuramento nulla contractui firmitas accedit; alioquin pecunia vi contractus vsurarij vsurario data, pacta conuenta starent, dataque promissi fides conuulsa non rueret. Immola *can. cui contingat*, 28. *de iure iurando*. Guido Pap. *Consil.* 81. *num.* 4.

88. *Iuramentum natura sua non confirmat contractum.*

Iuramentum natura sua, vique intrinseca non confirmat contractum. Quia quod est alio posterius natura, & sæpe tempore, ei firmitatem nullam ex natura tribuit, quando illi aduenit, iamque illud constitutum in suo esse supponit; sed iuramentum aduenit contractui, fit enim ad securitatem maiorem alterius contrahentis; ergo natura sua contractum non confirmat. Baun. *to.* 3. *l.* 1. *tr.* 1. *q.* 11.

89. *Si firmetur iuramento contractus, ideo erit, quia Ecclesiasticus sic Princeps disposuit.*

Si ergo contractus iure ciuili, ac canonico per iuramentum superueniens firmetur, (de quo *sect.* 2.) erit vtique in quantum Ecclesiasticus Princeps pro authoritate quam habet disponendi de bonis priuatorum, primò & per se ob eorum commodum, mediatè verò propter Reipublicæ vtilitatem, (cui prodesse assolet, quod particulari non obest) statuit, vt iuramentum cum contractu, cui superuenit, teneat, eumque confirmet. Quia promissio facta patri à filia, dum nuptui traditur, quod contenta dote, à paternis bonis abstinebit in posterum, iure ciuili est nulla. *Cod. de Collation.* quam dispositionem stylus curiæ approbat: & tamen iuramento confirmata obligat, & præstanda est, vt dicitur in Cap. *Quamuis pactum* 2. *de pactis in* 6. ergo quod contractus firmetur per iuramentum, est iuri canonico, aut ciuili tribuendum. Baun citat.

90. *Iure ciuili, & canonico solū incipiunt esse firmi accessione iuramenti contractus illi, qui primo & per se inualidantur ob priuatorum vtilitatem.*

Iure ciuili & Canonico solummodo incipiunt esse firmi accessione iuramenti (si aliqui iuramento firmantur) contractus illi, qui primò & per se inualidantur ob priuatorum vtilitatem. Quia quisque potest renunciare legi, quæ primò & per se in eius fauorem est lata; nec enim verosimile, Legislatorem velle, eum ad eius obseruationem teneri sub culpa, ne quod in eius fauorem est statutum, eius cedat in noxam; atqui multi contractus id habent, vt sint iure ciuili inanes, ac irriti sola causa contrahentium, ne scilicet contrahendo lædantur, damnumve ferant. Ob quam causam leges pupillo prohibent, ne quid inconsulto tutore valeat, ne eum ætas immatura, viuaxque ingenium impellat in fraudem. Quod si pupillus istiusmodi velit priuilegio renunciare, renunciabit quidem valide; cuique enim est integrum priuilegio sibi concesso non vti. Cum autem iurat facturum se promissa, id agit, scilicet ab his minime vnquam recessurum; quo ex iuramento sequitur in contractu firmitas, in iurante autem eius implendi, ne peccet, moralis quædam, sed tamen spontanea necessitas Sanch. *l.* 3. *Mor. c.* 12. *num.* 11.

91. *Pacta, quæ iure naturali, diuino, aut gentium sunt nulla, iuramento rata esse non possunt.*

Quæ iure naturali, diuino, aut gentium pacta sunt nulla, hæc iuramento rata esse non possunt, nec firma. Quia iuramentum, quod charitati derogat, non obligat; nam quæ ei aduersantur humana opera vitiosa scilicet, & mala nemo dixerit homini facienda esse ex iusiurandi obligatione, cum esse iniquitatis vinculum non possit; at quæ Deus naturaque prohibent bona esse quis putet? Ergo pacta, quæ Dei, ac naturæ iure erunt prohibita facienda non sunt: igitur nec talia possunt iuramento firmari. *Reg.* 39. *de Regul. iuris in* 6. dicitur. *Cum quid enim prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.* Azor. *to.* 1. *l.* 11. *c.* 7. *q.* 1. Couar. in cap. *Quamuis pactum*, 2. *p.*

92. *Nequit iuramento firmari contractus, qui ob publicam vetatur vtilitatem.*

Contractus, qui ob publicam vetatur vtilitatem, ac commodum, vt fit, cum eius præstatio Reipublicæ est noxia, nequit iuramento firmari. Quia Innocentius III. *Decret. Cum contingat.* 18. *de iureiur.* quam confirmat Bonifa. VIII. in cap. *Quamuis pactum* 2. *de pactis, in* 6. statuitur, iuramentum tunc confirmare cõtractum, quando non est contra bonos mores, nec in præiudicium aut damnum tertij vergit; at qui principaliter est contra publicam vtilitatem, bono communi tanquam tertio præiudicat, à iuramento igitur nullam accipit firmitatem. Certè cum aliena commoda iuris non sint nostri de iis statuere arbitrio nostro non licet. Quonam modo igitur iuramento addito poterimus firmitatem addicere contractui qui ob publicum commodum prohibetur? Baun. *to.* 3. *l.* 1. *tr.* 1. *q.* 11.

93. *Iuramentum assertorium contractui firmando non sufficit.*

Age verò conditiones iuramenti contractum confirmantis exprimendæ. Porro iuramentum assertorium non sufficit contractui obfirmando. Quia non à veritate rei, quæ iurando asseritur; sed à nexu, quem sibi iurans sponte in futurum injcit, pacta obtinent firmitatem; at quæ iuramenta homini necessitatem rei gerendæ afferunt futuro tempore,

pore, sunt promissoria ; ad hoc ergo genus reuocanda sunt omnia iuramenta, quibus pacta assolent confirmari. Baun. *to. 3. l. 1. tr. 1. quæst. 11.*

94. *Tres adesse debent conditiones, vt contractui firmitas ex iuramento adueniat.*

Vt contractui firmitas à iuramento adueniat, id debet tribus vestiri conditionibus. Prima est, vt absque peccato possit seruari, nec sit in tertij præiudicium. Quia iuramentum non debet esse iniquitatis vinculum, ne charitati, cuius est alteri consulere, deceat esse contrarium. Secunda, vt turpitudinem ex parte eius, in cuius fauorem concipitur, non habeat. Tertia, vt formaliter aut æquipollenter non reuocandi contractus habeat promissionem. Fagund. *in 2. præc. l. 2. c. 17. n. 20.*

95. *Peccatum intelligitur turpitudinis quæ contractum iuramento firmari impedit, nomine.*

Turpitudinis nomine, quæ contractum iuramento firmari impedit, peccatum intelligitur. Quid enim eo fœdius, turpiusque esse, aut dici possit, qui in luto libidinis diu volutatus ad diuina cogitando nequit assurgere ? quid auaro turpius ? quid iracundo abiectius ? Est enim omnis culpa lethifera moralis quædam macula, cuius Deum esse posse negat authorem. Sanch. *l. 3. Mor. c. 12.* Scio alios iuramento inesse turpitudinem asseruisse, cum is, in cuius fit gratiam, nec rem accipere, quæ iurisiurandi religione interposita promittitur, nec eam sine culpa seruare, vt in vsuris, neque per metum extorta iniustum vsuuenire asserunt.

96. *Non confirmatur iuramento contractus, cui dolus causa fuit.*

Contractus, cuius causa dolus fuit, nequaquam iuramento confirmatur. Quia dolus voluntatem, & necessariam rei gerendæ cognitionem excludit. Quod quidem quia non facit metus, vt contractus cui ab eo fuit initium, iureiurando firmatur ; ita qui eo obligatus est, à Papa, aut proprio Episcopo poterit liberari. Baun. vbi suprà.

97. *Qui ratione non vtitur nõ potest iuramento contractus obfirmare.*

Qui vel ætate, morbo, vel grauiori aliqua affectione conturbati non vtuntur ratione pacta, quæ gerunt, iuramento obfirmare non possunt. Quia vt contractuum, ita nexus, ita obligationis, ac necessitudinis, quæ ex iis oritur, causa efficiens est libera voluntas ; at hæc esse nequit ratione præpedita concitatiori quapiam ex animi affectione. Quid liberum, nisi quod ad vtrumque indifferens ? stare autem huiusmodi indifferentia sine ratione, ac electione minimè potest. Hac veritate nihil est in tota contrahendi ratione communius.

98. *Iuramẽti confirmatorij pacti quatuor sunt effectus.*

Iuramenti confirmatorij quatuor sunt effectus Primus est duplicem in iurante obligationem producere, vnam erga Deum, erga proximum cum quo contrahitur, & cui fides de non reuocando iuramento datur, alteram : ex quo fit, vt contractus, cui accidit, sit irreuocabilis. Secundus est, in eo, cuius causa iuratur, ius parere, adpetendum in iudicio præstationem contractus, quem alteri contrahentium placuit, iuramento interposito, in eius gratiam obfirmare. Tertius est, impedire, ne relaxari iuramentum queat, & ita eo relaxato, facere, ne contractus non impleatur. Quartus est, eius obligationem ad hæredes vtriusque contrahentis transire. Suar. *to. 2. de Relig. lib. 2. cap. 25.* Sanch. *lib. 3. Moral. cap. 12. num. 66.* Fagund. *lib. 2. Decalog. cap. 18. num. 3.*

CAPVT XI.

De contractuum sub conditione validitate.

99. *Contractus celebratus sub conditione cõtra illius substantiam, est nullus.*

CONTRACTVS celebratus sub conditione contra illius substantiam, est ex iure naturali seu ex natura rei nullus. Quia qui contrahit sub conditione contraria naturæ seu substantiæ contractus, ipsa eum contractione distrahit. Gasp. Hurt. *tr. de contr. disp. 1. difficul. 8.*

100. *Celebratus sub conditione de præsenti aut de præterito : aut statim est validum conditione impleta : aut nullũ, si non impleatur conditi*

Contractus celebratus sub conditione de præsenti, seu de præterito, aut statim est absolutè validum, si conditio sit impleta : aut statim est omninò nullum, si non sit impleta conditio. Quia si conditio existat, aut impleta sit, consensus contrahentis ab ea dependenter elicitus verè & absolutè existit de præsenti : & conditione non existente, aut non impleta, nullo modo consensus existit. Quod est verum, quamuis impletio aut non impletio conditionis appositæ non sit eidem apponenti nota. Quia contrahens sub conditione existentiæ conditionis appositæ, & non sub conditione notitiæ conditionis : & soli existentiæ conditionis suum consensum alligat, & non notitiæ existentiæ illius ; nec enim pro conditione ponitur notitia impletionis seu existentiæ ; sed tantum ipsa rei existentia. Ex *instit. de verb. obligat.*

101. *Celebratus sub conditione de futuro contingenti, non est statim validus.*

Contractus celebratus sub conditione de futuro contingenti, v. gr. *Si Antonius venerit crastina die*, non est statim validus, seu obligatorius : sed suspenditur vsque adimpletionem, seu euentum conditionis. Quia consensus sub ea conditione contrahentium, in quo essentia contractus

tractus partialiter consistit, fuit dependens, & alligatus existentiæ, seu impletioni præfatæ cõditionis. Significatur *in instit. de verb. obligat.* §. *sub conditione*, & §. *ex conditionibus.*

102. *Idem assero de contractu celebrato sub conditione de futuro necessario.*

Idem assero de contractu celebrato sub conditione de futuro necessario, v. gr. *Si Sol cras oriatur*, si ea conditio in rigore sumatur, seu apponatur ad suspendendum consensum vsque ad eius impletionem: vt apponi potest. Nihilominus regulariter non apponitur vt conditio, quando cognoscitur esse necessaria; quia tunc impletio illius ob eius certitudinem censetur moraliter præsens, & qui tunc eam apponunt, non tam apponunt ad suspendendum consensum, quam ad significandum consensus præsentis, & absoluti certitudinem. Et ideo, quando non constat, appositam fuisse ad suspendendum consensum, ex tunc contractus sub ea conditione celebratus, censendus est absolutus, & ex tunc, & pro tunc valere. Rebel. *l.* 2. *de Matr. q.* 10.

103. *Idem dicendum de celebrato sub conditione de futuro contingenti cognita vt tali.*

Idem affirmo de contractu celebrato sub conditione de futuro contingenti certò & infallibiliter cognita vt tali: v.gr. *Si Antichristus venerit.* Quia impletio talis conditionis ob eius certitudinem præsens moraliter rẽputatur. Sanch. *de Matr. l.* 5. *disp.* 2. Turrian. *disp.* 55. *dub.* 9. Bonac. *disp.* 3. *q.* 1. *pun.* 4.

104. *Celebratus sub conditione de futuro impossibili, est semper nullus.*

Contractus celebratus sub conditione de futuro impossibili, v.gr. *si cœlum digito tetigero*, est iure naturali, seu ex natura rei nullus. Quia nunquam potest impleri conditio, & consensus essentialiter requisitus ad contractus valorem elicitur dependenter ab impletione illius, & est ei alligatus. Gasp. Hurt. *tract. de contr. disp.* 1. *difficul.* 8.

105. *Celebratus sub conditione de futuro contingenti illicita, ante impletionem conditionis non obligat ad eã spectandam.*

Si contractus celebretur sub conditione de futuro contingenti illicita respectu alicuius, aut vtriusque contrahentis: v. gr. *si homicidium perpetraueris*: ante impletionem illius conditionis non obligat iure naturali, siuè ex natura rei, ad eam spectandam, sicut obligat contractus celebratus sub conditione de futuro contingenti honesta. Quia potius est obligatio reuocandi huiusmodi contractum: est enim actus illiciti inductiuus. Obligat tamẽ iure naturali, siue ex natura rei sub ea conditione illicita ad implendũ contractũ ipsum. Vnde, impletione illius conditionis illicitæ fit cõtractus iure naturali absolutè validus, & obligat. Quia post impletionem conditionis iam non inducit ad illicitum: & ob hanc rationem contractus celebratus sub conditione de præsenti, aut de præterito illicita est vere validus absolute; quia videlicet ad illicitum non inducit. Hurtad. *vbi supra.*

106. *Conditio impossibilis iure positiuo addita contractui matrimoniali aut vltimæ voluntatis non irritat eum.*

Conditio impossibilis iure positiuo (ideo addidi *iure naturali, seu ex natura rei* proxima in assertione) quamuis de præsenti aut præterito addita contractui matrimonij, aut vltimæ voluntatis; & conditio turpis de futuro non solum illicita, sed etiam quæ non est illicita, qualis est quæ nihil boni continet, & actum virtutis impedit: *verbi gratia si captiuum non redimas, vel si actum eleemosynæ non facias*, non irritant Matrimonii, aut vltimæ voluntatis Contractum; sed relinquunt ea valida, quamuis non sit implenda conditio. Quia Iure positiuo habentur pro non adiectis, seu habentur quasi non appositæ; quod pro reliquis contractibus non disponitur. Cap. Final. *de condit. appos. leg.* 1. 4. 6. 8. & 9. *ff. de condition. institution. & leg.* 3. *Castellæ tit.* 4. *partit.* 6. Vasq. *de Restit. c.* 7. *dub.* 10.

107. *Contractus celebratus sub conditione de futuro, ob quam suspenditur vsque ad impletionem conditionis, purificatur sola conditionis impletione absque nouo consensu.*

Contractus celebrati sub conditione de futuro, ob quam suspenduntur vsque ad impletionem conditionis, fiunt absolutè validi, seu purificantur sola conditionis impletione absque nouo & superaddito consensu, quid cõsensus per verba de præsenti præstitus, quãuis sub cõditione de futuro, est cõsensus de præsenti (quãuis tantum conditionatus, & inchoatus vsque ad conditionis impletionem) quo contrahens, verbis gratia, vendens ex tunc vendit, si postea conditio apponatur; ergo posita, seu impleta postea conditione, consensus ille saltem habitualiter permanens (quando non est reuocatus) imò moraliter præsens, vtpotè expectans impletionem conditionis, absoluitur à conditione, seu fit absolutus ab ea, & purificatur; ergo non est necessarius alter nouus, & superadditus consensus. Nauar. *c.* 22. *n.* 63. & 65. Palud. *in* 4. *dist.* 29. *q.* 2. Innocent. Panormit. Sylvest. & alij.

108. *Ex pluribus Contractibus sub conditione successiuè de eadem re celebratis cum diuersis, prior promissio præualet.*

Enim verò exprimere oportet circa contractus ciuiles promissorios conditionatos successiue de eadem re celebratos cum diuersis emptoribus, quisnam eorum præualeat. v.gr. promisit Antonio Petrus sub conditione se celebraturum cum eo Contractum venditionis equi: & postea idem promittit alteri etiam sub conditione: tenetur ne implere priorem, an posteriorem promissionem? Suppono quidem, priorem

priorem promissionem per posteriorem eiusdem rei haud necessariò reuocari. Quia potest quis eandem rem alicui promissam alteri promittere,in quantum possit absque præiudicio prioris. Assero igitur, priorem promissionem prævalere, & implendam esse, non solum quando conditio posterioris conditionis non impletur, aut quando impletur post impletionem conditionis prioris promissionis: (quod est certissimum.) Sed etiam quando conditio posterioris promissionis prius impletur. Quia prior promissio etiam antè impletionem suæ conditionis inducit obligationem absolutam expectandi conditionis impletionem. Hæc autem obligatio ex vna parte est prior,quam obligatio implendi promissum, quam alias posterior promissio posset; seu ex se est potens inducere, sua conditione impleta: & ex altera parte non est minor quam illa; quià vtraque obligatio est tantum promissoria orta ex contractu promissionum non conferente dominium. Quod si præualet contra posteriorem promissionem, quamuis huius conditiò prius impleatur: maiori ratione prævalebit cohtra alteram promissionem conditionalem priorem eiusdem rei alteri factam, quando conditio vtriusque simul impletur; siue conditio vtriusque promissionis sit eadem, siue diuersa. Prævalet autem dicta prior promissio quoad obligationem fidelitatis, & quoad obligationem iustitiæ; quia prior promissio est prior quoad vtramque obligationem, & vtraque obligatio orta ex priori promissione non est minor quam orta ex posteriore alteri facta. Gasp.Hurt. *tr.de Contr. disp.*1.*diffic.*9.

109. *In aliis contractibus ciuilibus non promissoriis conditionatis, prior prævalet etiam cum prius conditio posterioris impletur,si posteriori contrahenti non sit facta rei traditio.*

Porrò circà alios contractus ciuiles non promissorios (vt emptionem, & venditionem) conditionatos, conditione possibili de futuro successiue factos(suppono enim posteriorem contractum ex dictis non necessario reuocare priorem, quia celebrari potest in quantum possit absque præiudicio prioris: imò iure positiuo irritari reuocationem cuiuscumque contractus ciuilis, etiam promissorij) assero priorem contractum prævalere; non solum quando conditio posterioris non impletur; aut quando impletur post impletionem conditionis prioris, vt patet: sed etiam quando conditio posterioris prius impletur, si posteriori contrahenti non sit facta traditio rei. Quia ex vno capite ille est tempore prior, vt suppono, & ex altero posterior, quamuis impletione suæ conditionis absolutus non est fortior priore conditionato; quia neutro eorum, saltem ex Iuris positiui dispositione, traditur dominium ante traditionem rei: nullus autem contractus, quo non traditur dominium rei, quamuis sit omnino absolutus, est fortior altero, quo etiam non traditur dominium quamuis conditionato; quilibet enim quamuis conditionatus obligationem absolutam inducit, saltèm expectandi impletionem conditionis, quæ obligatio non est minor, quam obligatio, quam posterior, sua conditione impleta, est aliàs potens inducere; quia ambæ obligationes tantùm correspondent iuri ad rem:ex eis autem obligationibus vna non est maior altera, sicut nec vnum ius ad rem; vel ad actum aliquem est altero maius: etiam si ius in re seu dominium sit maius & fortius iure ad rem; prior ergò contractus quamuis perseueret conditionatus prævalet contrà posteriorem quamuis iam impletione conditionis absolutum, imò quamuis à principio absolutè celebratum; quia est prior & non minus fortis, quam posterior: & multo melius prævalebit contrà posteriorem conditionatum, quando vtriusque conditio simul impletur, Hurt. citat.

CAPVT XII.

Quid tempus contractibus appositum aut demonstratio, aut causa, aut modus operentur.

110. *Tempus,demonstratio, causa, modusque contractibus solet apponi.*

SVppono, cuilibet contractui non solùm posse apponi conditionem (de qua diximus) sed etiam *Tempus*, vt quando dicitur, Vendo tibi equum in crastinum: & *Demonstrationem*, quæ nihil aliud est, quam appositio alicuius accidentis, quo indicitur res; siuè persona, vt quando dicitur. Vendo tibi equum; qui est rubeus; vel vendo equum tibi qui es diues; & *causam*, quæ nihil aliud est, quam id, quo præsente aut præterito contrahens mouetur ad contrahendum, & significatur particula *Quia*, vt quando dicitur, vendo tibi equum, quia es consanguineus meus,vel dono centum; & *Modum*, quo additur aliquid faciendum post contractum iam absolutum, seu perfectum, & quo contrahens aggrauatur, & significatur particula *Vt*, vel æquiualente, vt quando dicitur; Dono tibi centum, *vt* edifices

ædifices mihi sepulchrum, vel facias tot Missas pro me celebrari: aliquando tamen significatur verbis, quæ videntur habere conditionis formam, vt quando dicitur, Dono tibi centum ea conditione, vt pro me facias tot Missas celebrari. Hoc posito,

111. *Contractus, cui apponitur tempus, suspenditur vsque ad illud: & eo accedente, valet absque nouo consensu.*

Contractus, cui apponitur *tempus* (qui dicitur *Contractus in diem*) suspenditur vsque ad illud: & eo tempore accedente, valet absque nouo consensu. Quia tempus futurum ad id apponitur, vt vsque ad illud suspendatur, & vt ex eo incipiat valere. Sensus enim huius propositionis, *Vendo tibi equum in crastinum*, est, Ex nunc volo, & consentio, vt cras maneat tibi venditus equus. Gasp. Hurt. *tr. de Contr. diffic.* 10.

112. *Contractus in tempus futurum potest esse absolutus, & conditionatus, &c.*

Contractus in *tempus* futurum celebratus & potest esse absolutus, & potest esse conditionatus, ex eo quod in futurum tempus celebretur, quamuis expresse nulla apponatur conditio. Tunc autem censetur esse absolutus, quoties ei apponitur tempus determinatum, v.gr. quum dicitur, Vendo tibi equum in primam diem Septembris. Imò & quando apponitur tempus indeterminatum, si certò sit futurum, v.gr. quum dicitur. Vendo tibi equum in diem, quo moriaris. Tunc verò censetur conditionatus, quando ei apponitur tempus indeterminatum, non certò futurum, v.g. cum dicitur, vendo tibi equum in tempus, in quo naues ex India appellent: quia tunc sensus est. Vendo tibi equum in tempus illud, si naues appellent; & etiam quando dicitur, Dispono, quod hæres meus, quando moriatur, det Petro, superuiuenti centum; quia tunc sensus est. Quod det Petro, si superuiuat; incertitudo enim euentus cogit ad eum sensum conditionalem; ac proindè si illa conditio deficiat, contractus, aut dispositio euanescit. Hurtad. citat.

113. *Promissio facta in tempus futurum determinatum, vt in Pascha, intelligitur in proximum Pascha.*

Promissio facta in *tempus* futurum determinatum, & certum, causa tantùm differendi traditionem, vel solutionem rei, v.gr. in Pascha, vel in mensem venturum: intelligitur in proximum Pascha, vel in proximum mensem: & ex ea promissione statim oritur obligatio iustitiæ in promittente, (si hæc obligatio non sit excluſa) cui in promissario correspondet ius iustitiæ, quod transibit ad hæredes ipsius promissarij, si antè eius tempus promissarius moriatur; & etiam in promittente correspondet obligatio iustitiæ quæ transit ad hæredes suos, quamuis ante illud tempus moriatur; non tamen erit obligatio soluendi antè finem Paschatis vel mensis venturi, vel alius temporis designati; quia appositio illius temporis futuri facta est in fauorem promittentis, qui debitor manet. E contrà verò quando promissio est alicuius annuæ quantitatis ad eleemosynas, vel ad alimenta, solutio facienda est initio anni; quia tunc id videtur promitti. Ex *leg. eum qui Kalendis* §. *Quoties, & ex leg. Qui hoc anno, de verborum obligat.*

114. *Contractus, cui apponitur demonstratio, non irritatur quamuis sit falsa, dummodo non apponatur per modum conditionis, &c.*

Contractus autem cui apponitur *Demonstratio*, (v.gr. quando dicitur, *Vendo tibi equum, qui est rubeus* vel *Vendo equum tibi, qui es diues.*) non irritatur, quamuis demonstratio sit falsa, dummodo non apponatur per modum conditionis, nec contractui gratuito per modum causæ motiuæ, & error seu falsitas demonstrationis non sit circa substantiam rei, nec circà personam, cui fit dispositio, vel cum qua contrahitur. Quia tunc adest consensus sufficiens in contrahente, & circa materiam substantialem; non enim est error circa eam materiam, sed tantum circa illius accidens. Molin. *disput.* 211. Vasq. *de Restitut. cap.* 7. *dub.* 10. Bonaci. *disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 4. *n.* 8.

115. *Variæ in contractibus demonstrationes expenduntur & quid operentur, indicatur.*

Donatio, qua dicitur, *Dono tibi tale prædium, quod est triginta iugerum*, est valida, quamuis non habeat nisi viginti. Quia tunc non est error circa substantiam rei, sed tantum circà quantitatem, seu mensuram illius. Ob eandem rationem valida est donatio, qua dicitur, *Dono tibi debitum quod mihi debet Antonius, quod est quinquaginta aureorum*, quamuis non sit nisi triginta. Et donatio, qua dicitur, *Dono tibi tale sacculum, in quo mille aurei continentur*, quamuis pauciores contineantur. Imò ob eandem rationem præfatæ donationes erunt validæ quamuis prædium illud habeat plura iugera, quam assignata fuere, & quamuis debitum sit plurium aureorum, & quamquam sacculum plures aureos quam fuerint assignati, contineat: quando mensura non apponitur ad ipsam taxandam, sed tantum ad rem ipsam donatam demonstrandum, seu indicandam. Quia tunc vno ex capite non est error circa rei substantiam, & ex altero non excluditur ille mensuræ excessus; mensura enim non fuit apposita ad eam taxandam, sed ad rem ipsam demonstrandam. Tunc autem apponitur mensura ad rem demonstrandam, quando in Contractu, seu dispositione inchoatur à re, & postea mensura apponitur: v.gr. quando dicitur, *Dono tibi tale prædium, quod est triginta iugerum:*

rum : & quando dicitur, *Dono tibi tale sacculum, in quo mille aurei continentur.* & quando dicitur, *Dono tibi debitum, quod debet mihi Petrus, quod est triginta aureorum.* Tunc verò apponitur mensura ad ipsam taxandam, quando è contra in contractu, seu dispositione à mensura inchoatur, & postea res apponitur : v. gr. quando dicitur, *Dono tibi triginta iugera talis prædij*; & quando dicitur: *Dono tibi mille aureos, qui in tali sacculo continentur* : & quando dicitur, *Dono tibi triginta argenteos, quos mihi debet Petrus.* Igitur quia quando mensura apponitur ad ipsam taxandam, à consensu contrahentis excluditur, seu excessum mensuræ deponentis : ideò quod ad hunc, quando sic apponitur mensura, contractus seu dispositio non est valida ex consensus defectu : quamuis sit valida quoad mensuram assignatam. Addidi illud : *Dummodo demonstratio non apponatur per modum conditionis, nec contractus gratuito per modum causæ motiuæ* ; Quia si apponatur per modum conditionis, cuicumque contractui apponatur (vt apponitur virtualiter, quum dicitur, *Duco te in vxorem, quæ dabis tantam dotem*,) Si demonstratio sit falsa, id est, si non det tantam dotem, contractus est nullus; quia est virtualiter conditionatus, & conditio deficit. Etsi apponatur per modum causæ motiuæ contractui gratuito, (vt apponitur virtualiter, quando dicitur, *Dono centum tibi filio meo*) si demonstratio sit falsa ; id est, si non sit filius disponentis dispositio est nulla. Addidi præterea illud : *Et error demonstrationis non sit circa substantiam rei.* Quia si sit circa eam, vel in eam refundatur, contractus erit nullus : v. gr. quando dicitur; *Dono tibi centum aureos; quos mihi debet Petrus*, & verè illos non debet; donatio est nulla ; quia tunc error demonstrationis est circa rei donatæ substantiam : erit tamen valida quoad pauciores quos habuerit aureos. Moli. *disp.* 211. Bonac. *disp.* 3. *q.* 1. *pun.* 4. *à num.* 8. Gasp. Hurt. *tract. de contr. disp.* 1. *diffic.* 11.

116. *Contractus, cui apponitur causa motiua, est nullus, hac non subsistente.*

Porrò contractus gratuitus ; vt donatio ; vel simplex promissio, cui apponitur *causa* motiua, hac non subsistente, est nullus. Quia causa motiua est titulus respectu contractus gratuiti contractus autem est nullus non existente titulo, ob quem fit. Vnde donatio facta fœminæ, quia est consanguinea donantis, & quæ aliter non foret, est nulla, si verè non sit consanguinea ; quia tunc consanguinitas est causa motiua, & titulus præfatæ donationis. Filliuc. *tr.* 33. c. 10.

117. *Contractus, cui apponitur causa motiua, sine qua non fieret, non sit nullus, quamuis causa motiua non subsistat.*

Contractus oneroſus, v. gr. venditio, cui apponitur *causa* motiua absque qua non fieret, non sit nullus, quamuis causa motiua non subsistat. Quia ex eo quod non subsistat ea causa motiua, non deficit in contrahente consensus simpliciter efficax, quo hic & nunc contrahit, vt patet : nec ex eo deficit titulus, quia supponimus fieri titulo, v. gr. venditionem pro pretio. Quod si causa motiua apposita contractui oneroso eum non irritat ex eò quod ipsa causa deficiat : multo minùs eum irritabit causa impulsiua ei apposita, quamuis non subsistat. Imò hæc impulsiua causa addita contractui gratuito illum non irritat; quia ex eò quod hæc deficiat, non deficit contrahenti consensus efficax, nec deficit titulus quum causa impulsiua titulus non sit. Gasp. Hurt. *tract. de contract. disp.* 1. *diffic.* 12.

118. *Quid operetur modus in contractibus.*

Contractus denique, cui apponitur *modus* : v. gr. quando dicitur, *Admitto te in ciuem, vt soluas tributum* : & quando dicitur, *dono tibi centum, vt mihi sepulchrum ædifices* : non suspenditur, sed statim ac fit ; valet ; quamuis modus non impleatur. Quia modus appositus supponit contractum iam absolutè factum ; modo enim apposito, significatur aliquid faciendum post contractum iam absolutè perfectum. Ex vno etenim capite modo apposito, tantum significatur aliquid faciendum ; seu obligatio aliquid faciendi post contractum ipsum celebratum : & ex altero celebratio contractus non fit dependenter à modo tanquam à conditione : quia modus non est conditio. Ergo modo apposito contractui; quamuis apposito quum contractus celebratur, si verè apponatur vt modus, non suspenditur contractus, sed valet statim. Addidi, *si apponatur vt modus* ; quia si non apponitur vt modus, sed vt materia partialis ipsius contractus, vt quando dicitur, *Do tibi centum, vt mihi seruias*, id est, pro seruitio mihi exhibendo, seu pro obligatione, qua ad mihi seruiendum alligaris : tunc suspenditur, & datio illa centum non valet, vsquequo alter obligetur. Illa tamen particula, *Vt*, cui coniungitur particula, *seruias*, potius denotat modum, quam materiam partialem; & sic accipienda est, dum non constet altero modo accipi. Addidi præterea, modum appositum contractui non irritare

valorem illius, quamuis sit contra ipsius substantiam. Contractus, v. gr. quando dicitur: *Mutuo tibi pecuniam, vt mihi tribuas aliquid suprà sortem.* Quia modus appositus, & id, quod eo significatur, supponit contractum iam absolutè factum. Fateor tamen, si contractus, cui apponitur, sit voluntate contrahentium dissolubilis, quamuis præsupponatur validus verè dissoluendum, seu destruendum admissione seu contractione obligationis contrariæ obligationi ipsius contractus, cui fuit modus appositus. Gasp. Hurt. *tr. de censuris. disp.* 1. *diffic.* 13.

CAPVT XIII.

De triplici contractuum effectu, obligatione scilicet, actione, ac translatione Dominij.

119. *Quid, Obligatio, primus contractuum effectus.*

CONTRACTVVM proprij effectus sunt tres *obligatio, actio, ac Dominij translatio.* Porrò obligatio est Iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendæ secundum nostræ ciuitatis iura. *Instit. l.* 3. *tit. de obligat.* Ad nostram rem accommodatiùs, *Obligatio est Iuris vinculum, quo necessitate cogimur stare promissis.* Soluere enim obligationem, nihil est aliud, quam exequendo fidem, à promisso se liberare, obligatio enim essentialiter in eo est, non vt demus, aut faciamus: sed vt obligemur ad dandum, aut faciendum. *leg. obligationum substantia.* 3. *ff. de actionib.* Sic multi Doctores definiunt. Ast ego sic obligationem describendam duxerim: *Obligatio est necessitas alicuius rei præstandæ, seu seruandæ ex legitima contrahentium consensione.* Particulam illam, *ex legitima consensione* ideo appositi, vt veram fixamque iusti contractus obligationem à falsa iniusti secernerem. Quia certum est, nec obligationem, nec contractum à Deo ratum haberi, qui legitimus non est, cuiusmodi consensus is omnis, qui legi diuinæ, naturali, atque humanæ non est consentaneus. Ioan. Maior *in* 4. *dist.* 41. *q.* 3. Fatur. *Nullus contractus robur habet si Deus non ratificat.*

120. *In nudis pactis adest obligatio Iure Canonico, licet ciuili sit pœnitentiæ locus.*

Quamuis Iure ciuili in nudis pactis locus sit pœnitentiæ, singulisque eodem Iure liceat ab iis recedere, eo quod in foro externo actionem non pariant, sed tantum exceptionem, vt constat ex *leg. Iuris gentium*, §. *sed cum ff. de pactis*: obligant tamen in foro canonico. Quia in illo non attenditur ad verborum solemnitatem, sed rei, de qua agitur, veritatem, ac contrahentium voluntatem. Sylu. *ver. Pactum q.* 3. Moli. *disp.* 257. Laym. *tract.* 4. *c.* 2. *n.* 3. *sect.* 5. *de pactis.*

121. *Qui ex pacto nudo fidem suam alteri habet obligatam, cogi non potest, si nulla causa sit expressa.*

Qui ex pacto nudo fidem suam alteri obligatam habet, ad eam præstandam cogi in eodem foro non potest, si nulla causa sit expressa, nec possit ab actore vlla talis ostendi. Quia ius ei exceptionis competit, quæ in hoc consistit, quod qui promisit, se ei aliquid daturum, à quo de pollicitis gerendis sollicitatur, excipere valeat, promisisse se quidem, sed sub conditione, vel causa pendente in futurum, si hæc vel illa sibi obsequia præstiterit. In conscientia tamen sunt hæc pacta, nuda licet, seruanda, nisi vi, metusque causa sint facta. Cap. *Peruenit.* 2. *de iureiur. quæst.* 6. *can.* 1. vel contra bonos mores. *cap. vlt. de pactis.* Cap. *Cum quidem* 12. §. *Illi vero.* Laym. *sect.* 5. *de pact. tr.* 4. *c.* 2. *n.* 3.

122. *Non obligat pactum, quod in tertij detrimentum vergit.*

Seruari non debet pactum quod in tertij vergit detrimentum. Et quod est aduersus Ecclesiasticam libertatem celebratum. Et quod de re impossibili. Et quod circa spiritualium emptionem diuersatur. Cap. *Plerique* 7. *de pactis.* Cap. *sicut nostris* 27. Cap. *vlti. de pactis. Can. Nemo* 6. *Can. impossibilium, de reg. Iuris in* 6. Cap. *Cum pridem* 4.

123. *Nõ obligat cũ aduersa pars fidem promissis nõ præstat.*

Pactum non obligat, cum aduersa pars fidem promissis non præstat. Aut cum ipse promissor melius aliquid præstitit, quam promisit. Prima propositio habetur in Cap. *Peruenit.* 3. *versu. Nec tu.* Cap. *sicut* 29. *de iureiur.* Cap. *Constitutus* 7. *de pœnis.* Secundam autem indicat illud Cap. *Peruenit.* 3. *de iureiur. Propositum, aut promissum non infringit, qui in melius illud commutat.*

124. *Extra hos casus pacta nuda atque conuenta obligationem pariunt.*

Extra hos casus pacta nuda, atque conuenta obligationem, actionemque pariunt. Vndè peccat, qui pacta huiusmodi exceptione elidit, luditque in ciuili foro. Quia pactorum, promissorumque fidem seruari leges Dei, & Ecclesiæ iubent. Alciat. *in rubr. ff. de verb. oblig. n.* 13. Couar. *in relect.* Cap. *Quamuis de pactis p.* 2. §. 4.

125. *Quid, Actio, secundus contractuum effectus.*

Actio autem (secundus contractuum effectus) est generali significatione ab agendo ducta. At rei nostræ sic actionem consultus definiit, *Instit. l.* 4. *tit. de action.* 6. *Actio nihil aliud est, quam ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur.* His ergò, quæ extrà iudicium fiunt, actionis nomen propriè non conuenit. Nec qui rem suam sibi vindicat, aut de manu furis ereptam

in

in tuto collocat, aut seruum, quem obedientiæ nexu obligatum habet, è fuga domum reuocat, propriè dicitur agere. Quia *actio* crimen desiderat, hominem notat, Iudicem vti facti cognitorem è tribunali postulat. Glos. cum Comitol. *de contr.vniuersè p.2.c.27.n.4.*

126. *Actio in rem, & actio in personam.* Duo sunt actionum genera. In rem, quæ dicitur, *Vindicatio:* & in personam, que appellatur *conditio.* Actio in rem est, per quam rem nostram, quæ ab alio possidetur, petimus: & semper aduersus eum est, qui rem possidet. Actio in personam est, qua cùm eo agimus, qui obligatus est nobis, ad faciendum aliquid, & dandum: & semper locum aduersus eundem habet. Actionum autem, quædam ex contractu, quædam ex facto, quædam in factum sunt. Ex contractu actio est, quoties quis lucri sui causa cùm aliquo contrahit, veluti vendendo, emendo, locando & cæteris similibus. Ex facto verò actio est, quoties ex eo teneri quis incipit, quod ipse admisit, veluti si furtum, vel iniuriam commiserit, vel damnum gesserit. In factum autem actio dicitur ea, quæ datur patrono (v.gr. aduersùs libertum;) à quo contrà edictum Prætoris in ius vocatus est. Vlpia. *leg. Actionum, ff. de act. & obligationib.* 25.

127. *Actio rei persequẽdæ actio pœnæ, & actio mixta.* Porrò aliæ actiones rei persequendæ gratia sunt comparatæ, aliæ sunt *pœnæ*, aliæ *mixtæ.* Rei gratia sunt, quæ in rem dicuntur actiones. Mixtæ autem, quibus petitur à Iudice, vt nocens luat capite, aut pecunia. Mixtæ denique, quæ tam rei, quam pœnæ persequendæ gratia instruuntur. Iustini. *in instit. l. 4. titul. de actionib.* §. 15.

128. *Actio bonæ fidei, & actio stricti Iuris.* Præterea sunt quædam actiones *bonæ fidei*, quædam *stricti iuris.* Actiones bonæ fidei suam exempto, vendito, locato, conducto, deposito, mandato, tutela, commodato, pignore trahunt originem. Fatur Imperator §. *In bonæ fidei. In bonæ fidei iudiciis libera potestas permitti videtur Iudici ex æquo & bono æstimandi, quantum actori restitui debeat.* At actiones stricti Iuris eæ sunt, in quibus iudicium, quique in eo instituendo modus, ratioque sit tenenda, sic à Prætore præscribitur, vt ab eius formula recedere sit nefas. *consult. citat.*

129. *Actionũ stricti Iuris, & aliarum plures species recensẽo.* Actionum stricti Iuris, & earum, quæ sunt in rem, aut personam multæ adsunt species. Quædam sunt *confessoriæ*, quædam *Exhibitoriæ*, quædam *Negatoriæ*, *datiuæ* quædam, quædam, *Quæ præscriptis sunt verbis* quædam denique *de in rem verso.* *Confessoria* actio est, cum actor asserit sibi, vel prædio suo seruitutem deberi, aut ius esse ædes suas altius tollendi: *Negatoria* contendit actor, agrum suum esse à seruitute liberum, proindéque aduersario imponendum esse silentium. *Datiua* est, quæ immediatè à lege conceditur, aut verius quæ à Prætore datur. Actio *præscriptis verbis* ex contractibus nascitur proprio nomine carentibus; quorum species sunt quatuor, *Do vt des, Facio, vt facias, do vt facias, Facio vt des.* Eaque actione vtimur, cum is, qui aliquid ex huiusmodi contractibus debet, id præstare, vt est pollicitus, renuit. Actio *de in rem verso* est actio in personam, per quam pater, dominusve tenentur pecuniam restituere integram, quarum eorum causa filius, seruusve accepere mutuam, eamque in eorum impendere vtilitatem, & commodum, ex parte autem & quantum eorum patitur peculium, si quid non sit versum. Aliæ actiones *directæ*, *Ædilitiæ*, *Publianæ*, ac *Seruianæ* vocitantur, de quibus passim.

130. *Actio non assolet concedi filio familias, Clerico, Monacho, excommunicato, Collegio mulieri, Laico cõtra Clericum, pupillo.* Enim verò his, quos subiicio, actio concedi non assolet. Primò, sine patris consensu nulla actio filio familias competit, nisi sit spiritualis causa. Bonifacius VIII. *in Cap. si annum 3. de iudicijs.* Secundò, Clericis, & Monachis interdicta est furti actio, eorumque, quæ sunt furto ablata, repetitio. Excipe duos casus: vnum, cùm de damno vitando, & non de lucro captando agitur: alterum, cum non suo, sed alterius, aut Ecclesiæ nomine agunt. *Can. Episcopus.* 2. Tertio prohibetur excommunicatus agere, collegium vel capitulum sine Prælati assensu, Monachus sine superioris facultate, Minoranis sine tutore, filius contra patrem, & seruus contra dominum. *Cap. Intelleximus 7. de iudiciis* Clemens III. *Cap. causam, quæst. 9. de iudiciis, leg. Cum & minores, Cod. si aduersum rem iudicat. leg. lis nulla, ff. de iudiciis.* Quartò, in criminalibus prohibentur agere mulier, 2. *quæst.* 1. *Can. Prohibentur*, Pupilli, & minorennes, *ibid.* laicus contra Clericum. Sylu. *in Concil Roma. epilogo, vt refertur, 2. quæst. 7. Can. 2. laicus Clerico non audeat crimen inferre.* Si tamen suas, aut suorum iniurias persequi debeant, si famam tueri, si salutem defendere: admitti ad agendum tam pro se, quam pro illis possunt Abbas *in Cap. de cætero, de testibus.* Nomine autem *suorum* coniunctos ad quartum gradum inclusiue intelligo. Quinto pro filio pater nequit conueniri. Cap. *Referente 2. de delictis pueror.*

131. *Quid Translatio Dominij tertius Contractum effectus.*

Dominij denique *Translatio idem est, ac transferre in alterum è contrahentibus plenum, aut ex parte aliqua dominium*, vnde inter contractuum effectus annumeranda. Quia contractus est commutatricis iustitiæ functio, at permutatio hoc habet proprium, vt quod erat vnius, antè quàm hæc fieret: post illam alterius esse incipiat. Habet quidem omnis commutatio rerum, quæ commutantur inuicem, traditionem reciprocam, & mutuam; ergo & translationem dominij. Quod perspicuum est in iis contractibus, qui non ex liberalitate sunt, orti, vt emptio, locatio, conductio, societas. Addidi, *Plenum aut ex parte*; quia non omnis conuentio, non omnis contractus rei dominium tribuit. Quibusdam rei vsum, aliis vsum fructum tantùm tribuere, est in more. Commodatum vsum rei, locatio vsum fructum habet, nunquam autem eius dominium ac proprietatem. Contractus, qui rei traditione completur, quæ possessionem habet comitem, qualis est emptio, ac permutatio, dominium in recipientem transfert. *Instit. l. 2. tit. 1. de rer. diuis. & acquirendo ipsar. dominio.* §. 44.

CAPVT XIV.

De iis, quibus conceditur restitutio in integrum ratione contractuum.

132. *Quid restitutio in integrum.*

ALIQVEM restitui in integrum est, eum reduci à Iudice in eum statum, aut ius in quo erat antè contractum, vel præscriptionem. Quibus concedatur huiusmodi restitutio præscriptionis ratione, expendam Tractatu de Iustitia in particulari. In præsenti autem disquirendum, quibus concedatur restitutio in integrum ratione contractus v.gr. emptionis & venditionis: vel ratione quasi contractus, v. gr. acceptationis, vel repudiationis hæreditatis. Potest autem restitutio ratione contractus vel quasi contractus fieri non solum in foro exteriori, sed etiam in foro conscientiæ. Hurt. *tract. de contr. disput. 1. diffic. 15.*

133. *Minori viginti quinque annorum conceditur restitutio.*

Minoribus viginti quinque annorum, qui contraxerunt, vel quasi contraxerunt conceditur beneficium, seu priuilegium restitutionis in integrum, quamuis contraxerint interueniente authoritate siue patris, , siue tutoris siue curatoris: imò interueniente Iudicis decreto. *leg. prima, & toto titul. ff. de minorib.*

134. *Et maiori viginti quinque ex consortio cum minore.*

Eodem beneficio etiam maior viginti annorum gaudet per accidens ex consortio cum minore, quando ipse ac minor contrahunt cum aliocirca rem indiuisibilem communem vtrique: secus quando rem diuisibilem. Quia tunc soli minori restituitur pars, quæ ad ipsum pertinet. Porrò huiusmodi restitutionis beneficium, quo minor gaudet, ad eius transit hæredes, sicut læsio eidem minori facta etiam transit ad illos. *Ex eadem lege.*

135. *Non habet locum restitutionis beneficium, quando est nullus omnino Contractus.*

Hoc restitutionis beneficium non habet locum, quandò contractus est nullus omninò, nempè ciuiliter, & naturaliter: qualis est contractus pupilli pubertati non proximi non interueniente tutoris authoritate: & contractus minoris circa rem immobilem non interueniente authoritate curatoris, si eum habeat, & Iudicis decreto. Quia tunc non conceditur illis beneficium restitutionis, eo quod illo non egeant; sufficit enim eis beneficium etiam maioribus commune, nempe quod contractus declaretur à Iudice nullus. Beneficium ergò hoc restitutionis tantum habet locum, quandò contractus est validus vel omninò nempe ciuiliter & naturaliter, vel tantum naturaliter. Est tamen discrimen, quòd quando contractus minoris est omninò validus non conceditur illi beneficium restitutionis, nisi quando in eo læsus est minor: quando verò contractus est tantum naturaliter validus ex parte minoris, & vtroque modo ex parte maioris cum quo minor contrahit, conceditur beneficium restitutionis minori ex eo solùm quod saltem non obligat ciuiliter ipsum minorem, quamuis non sit læsus. *Ex leg. in causæ cognitione ff. de minorib.*

136. *Potest non esse iusta læsio requisita, vt minor gaudeat beneficio huiusmodi quando Contractus est omnino validus.*

Læsio requisita, vt minor gaudeat restitutionis beneficio, quando contractus est omnino validus, potest non esse iusta, vt contingit, quandò minor solùm læditur ex eo quod ei non expediat ille contractus: v. gr. venditio rei. Debet tamen esse considerabilis secundum se, & attenta quantitate contractus. Quia quando est adeò leuis, vt pro parua habeatur, non sufficit: v. gr. in contractu centum aureorum læsio in quatuor leuis censenda, in decem vero considerabilis est æstimanda. At non sufficit læsionem esse considerabilem, si per accidens in contractu contingat: vt contingit, quando minor eodem die emit equum, qui postea per accidens moritur; sed requiritur,

quiritur, læsionem fieri ex vi contractus, aut annexam censeri minoris contractui; quia minoris est. Gasp. Hurt. *tr. de contract. disp.* 1. *diffic.* 15.

137. *Potest minor vti duobus modis huiusmodi beneficio.* Huiusmodi restitutionis beneficio potest minor duobus modis vti: vno, petendo à Iudice, vt efficiat, ipsi minori restitui, quod maiori ex vi contractus tradidit, si contractus sit rescindendus, & quando contractus rescindendus non est; quia solum fuit iniustus quo ad pretium, vel quasi pretium: verbi gratia quando minor emit pluris iusto, vel minoris iusto emit, potest eo beneficio vti, petendo à iudice, contractum reduci ad æqualitatem. Altero autem, excipiendo contra eum, cui aliquid debet ex contractu, v. gr. ex promissione, vel ex ludo credita pecunia, vt non cogatur illud soluere: vel contra eum, à quo aliquid accepit ex contractu: v. gr. emptione, aut mutuo, vt non cogatur illud reddere, si non extet nec in se, nec in aliquo, in quo ex illis factus sit ditior. Hurt. citat.

138. *Restitutio hæc facienda minori ob varias læsiones, expenditur.* Minor itaque, qui ex contractu venditionis fuit considerabiliter læsus, quod vendiderit minoris iusto, restituendus est in ius pristinum quo ad pretium, nempe reduendo illud ad iustum. Et si læsus fuit, quia ipsi non expediebat venditio, restituendus est, vel petendo venditionis rescissionem, si res vendita tradita fuit emptori; vel excipiendo contra emptorem petentem tradi sibi rem sibi debitam, si nondum est illi tradita. Eodem modo restituendus est minor, qui ludo rem suam considerabilem perdidit. Et minor, qui attenta sua qualitate, donauit rem considerabilem absque rationabili causa, proportionata donationi, restituendus est, rescindendo donationem. Et minor, qui ex quasi contractu considerabiliter læsus est: verbi gratia quia hæreditatem considerabiliter damnosam acceptauit; vel quia considerabiliter vtilem repudiauit, etiam est restituendus. Quia in omnibus expressis casibus fuit considerabiliter læsus ex contractu, vel quasi contractu. Certè minor non solum restituendus est, quando læsus fuit in damno emergente, v. gr. quando hæreditatem damnosam acceptauit; sed etiam in lucro cessante: v. gr. quum hæreditatem vtilem repudiauit; & facienda est restitutio, quamuis res tradita à minore iam ab alio tertio possideatur. Præterea minor, qui ex solutione sibi facta considerabiliter læditur, quia scilicet facilitate minori pecuniam sibi solutam perdidit, vel malè consumpsit (nisi dolo eam perdiderit vel malè consumpserit) etiam est restituendus, petendo irritationem solutionis, excipiendo id, in quo factus est ditior. Quia læsio hæc censetur annexa solutioni factæ minori ob facilitatem ætatis. Tamen maior debitor non tenetur in conscientia illi iterum soluere, quousque iudicis sententia cogatur. Quia facta solutio fuit saltem naturaliter valida, vt suppono: & ideo solutio tenet, quousque beneficio restitutionis annulletur. Gasp. Hurt. *tract. de contr. disputat.* 1. *diffic.* 15.

139. *Restitutio gerenda ex contractu vel omnino valido, vel claudicante ex parte minoris.* Quando vero restitutio fit ratione læsionis ex Contractu siue omnino valido, siue ex parte minoris claudicante, si restitutio fiat ratione læsionis prouenientis ex donatione, non solum restituenda est res donata, sed etiam fructus illius (exceptis expensis factis in eorum perceptione.) Quia tunc minor non solum est læsus quo ad rem donatam, sed etiam quo ad fructus illius. Si autem restitutio fiat ratione læsionis ex contractu oneroso, vt ex iusta venditione, non sunt restituendi fructus. Quia tunc minor quamuis fuerit læsus in ipsa re, quod minori non expediret eam vendere: non tamen in fructibus, si res fuit à minori iusto pretio tradita: tunc enim pretium adæquatur rei, quamuis postea habituræ fructus: ac proinde tunc solum fuit læsus in re ipsa: quia ipsi non expediebat eam vendere, & non quia habitura erat fructus: attenta enim re, & eius fœcunditate, vendita fuit iusto pretio. Quod quidem est verum, etiam quando maior, cum quo contrahit, non fit dominus rei, nec fructuum, vt contingit, quum traditur res ex contractu claudicante. Potest tamen tunc eos retinere; quia minor naturaliter est obligatus ad rem & ad fructus, & in fructibus non est læsus. Moli *disp.* 175. Lessi *c.* 17. *dub.* 10. Reginal *l.* 2. 5 *c.* 9. *sect.* 2. Bonac. *de contr. disp.* 3. *q.* 1. *punct. vlt.*

140. *Quando fructus restituendi ex contractu, quando tradita fuit res minori pretio.* Addidi, *Ex contractu oneroso iusto, aut quando tradita fuit iusto pretio*; quia quando tradita fuit pretio minori etiam sunt restituendi fructus proportione seruata ad læsionem quo ad pretium; quia si res vendita est dimidio pretio, restituendum est dimidium fructuum: & si defuit tertia pars iusti pretij, tertia pars

fructuum est restituenda, & sic de aliis. Quia tunc minor non solum fuit læsus in ipsa re, sed etiam in parte fructus defectui pretij correspondente; non enim solum fuit læsus quod vendidit rem, quam ei nõ expediebat vendere: sed etiam quod quasi media pars vel tertia pars rei venditæ fuit absque pretio, & consequenter nnjctus in ea parte virtualiter contenti. Hurtad. *tr. de contr. disp.* 1. *diffic.* 15.

141. *Non potest minor vti occulta compensatione.* Minor tamen, qui gaudens beneficio restitutionis, non valet eo beneficio vti coram iudice, vel ex defectu probationis, vel quia nequit eo vti nisi magnis expensis, vel aliter: non potest vti occulta compensatione (nisi quando læsus est iniustè) Quia beneficium restitutionis tantum conceditur, vt eo vti possit medio iudice, & non vt propria auctoritate possit sibi ius dicere. illud adieci; *Nisi quando læsus est iniustè*; quia quando sic læsus fuit vel in pretio, vel aliter: vti potest compensatione occulta (sicut etiam maior) iuxta generalia recompensationis præcepta. Hurt. vbi suprà.

142. *Potest vti hoc beneficio vsque ad vigesimum nonum annum.* Præfato restitutionis beneficio minor vti potest in ætate minoris læsus vsque ad vigesimum nonum annum impletum; quia eo vti potest spatio quatuor annorum post completum vigesimum quintum. Constat ex *Leg. finali, Cap. de tempor. in integ. restitut.*

143. Nihilominus minor non potest semper huiusmodi beneficio vti. Nequit sane eo vti primò, quando antè contractum à Principe ætatis veniam, impetrauerat. Secundò, quando post annum vigesimum quintum ratificauit contractum. Tertio, quando minor iam pubes iuramento addito celebrauit contractum (nisi iuramentum relaxetur;) quia minori sic iuranti negatur actio ad contraueniendum ei contractui, non vero pupillo non puberi, nec prodigo, quamuis hi teneantur ex virtute Religionis non contrauenire, quousque relaxetur; quod facile potest, cum non sit in tertij præiudicium. Addo, maiorem contrahentem cum minore posse alio sibi consulere quarto modo, ne damnum ex contractu cum minore patiatur ratione beneficij restitutionis: nempe procurando fideiussorem, qui se obliget ad damna, quæ sibi eueniant ex restitutione minoris, si minor ea vtatur. Molin. *disp.* 574. *Non potest semper vti hoc bene. cio.*

144. *Queisnam aliis hoc beneficium concedatur.* Porro beneficium restitutionis minoribus concessum etiam conceditur aliis quinque, Primo, Ecclesiis, & piis locis. Secundò, Reipublicæ, ac communitati cuiuscumque Oppidi. Tertio, Vniuersitati studiorum. Quarto Rudibus, & fœminis. Quinto Principibus supremis quod ad bona Principatus & Fisci. Molin. *disp.* 574. Lessi. *c.* 17. *dub.* 9. Bonacin. *de contr. disputat.* 3. *q.* 1. *punct. vltimo.*

SECTIO SECVNDA.

De iustitia, iure, ac contractibus in genere Problemata.

CAPVT XV.

Circa iustitiam,

PROBL. I.

Illa particularis virtus bonum Reipublicæ commune intuens, & procurans, quæ appellatur iustitia, distinguitur, & non distinguitur à virtute pietatis.

145. *Non distinguitur.* IVstitia non distinguitur à virtute pietatis, quatenus per pietatem, patriæ vel Reipublicæ, in qua viuimus debitum cultum, obsequiumque præstamus. Quia iuxta D. Thomam. iustitiæ legalis est procurare bonum commune Reipublicæ, & cæteras virtutum functiones ad hoc destinare, quando opus est: v. gr. si Respublica versetur in periculo, iustitia legalis conatur omnibus modis eam tueri; imperat arti militari, vt excogitet modos defẽsionis, pericula contemnit, sumptus annonæ restringit, thesauros refundit, deniq; nihil non molitur ex affectu erga Rempublicã. Sed hæc omnia videntur esse officia pietatis in patriam, vel Rempublicam, nec explicari potest quænam alia virtus hæc præstet. Ergo pietas est illa virtus, quã D. Tho. iustitiã legalẽ appellat, vel certè parũ ab ea distinguitur. Sic Lessi. *l.* 2. *sect.* 1. *dub.* 3. *n.* 12. asserẽs hanc sententiã esse probabilẽ.

Iustitia legalis à pietate distinguitur, si nomine iustitiæ legalis cum Diuo Thom. *Distinguitur planè.*

&

& aliis intelligamus virtutem,quæ spectat bonum publicum , quatenus debitum à parte toti. Quia vbi est diuersa ratio debiti , ibi sunt diuersæ virtutes ; sed hic sunt diuersæ debitorum rationes : ergo sunt distinctæ virtutes. Ita Lessi. citat. *num.*14. affirmans hanc mentem esse probabiliorem.

146. *Idem assero.* Idem mihi asserendum. Minorem autem syllogismi sic probo : longe strictiori, & altiori debito pars obstringitur toti, & ciuis Reipublicæ , quatenus ipsa est vnum corpus, in quo ipse membrum ; quàm effectus obligetur suæ causæ secundariæ , & homo suæ patriæ ratione auxilij , quod ipsa ad eius ortum contulit ; cuius signum est , quod quisque suam Rempublicam, cuius est membrum,teneatur præferre parenti , & vitæ suæ : cum tamen parens magis sit principium ortus , quam patria. Atqui pietatis est curare bonum patriæ, quia hoc officium est illi debitum ratione beneficij ortus , quod ab ea accepimus : iustitiæ autem legalis est idem bonum siue patriæ , siue alteri Reipublicæ , cuius sumus ciues , procurare, quia id illi debetur ratione vinculi, & nexus qui est partis ad totum , & membri ad corpus.

PROBL. II.

Obiectum materiale iustitiæ sunt , & non sunt res illæ , quæ propter humanos vsus commutantur, vel distribuuntur.

147. *Sunt quidem.* MAteriale virtutis iustitiæ obiectum sunt res illæ, quæ propter humanos vsus commutantur , aut distribuuntur. Quia circa huiusmodi rerum commutationem , vel distributionem iustitia versatur. Sic Sotus *lib.3. de iust. q.1.art.1.* & alij recentiores , qui quidem eam D. Thomæ tribuunt 2.2.*q.*58.*a.*8.

148. *Non sunt.* Materiale obiectum iustitiæ non sunt res , quæ per iustitiam commutantur, vel distribuuntur : sed potius est opus reddendi alteri , quod illi debitum est secundum æqualitatem. Quia iustitia est virtus voluntatis , cuius immediatus actus esse debet volitio alicuius rei. Sic enim Vlpi. *l.* 10. *de iust. & iure*, & Aristot. 5. *Ethic. cap.*1. *&* 2. Iustitiam asserunt esse *voluntatem tribuendi vnicuique ius suum*, vel *per quam volumus iusta* ; per iustitiam autem emptor verbi gratia non vult pecunias , quas tradit venditori, sed vult opus dandi debitum pretium, & (vt iurisconsultus dixit) opus tribuendi alteri , quod debitum est. Quod opus operatio est externa à voluntate imperata , sicut ait D. Thomas ; res igitur quæ commutantur , ac distribuuntur , non sunt materia directè , & immediatè iustitiæ : sed potius sunt materia , circa quam operationis exterioris , quæ est obiectum iustitiæ. Ità Dicastil. *l.2.tr.1.disp.1.dub.17.*

149. *Idem assero.* Hunc imitor , iudicans hanc esse mentem D. Thomæ *quæst.* 58. *art.* 10. *&* 11. fantis , *Materia iustitiæ est operatio exterior secundum quod ipsa : vel res, qua per eam vtimur , debitam proportionem habet ad aliam personam , vel proportionatur alteri personæ.* Cum autem Doctor Angelicus 3.*p.q.*85.*a.*3. asserit , materiam iustitiæ esse res , quæ distribuuntur , aut commutantur ; intelligendus est de materia circa quam sunt commutatio, ac distributio.

PROBL. III.

Obiectum formale iustitiæ est , & non est illa æqualitas ac proportio, quam res , quæ commutantur habere debent.

150. *Est illa æqualitas.* OBiectum formale iustitiæ est illa æqualitas ac proportio,quam res,quę commutantur , aut distribuuntur debent habere. Quia Aristoteles 5.*Ethic.c.*2. asserit *iustum* & *æquum* idem esse , sicut etiam *iniustum* & *iniquum* idem sunt. Constat autem , rationem iusti esse formale obiectum iustitiæ ; ergo ratio æqui , hoc est æqualitas est formale obiectum iustitiæ. Pari ratione D.Thomas *q.*57. sæpe asserit iustum ab æqualitate dici , quo significat, rationem æqualitatis esse rationem formalem iusti, ac proinde iustitiæ obiectum. Sic Sotus *l.3.de Iust. quæst.*1. *a.*1. & alij D. Thom. expositores.

151. *Non est illa æqualitas.* Æqualitas illa vel proportio, quam res, quæ commutantur habere debent,tantum pertinet ad obiectum materiale iustitiæ : ratio verò boni honesti, quæ est in operatione reddendi id , quod aliis secundum æqualitatem debetur , est formalis ratio obiecti iustitiæ. Quia natura virtutis iustitiæ,quæ existit in voluntate ea ratione qua est in voluntate habitus , tanquam obiectum debet respicere aliquam rationem boni. Qua verò ratione est virtus debet respicere rationem talis boni honesti cuius ratio est, quia habitus existens in voluntate , eodem indiuiduo actu cum ipsa versatur circà obiectum ; ac proindè circà illud ipsum obiectum , circa quod operatur voluntas , cum qua habitus eamdem

actionem operatur : atqui voluntas per actum prosecutionis tãquam in obiectum formale solum potest tendere in rationem boni ; ergo etiam habitus illius. Quod verò in virtute iustitiæ formale obiectum debeat esse ratio quædam honestatis, patet ex communi ratione virtutis. Omnibus enim virtutibus, quæ sunt in voluntate commune est, honestatis gratia operari iuxtà Aristotelem 4. *Ethic. cap.* 2. Alioquin enim, si per virtutes alia ratio boni amari potest, verbi gratia, vtilitas, aut delectatio : fieri etiam potest, vt virtutibus aliquando male vteremur, quod est absurdum, vt August. docet. Sic Vasq. 1.2. *disp.* 102. *cap.* 6. *num.* 18.

152. *Cum eo sentio.* Cum eo sentio Tullianæ illi sententiæ *lib.* 1. *de leg.* applaudens : *si quando operamur, vt boni simus, non ipso honesto mouemur ; sed vtilitate, aut fructu ; callidi sumus, non boni.* Certè quod ratio honesti, quæ per iustitiam diligitur, debeat esse illa, quæ apprehenditur esse in operatione externa tribuendi quod debitum est, patet ex præfatis. Si enim materiale obiectum virtutis iustitiæ est operatio illa externa, necesse est, obiectum formale, nempe quod est ratio diligendi, esse rationem boni honesti ; per quam ea operatio est congruens, & conueniens rationi, seu rationali naturæ, quatenus rationalis est. Ratio namque boni, quæ mouet ad diligendum, in ipsa re, quæ diligitur, debet apprehendi. Hinc sequitur, æqualitatem, quæ est in rebus, quæ commutantur, aut distribuuntur, esse non posse huius virtutis obiectum formale. Æqualitas enim à ratione honesti diuersa est. Hæc enim æqualitas comparatio quædam est respectiua inter res, quæ commutantur, verbi gratia inter valorem & rem venditam : ratio autem honesti est congruentia & conuenientia operationis cum natura rationali. Si ergò hæc est obiectum formale iustitiæ, æqualitas rerum, quæ commutantur, quæ ab honestate diuersa est, non est formale obiectum.

PROBL. IV.

Inter patrem & filium potest, & non potest aliqua ratione reperiri iustum, & iustitia simpliciter.

153. *Suppono duabus rationibus filium posse* VT appareat, an inter patrem & filium possit hoc iustum reperiri prænotarim, duabus rationibus posse filium dici aliquid patris. Prima ratio est naturalis generatio, ob quam parentes (vt Arist. docet) diligunt filios tanquam se ipsos, *qui namque* (inquit) *ex ipsis sunt orti, sunt quasi ipsi.* Secunda ratio est moralis subiectio sub patria potestate, ratione cuius ante quam emancipetur, non est filius sui iuris, sed sub potestate, ac iure paterno. Prior ratio perpetuo durat in filio, posterior tantum ad tempus, quousque per emancipationem sui fiat iuris. Præterea monuerim patriæ potestatis effectus pro diuersitate temporum, Principum, Legislatorum, ac Regionum diuersos fuisse. Nam in iure antiquo Romanorum multo amplior erat patria potestas, vt patet in libera potestate, quæ tunc erat vendendi filium ; & inter alios effectus fuit, vt nihil proprium haberent, sed quidquid ab illis acquireretur, in patris dominium, potestatemque transiret. Subinde tamen decursu temporis in fauorem militiæ concessum est, vt filij haberent peculium Castrense, illorum scilicet bonorum, quæ militiæ titulo acquiruntur ; quorum filij habent proprietatem pariter & liberum vsum, ità vt cum patribus perinde atque cum cæteris hominibus de his bonis lis esse possit in iudicio. *leg.* 4. *ff. de iudiciis.* Idem iudicium est de bonis quasi Castrensibus, qualia sunt, quæ acquiruntur ex stipendio alicuius publici officij, & per Principis donationem. *leg. cum oportet, & leg. Cur multa. C. de bonis, quæ liberis acquiruntur.* In peculio verò aduentitio, nẽpe in bonis materna hæreditate, aut alio quouis legato, aut donatione, filius tantum habet dominium, & proprietatem. Vsus verò fructus ad patrem spectat, salua illorum bonorum substantia, vt suo tempore filio tradatur. Constat igitur inter patrem & filium esse posse duo debita, alterum ratione naturalis generationis, ob quam pater debet nutrire filium, quem genuit. Quæ obligatio non nascitur ex iure, quod in filio sit ; sed ex naturali appetitu honestæ conseruationis generis humani ; vice versa filius debet honorare patrem, & illum in necessitate alere. Alterum debitum in patre esse potest ratione dominij, quod filius habet in sua bona postquam per emancipationem est extra patriam potestatem. De quibus duobus debitis disputarim, num aliquod eorum propriè ad iustitiam pertineat ? ac proindè inter patrem & filium iustũ idẽ esse possit, quod inter alios ciues.

dici aliquid patris, & patria potestatis effectus varios fuisse pro temporum, ac Principum diuersitate.

154. Iustum propriè dictum non potest reperiri

Iustum propriè dictum non potest reperiri inter patrem & filium, nec post emancipationem.

periri inter patrem & filium ratione naturalis vnitatis, & defectu alteritatis, ac proindè hoc impedimentum Iustitiæ propriè dictæ etiam post emancipationem perseuerat. Vnde si pater filium occidat, vel filius patrem peccatum est solummodo contra virtutem pietatis, cuius obligatio (fateor) maior est, quam Iustitiæ: non tamen contrà Iustitiæ propriè virtutem. Quia Iustitia propriè dicta tantum est inter æquales, & ad alterum; pater autem & filius non sunt propriè æquales, cum filius patri debeat obedientiam, & honorem: neque filius est omnino alter à patre, sed aliquid patris, Arist. *l.4. Ethicor. c.* 12. Ergo inter patrem & filium non potest esse vnquam propria, ac perfecta Iustitia. Sic Caiet *ad q.57.a.4.§. Hæc responsio.* & aliqui recentiores.

155. *Potest quidem aliquo modo.*

Inter patrem & filium quatenus sunt tales certum est non posse esse propriè Iustitiam; quia in filio in illis bonis, quibus alitur, nullum est Ius, quod non sit sub potestate patris, nec quo potest patrem ex Iustitia obligare. At debitum & Iustum inter patrem & filium ratione peculij Castrensis, aut quasi Castrensis, & ratione bonorum, quæ filius habet post emancipationem, propriè ac perfectè est iustum, perinde atque illud, quod inter cæteros est homines. Quià inter illos, inter quos esse potest verè ac propriè contractus in materia propriæ iustitiæ, v. gr. emptio, & venditio: potest etiam esse propriè Iustum & iustitia; sed inter patrem & filium emancipatum, aut etiam non emancipatum in peculio tamen castrensi aut quasi castrensi esse potest emptio & venditio. *Leg.2.ff.de contrahenda emptione*, dicitur, *Inter patrem & filium contrahi emptio non potest, sed de rebus Castrensibus potest.* Ergò inter patrem & filium esse potest propriè iustitia. Maior propositio, in qua est vis argumenti, patet ex Aristotele, & D. Thoma asserentibus proprium iustitiæ munus esse in commerciis æqualitatem constituere, vt in emptione, locatione, ac similibus. Deindè, quoniam hanc æqualitatem constituere inter patrem & filium habentem bona propria est actus honestus, & necessarius ex obligatione in quo actu difficultas potest esse in operando, ac proinde prouenire potest ex aliqua virtute; sed non ex virtute pietatis, ergò ex virtute Iustitiæ propriè dictæ. Ita Suarez *tom.* 1. *in* 3. *part. disput.4. section.5.* Vasquez *tom.*1. *in* 1. *part. disput.*85. *cap.*5. Lessi. *lib.*2. *cap.*4. *dub.* 3. Moli. *disp.*7.

156. Hanc sector mentem, quam ex Aristotele 6. Ethic. *c.*6. confirmo. Nam cum dixisset, inter patrem, & filium non esse propriè Iustum, eam reddit rationem tum pro patre & filio, tum pro domino & seruo: quia nullus habet obligationem Iustitiæ ad sua. *Filius autem quando paruus est à patre non separatus quasi possessio est patris.* Ex qua ratione constat, Aristotelem noluisse significare, nunquam inter patrem & filium emancipatum esse iustitiam sed tantum eo tempore, quo filius est quasi possessio patris (quo tempore filius non habet bona, quæ patris non sint) inter patrem & filium non esse iustitiam propriè dictam. Addiderim, si vnitatem naturalem spectes maiorem esse vnitatem inter Rempublicam & aliquod particulare membrum illius (ex quo scilicet tanquā ex parte componitur) quam inter patrē & filium; & tamen non obstante illa vnitate particularis personæ cum communitate, in qua includitur, potest intercedere inter ipsas propriè iustitia, ita vt si aliquis accipiat occultè ex bonis communitatis, verè furtum committat; ergò vnitas naturalis, quæ est inter patrem & filium, non est impedimentum, quominus inter eos sit propriè iustitia. Pari ratione inter fratres aliqua est vnitas maior, vt Aristoteles docet *6. Ethic. c.* 12. quam sit inter alios. Docet autem ibi Aristoteles vnitatem, quam filius habet cum patre, esse causam vnitatis, quæ inter fratres est: quæ sanè vnitas nihil impedit, quominus inter fratres præter obligationem virtutis pietatis possit esse vera iustitia ratione bonorum, quæ vnusquisque habet. Vnitas ergo naturalis inter diuersas personas, quarum iura & dominia diuersa sunt, nihil impedit, quominus inter eas vere possit esse Iustitia.

Hanc sectorem mentem.

PROBL. V.

Iustitia potest, & non potest inter Deum & hominem purum reperiri.

CErtum est, non posse esse inter Deum & hominem purum iustitiam secundum totā suam perfectionem & rigorem. Ius enim de rigore Iustitiæ requirit, vt obligatio ex eo orta non fundetur, aut nitatur in gratia, & liberali Dei acceptione. Præterea homo non potest Deo æquialens reddere. At absolutè Iustitia potest inter Deum & purum hominem reperiri. Quia retributio meritorum in Deo propriè est actus Iustitiæ commutatiuæ. In vniuersum enim compensatio meriti propriè

157. *Potest absolutè reperiri.*

priè dicti præsertim ad æqualitatem ad iustitiam commutatiuam pertinet, vt pote comprehensa in Contractibus innominatis, *Facio, vt facias*, vel *Facio, vt des*. Itaque quod attinet ad meritum, si spectemus radicem, semper aliquid gratiæ inuenies, & non debiti; postea tamen supposito opere meritorio, non repugnat seruari æqualitatem inter opus & præmium. Sic Valent. *to.*2.*q.*1.*punct.*2.Bellar.*lib.* 5.*de Iusti. c.*16.Suar.*to.*1.*in* 3.*p.disp.* 4.*sect.*3. *n.* 34.Zumel.1.2. *q.*114 *a.*1.*disp.* 1.*diffic.*2.*& disp.*2.

158. *Non potest absolutè reperiri.* Non potest absolutè iustitia inter Deum & hominem reperiri. Quia retributio meritorum in Deo propriè non est actus iustitiæ commutatiuæ; inter Deum enim & hominem nõ est datum & acceptum; ergo non est iustitia commutatiua. Ità Vasq.1.*p.disp.*85.*&* 86.*&* 1.2.*disput.* 223. Alens.Bonauent. Sotus, Durand. citati ab ipso Palud.*in* 4.*disp.*46.

159. *Prima sententia subscribo.* Primam sententiam probabiliorem puto, quam existimo esse D.Thomæ. Nam 3. *p.q.*86.*a.*3. docet tam recompensationem offensæ, quam retributionem recompensationis ad materiam iustitiæ pertinere: *Quia vtrumque* (inquit) *est cõmutatio quædam*. Et 2.2.*q.*61.*a.*4. *Forma* (ait) *diuini iudicij attenditur secundum rationem commutatiuæ iustitiæ, prout scilicet præmia meritis & supplicia peccatis decernit*. Quod si vrgeat Vasquez asserens, inter Deum & hominem non esse datum & acceptum; vnde concludit non esse commutatiuam iustitiam, respondeam negando antecedens; nam ad datum & acceptum in hac materia non est necessarium, vt id, quod datur, verè accipiatur tanquam cedens in aliquam vtilitatem accipientis, aut vt illius quasi manibus apprehendatur. Sufficit enim in alterius gratiam ex pacto fieri vt fit quotidie in conductis ad aliquid agendum in grátiam aliorum. Quamuis opera nostra ipsi Deo nihil prosint, cedunt tamen in illius honorem, & obsequium, & in vtilitatem boni communis, cuius Deus curam gerit. Quæ quidem est D.Tho. doctrina 2. 2.*q.*114.*a.*1. Ideo etiam 2.ad Timoth.2.21. dicitur, *Si quis emundauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino*. Si autem instet Vasq. Deus nõ subiicitur legi: ergo non potest hominibus obligari: Abnego consequentiam: licet enim nulla lege obligetur ad actum iustitiæ exercendum, obligatur tamen ex promissione, & ex ipsa immutabilitate, quod plus est, quam si propriè dicta lege obligaretur. Porro si quid probaret hæc objectio, concluderet, nec fidelitatis obligationem in Deo esse, quod nemo asseruerit.

PROBL. VI.

Iustitia legalis secundum suam essentiam est, & non est virtus specialis.

160. *Non est virtus specialis.* VIdimus sect. 1. iustitiam propriè ac simpliciter dictam aliam esse legalem seu vniuersalem: aliam particularem. Porro de iustitia legali quæsierim num secundum suam essentiam, sit specialis virtus? Porro non est secundum essentiam suam virtus specialis. Quia commune bonum spectat, quod est omnibus virtutibus agnatum. Sic Buridan.5. *Ethic. q.*4. Eustach.& Gerard.ab illo citati.

161. *Est virtus specialis.* Iustitia legalis secundum suam essentiam est specialis virtus. Quia habet obiectum & actum bonum à cæteris virtutibus distinctum, videlicet, velle commune bonum ex lege à qualibet communitatis parte debitum procurare, nec ei quidquam aduersum committere. Ita D. Thom.2.2.*q.*58.*art.*6. Ad quem locum sequuntur illum Salon, Bañez, Aragon. Valent.*q.*2.*punct.*2.

162. *Idem assero.* Idem assero, confirmoque sententiam ex Aristotele 5.*Ethic. c.*1. Vbi de hac virtute, quam distinguit à reliquis, illisque anteponit, profatur: *Atque hæc quidem iustitia virtus perfecta est, non absolutè tamen; sed ad alterum: vt propterea sæpè iustitia virtutum præstantissima esse videatur*. Et infrà, *Iustitia sola ex omnibus virtutibus esse alienum bonum videtur*. En quonammodo Aristoteles & distinctam, & specialem, ac præstantissimam virtutem appellat. Certè quamuis aliæ virtutes sint etiam, quæ commune bonum spectent, non tamen id præstant attendendo in hoc negotio rationem debiti legalis, vt charitas, &c. vel id non faciunt per se; sed mouente iustitia legali tanquam superiori virtute. Ideo Aristoteles eam vocitat communem virtutem, & vniuersalem iustitiam: nempè causaliter, seu ex parte materiæ circà quam versatur: versatur enim in omni materia virtutum, eis imperando, vt Diuus Thomas citatus edocet.

***

PROBL.

PROBL. VII.

Iustitia legalis est & non est iustitia simpliciter & propriè dicta.

163. *Non est proprie iustitia.* IVstitia legalis non est propriè iustitia, & simpliciter sed secundum quid. Quia ergà patriam est potius pietas, quam iustitia; neque ei simpliciter potest æquiualens reddi: ergò philosophandum, est circà illam sicut circa patres, de quibus vidimus supra, circa illos vt tales non intercedere cum filiis iustum simpliciter atque adeo neque iustitiam. Sic Valent. 2.2. *q.* 2. *punct.* 2. Salon *ad* 2.2. *q.* 58. *a.* 6. hanc sententiam putat esse probabilem.

164. *Est propriè iustitia.* Iustitia legalis est propriè ac simpliciter iustitia. Quia iustitia distributiua est quasi correlatiua iustitiæ legalis: sed illa est iustitia simpliciter; ergò & hæc. Præterea in iustitia legali reperiuntur tres conditiones in iusto simpliciter, quod est obiectum iustitiæ simpliciter, requisitæ. Prima est ratio debiti, quæ sine controuersia adest in legali iustitia. Secunda est æqualitas, quæ quidem non potest aliunde sumi in hac materia, quam ex præscripto legis, seu ipso debito, quod Reipublicæ debetur ex lege: quod debitum per iustitiam legalem ad æqualitatem soluitur; nec requiritur æqualitas illorum, inter quos est iustitia, ita vt æqualitas sit etiam naturaliter, vel quasi in dignitate & authoritate secundum se exæquentur illi, inter quos est iustitia. Tertia est, vt sit alteritas simpliciter sufficiens, quæ etiam in iustitia legali reperitur; habent enim ciues singuli ius, & dominium distinctum à tota communitate, & sanè ciuis quicumque non est pars totius communitatis ita naturalis, atque filius est pars patris, quæ ratio ineuitabilis est; nec ita necessaria, & coacta, atque seruus est proprium instrumentum domini; est enim ciuis spontanea, & libera pars, quæ suo arbitratu potest se ab ea communitate separare. Ita Salon. Banez, & Aragon *ad* 2.2. *D. Thom. q.* 58. *a.* 6. Dicast. de Iust. *l.* 2. *tr.* 1. *disp.* 2. *dub.* 3.

165. *Huius sum sententiæ.* Hanc mentem sector, quam existimo esse Aristotelis *l.* 5. *Ethic. c.* 1. *&* 2. profantis *Iustitia, quæ locum partis obtinet* (sic appellat Iustitiam particularem) *cum altera vniuersali vniuoca est: eo quod in eodem genere est definitio.* Consentit D. Thom. maxime cum nunquam connumeret legalem iustitiam aut inter ea, quæ pertinent ad iustitiam secundum quid, aut inter partes potentiales iustitiæ. Nec rationem oppositæ sententiæ vrgere reor. Patria enim (iuxta D. Thomam *q.* 101. *a.* 3.) dupliciter spectari potest. Primò vt est patria, nempè quoddam nascendi & essendi principium: ac secundum ea, quæ illi vt tali debentur; atque hac quidem ratione pietas versatur circà illam, nec est perfecta æqualitas, sed iustitia secundum quid: Secundo, considerari potest præcisè vt est communitas quædam, cum qua connexi sumus tanquam partes ciuili quadam societate; qua ratione non repugnat esse circa illam iustitiam legalem & perfectam.

PROBL. VIII.

Iustitia legalis quæ est in Principe & quæ est in subditis differunt, & non differunt specie.

166. *Differunt specie.* DIfferunt quidem specie. Quia Aristoteles 2. *Phaysicor. tex.* 34. *&* 35. & communis sententia docet, artes Architectonicas, & administratiuas, v.gr. equestrem & frenofactoriam, item secundum multorum sententiam prudentiam legislatiuam in Principe, & prudentiam politicam in ciuibus differre specie; ergò etiam iustitia legalis in Principe & subditis specie differt. Sic D. Thom. *quæst.* 58. *art.* 6. asserens iustitiam legalem principaliter & quasi architectonice, seu per modum operantis, & dirigentis esse in Principe: in subditis autem secundario, & quasi ministerialiter. Probabilem putat esse. Dicast. *l.* 2. *tr.* 1. *disp.* 2. *dub.* 3.

167. *Non differunt.* Specie non differunt. Quia ea virtus, seu iustitia legalis vt est in Principe, & vt est in subditis, ex se quidem & quantum est ex parte voluntatis, non habet specialem laudem, & difficultatem. Voluntas enim Principis, vbi, & quatenus id recta ratio iudicat, per se non minus facilè fertur in bonum communitatis præcipiendo, quam voluntas subditi parendo. Quod si noua sit difficultas ex parte intellectus, vt videlicet Princeps apta media administrandæ Reipublicæ inueniat, id ad prudentiam spectat, eaque de causa aliqui putant, prudentiam legislatiuam specie distingui in Principe à prudentia politica in ciuibus. Ita Valent. 2.2. *quæst.* 22. *punct.* 2. Banes, Salon, Aragon ad 2. 2. *Diui Thomæ quæst.* 58. *artic.* 6.

168. *Hoc mihi probabilius.* Hanc sententiam probabiliorem esse reor. Nam illud Aristotelicum de Architectonica

ctonica & administratiua locum habet; quando Architectonica (quæ superior est) per se & ex suo proprio fine, ac proinde secundum essentiam talis est; non verò si solum sit per accidens, & ratione subiecti, in quo est, vt iustitia legalis, quæ adest in Principe. Quod si obiicias: Facilius multiplicantur virtutes in voluntate, quam habitus in intellectu; ergò si multiplicatur prudentia intellectualis virtus, & alia est prudentia legislatiua in Principe distincta specie à prudentia politica in ciuibus: idem erit de Iustitia legali, quæ virtus est voluntatis. Respondeo, antecedens esse verum plerumque & à toto genere: non tamen semper, vt videre est, iuxta multorum sententiam, in intellectu vbi datur peculiaris habitus primorum principiorum distinctus ab habitu scientiæ inde deductæ, quod non contingit in voluntate. Vnde in intellectu distinctus est habitus inclinans ad cognoscenda principia, & inclinans ad cognoscendam conclusionem: & tamen in voluntate eadem virtus est finis & mediorum, quæ duo inter se comparantur sicut principia cum conclusione.

PROBL. IX.

Duæ species iustitiæ legalis, quarum vna iuxta literam legis, altera iuxta mentem potius Legislatoris commune bonum procuret, constituendæ & non constituendæ sunt.

169. *Constituendæ sunt.* IN quæstionem vocarim, an saltem duæ species iustitiæ legalis sint constituendæ, quarum vna iuxtà literam legis, altera iuxta mentem potius legislatoris commune bonum procurat, quam Græci appellit ἐπιεικείαν; id est *æquitatem*; de qua D. Thom. 1. 2. *q.* 102. Constituendæ planè sunt iustitiæ legalis duæ huiusmodi species. Quia iustitia sic explicata videtur habere specialem honestatem, & difficultatem ex parte sui obiecti, cognita enim legis litera, vlterius ad indaganda legislatoris mentem laboramus. Sic Banes, & Aragon *ad* 2. 2. *quæst.* 58. *artic.* 6. Fauet Doctor Angelicus *quæst.* 112. *artic.* 2. & Aristot. 1. *Rethor.* 11. *& lib.* 5. *Ethic. cap.* 10. *& lib.* 2. *magnor. Moralium cap.* 1.

170. *Non sunt constituendæ.* Iustitia illa, quæ iuxta mentem legislatoris commune bonum procurat, à Græcis *Epiikeia* vocitata, solum accidentaliter differt à Iustitia, quæ commune respicit bonum iuxta literam legis: vnde minimæ duæ illæ Iustitiæ legalis species sunt constituendæ. Quia nec iustitiam legalem nec virtutem aliam quamcumque pro obiecto proprio & speciali habere decet, (aut potest) nudam literam aut sonum, seu corticem legis nullo habito respectu ad legislatoris, intentionem; tale enim obiectum per se non esset bonum; ergò quælibet virtus ad Epiikeiam legis, qua præscribitur, inclinat. Ita Ioan. Dicastil. *de Iust, & Iure lib.* 2. *tractat.* 1. *disputat.* 2. *dub.* 3.

171. *Hanc hæret sententiæ.* Cui quidem hæresco, ratus, accidentaliter differre Epiikeiam; quia sic explicata per se non habet specialem honestatem, aut difficultatem ex parte sui obiecti. Porrò si iustitiæ legalis duæ hæ constituerentur species, sequeretur iustitiam particularem tam distributiuam, quam commutatiuam, imò quamlibet etiam virtutem particularem pari ratione in varias species particulares fore diuidendam; in his enim eadem potest accidere varietas: v. gr. quando si attendamus literam legis, iciunium esset seruandum; in casu autem particulari iuxta mentem legislatoris ex causa rationabili non seruatur. Item quando si generalem legem attendamus, gladius ex legis præscripto restituendus esset domino: furioso tamen non restituitur ex æqua legis interpretatione. Certè Aristoteles, ac D. Thomas non minus in opposita, quam in hac sententia explicatione indigent. Nam Doctor Angelicus tr. de Epiikeia, inter partes potentiales iustitiæ, quæ non possunt esse condistinctæ Iustitiæ species, eam constituit: & in hac nostra sententia vterque Auctor de accidentali differentia vtcumque possunt explicari.

PROBL. X.

Iustitia Oeconomica est, & non est species Iustitiæ propria atque distincta.

172. *Specialis virtus est.* SVppono iustitiam Oeconomicam eam esse, quæ est inter patrem & filium, virum & vxorem, dominum & seruum, quam neque esse propriè, Iustitiam, neque eius obiectum propriè & simpliciter Iustum ostendi. Sed tantum esse Iustum, & iustitiam secundum quid. Voco autem ad quæstionem, num hæc Oeconomica Iustitia sit aliqua

qua specialis virtus : certè specialis quædam virtus est , quæ iuxta triplicem (quam suppositi) combinationem , domus totius bonum procuret quamuis pro diuerso binario diuersum nomen sortiatur. Quia Diuus Thomas *art. 7. ad 3.* pro eadem sententia referens Aristotelem profatur : *Domestica multitudo secundum Philosophum 1. Polit. cap. 3. & vlt. distinguitur secundum tres coniugationes, vxoris scilicet , & viri , Patris & Filij, Domini & serui. Quarum personarum vna est quasi aliquid alterius : & ideo ad huiusmodi personas non est simpliciter Iustitia , sed quædam Iustitiæ species , scilicet Oeconomica vt dicitur 5. Ethic. cap. 6. & cap. vltimo.* Pugnant ergo pro hac sententia Theologicæ , ac Philosophicæ scholæ capita.

174. *Non est.* Non est constituenda specialis virtus pro bono totius domus procurando. Quia ad eius officia præstanda sufficit tum legalis Iustitia tùm cæteræ virtutes morales , Prudentia scilicet , Fidelitas, Obseruantia , Obedientia , Fortitudo, Temperantia , pro diuersitate materiæ, & actionum , quibus bonum domus procurari debet. Ita Arag. *2. 2. quæst. 58. artic. 7.* qui testatur esse communem. Tanner. *disput. 4. de Iustit. quæst. 2. numer. 73.*

175. *Auctoris placitum.* Ego quidem scio , quosdam non agnoscere ad præfata munia specialem virtutem , admittere tamen iuxtà prædictas coniugationes tres virtutes distinctas , quæ latè loquendo nomine Iustitiæ œconomicæ possint appellari : non tamen habentes sub eo nomine aliquam vniuocam vnitatem propter diuersitatem debiti valdè notabilem in vnaquaque coniugatione : ita vt prima sit *pietas* inter patrem & filium : secunda *Iustitia coniugalis* inter virum & vxorem: tertia *Iustitia herilis* inter Dominum & seruum; quam quidem tertiam sententiam Val. *2. 2. q. 2. pun. 2.* expressit asserens Iustitiam coniugalem strictè œconomicam appellandam. Attamen huius tertiæ sententiæ ratio mihi non placet , quòd propter maximam illam diuersitatem muneris , & debiti non conueniant illæ tres coniugationes in vna œconomica. Fateor primam sententiam satis esse probabilem tum propter auctoritatem Diui Thomæ , & Aristot. tum quia videtur vnitas sufficiens in obiecto ad constituendam vnam virtutem procurandi bonum totius domus : multo enim minor vnitas sæpè sufficit ex parte obiecti , vt vnitatem habitus tum intellectus tum voluntatis constituamus : tantaque diuersitas esse solet inter partes eiusdem Reipublicæ gubernandas , quanta inter partes domus: tantumque differunt sæpe ratio & munera procurandi boni communis comparatione Principum primæ & secundæ classis, & aliorum nobilium communium , & plebeiorum , &c. tam diuersaque videntur debita capitis erga illos , & illorum circa caput supremum : quam sint debita patrisfamilias erga vxorem , liberos, seruos , & famulos : & tamen comparatione illorum omnium constitui potest vnica virtus communis ; ergo etiam eorum comparatione. Nihilominus secunda sententia mihi maximè arridet; tum quia magis conformis videtur vulgari virtutum distinctioni , secundum quam communiter præter pietatem nulla specialis alia virtus inter personas domesticæ familiæ admittitur ; tum quia in sola pietate reperitur valdè diuersum obligationis fundamentum , ortæ scilicet non ex contractu mutuo , vt inter virum & vxorem : neque ex lege aliqua extrinseca & Iure gentium , vt inter seruum & Dominum ; sed ex ipsa naturali participatione eiusdem sanguinis , colligationéque principij mutua viuentis cum effectu viuenti orto à principio viuente in similitudinem naturæ , quorum vnus sit quasi pars alterius. Tum denique , quia quando ad aliqua munera præstanda , & difficultates vincendas , sufficiunt aliæ virtutes communiter receptæ , & agnitæ, nulla necessitas cogit , nouas agnoscere, & multiplicare ; atqui sufficiunt aliæ virtutes pro præfatis officiis ; ergò non sunt nouæ virtutes multiplicandæ. An non ad debitum Iustitiæ soluendum in vxore , & in seruo sufficiunt obseruantia , fidelitas , & obedientia ex parte illorum : in marito verò & Domino sufficit fidelitas ergà vxorem & aliæ obligationes Iustitiæ , tum etiam prudentia , & strictior charitas ? An non erga seruum sufficiunt aliæ virtutes , sicut in Præceptore aut Confessario ex charitate hæc officia obeuntibus ? Frustra ergo pro his virtus noua quæretur.

***

CAPVT XVI.

Circa contractuum essentiam, in eisque pœnitentiæ licentiam antè perfectam traditionem.

PROBL. XI.

Materia & forma contractus est, & non est sola ratione distincta.

176. *Et sola ratione distincta.*

EST sola ratione distincta. Quia verba ipsa habent rationem materiæ in quantum significant traditionem rei, de qua fit contractus, hac enim ratione significant aliquid determinabile. Eadem verò verba, quatenus mutuam acceptationem significant, habent rationem formæ; quia determinant & perficiunt. Sic *aliqui*, quorum sententiam probabilem esse docet Ioan. Dicast. *l. 2. tract. 3. disp. 1. dub. 2.*

177. *Non est sola ratione distincta.*

Non est sola ratione distincta. Quia mareria est res ipsa, de qua contrahitur: forma verò verba contrahentium; quod per se videtur notum in omni contractu ciuili. Communi enim omnium sensu materia venditionis, v. gr. tantum dicitur esse res, quæ venditur. Ita Dicastil. citat.

178. *Idem existimo.*

Idem assero, ratus, oppositum esse contrà communem Iurisperitorum sensum, ac modum loquendi: qui verba contractus ad formam solùm & solemnitatem Iuris referunt. Vnde contra primam sententiam obiicio, quòd materia semper distingui soleat realiter à forma. Ratio autem illa traditionis & acceptationis in verbis sola ratione distinguitur, ac proinde minus propriè vna ratio dicitur materia respectu alterius.

PROBL. XII.

Contractus habent, & non habent materiam ex qua, sed tantùm circa quam.

179. *Habent materiã ex qua.*

TOtum artificiale siue contractus habet materiam *ex qua*, nempè rem ipsam, quæ est materia *circa quam* verborum, & materia ex qua componitur contractus: ita vt res ipsa non secundum se præcisè, sed vt subest consensui possit appellari materia *ex qua* constat contractus, & tunc est materia proxima; secundum se verò considerata est materia remota, & circa quam. Est enim totum hoc artificiale, in quo composito res ipsa potest esse materia proxima & remota contractus per solam applicationem formæ & solemnitatis; eadem enim res potest dici materia remota & *circà quàm* v. gr. venditionis, ante quam sint verba & consensus: & eadem erit proxima, & *ex qua*, accedente mutuo consensu verbis expresso. Sic in contractu Matrimonij philosophantur Palud. *in 4. dist. 16. quæst. 4. ad 2.* Petr. Soto *lect. 3. de Matrim.* Adrian. *in 4. quæst. 1.* Couarr. *de Matr. 2. p. §. 1. cap, 1. num. 8.* Bonau. *in 4. dist. 28. q. 5.*

180. *Non habent materiam, ex qua.*

Contractus non habent materiam *ex qua*, sed tantum *circa quam*. Quia contractus ciuilis est quoddam totum artificiale, in quo non est necesse assignare materiam *ex qua* distinctam à materia *circa quam*. Imò non raro in toto physico & naturali id non reperitur; subiectum enim accidentium, v. gr. non dicitur materia ex qua componitur accidens, sed circà quam versatur, aut in qua est. Ita aliqui, quorum suppresso nomine sententiam approbat & in contractu Matrimonij sequitur Dicastil. *l. 2. tract. 3. disp. 1. dub. 2.* se referens ad materiam de Matr. *disp. 2. dub. 21. num. 19.*

181. *Idem affirmo.*

Idem assero, & illam de toto physico instantiam confirmo. Quamuis enim in accidenti possimus distinguere diuersas rationes, quarum vna se habeat vt determinabilis, altera vt determinans: nunquam tamen dicimus, accidens componi ex materia & forma. Rationes enim illæ potius sunt gradus quidam metaphysici. Quapropter etiam in ciuili contractu, licèt possit in verbis distingui ratio traditionis à ratione acceptationis: tamen vtraque ad formam & solemnitatem contractus pertinet.

PROBL. XIII.

Contractus aliqui, qui traditione ipsa perficiuntur, & in posterum per se non pariunt obligationem, diffiniuntur & non diffiniuntur communi apposita contractus diffinitione.

182. *Non diffiniuntur.*

QVonammodo dicitur contractus *vltrò citroque obligatio*, cum aliqui contractus traditione perficiantur, post traditionem

traditionem verò non maneat mutua obligatio pendens in futurum? Certè cõtractus, qui traditione ipsa perficiuntur, & in posterum per se non pariunt obligationem, non definiuntur præfata definitione. Quia si est *vltro citroque obligatio*, quomodo potest obligatio in posterum adesse, vbi ipsa contractus traditione perficitur? Certè venditio ita potest celebrari vt de præsenti detur pretium pro re etiam præsenti, ita vt nulla deinceps maneat obligatio. Sic Sotus *lib. 6. de Iust. q. 2. art. 1.*

183. *Definiuntur quidem.* Aliqui contractus mutui, ac respectiui, qui ex natura rei sic perficiuntur traditione, vt non maneat in posterum obligatio præfata definiuntur definitione. Quia non definiuntur illa Vlpiani definitione, quia post contractum perseueret mutua obligatio in futurum; sed quia loco illius obligationis succedit materia tradita: immo & de præsenti potest quis imaginari obligationem mutuam; in omni enim permutatione nemo vult permutare nisi sub conditione, si alius velit obligari ad permutandum de præsenti. Ita ingeniosè planè Dicastil. *lib. 2. tract. 3. disputat. 1. dub. 3.*

184. *Hanc sectorem tem.* Hærens sapientissimo Doctori, ad illud de emptione respondeo, essentiam huius contractus mutuam posse inducere obligationem; neque enim necessaria est traditio, vt eius essentia perfecta intelligatur. Quod si aliquando loco obligationis succedat materia illius, nihil mirum, si cesset obligatio, cum statim adsit impletio illius obligationis, quæ esset si statim non impleretur. Profecto contractus aliquis benè potest dici, perfici traditione, quando ex ipsa rei traditione oritur obligatio, v. gr. mutuum, vt patet ex instit. *Quibus modis re contrahatur obligatio*, vbi in principio dicitur *Re contrahitur veluti ex mutui datione*, licet hæc obligatio solum maneat ex parte mutuatarij; aliqua tamen obligatio benè potest esse ex parte mutuantis; quia post mutuum intra certum tempus aliquod non potens mutuans petere solutionem; ac proinde etiamsi huiusmodi contractus traditione perficiatur, post traditionem tamen manet obligatio. Deinde in matrimonio, qui est contractus mutuus, & respectiuus, etiam post mutuam traditionem corporum manet mutua obligatio seruandi fidem, & debitum reddendi. Tantum restat difficultas de quibusdam permutationibus an ita perficiantur re ipsa & traditione, vt ante illam non consistat illarum essentia, & tamen post traditionem nulla perseueret obligatio. Valde mihi probabile est esse essentiam permutationis perfectam ante traditionem rei sicut in aliis contractibus. Dicitur autem in Iure permutatio non perfici antè traditionem, *leg. 1. ff.* de rerum permutat. Hoc vero intelligi potest, quantum attinet ad actionem ciuilem. Vt enim inferius expendam, secundum Ius ciuile in contractibus innominatis permittitur pœnitentia, nempe vt possint contrahentes antè conditionem impunè recedere à contractu: & in ordine ad hunc effectum potuit Ius ciuile statuere, contractum istum non perfici antè traditionem. Ex quo dici potest, omnes contractus petere obligationem.

PROBL. XIV.

Permutatio est, & non est absolutè contractus innominatus.

185. *Non est absolute contractus.* PErmutatio non est absolutè contractus innominatus, sed cum distinctione. Innominatus contractus est, quando datur certum pro incerto; Nominatus verò si res certa pro certa tradatur. Quia congruit menti huic Vlpiani definitio: *Contractus innominatus est, qui nomine generali pactionis stat, nec transit in certum & specificum nomen.* Atqui si res certa pro certa tradatur, iam pactio ad proprium ac specificum nomen transibit ergo erit innominatus, quando datur certum pro incerto solummodo: non quum certum pro certo traditur. Sic Anton. Gomez *tom. 2. variar. c. 8.* & alij.

186. *Est absolute contractus.* Permutatio sine distinctione dicitur contractus innominatus. Quia si contractus innominatus iuxta Vlpianum est, *qui nomine generali pactionis stat, nec transit in proprium, & specificum nomen*; omnis permutatio siue rei certæ pro certa, siue incertæ pro certa vel incerta, stat in generali nomine pactionis; quia permutatio est commune nomen secundum natiuam significationem, illoque gaudet omnis contractus; contractus ergo dictus *permutatio* non addens aliud speciale nomen stat in generali nomine permutationis, atque adeo innominatus est. Ita multi quos refert Padil. *leg. Naturalis in principio, num. 23.*

187. *Eiusdem opinionis sum.* Lubens consentio, sciens probari id posse

posse ex *leg. 5. tit. 6. partita 5.* Vbi sine vlla distinctione *permutatio* contractus innominatus vocitatur. Certè *permutatio* est commune nomen secundum natiuam significationem, illoque (vt dictum est) gaudet omnis contractus, vti ait Glossa in rubr. Cod. de rer. permut. & Barthol. Leg. iuris gentium in principio. Nam generali nomine omnis emptio & venditio potest dici permutatio; permutatur enim res pro pecunia.

PROBL. XV.

In contractibus innominatis secundum ius Canonicum ante perfectam traditionem est, & non est licita pœnitentia.

188. *Suppono secundum ius ciuile dari locum pœnitentiæ, secundum autem ius Castellæ non dari.*

QVæsierim, num licet contrahentibus eo in casu à contractu recedere? Certè iure ciuili est pœnitentiæ locus; si enim vnus non vult ex parte sua implere, alter potest discedere. Quia in his contractibus mutuis includitur conditio seruandi pactum, si alius seruauerit, Gregor. Lopez *ad leg. 3. tit. 6. parti. 5.* qui alios citat At secundum ius Castellæ non est pœnitentiæ locus, vt apertè constat ex Leg. 2. *tit. 16. leg. 5.* nouæ collection. Vbi ex pacto nudo conceditur actio, si constet, aliquem voluisse se obligare. Ex quo necessariò sequitur, negare pœnitentiæ locum, quando aliàs secundum ius naturale licita non est. Molin. *disp. 258.* Anto. Gom. 2. *variar. cap. 8.* Sinè causa vero aliqui voluerunt, leges Castellæ tantum habere locum in simplicibus promissionibus, non in respectiuis: cum lex apertè loquatur de omni contractu his verbis; *Pareciendo, que vno se qui so obligar a otro, o por promission, o por algun contrato &c.* Igitur quæstio voluitur de contractibus secundum ius Canonicum, ac ius naturale.

189. *Licet à contractu recedere.*

Secundum Ius Canonicum licet cõtrahentibus à Contractu recedere. Quia in Iure Canonico non est aliquid statutum contra ius ciuile. sic Gregor. Lopez *ad leg. 3. tit. 6. parti 5.* Felin & alij.

190. *Non licet,*

Secundum Ius Canonicum non licet pœnitentia, nec possunt contrahentes à contractu recedere, quando alter non fuit in mora, & sine culpa non impleuit, paratus tamen est implere; ac proinde secundum ius Canonicum attendenda est naturalis obligatio. Quia ius Canonicum non requirit stipulationis solemnitatem, nec aufert obligationem naturalem, quæ potest ex pacto nudo oriri, Ita Molin. *disput. 258.* & alij.

191. *Hanc sequor mentem.*

Hæc sententia mihi probatur; quia ex communi doctrina Doctorum in *Cap. 1. 1. de pactis* secundum ius Canonicum ex pacto nudo conceditur actio. vnde sequitur, etiam non dari pœnitentiam, quando quis aliquid impleuit, ratione cuius alter manet obligatus.

PROBL. XVI.

In contractibus hisce secundum ius naturale est, & non est, contrahentibus licita pœnitentia.

192. *Pœnitentia circa hos contractus licita est.*

IN hisce contractibus circa ius naturale licet pœnitentia; seu contrahentes possunt à contractu recedere, ante quam contractus impleatur. Quia Vlpian. *leg. 1. de rer. permut. vers. Permutatio*, asserit, permutationem ex re tradita initium præbere obligationi. Ergo secundum Vlpianum antè traditionem non est obligationis initium. Præterea ostenditur ex leg. *Naturalis, §. & si quidem, ff. de præscriptis verbis.* Vbi ante adimplementum contractus eius, quod ab vna parte solutum est, conceditur repetitio. Sic *aliqui* quorum, suppresso nomine, gerit memoriam Dicastil. *l. 2. par. 3. disput. 1. dub. 4. num. 45.*

193. *Non est licita.*

In hisce contractibus circa Ius naturale non licet pœnitentia, nec contrahentes possunt à contractu recedere. Quia ex tali contractu oritur obligatio naturalis, ac proinde si vnus velit, vt contractus impleatur, alter recedere non potest. Ita Padilla *in §. & si quidem*, qui plures alios refert Alexand. *l. 2. cons. consil. 158.* Fortun. *in cap. 1. de pactis.*

194. *Auctoris sententia.*

In primis censeo, in foro conscientiæ non esse licitum recedere, quando vterque voluit se obligare secundum verba & signa externa, id quod probat secundæ sententiæ ratio, quia ex tali contractu obligatio naturalis exoritur. Deinde si in contractu apposita fuit aliqua conditio implenda antè adimpletionem contractus, illa deficiente, recedere potest, qui noluit contrahere nisi sub ea conditione; in contractu enim conditionali deficiente conditione nulla est obligatio, quod verum est in omni contractu, nisi fortè ex dispositione iuris illa cõditio habeatur pro non adiecta. Denique, aliquando ita contra hunc nonnulli, vt ex verbis & modo

contra

contrahendi satis constet, illos noluisse se obligare ante adimpletionem contractus: in quo casu secundum seueritatem iuris Naturalis licitum est cuilibet illorum recedere; contractus enim promittentium non obligant vltra eorum intentionem, & ideo obligatio contractus dicitur oriri ex contrahentium voluntate, vt docuit Vlpia. *leg.* 1. *ff. depositi*, & secundum hanc doctrinam debet intelligi *lex* 3. *tit.*7. *partit.*5. *Si el cambio fuesse hecho solamente por palabras, diciendo cada vno de las partes: Quiero cambiar tal cosa, y la otra parte digesse simplemente, que le placia, sin otro prometimiento: entonces bien se podria arrepentir qualquiera de las partes.* Quod igitur pro prima sententia ex Vlpiano est adductum potest intelligi secundum iuris ciuilis dispositionem, iuxta quam non censetur incipere obligatio permutationis ante traditionem rei. Ex præfatis infero, non esse licitum recedere ab innominato contractu, quando celebratus est ita, vt valeat meliori modo, quo potest; ex tali enim modo contrahendi oritur obligatio adimplendi contractum meliori modo, quo fieri possit. Lege Petrum de Dueñas *de regul. selectis, regu.* 110. *limit.*7. & 8.

PROBL. XVII.

Quando neque ex verbis neque ex materia certo colligi potest contrahentiũ intentio: potest, & non potest tunc alter recedere secundum ius naturale.

195. *Recedere potest.* NEque ex verbis neque ex materia certo potes colligere contrahentium intentionem: poterit nè tunc alter recedere secundum ius naturale? Recedere potest. Quia modus ille contrahendi ita imperfectus est; vt spectato communi omnium more, signum sit, noluisse se obligare. Sic aliqui, quos supresso nomine Dicastil. *lib.* 2. *tract.* 3. *disp.* 1. *dub.* 4. memorat.

196. *Non potest.* Non potest recedere tunc à contractu secundum Naturale ius. Quia recedens, contra alterius ius operaretur. Ita aliqui apud eundem Dicastillo citatum.

197. *Primam eligo sententiam.* Primam eligo sententiam; quia in materia iustitiæ melior est possidentis conditio; ergo quando dubium est de iure alterius, is, qui possidet, meliori gaudet conditione. Vnde infero, licitum esse hæredi recedere à contractu defuncti, quando dibium est ex verbis, & modo contrahendi ipsius defuncti, an se voluerit obligare ante perfectum omnino contractum. Scio, oppositum Dueñas *de Regul. select. regu.* 110. *limit. penult.* docuisse: sed immeritò.

198. *Aliqua adnoto vt planiorem reddant materiam* Porrò vt materiam de licita à contractibus recessione perficiam, nonnihil adnotabo, quod *section.* 1. non expressi. In contractibus, qui scriptura perficiuntur, contrahentes non censentur communiter; velle se obligare, donec scriptura fiat, quando de illa facienda tractant. Quia non censent, contractum esse perfectum ante scripturam. Leg. 1. *ff. de rer. permutat.* Et sanè in Castella *leg.*7. *partit.*5. *tit.*5. Gregor. Lopez ex aliis docet, in dubio de animo contrahentium, an voluerint se obligare? præsumendum esse, non alium, quam communem fuisse illorum sensum; nempe vt non anteà se voluerint obligare, quam sit scriptura perfecta. Deinde adnoto, aliquando dari aliquid, pro contractu perficiendo; quod Hispanicè dicitur *Señal*, quod qui dat, amittere debeat, si nolit contractum perficere; qui verò accipit, duplum soluat, nempe id, quod accepit, & tantumdem, si ipse est, qui nolit. Ita Leg. *contractus. cod. de fide instrument.* & in Castella *libro* 7. *tit.* 5. *parti.* 5. Denique quod attinet ad conscientiæ forum, idem obseruandum est in contractibus nominatis, aut quasi contractibus, vt cognoscamus, quando sit, aut non sit. licita pœnitentia. Atque in contractibus nominatis communiter affirmant Doctores non dari pœnitentiam secundum ius ciuile, si semel perfecti sint: & quoad hunc effectum etiam secundum ius ciuile perficiuntur ante traditionem solo consensu, aut determinata forma verborum. Lege Molinam *disp.* 258.

PROBL. XVIII.

Vt cognoscere possis, quisnam contractus sit, debes, & non debes attendere ad contrahentium intentionem.

199. *Intentio attendenda.* VT possit constare qui nam contractus sit, siue vnde sit, desumenda ratio contractus: attendenda est præcipuè contrahentium intentio. Quia actus agentium nõ operantur vltra eorum intentionem; hæc vero colligenda est ex nomine, quo vtuntur contrahentes. Nam si quis deceptus suam rem emeret, illa re vera non esset emptio. Sic Panormit. *ad Cap. ad*

quæstiones, de rerum permut. Nauar. ad Cap. Final. *de vsuris n.* 21. & alij.

200. *Non attendenda intentio.* Non est attendenda præcipue intentio contrahentium, vt cognoscamus, quinam ille contractus sit; sed à maiori parte desumenda est denominatio cõtractus. Quia quando (v. gr.) pro vna re datur alia res & pecunia simul, si pecunia sit maioris valoris, quam res, quæ datur cum pecunia, dicetur permutatio. Ita Couarru. 2. *Variar. c.2.n.9.*

201. *Primam sententiam eligo.* Primam sententiam eligo, sed addendum existimo doctrinam illam intelligendam esse secluſa ignorantia, & circa materiam incapacem talis contractus; quia etiamsi quis dicat, se velle permutare pecuniam præsentem pro æquali eiusdem rationis soluenda in futurum, non facit contractum permutationis, sed mutui. Potest vero apprimè iuuare intentionis contrahentium cognitio, vt inde dignoscamus, an existat contractus, & perfectus sit.

PROBL. XIX.

Quando de peculiari intentione contrahentium non constat, & pro vna re datur simul res & pecunia æqualis valoris: est & non est reputandus contractus emptionis.

202. *Est reputandus contractus emptionis.* IN quæstionem vertunt Doctores, qualis sit censendus contractus, quum de peculiari contrahentium intentione non constat, & pro vna re datur simul res, & pecunia valoris æqualis? Tunc reputandus est emptionis esse contractum. Quia datur pecunia pro re. Sic Alexand. *leg.* 2. *n.* 8. *ff. si certum petatur.*

203. *Non est reputandus.* Non est vnicè reputandus contractus emptionis, sed permutationis. Quia datur res pro re. Ita Barthol. *sup. leg.* 1. *ff. de rer. permutat.* Couar. 2. *varia. c.* 4 *num.* 4.

204. *Auctoris sententia.* Putarim duos esse contractus reputandos, alterum permutationis, emptionis seu venditionis alterum. Quia verè est materia vtriusque contractus; datur enim res pro re, & res pro pecunia. Et sanè facile intelligi potest, quando res, pro qua datur pecunia simul cum alia re, esset partibilis in ordine ad diuersos contractus; possemus enim intelligere, vnam partem eius rei dari pro altera re, alteram pro pecunia. Quod si esset impartibilis, adhuc putarim, ibi esse permutationem venditioni adiunctam. Sat enim est ad rem moralem, quod eius rei æstimatio sit partibilis, quamuis ipsa alias secundum se, partiri non possit. Legendus Molina *disputation.* 336.

PROBL. XX.

In contractibus humanis sufficit, & non sufficit, signum externum absque consensu interno dandi ius in rem circa quam est contractus, aut dandi illius dominium.

205. *Sufficit signũ externum.* VIdimus *section.* 1. contractum respectiuum, seu reciprocum v. gr. emptionem & venditionem ad sui valorem imo ad sui naturam & essentiam requirere signum externum, consensus interni expressiuum. Quia cum sit contractus humanus, seu pactio humana haud potest sine signis externis exponi. Vertitur autem in quæstionem, num ad naturam contractus, eiusque valorem sufficiat signum externum absque consensu interno dandi ius in rem, circa quam est contractus, aut dandi dominium illius? Sufficit plane. Quia alias quisquis absque eo consensu rem venderet, & eam traderet: posset eamdem absque iniustitia occultè accipere, si pretium emptori rei restituat: quod videtur absurdum. Sic Turrianus *disputatione* 55. *dub.* 12.

206. *Non sufficit.* Ad essentiam, & valorem contractus non sufficit signum externum, sed etiam requiritur consensus internus. Quia absq; vero consensu Domini, quo velit, dominium rei suæ in alterum transferre, aut ei conferre ius in illam, id nequit fieri etiamsi exterius significet id velle: solo enim eo exteriori signo verè non consentit. Ita Molina *disputation.* 352. Lopez *libro* 1. *capit.* 1. Faust. *disputat.* 5. *cap.* 1. Reginal. *lib.* 25. *capit.* 1. Filliuc. *tract.* 33. *c.* 2.

207. *Huic sensui adhæreo.* Huic communi quidem sensui adhæreo,, addens, quamuis quum adhibetur externum signum, sit pro tunc debitus consensus internus ratione veracitatis, vt signum sit verum: nihilominus, quia non est debitus ex iustitia siquidem nullum apparet sufficiens fundamentum ad tale debitum admittendum: nullam adesse obligationem standi contractui fictè facto, nisi quando ex fictione illatum est damnum, alteri quod nequit aliter resarciri, nisi stando contractui: quia fictè

contra

contrahens tenetur ad reparationem damni ex fictione sua secuti, si prudenter timuit, illud euenturum. Vnde nullatenus absurdum putarim, eum, qui fictè rem vendidit, & eam tradidit emptori, posse eam absque iniustitia occultè accipere, si pretium emptori restituat.

CAPVT XVII.

Circà validitatem, ac inualiditatem contractuum.

PROBL. XXI.

Contractus bonæ fidei, & stricti iuris, etiam ex dispositione iuris naturalis, quando dolus dedit causam contractui, nullus est, & nullus non est.

208. *Est nullus.* PRÆMITTO ex prædatis *sect.* 1. errorem in hac re dici iudicium falsum de eo quod iudicatur: dolum autem ex parte decipientis dici machinationem, seu deceptionem, qua quis decipit alterum dicto, vel facto, vel omissione eius, quod dicere, vel facere tenebatur. Deinde ad memoriam reuoco, errorem aliquando contingere circà qualitatem, & accidentia rei aliquando vero circa substantiam. Tunc quidem circà substantiam est error, quando quis putat cõtractum inire circà vnam rem, & re vera est alia: v.gr. cum quis credit emere aurum, & emit aurichalcum. Circà qualitatem vero & accidentia error est, quandò quis putat contractum inire de re affecta quibusdam accidentibus, quæ tamen non habet: v. gr. si quis emat gladium, quem putat apprimè secundum artem temperatum, & non ita est; vel si quis conducat famulum, putans esse nobilem, aut honestis moribus, quibus tamen careat. Denique monuerim, errorem à dolo ex parte errantis tantum differre in eo, quod dolus oriatur ab alio inducente illum errorem; error autem tantum est falsum iudicium vndecumque proueniat. Quæstioni igitur do, num contractus ratione doli censeatur inualidus? Itaque contractus bonæ fidei est nullus, quando dolus dedit causam contractui, etiam ex iuris naturalis dispositione. Quia deficit consensus, nec voluntarium adest, error enim ille, ac deceptio inuoluntarium causat. Sic Moli. *disp.* 259. *& disp.* 352. qui plures refert. Nauarr. *l.* 3. *c.* 2. *p.* 1. *dub.* 7.

Potest quis propter dolum & errorem contrahere, non contracturus cognita veritate, qui dolus tunc det causam contractui, & tamen contractus sit iure naturæ validus. Quia si deceptio non contingat circa substantiam (vt suppono) hic & nunc voluntarius est simpliciter contractus; ergo & validus iure naturæ: quia vere est consensus absolutus hîc & nunc circa substantiam illius. Ita Lessi. *lib.* 2. *c.* 17. *dub.* 5. *num.* 33. Becan. *tom.* 2. *opuscul.* de fide hæreticis seruanda, *sect.* 2. *assert.* 3. Layman. *l.* 3. *de iust. tr.* 4. *c.* 5. *n.* 3. 209. *Nullus non est.*

Hanc sententiam eligo, & magis expono. Deceptio circa aliquod accidens contractus non excludit veram cognitionem substantiæ illius; ergò cum tali deceptione potest esse absolutus consensus in substantiam, cuius vera est cognitio: ac proinde deceptio non impedit voluntarium. Exemplo mentem reddam perspicuiorem. Si quis vendat suam rem inimico, cui non esset venditurus, nisi ignoraret illum esse inimicum: valida nihilominus erit venditio, si alia requisita adsint. Hæc enim circumstantia non est de substantia venditionis, & supposito titulo pecuniæ, sufficiens voluntarium est, & absolutus consensus circà substantiam. Vnde abnegarim illud generale principium pro prima sententia adductum, quod semper deceptio, aut dolus causet inuoluntarium: sed tantum quando est circa substantiam. Hæc doctrina locum habet in omni contractu tam bonæ fidei, quam stricti iuris. Sit ergo in hac sententia regula generalis, vt cognoscamus, quando ratione deceptionis contractus sit iure naturæ nullus, nempe, an deceptio contingat circà substantiam, an solum circa accidens; atque ob hanc regulam in materia matrimonij conceditur, errorem personæ esse impedimentum dirimens iure naturæ: non verò errorem circà diuitias, & similia. 210. *Hanc seligo sententiam.*

PROBL. XXII.

Quando contractus est iure naturæ nullus propter deceptionem circà substantiam illius: decipiens, solo iure naturæ manet, & non manet obligatus veram ad contractus celebrationem.

CONtractus sit iure naturali nullus propter deceptionem circà illius 211. *Non manet obligatus.*

substantiam : scio, tunc ex natura rei teneri decipientem ad restitutionem damni, si ex contractu aliquo decepto est illatum. Quod verò attinet ad celebrationem veram contractus, quæsierim, an decipiens solo ex iure naturæ ad celebrandum in futurum vere obligatus maneat? Certè decipiens solo iure naturæ obligatus non manet. Quia deceptus non manet obligatus, & tamen contractus respectiuus est vltro citroque obligatio. Si ergo deceptus non tenetur, nec tenebitur decipiens contractum celebrare. Sic Moli. *disp.* 351. & alij.

212. *Manet obligatus.* Decipiens manet obligatus ad celebrandum contractum, si deceptus velit, & hoc solo iure Naturali, etiam secluso quolibet positiuo. Quia si decipiens habuit verum animum contrahendi, consensus ille ex parte ipsius sufficiens fuit ad contrahendum, atque adeò ad obligationem contractus, si alius velit contrahere etiam cognita veritate. Item quia nemo debet commodum de sua iniquitate reportare; reportaret autem, si non maneret obligatus. Imo à iudice iustè cogeretur ad standum contractui, si alter id petat. Ita Lessi. *l.2. c.17. dub.5. num.32. & 62.* Rebel. *l.9. q.4. num.3.* Reginal. *l.15. n.122. & 144.* Coninch. *de Matr. disp.28. dub.1.n.7.*

213. *Auctoris placitum.* Mihi videtur, posse decipientem manere obligatum, si ipse sensibiliter ostenderet, aut promitteret, se velle contrahere, aut contracturum, si alius vellet; nam ex tali voluntate expressa & acceptata obligatio oriretur. Si autem contractus celebratus fuit de præsenti sine vlla significatione voluntatis in futurum, existimo esse probabiliorem sententiam Medinæ *quæst.32. de restit.* quem sequitur Sanchez *lib.1. matr. disp.64.n.3.* & alij, quos refert idem *disp.15. num.5.* non teneri iure naturali, ante iudicis sententiam. Quia consensus decipientis in hoc casu fuit consensus tantum de præsenti, & ad celebrandum tantum de præsenti; ergo si de præsenti fuit nullus contractus, quia non fuit per similem consensum acceptatus celebratus cõtractus respectiuus, nulla in decipiente est obligatio celebrandi in futurum : contractus enim onerosus & respectiuus non claudicat, hoc est, non obligat ex vna parte, nisi etiam obliget ex alia. Cum ergo deceptus non maneat obligatus, nec decipiens manebit.

* * *

PROBL. XXIII.

Quando dolus dat causam contractui, sed non adhibetur à contrahente, sed ab aliquo tertio sine culpa contrahentis : contractus est, & non est iure naturæ nullus.

IN primis certum est, iure positiuo dari actionem decepto contra tertiam personam decipientem. *Leg.2. ff. de proxenetis.* Sanch. *disp.5. de matr. num.5.* An autem sit iure naturali validus contractus, adduco ad quæstionem. Potest quidem contractus esse nullus iure naturali, si contrahens secluso dolo non esset contracturus. Quia eadem est ratio inuoluntarij, siue dolus adhibeatur à contrahente, siue ab aliquo tertio. Sic Medi. *q.33.* & alij. 214. *Nullus est iure naturæ.*

Contractus ille validus est iure naturæ. Quia in eo casu iniustitia illata decepto non infertur à contrahente. Ita Moli. *disp.* 351. & quidem consequenter loquitur; censet enim contractum solummodo esse nullum ratione iniustitiæ illatæ à contrahente propter dolum dantem causam contractui. Vnde quando ipse non infert illam iniustitiam, consequenter docet contractum esse validum. 215. *Nullus non est iure naturæ.*

Asseruerim, donationem, v. gr. iure naturæ esse nullam, si deceptio contingat circà causam principalem motiuam donandi, quamuis deceptio proueniat ab aliquo tertio. Quia in hoc casu donatio est quo ad substantiam inuoluntaria. Quando verò dolus dat causam contractui, si deceptio contingat circa substantiam, etiam si solum adhibeatur à tertia persona, contractus est inuoluntarius quoad substantiam, atque adeò iure naturæ nullus. In quo Medinam secutus primæ sententiæ applaudo. 216. *Primam opinionem sector.*

PROBL. XXIV.

Quando dolus dat causam contractui, sed non adhibetur à contrahente, sed ab aliquo tertio sine culpa contrahentis : ius positiuum voluit, & non voluit, contractum esse validum.

VAlidus est. Quia Princeps & Respublica multum possunt circà materiam horum contractuum, & translationem dominij illorum : valde autem probabile est id statuisse, vt quando nulla 217. *Validus est.*

contra

contrahenti præstatur iniuria ab altero contrahenti, dum ab aliquo tertio fit dolus, pactio teneat. Sic Medi *quæst.* 33. & alij.

218. *Validus non est.* Validus non est. Quia licet Princeps & Respublica multum possint circa horum contractuum materiam, & dominij translationem: ius positiuum in tali casu nihil circà validitatem huiusmodi contractus præscripsit; sed solùm exposuit dispositionem iuris naturalis, secundum quod ius vidimus esse validum. Ita Molina *disput.* 351. Conrad. autem *in sum. de contr. q.* 57. dubitat quidem, sed id non audet definire.

219. *Quid sentiam.* Mihi certum est in hisce contractibus ciuilibus (matrimonium si excipias) ius positiuum posse statuere, vt in prædicto casu validus sit contractus. An vero hoc statuerit, valde incertum est, nec video ius continens talem dispositionem: ac proinde non puto posse tuta conscientia sic contrahentem retinere rem contra decepti voluntatem, etiam si ab aliquo tertio fuerit deceptus: si deceptus nolit agere in iudicio contra decipientem, sed propriam rem sibi restitui ab altero contrahente. Profecto (vt mentem exprimam) sicut contractus metu initus, quantumuis à tertio incutiatur metus, talis est, vt per illum transferatur dominium rei tali vitio affectæ, vt subsis rescissioni, ita hic philosophandum videtur.

PROBL. XXV.

Quandò dolus incidit in contractum, datur, & non datur, secundum ius positiuum, optio decipienti, vt rescindere possit contractum, si velit: vel reducere illum, si malit, ad æqualitatem.

220. *Datur optio.* DAtur optio decipienti, vel vt rescindat contractum, vel ad vt æqualitatem reducat. Quia cum teneatur alterum contrahentem (si sit contrahens & ipse) vel vtrumque (si sit tertius) ab illata iniuria liberare, verosimile est, id à iure positiuo esse præscriptum. Sic Sylvest. & Angel. Hic *ver. dolus*, *num.* 9. *ille ver. culpa quæst.* 7.

221. *Non datur optio.* Non datur huiusmodi optio decipienti. Quia ius positiuum nihil disponit in decipientis fauorem, vnde validus contractus ab ipso rescindendus non est. Ità Conrad. *sum. de contr. quæst.* 57. Medi. *quæst.* 33. Couar. 2. *variar. cap.* 4. *num.* 11. Molina *disput.* 352. Antonius Gomez 2. *variarum capite* 2. *numero* 21.

222. *Idem existimo.* Idem mihi asserendum; nihil enim à iure positiuo video præscriptum, secundum autem ius naturale non obiicitur causa, propter quam detur illi optio contractum validum rescindendi; atque adeò existimo ipsum teneri, excessum pretij restituere; imo & resarcire damna, si quæ secuta sunt ex eiusmodi deceptione.

PROBL. XXVI.

Omnis contractus per metum grauem aut leuem ab intrinseco, & ab extrinseco incussum est, & non est validus iure naturæ.

223. *Non est iure naturæ validus.* NOn est iure naturæ validus. Tum quia in contractu metu inito deficit titulus, atque adeò defectu tituli non valet. Tum etiam quia res illa cum fructibus restituenda est, quando vendita est per metum: at si emptor esset verus dominus, non teneretur restituere fructus; ergo non translatum est dominium, nec valet contractus venditionis. Sic Fortun. *tract. de vlt. fine, illat.* 21. *num.* 337. Sotus *lib.* 8. *de iust. quæst.* 1. *artic.* 7. Palat. *lib.* 4. *de contract. cap.* 9. Moli. *disp.* 326. Carbon. *de Restit. quæst.* 46.

224. *Validus est iure naturæ.* Omnis contractus per metum grauem aut leuem ab intrinseco aut ab extrinseco incussum, validus est iure naturæ Quia adest sufficiens consensus & sufficiens voluntarium ad contrahendum. Metus enim non tollit voluntarium simpliciter. Iuxta D. Thom. 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 6. Deinde præter consensum est titulus rei pro re. Ergò nihil deficit, vt sit validus Iure naturæ. Ita Sotus *in* 4. *dist.* 29. *quæst.* 1. *art.* 3. Henriq. *lib.* 11. *de matr. cap* 9. *num.* 4. Sanch. *de matr. lib.* 4. *disp.* 8. *num.* 4. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6. *num.* 35. Azor. 3. *p. lib.* 4. *cap.* 33. *quæst.* 2. Lopez 2. *p. c.* 4.

225. *Huic applaudo menti.* Hæc mens mihi magis arridet, dum video adesse titulum rei pro re (vt suppono) & consensum, voluntariumque sufficiens non infirmatum à Iure. Fateor quidem, rem cum fructibus esse restituendam, sed tamen non defectu Dominij, sed quia beneficio Iuris restitutio in integrum conceditur: imo ipso Naturali Iure præscribente instat restitutionis obligatio etiam supposita contractus validitate ob iniuriam ex metu contrahenti incussam. *cap.* 2. *in fine de ijs quæ vi* dicitur. *Quia quæ metu*

metu, & vi fiunt, de iure debent in irritum reuocari, mandamus cum integritate restituas vniuersa.

PROBL. XXVIII.

Contractus metu graui, aut leui intrinseco, vel extrinseco celebratus valet, & non valet iure positiuo.

226. *Non valent.* NOn valent huiusmodi contractus iure positiuo. 2. Quia *leg. metum autem autem* 9. §. *volenti*, dicitur: *volenti autem detur & in rem actio, & in personam.* ergo si datur actio in rem, non tranfertur dominium in accipientem; transferretur autem si valeret contractus: iure igitur positiuo non valet. Præterea metus & dolus æquiparatur in iure. *leg. dolo Cod. de inutil. stipulationibus.* sed contractus per dolum non valet; ergò nec per metum. Sic Rebel. 2. *part. l.* 1. *quæst.* 5. *num.* 15. Valent. 1. 2. *disp.* 2. *quæst.* 1. *pun.* 4. Clauis Reg. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 11.

227. *Valet quidem.* Valent huiusmodi contractus iure positiuo. Quia nullum ius assignatur, ex quo constet eos contractus ipso facto esse irritos; ergo sine fundamento irriti censebuntur. Imò plura afferri possunt ex iure ciuili, in quibus haud obscurè significatur valere quidem contractus metu initos, esse tamen rescindendos data actione ei qui metum passus est. Ità Sanch. *de matr. l.* 4. *disp.* 8. *num.* 4. Lessi. *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6. *num.* 35. Azor. *part.* 3. *l.* 4. *cap.* 33. *quæst.* 2. & *lib.* 6. *cap.* 7. & alij innumeri, quos Sanchez refert.

228. *His hæresco.* His quidem hæresco, & in sententiæ expositionem legem *si mulier*, §. *si metu coactus*, 2. *ff. de eo, quod metus causa*, perpendendam exhibeo. *Si metu* (inquit) *coactus adiui hæreditatem, puto me hæredem effici; quia quamuis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui: sed per Prætorem restituendus sum.* Et *leg. si metus causa* 84. *ff. de acquirenda hæreditate*, dicitur: *si metus causa adeat aliquis hæreditatem, fiet vt, quia inuitus hæres existat, detur abstinendi facultas.* Et iure Regni Castellæ *leg.* 56. *tit.* 5. *parti.* 5. Supponitur valere contractus, & esse infirmandos. *Por miedo* (inquit) *o por fuerza comprando o vendiendo, debe valer, ante decimos, que debe ser desfecha la cõpra.* Ergo quod destruendum est, & rescindendum, signum est substitisse; quod enim non est, destrui non potest. Itaque ad *leg. metum autem*, respondeam, negando consequentiam; potest enim dari actio ad rem ipsam repetendam absque eo quod tunc habeat dominium: actionemque hanc esse mixtam, quia non tantum datur aduersus metum inferentem; sed etiam aduersus rem ipsam, apud quemcumque existat. *leg. si cum*, §. *in hac actione, ff. de eo quod metus causa.* Et quia qui actionem habet ad rem, rem ipsam habere videtur. *Regul. Qui actionem.* 15. *ff. de reg. iuris.* atque adeò mirum non est, si in citata *leg. metum autem*, §. *licet*, res ipsa computetur in bonis eius, qui vim passus est. Demum illam de metu & dolo æquiparationem in omnibus non admitto: atque adeò quamuis metus & dolus vitient contractum, hic irritat ipso facto, vt potè tollens voluntarium requisitum: non verò ille, vt potè non tollens voluntarium & titulum necessarium.

PROBL. XXVIII.

Quando qui potens alium iustè accusare, metu huius iustæ accusationis extorquet ab illo aliquid, ne accusetur: contractus est, & non est validus.

229. *Licet accipere, & retinere, si habeat vere animum accusandi.* PEtrus (v.gr.) aliquo actu prohibito incurrit pœnam à iudice infligendam, si accusetur; potest illum Ioannes accusare, minatur accusationem, nisi aliquid sibi à Petro detur; paciscuntur, vt det Petrus aliquid, nè Ioannes accuset: qui contractus est innominatus, *do, vt non facias.* Quæsierim, num iustè possit Ioannes accipere aliquid, & acceptum retinere? vnde constet validum extitisse contractum inducentem in Petro reddendi, quod promisit, obligationem. Porrò si Ioannes habet animum verè accusandi, atque adeò iustum incutit metum, licet accipere, & retinere ex valida scilicet pactione. Quia desistit ab actu iusto, ac pretio æstimabili, & metum iustum incutiebat: secus verò si minabatur accusationem sine animo accusandi. Sic Moli. *disp.* 514. Bonaci. *de contr. in gen. disp.* 3. *q.* 1. *pun.* 2, §. 3. *n.* 12. & 13.

230. *Potest, etiam si non habeat accusandi animum.* Etiam si non habeat animum accusandi, potest accipere, & retinere ex valido vtique contractu. Quia quamuis absque animo accusandi minetur accusationem, adhuc priuatur iure accusandi, quo se expoliare, pretio est æstimabile. Ita Sanch. *l.* 4. *de matr. disp.* 4. *n.* 9. Lessi. 6. 17. *dub.* 6. *num.* 44.

231. *Placet hæc sententia.* Mihi hæc placet sententia, monuerim tamen cum Sanctio meo cauendum esse

à

à sententia Cordubæ, ac Ludouici Lopez asserentium, non teneri virum restituere pretium extortum ab adultero cum vxore reperto, ne illum interficiat: quia remittit actionem, quam in foro externo habebat impunè occidendi. Reiicio quidem hanc mentem, illumque contractum inualidum censeo: quia eiusmodi metus incussus est iniustus, cum non liceat occidere adulterum propria authoritate. At vero non rescinditur contractus quem vir metu extorquet, ne adulterum accuset; quia illa accusatio iusta est. Idem asserendum de patre, qui non tenetur restituere pretium extortum, ne accuset repertum inhoneste cum filia; tenetur tamen, si extorqueat, ne interficiat priuata authoritate: nisi fortè alio titulo possit retinere acceptum, v. gr. in recompensam damni, si quod patiatur.

PROBL. XXIX.

Contractus sine solemnitate substantiali Iuris in vtroque foro est validus: & in vtroque foro est nullus.

232. *In vtroque foro est nullus.* PRæmitto, aliam esse solennitatem accidentalem, aliam verò substantialem, contractus igitur sine solennitate substantiali in vtroque foro est nullus. Quia ius positiuum potest modum & formam in contractibus describere, qua forma non seruata, contractus obligatio non oriatur. Cum enim contractus sint res ciuiles subiectæ iudicio Principum, qui bono communi Reipublicæ, imo & particulari subditorum tenentur prouidere: necessarium est ad rectam gubernationem eam potestatem habere non minus, ne consurgat obligatio nisi cum certis circumstantiis: quam nè perseueret; sed rescindatur quando id bono communi expedire videatur. Sæpè autem id expedit; ergo æquum est, & rationi consonum, vt id possint. Certè & ipsi contrahentes possunt aliquas conditiones in contractibus apponere, quibus deficientibus non inducatur obligatio: Ergo & Principes possunt eas apponere, quibus deficientibus non se possint contrahentes obligare Dicuntur autem istæ conditiones seu solemnitates formæ contractus; quia sicut deficiente forma in physicis, res non subsistit: ita deficiente ea solemni forma à Principe seu à Iure requisita, non subsistit Contractus. Sic Suar. *lib. 5. de legib. cap.* 24. Lessi. *lib. 2. cap.* 19. *dub.* 3. Salas *de legib. disput.* 16. *section.* 4. Azor. 3. *part. lib. 6. cap.* 9. Saa. *ver. Contractus, n.* 1. Vasq. *de Testam. c.* 3. *n.* 4.

233. *In foro conscientia est validus.* Contractus carens formula Iuris valet quidem in conscientia, non vero in iudicio. Quia iudiciale forum non solum substantiam rei ponderat, sed externam celebritatis rationem attendit. Ità Moli. *disp.* 81. Regin. *l.* 25. *n.* 105. Saa. apud Azor. citat. & apud Vasq. *de Testam. c.* 3. *dub.* 1. Alij contendunt in vtroque foro valere, si adsint requisita iure naturæ. Quia cessante fine legis, cessat eius obligatio; sed solemnitates sunt lege positæ eo fine, vt fraudes euitentur; ergo si hæ solemnitates desunt, cessabit legis obligatio. Sic quidam, quos presso nomine citat Dicastil. *l.* 2. *tr.* 3. *disp.* 1. *dub.* 7. *de Iust. & Iure.*

234. *Auctoris sententia.* Igitur mea sententia est defectu solemnitatis accidentalis nullo in foro infirmari Contractum, substantiali verò omissa Contractum nullum esse. Sentio cum Suario *l.* 5. *de legib. c.* 31. sunt qui excipiant Testamentum & legata ad opera pia; sed non est, cur excipiantur. Quamuis enim verum omninò sit ea valere; verum etiam est, ea non requirere huius modi solemnitates: sed pro his Testamentis, allegatis Iure saltem Canonico (quod Ciuili derogat in ijs rebus & pluribus aliis) eas formulas esse sublatas, & non haberi pro essentialibus; quod si haberentur, idem esset iudicium de iis, atque de aliis. Ad rationem autem pro contraria sententia adductam respondeo, nisi finis legis cesset in vniuersum non cessare eius obligationem. Hic autem non cessat finis legis in vniuersum: quia finis est ad tollendas fraudes, quæ in aliquibus casibus forte non sunt, erunt tamen in aliis. Imò Suarius *lib.* 5. *de leg. cap.* 24. *numer.* 5. abnegat etiam in particulari casu cessare legis finem: finis enim est non solum vitare fraudem, sed periculum illius: hoc autem semper esse potest in quolibet casu.

PROBL. XXX.

Quoties contractus sine solemnitate prohibetur, eo ipso censetur, & non eo ipso censetur inualidus.

235. *Censetur inualidus.* EO ipso censetur inualidus. Quia quando legislator suam planè exprimit mentem, non est tergiuersationi locus quid autem magis contra legislatoris mentem, quam id quo ipsa lex apertè violatur;

violatur? Sic Azor. *1.p.lib.5.c.16. quæst.vlt.*

Non eo ipso censetur inualidus. Quia Contractus Matrimonij, v.gr. sine denunciationum solemnitate prohibetur. At hac solemnitate denunciationum omissa, valet contractus, quamuis prohibitum sit illas omittere. Quamuis ergò contractus prohibeatur, & apponatur pœna: si non sit verbum irritans, valebit. Ita Bald. Paul. de Castro, & alij, quos refert Suari. *l.5.de legib.c.25.n.10.*

236. *Hanc sector mentem.* Hæc mihi mens magis arridet, sciens, antè Tridentinum (imo & modo vbi Tridentinum receptum non est) valere contractum Matrimonij Clandestinum sine Parocho & testibus: & tamen prohibitus erat. Igitur si non sit verbum irritans, aut nisi aliter constet de legislatoris mente, valebit contractus.

PROBL. XXXI.

Contractus Testamenti sine solemnitate substantiali requisita validi sunt, & inualidi in conscientiæ foro: inducuntque, & non inducunt obligationem.

237. *Inualidi sunt in foro conscientiæ.* TEstamenta, quæ sine præscripta à lege solennitate celebrantur substantiali, inualida sunt in foro interno conscientiæ: nullamque obligationem inducunt. Quia contractus initus, prætermissa substantiali solemnitate prohibetur à Iure, quod quidem potest modum & formam in contractibus præscribere. Sic Couar. Cap. 1. *Cum esses, de testam. n.* 8. Rodrig. *tom.* 1. *summ. cap.* 220. *n.* 1. Anton. Gomez *in leg. Tauri. 3. n.* 123. & alij quos refert Salas *de legib. disp.* 16. *n.* 52. Salon 2.2. *q.* 61. *a.* 4.

238. *Validi sunt.* Contractus Testamenti sine præscripta à lege solennitate celebratus validus est in foro conscientiæ. Quia sufficit constare de voluntate testatoris. Ita Saa. *ver. Testamentum, n.* 3. Mol. *disp.* 81. Iul. Clar. *de Testa. q.* 9. Mantic. *de coniectur. vltim. volunt.* Lessi. *l.2. de Iust. c.3. dub.3.*

239. *Primam sententiã eligo.* Primam sententiam probabiliorem puto, quam possem multis ex iuribus confirmare. Instit. *Quibus modis testamentum infirmetur, imperfectum testamentum* dicitur *nullum esse:* sed testamentum sine requisita solemnitate imperfectum est, ergo in conscientiæ foro, imo in foro externo est nullum. Hinc colligo in primis, hæredem ab intestato nihil teneri restituere hæredi instituto in testamento non solemni. vt pote instituto non validè: nisi forte ex quadam honestate, aut æquitate. Secundo, non teneri hæredem ab intestato dubitantem de voluntate testatoris in testamento minus solemni compositionem facere iuxta quantitatem dubij cum hærede, vel legatario minus solemniter institutis, quia ex testamento non solenni nulla oritur obligatio. Tertio, hæredem ex testamento minus solemni non posse retinere hæreditatem, inuitis hæredibus ab intestato, cum nullum habeat ius ad hæreditatem. Quarto, non posse legatarium compensatione occulta vti pro legato ex testamento minus solemni, aut rem sibi relictam clam surripere. Quintò non posse vti sine peccato contra iustitiam, & teneri ad restitutionem qui per fraudem, dolum aut similia probat, & defendit, rem ex testamento minus solemni sibi deberi. Sexto, hæredem legitimum non teneri soluere legata in testamento minus solemni; accessorium enim sequitur naturam principalis; ergo non subsistente testamento neque legata subsistent. Septimò, nec obligare in conscientia voluntatem testatoris in chirographo à se subscripto: quia non habet vim testamenti: nisi fortè illa scriptura sit inter liberos; inter illos enim vim habet testamenti. Collegi ex Iasone, & Baldo citatis à Couar. Cap. *Cum esses, n.* 10. Vasq. *de testam. c.3. dub.1.* & aliis. De quibus vberior sermo to. de Iust. & iure in particulari redibit.

PROBL XXXII.

Testamenti contractus ad pias causas principaliter initus, valet etiam, & non valet, quoad legata profana, si desit solemnitas.

240. *Valet quidem.* SCio, ea, quæ diximus de testamentis minus solemnibus, non habere locum in testamentis & legatis ad causas pias. Quin imò eo ipso, quod sufficienter constet de voluntate testantis, aut legantis, teneri illum, ad quem spectat, omnia implere: in foro quidem conscientiæ, quacumque ratione innotescat veritas; in foro autẽ externo eo ipso, quod sufficienter probetur. Vocarim autem ad quæstionem, num testamentum ad pias causas principaliter initus, valeat etiam quoad legata profana, si desit solemnitas: Certè etiam valet quo ad profana legata. Quia principale valet, & trahit ad se accessorium Sic Molin. *disput.* 134. Lessius *lib.2. cap.* 19. *dub.2.*

dub. 2. n. 9. Saa *ver. Testamentum, n. 4.* & alij apud Iul. Clar. §. *Testamentum, q. 6.*

241. *Non valet.* Non valet etiam quoud legata profana. Quia hæc subsunt Iuri ciuili, & hoc irritat huiusmodi Contractus sine solemnitate. Nec probat ratio principalis trahentis ad se accessorium. Hoc enim intelligendum est, non quoad valorem, & substantiam; sed quoad conditiones principalis. Ita Dicast. *l. 2. tr. 3. disp. 1. dubio 8. num.* 150. probabilem hanc sententiam asserens, licet ipse primam reputet probabiliorem, non quidem propter illam rationem accessorij & principalis; sed propter aliam, quam promittit se redditurum *tr. de Testam. disp. 1. dub. 10.*

242. *Idem arbitror.* Ego autem in secundam feror; quia ex prima sequeretur, non valere legata pia in testamento principaliter facto ad res profanas propter simile argumentum conuersum: tunc enim non valente testamento principali, non valerent legata accessoria. Item iuramentum cadens supra contractum aliàs nullum non valeret, cum iuramentum sit accessorium respectu contractus. Porrò valent legata ad causas pias in testamento non solemni inualido; quia nullo iure irritantur: non Canonico, cuius nullum extat: non ciuili, quod nihil potest in piis causis. Deinde *in cap. Relatum* habetur, relicta ad pias causas valere, quamuis non seruetur ius ciuile; talia sunt ea legata, ergo valent. Molin. *disp.* 137.

PROBL. XXXIII.

Contractus gratuiti ex metu iniusto quamuis leui celebrati, sunt, & non sunt re ipsa, & in foro conscientiæ nulli.

243. *Nulli sunt.* VIdimus, contractus, ciuiles onerosos, venditionem scilicet, emptionem, locationem, & conductionem ex metu iniusto quamuis graui celebratos esse re ipsa & in foro conscientiæ validos. Quia conttactus huiusmodi ex metu graui initi non annullantur iure aliquo positiuo (nullum enim extat) nec iure naturali, seu ex natura rei; ad substantiam enim contractus sufficiunt titulus legitimus seu voluntarium simpliciter, seu efficax. Quæsierim tamen, num contractus gratuiti metu iniusto, quamuis leui, celebrati, sint re ipsa & in foro conscientiæ nulli? contractus gratuiti, nempe donatio, & simplex promissio, ex metu iniusto leui incusso initi, sunt re ipsa in foro conscientiæ nulli. Quia æquitas naturalis non patitur, vt quis per iniuriam siue à se ipso, siue ab altero tertio illatam, ius aliquod acquirat, & iniuriam passus illud amittat; ergo contractus ex metu iniusto, quamuis leui celebratus est iure ipso naturali nullus. Confirmatur ex Leg. *metum*, §. *licet*, *ff. quod metus causa*, vbi dicitur: *Metum passo, actionem in rem dandam existimamus; quia res in bonis eius est.* Sic Sotus *in 4. dist. 29. q. 1. artic. 3.* Sylvester. *ver. metus*, §. 9. Sayr. *lib 2. c. 2.* Rebel. 2. *p. l. 1. de contr. q. 5.*

244. *Nulli non sunt.* Contractus gratuiti ex metu iniusto vel leui vel graui celebrati sunt re ipsa, & in foro conscientiæ validi. Quia nullo iure irritantur: non iure positiuo, nullum enim extat: non iure naturali, quia hoc iure non irritantur contractus onerosi, (vt vidimus) ergo nec contractus gratuiti, eadem enim videtur ratio illa militare pro eis, quam pro onerosis. Ita Nauarrus. *in sum. capit. 22.* Sanch. *libro 4. de matr. disput. 8.* Lessi. *de Iust. capit. 17. dub. 6.* Laym. *lib. 3. tract. 4. cap. 6.*

245. *Auctoris sententia.* Ego quidem qui asserui contractus ciuiles onerosos ex metu iniusto quamuis graui celebratos, esse re ipsa & in foro conscientiæ validos: affirmarim, contractus gratuitos ex metu iniusto quamuis leui initos, esse re ipsa & in foro conscientiæ nullos. Quia quando contractus gratuitus fit ex metu iniusto, quamuis leui, etiam si sit simpliciter & efficaciter voluntarius, fit tamen absque legitimo titulo; quia in contractibus gratuitis titulus legitimus est liberalitas, & quod fit ex metu iniustè incusso, non fit liberaliter, seu ex liberalitate; ad liberalitatem enim non sufficit, quod non fiat pro altera re: sed requiritur, quod fiat à contrahente ex se ipso, & non ab extrinseco & coactè, & quasi violenter. Quod autem fit ex metu iniuste incusso, non fit à patiente metum ex se ipso, sed ab extrinseco coactè, & quasi violenter: & moraliter potius fit ab incutsente metum iniustum, quam ab ipso metum patiente; aliter quidem ac quando fit ex metu ab intrinseco, v. gratia ab ægritudine, aut tempestate quia tunc fit ab ipso contrahente ex se ipso. Imo etiam quando fit ex metu iustè incusso; hic enim semper incutitur ob occasionem datam ab

ipso metum patiente, & ex ipso ortum habet, & ad ipsum reducitur: vnde defectus voluntarij completi proueniens ex metu iniusto in contractibus gratuitis refunditur in defectum legitimi tituli ipsorum, nempè in defectum liberalitatis.

PROBL. XXXIV.

Pupillus pubertati nondum proximus, tamen doli capax: potest, & non potest validum gerere contractum: & ex tali contractu manet, & non manet naturaliter obligatus.

246. *Contrahere validè possunt.*

VIdisti *sect.* 1. pupillos pubertati nondum proximos communiter se obligare non posse ciuiliter. Quæsierim in præsenti, an si pupilli nondum pubertati proximi sint doli capaces, possint validè contrahere: & num ex contractu sine auctoritate patris aut tutoris facto, obligare se se valeant? Contrahere possunt validè, & naturaliter se se sinè auctoritate patris, aut tutoris possunt obligare. Quia non est potestas patria, aut tutoris auctoritas ad bonorum adiministrationem, sed ad curam personæ instituta; ergo si pupillus habet nondum proximus pubertati sufficientem rationis vsum ad contrahendum, & id libere ac voluntariè faciat: ex eiusmodi contractu inito parente aut tutore inscio, resultabit naturalis obligatio; cessat enim in tali casu ratio legis. Sic Sanch. *l. 6. de matri. disput.* 38. Lopez 1.*p.instruct.c.*124.*q.*3. Laym. *tract.*4.*de contr.c.*9.& alij.

247. *Non possunt.*

Pupillus etsi doli capax validè non contrahit, nec se potest huiusmodi ex contractu obligare. Quia ad hoc, vt ex actione aliqua obligatio oriatur, debent agens & actio naturæ suæ relinqui, absque eo quod huiusmodi vim leges impediant; sed ius ciuile resistit obligationibus minoris natis ex Contractu sine authoritate tutoris facto. *leg. obligari, ff.de author.tutor.* vbi hæc habentur: *Obligari ex omni contractu pupillus sine auctoritate tutoris non potest.* Bauny. *tom.* 3. *lib.* 1. *tract.* 1. *q.*4. hanc sententiam probabilem esse profitetur, quam, presso Auctorum nomine, exponit.

248. *Prima sententia hæc.*

Primam sector. Nam fideiussor pupilli obligatur etiam ciuiliter, vt habetur Leg. *Macellus, ff.de fidei commissis*; ergo & pupillus saltem naturaliter obligabitur. Vt enim docet Hier. à S. Faust. *disp....q.6.* principali obligatione cessante, cessat, & accessoria. Sanè perspicuum est, & notum admodum, non omnia quæcumque geruntur cum minoribus irrita esse, aut rescindenda, *Leg.* enim *Quod si memor*, §. *Non semper ff. de minorib.* Sic cauetur: *Non omnia, quæ cum minoribus geruntur rescindenda esse, sed ad bonum, & æquum redigenda.* Et *leg. Non omnia*, eodem titulo, decernit non singula quæcumque annis viginti quinque minores gerunt, irrita esse: sed ea tantum, in quibus ab aliis circumuenti, vel sua sunt facilitate decepti.

CAPVT. XVIII.

Circa iuramentum contractus de se inualidos confirmans.

PROBL. XXXV.

Iuramentum superadditum contractui alias inualido non solum ex Religione eum confirmat: sed efficit, & non efficit eumdem validum dantem quidem consequenter & non dantem ius Iustitiæ ad rem, vel in re.

249. *Validus fit.*

IDIMVS *sectio* 1. iuramentum promissorium superadditum contractui facto in alterius commodum semper esse obseruandum saltem virtute Religionis, quoties id quod iuratur non verè seu strictè prohibetur ipsi iuranti: seu quoties potest fieri absque iurantis piaculo. Voco autem in quæstionem, num iuramentum non solum obliget ex Religionis virtute sed etiam confirmet contractum aliàs nullum, eum efficiendo validum, & consequenter dantem ius, Iustitiæ, ad rem, vel in re. Certè contractus alias inualidi validi fiunt ex vi iuramenti superadditi, dum contractus non sint illiciti iuranti, nec sit immediate contra bonum commune, nec sit ipsi iuranti strictè prohibitus. Quia in Capite *Quamuis pactum*, & Cap. *Cum contingat*, & in *Authent. Sacramenta puberum Cod. si aduers. vendit.* dicitur seruanda esse iuramenta addita contractibus quamuis aliàs inualidis, dum eorum obseruatio non vergat in dispendium salutis æternæ, nec sit contra bonos mores; quo videtur

statui

ſtatui, vim contractuum alias inualidorum reuiuiſcere, ſeu confirmari ratione ſuperadditi iuramenti. Sic Couarru. *de pactis* 2. *p. num.* 9. Anton. Gomez *tom.* 2. *variar. cap.* 14. Bonaci. *diſp.* 3. *q.* 1. *punct.* 1. Barthol. Panorm. & alij à Couarru. relati.

250. *Non ſit validus.* Contractus aliàs inualidi non confirmantur, ſiue non fiunt validi ratione iuramenti eis ſuperadditi. Quia eos confirmari, ſeu validos fieri non prouenit ratione iuramenti iure naturali, ſeu ex natura rei: iuramentum enim ſuperadditum vi, natura ſua non deſtruit ius poſitiuum itritans contractum, ſi eo irritatur: nec ſua natura ſupplet defectum voluntarij, nec defectum tituli, ſi ex aliquo eorum contractus eſt iure naturali, ſeu ex natura rei nullus; nec eos fieri validos, & confirmari prouenit ipſis ratione iuramenti iure aliquo poſitiuo: quia neque in iuribus pro aduerſa ſententia adductis, nec in aliis id ſtatuitur, nec ſignificatur. In eis namque tantum dicitur, obſeruandum eſſe iuramentum illud: quod ſufficienter ſaluatur ratione obligationis ex Religione ortæ. Ita Innocent. *Cap. cum veniſſem, de inſtit.* Iaſon *in leg. iuſiurandum. ff. de iureiur.* Vaſq. *de teſtam. c.* 3. *dub.* 2. Molin. *diſp.* 150.

251. *Idem exiſtimo.* Hæc eſt mea ſententia, quam confirmo ex Cap. *debitores, de iureiuran.* vbi idem, quod in allatis pro prima ſententia iuribus, dicitur circa iuramentum ſuperadditum promiſſioni vſurarum: & tamen eas promittens, & earum promiſſionem impleturus, irans tantum obligatur ex Religione, & non ex iuſtitia ad earum ſolutionem. In iuribus autem ab aduerſariis allatis iuranti abſque vi, & dolo negatur actio ad contraueniendum contractui iurato. Quod exprimitur in Cap. *licet mulieres, de iureiur. in* 6. dum mulieribus conſentientibus alienationi dotis, & donationum propter nuptias, & eis non contrauenire iurantibus abſq; vi & dolo: negatur actio ad contraueniendum, & iudicibus prohibetur, eis in contrauentione fauere. Nil aliud ex præfatis iuribus colligitur.

PROBL. XXXVI.

Vt iuramentum promiſſorium contractum confirmet, ſufficit, & non ſufficit, iurare te facturum pollicita: ſed eſt, & non eſt neceſſarium addere, te non repetiturum rem promiſſam, nec de iuramento petiturum abſolutionem.

252. *Sufficit, iurare.* SVfficit planè iurare, ſe promiſſa præſturũ, nec neceſſum eſt adiicere, ſe de huiuſmodi iuramẽto non petiturũ abſolutionẽ. Quia iurantis ſe ſua pacta impleturũ mens eſt, ac intentio, ei prodeſſe, cui fidem ſuam obligat; hoc autem ſufficit, vt teneatur implere. Quemadmodum qui promittit ſpeciale Deo ſeu Diuis obſequium, tenetur implere: nec neceſſarium eſt addere ſe numquam petiturum à voto abſolutionem. Sic aliqui Doctores, quos preſſo nomine, memorat Baun. *tom.* 3. *l.* 1. *tr.* 1. *q.* 11.

253. *Non ſufficit.* Non ſufficit ad firmandum contractum iurare ſe promiſſa præſtiturum, ſed neceſſarium eſt addere ſe nullatenus petiturum de huiuſmodi iuramento abſolutionem. Quia quod iurantis mens ac intentio ſit impletione tunc promiſſionis ei prodeſſe cui ſuam fidem obligat: ſi poſtmodum conſcientiæ ac officio ſatisfacit, cum iureiurando relaxato, data repetit, ac recipit: quonammodo, ei cui per contractum adſtrictus erat, proficit? aut quid eidem accedit, quo res eius fiat auctior? Iuramentum ergo, quo firmari contractus aſſolet, non eſt ſatis de eo præſtando, implendoque fieri: ad eam voluntatem addi debet & alia, ſcilicet eius abſolutionem non petendi. Ita Leſſi. *l.* 2. *de Iuſt. c.* 17. *dub.* 7. *n.* 56. Suar. *to.* 2. *de Relig. l.* 2. *de Iuram. c.* 29. *n.* 3. *&* 4.

254. *Hæc eſt mea ſententia.* Mentem ſector eamdem, quam *Authent. Sacramenta puber.* confirmo. Id enim hæc videtur exigere, dum ait, *ſuper contractibus non retractandis iuramentum fieri.* Id roborat adhuc *Decretal. Ad aures de his quæ vi metuque.* Negat enim inibi Pontifex renunciationem Eccleſiæ metu factam eſſe validam, niſi fortè iuramento ſit firmata; quod Gloſſa verbis his explicat: *Si iuramentum interueniſſet, quod vlterius non repeteret, non poteſt repetere.* Quod cum eſt omiſſum, tã data, quam promiſſa authoritate iudicis ſibi reddi quiſque poterit poſtulare. Sic Cap. *Ad audientiam* 4. *de his quæ vi, metuque.* Vbi Innocent. III. aſſerit, beneficium ad terrorem laicorum dimiſſum

dimissum posse repeti, non obstante iuramento, *quo non ad non repetendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur.*

PROBL. XXXVII.

Si vis, aut metus grauis dederit causam contractui, cui iuramentum apponitur, hoc validum & inualidum est: eget, & non eget relaxatione.

255. *Inualidum est iuramentum.* INualidum plane est, nec relaxatione indiget iuramentum, si vi aut metu extortum sit, ita vt dederint causam contractui cui apponitur iuramẽtum. Quia iuramentum non confirmat violenta, sed solum ea, quæ voluntate admittuntur; vnde iurans non tenetur, nisi prout vult obligari. Et quia omnis promissio standi contractui, vel eum non reuocandi (loquor de Contractu, qui natura sua est solubilis) habet ex vsu recepto, & Iure gentium hanc tacitam conditionem: Nisi deprehẽdero me vi doctum. semper enim excepta videtur iniuria: quare eandem conditionem retinet iuramentum, cum sequatur naturam actus, cui apponitur. Sic communiter Doctores, quos, presso nomine, memorat Lessi. *l.2.c.17.dub.7.n.50.*

256. *Validum est.* Si iuramentum vi seu metu extortum sit, ita vt dolus dederit causam contractui, cui apponitur: validum est, relaxationeque indiget. Quia plenus consensus adfuit, nec habet tacitam aliquam conditionem. Etsi enim alter nullum ius ex eo consequatur: tamen honor Dei postulat, vt seruetur quod promissum est, quando potest sine piaculo asseruari. Ita Lessi citatus.

257. *Idem recor.* Cuius approbans sententiam confirmo ex cap. *Debitores, de iureiur.* Vbi dicitur, eum, qui sub iuramento promisit soluere vsuras, teneri. Potest tamen hoc euentu peti relaxatio iuramenti (quam Episcopus, vel alius habens priuilegium dispensandi in iuramentis, absque præiudicio tertij dare potest) & tunc non solui, vt patet Cap. *Si verò, de iure iur.* Ad quod insinuandum Cap. *cui contingat*, dicitur, iuramenta sine vi & dolo sponte præstita esse seruanda; quia si dolo præstita sint, non obligant. Si vi aut metu, potest peti relaxatio, & tunc possunt non seruari. Si autem sine vi vel dolo præstita sint, non potest; *& ita omnino seruanda sunt*, vt notanter dicitur Cap. 2. *de pactis*) id est, ita vt non possit dari dispensatio; quod intellige, nisi culpa fuerit in promissario; ad hanc enim puniendam potest superior iuramentum promissoris relaxare: item nisi præstitum ab impubere; tunc enim potest irritari.

PROBL. XXXVIII.

Promissio pœnæ sponsalibus adiectæ soluendæ ab eo, qui resilierit, confirmatur, & non confirmatur iuramento.

HIuiusmodi pœnæ promissio non confirmatur iuramento, imo hoc iuramentum irritum est. Quia non solum promissio est peccatum, sed etiam solutio: eo quod promissor dum soluit, videatur suam promissionem approbare. Sic multi Doctores, quos refert, & sequitur Sanch. *l.1.de Matrim.disp.32.n.21.* 258. *Iuramento nõ confirmatur.*

Confirmatur quidem huiusmodi promissio iuramento Quia etsi hæc promissio fortassis sit prohibita (vt videtur colligi posse ex Cap. *Gemma, de sponsali*, vbi dicitur *huiusmodi pactio meritò improbanda*) tamen solutio, seu impletio promissionis prohibita non est, sicut nec receptio rei, quæ soluitur; imo videtur inducere obligationem naturalem: nam is, cui hæc mulcta soluta fuerit, non tenetur ad restitutionem antè sententiam iudicis; quod signum est, aliquod ius per talem promissionem acquiri; ergo accedente iuramento confirmatur. Ita Lessi. *l.2.de iust. c.17.dub.7.n.56.* 259. *Confirmatur iuramento.*

A Lessio sum, moneo tamen, si solum iurauit soluere, non intendens sibi adimere ius repetendi, quod ei per leges concessũ est, tenebitur quidẽ soluere; poterit tamen postea vti iure suo in petẽdo; imo si habet animum repetendi, poterit petere dispensationem, nè soluere teneatur; quia hoc casu solutio est parui momenti; ac proinde non soluere, non censetur esse in præiudicium tertij. Verum ratio, qua Sanctius suam sententiam contrariam probare nititur mihi solida non videtur; certum enim non est, promissionem illam esse peccatum: nec necessarium est (casu quod prohibita esset promissio) solutionem peccatum esse; promissor enim soluendo, non magis approbat promissionem, quàm promissarius solutum acceptando: hic tamen acceptando, & retinendo non peccat, vt Sanctius profitetur. Præterea si per solutionem approbatur promissio, nunquam potest quis teneri ex promissione prohibita, quod constat, esse falsum. 260. *Idem affirmo.*

PROBL.

PROBL. XXXIX.

Pupillus contrahit, & non contrahit obligationem naturalem circa contractum initum: vnde consequenter potest, & non potest eum iuramento confirmare.

261. *Non contrahit obligationem.* QVando actui nulla prorsus subest obligatio, non habet locum confirmatio iuramenti; non enim confirmatur, nisi quod aliquam vim habet, & si ea debilis sit & infirma. Itaque contractus pupilli etiamsi pubertati sit proximus (vt cum habet decem annos cum dimidio, si sit mas; vel nouem cum dimidio, si fœmina) quamuis sit de bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus, est irritus. Quia multa extant iura, quibus significatur, pupillum non contrahere obligationem. §. *Nunc admodum. Instit Quibus alienare licet.* Promissio quoque non reuocandi talem contractum, irrita est ob eamdem causam: vnde per eam nulla inducitur obligatio, quæ accedente iuramento possit confirmari. Sic Couarru. *de matr. p. 1. cap. 5. §. 1. n. 4.* Molin. *disp. 130. & 161.* & multi alij.

262. *Obligationem contrahit.* Pupillus pubertati proximus ex contractu obligationem naturalem contrahit: & consequenter potest contractum huiusmodi iuramento confirmare. Contrahit, inquam obligationem huiusmodi ex cõtractu inito in proprium commodum non tamen in suum incommodum. Quia expresse habetur *Instit. de auctorit. tutor. placuit meliorem suam conditionem* pupillum *facere posse* etiam sine tutoris auctoritate: deteriorem verò non aliter, quam cum tutoris auctoritate. Vnde in his causis, ex quibus obligationes mutuæ nascũtur, vt in emptionibus, *venditionibus, locationibus, conductionibus, mandatis, depositis: si auctoritas tutoris non interueniat, ipsi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur, ac inuicem pupilli non obligantur.* Idem habetur *Instit. de inutili stipulat. §. Pupillus.* Ita Sanch. *l. 6. de matr. disp. 38. q. 2.* Lessi. *lib. 2. de iust. cap. 17. dub. 7. num. 56.*

263. *Hoc puto probabilius.* Hanc mentem probabiliorem puto. Fateor tamen posse iuramentum illud in contractus huiusmodi confirmationem emissum relaxari ob illius ætatis facilitatem; quia præsumitur fuisse deceptam. Sic Couarr. citatus.

CAPVT XIX.

Circa contractus sub conditione initos.

PROBL. XL.

Contractus sub conditione de futuro necessaria, ita vt qui sic contrahit, videatur purè contraxisse: statim ac fit, est, & non est validus.

264. *Non est statim validus.* SI quis dicat, (v.gr.) *emo à te equum si sol cras oriatur*: Contra huiusmodi non est statim validus. Quia talis conditio videtur suspendere actum, & obligationem differre in futurum. Sic Glossa *in Cap. perpetuas, de conditio.*

265. *Statim est validus.* Huiusmodi contractus sub tali necessaria conditione, est validus statim, & purus. Quia in hoc casu euentus conditionis certus est, atque adeo opposita conditio non moratur obligationem. Adde *Legem, Nam si, ff. condit. indebiti, & legem, si pupillus, § Qui sub conditione* vbi sic: *Qui sub conditione stipulatur, quæ omnino futura est, purè videtur stipulari.* & legem Castellæ. 8. *tit. 4. part. 6.* Ita *hisce in locis iurisperiti.* Syl. *matrimoniũ 3. §. 2.* D. Tho. *in 4. dist. 29.* & cum eo communiter Theologi.

266. *Distinctione. vtor.* Ego quidem distinguendum putarim, vel contrahentes per illam assignationem conditionis voluerunt assignare tempus futurum in quo sit celebrandus, ac complendus contractus, & tunc manifestè suspenditur consensus ex voluntate contrahentium vsque ad impletam conditionem aliàs certissimam; maximè quando certum est necessario esse implendam conditionem: incertum verò, quando implenda sit: vt si quis dicat, dabo tibi centum, quando moriar, vel si moriar. Vel contrahentes volunt assignare tantum cõditionem aliquam rei necessario futuræ, & tunc nisi expresse constet, ipsos contrahentes voluisse differri purificationẽ contractus in adimpletionẽ futuræ conditionis: merito Doctores in eo casu iuxta citata iura asserunt, illum contractum esse purum; quia talis conditio non tam refertur ad expectãdam futuritionem certi euentus, vt tunc celebretur contractus: quam ad veritatem promissionis, quæ de præsenti vera est, & certa, cum sit rei certò futuræ: vt v.gr. si quis dicat, contraho tecũ, si sol oriatur cras, sensus est, contraho tecum,

tecum, si verum est, quod sol cras oriatur. Quæ veritas præsens est modo, ac proinde conditio ipsius veritatis non moratur contractus obligationem.

PROBL. XLI.

Contractus celebratus inter fideles sub conditione aliqua pendente quidem libere à causis liberis, reuelata tamen per fidem, cuius euentus certissimus est, quamtumuis liber: computandus est, & non est computandus inter contractus sub necessaria conditione.

267. *Non perficitur statim talis contractus.* COntraho tecum, hac apposita conditione, *si Antichristus aliquando nascatur*, & quæsierim, num huiusmodi contractus censeatur purus, cum sit contractus rei, quæ certissimè eueniet, & quam certissimè credunt contrahentes euenturam, vt pote in sacris literis reuelatam; Talis contractus statim non perficitur. Quia talis conditio non est rei necessariò futurę secundum naturam, sed contingentis, ac liberæ. Sic Maior *in* 4. *dist.* 27. *q.* 3. Couar. 2. *p. de Matr. c.* 3. §. 2. Adri. à Couar. citat.

268. *Statim perficitur.* Talis contractus statim perficitur. Quia talis conditio est de re necessario futura ex infallibili euentuum fidei impletione. Ità Accursius apud Couarr. inibi & alij.

269. *Auctoris sententia.* Mihi placet idem iudicium esse de hac conditione inter fideles agnoscentes certitudinem illius, atque de contractu sub conditione necessaria secundum naturam; quia veritas præfatæ propositionis contrahentibus certissima est, & nota, etiam si res ipsa secundum se pendeat à causa libera contingenti. Ergò ex voluntate sic contrahentium, si nihil aliud exprimant, appositio illius conditionis refertur ad præfatam veritatem, sicut ad veritatem rei infallibilis. Certè licet effectus ille ortus Antichristi secundum se sit contingens: tamen veritas propositionis conditionalis de præsenti certissima est, & nota contrahentibus, imo suppositа reuelatione, ac decreto Dei absoluto, magis certa est ea veritas, quam ortus solis, aut alius naturalis effectus. Monuerim tamen, contrahentes in vniuersum de qualibet conditione certa, ac necessaria debere notitiam habere, quod certa aut necessaria sit: alioquin si illi putant eius euentum esse contingentem, suspenditur obligatio contractus vsque ad conditionis impletionem. Lege Molinam *disp.* 206.

PROBL. XLII.

Obligatio orta ex contractu conditionali transmittitur, & non transmittitur ad hæredes.

270. *Transmittitur ad hæredes.* AD fero ad memoriam discrimen inter legatum, & contractum; nam legatum sub conditione, si ea pendente legatarius moriatur, penitus expirat, nec transmittitur ad hæredes. *Leg.* 4. *&* 5. *& leg. Et huiusmodi, ff. quando dies legatorum cedat,* Contractus autem conditionalis transmittitur ad hæredes sub eadem conditione. Rationem discriminis assignat Glossa §. *Ex conditionali, Instit. de verb. oblig.* quia in contractu vel stipulatione interuenit factum stipulantis, seu contrahentis volentis sibi & hæredibus suis prospicere, argumento *Legis si pactum, ff. de probat.* vbi dicitur, *Plerumque tam hæredibus nostris, quam nobis met ipsis, cauemus.* In legato autem & fidei commissis nullum factum legatarij, aut fidei commissarij interuenit. Itaque vocarim ad quæstionem num obligatio orta ex contractu conditionali, transmittatur ad hæredes; Transmittitur plane. Quia est obligatio iustitiæ. *Instit. de verbo obligat.* §. *Ex conditionali*, dicitur: *Ex conditionali stipulatione spes est, debitum iri, eamque ipsam spem in hæredes transmittimus, si prius quam conditio extet, mors nobis contigerit.* Sic Moli. *disp.* 285. & est doctrina communis Iuristarum.

271. *Non transmittitur.* Conditio aliquando ita debet impleri ab ipso stipulatore, ac promissario, vt eius obligatio ad hæredes non transeat: atque adeò non transmittatur ius acquirendi promissum, etiam si hæredes velint implere conditionem. Talis est conditio potestatiua, id est, quæ à sola voluntate promissarij pendet, v. gr. *Dabo tibi centum si seruum manu miseris.* Quæ conditio, si ab ipso stipulatore & promissario impleta non sit, aliud ab hæredibus impleri non potest: ac proinde stipulatoris, seu promissarij morte promissio expirat Ita plerique iuristæ *ad leg. si decem*, §. *Cum petiero. ff. de verb. oblig.* Gomez *l.* 2. *c.* 11. *n.* 36.

272. *Primæ hæreo sententiæ.* Primæ sententiæ adhæreo, doctrinam autem eius intelligendam puto, quando debitum ex futuro euentu conditionis non requirit personam peculiariter promittentem, sed ab hærede de bonis illius potest adimpleri. Si enim implenda esset promissio personali promittentis industria. v. gr. si veneris ad ætatem virilem, docebo te pulsare citharam, quam pulsare scio:

si

si promittens moriatur, non tenetur hæres impleta conditione post promittentis mortem ; quia hæc promissio ipsius personæ promittentis industriam postulabat.

PROBL. XLIII.

Ciuilis contractus celebratus per verba de præsenti sub conditione tamen de futuro purificatur, & non purificatur solo euentu conditionis, sinè nouo consensu expresso.

273. *Non purificantur.* CVm quis v.gr. dicit : *Vendo tibi rem hanc sub tali conditone futura*, si iam impleatur conditio : valet ne contractus, aut purficatus reputatur, sine alicuius consensus repetitione ? Ciuiles contractus ex natura rei non purificantur solo euentu conditionis. Quia consensus quamtumuis per verba de præsenti explicatus cum sit dependenter à conditione de futuro, est consensus de futuro. Ergo per illum solum non celebratur contractus requirens consensum de præsenti. Antecedens probo, quia talis consensus etiam si euidenter exprimatur per verba de præsenti, pendet tamen à futura conditione ; est ergo consensus promissorius, atque adeò de futuro. Ad celebrandum autem contractus v. gr. venditionis præsentis, consensus de præsenti necessarius est. Sic Sotus *in 4. dist. 29. quæst. 2. art.* 1. Vict. 1. *part. Relect. de Matr.*

274. *Purificantur quidem.* Ciuiles contractus promissionis sub conditione futuri euentus purificantur solo euentu conditionis. Quia vt consurgat obligatio promissionis sufficit consensus promissorius, vt per se constat. Sed hic potest haberi dependenter à conditione futuri euentus : Ergò adimpleta conditione obligatio promissionis conditionalis transit in puram. Adde, contractus pure Ciuiles conditionales, qui in sua essentia non includunt traditionem, purificari etiam solo conditionis euentu, sine nouo consensu expresso. Quia per hæc verba : *Vendo tibi rem hanc pro tali die, sub tali euentu*, purificata conditione oritur venditionis obligatio ; ergo signum est, purificari contractum, obligatio enim signum est tanquam propria passio, vel tanquam effectus ad colligendum contractum. Antecedens probatur, quia licet illa verba de præsenti : *Vendo tibi rem hanc* significent consensum dependentem à conditione de futuro, obiectum tamen futurum non est ipsa venditio, tanquam si quis diceret : *Promitto tibi futuram venditionem.* Sed obiectum venditionis est traditio ipsa futura, ad quam non oritur ius ex ipsa venditione conditionali, nisi purificata conditione ; & quia illud ius pendet ab euentu futuræ conditionis, vt sit purum atque antè euentum conditionis ius illud conditionale est : meritò dicitur conditionalis venditio, quia à principio contractus oritur ius conditionale respectu traditionis. Imò & in vniuersum loquendo, omnes contractus celebrati, per verba de præsenti, sub euentu de futuro, purificantur ex natura rei solo euentu conditionis sine nouo consensu. Ita Sanch. *l. 5. de Matr. disp. 8. n. 5.* qui refert Innocentium, Hosti. Abbat. Henriq. Præpos. Nauar. Montalt. Brunellum, Palud. Sotum. Coninc. *disp. 29. dub. 1. num. 11.*

275. *Hos sequor.* Hos sequor, sed tamen propositionem proximam tam vniuersalem non approbo : In vniuersum loquendo omnes contractus celebrati per verba de præsenti sub euentu de futuro, ex natura rei purificantur solo euentu conditionis : existimo enim contractus purè ciuiles, qui dicuntur traditione perfici, & quorum obligatio ex datione ipsius rei oritur, non perfici in præfato casu sola impletione conditionis. Quia nisi re ipsa fiat traditio rei, non consistit horum contractuum essentia Ergo quamtumuis purificetur conditio, non potest esse essentia eorum contractuum, quando non sequitur traditio ; quamtumuis enim per verba de præsenti sub conditione de futuro, & adimpleta conditione intelligamus aliquem obligatum v.gr. ad mutuandum : tamen re ipsa non tradita, non intelligitur mutuum, cuius obligatio ex datione ipsa oritur. Ideo quandò communiter docent Auctores contractus conditionales purificari euentu conditionis, intelligendi sunt de contractibus, qui ad sui essentiam non requirunt traditionem ; nam qui requirunt, etiam per consensum de præsenti & sine vlla conditione, adhuc non intelliguntur facti : sed tantum est obligatio eos faciendi.

Caput XX.

Circa reſciſſionem contractus, & ex qua culpa teneantur contrahentes reſarcire damnum in contractibus vel in materia illorum.

PROBL. XLIV.

Contractus celebratus per metum iniuſtè illatum, eſt & non eſt iure naturæ reſcindendus, ſi velit is, qui coactè contraxit ante rei traditionem.

276. *Non eſt reſcindendus.*

Rotest eſſe ſermo de reſciſſione cõtractus ante traditionem, & poſt traditionem. Si ante traditionem, contractus celebratus per metum iniuſtè illatum, non eſt iure naturæ reſcindendus. Quia etiam ſi fiat coactè, eſt ſimul contractus ſimpliciter voluntarius, & adeſt titulus rei pro re: ac proinde eſt valida venditio, & ſimiles contractus, emenſque acquirit ius reſpectu traditionis. Ergo vendens licet coactus manet obligatus ad traditionem propter iuſtũ titulum pecuniæ; ergo reſciſſio non poteſt eſſe libera vendentis voluntate. Si enim ita eſſet, poſſet rem non tradere, & tamen venditione valida manet obligatus ad tradendum. Ergo ex natura rei fieri non poteſt, vt venditio valida ſit, & ſimul contractus ſit pro voluntate vendentis reſcindendus. Sic nonnulli apud Ioan. de Dicaſtil. *l.2.tr.3. diſp.1.dub.17.*

277. *Eſt reſcindendus.*

Contractus celebratus per metum iniuſtè illatum eſt iure naturæ reſcindendus ſi ſit ante rei traditionem. Quia non eſt ſecuta traditio, & is, qui coactus vendidit liber eſt à coactione, & non eſt, cur obligetur ad tradendam rem, quam coactus vendidit, & cuius adhuc eſt dominus. Ità Dicaſtil. citatus.

278. *Auctoris placitum.*

Certè is, qui coactus vendidit, poteſt iuſtè rem non tradere, poſtquam effugit vim coactionis; ſi enim non eſt ſecuta traditio, non videtur velle ſe obligare ex vi coactæ venditionis ad traditionem, ſi omnino in poteſtate illius ſit tradere rem, non imminente coactione; nam qui hic & nunc vendit coactus, ita vt aliter non venderet: ſatis explicat, ſe nolle vendere deficiente coactione, ac proinde nec perficere contractum: neque emens erit rationabiliter inuitus, ſi, qui vendidit coactus, nolit rem tradere. Ex quo fit, non ita eſſe validam venditionem in hoc caſu, vt omninò vendens teneatur rem tradere. Ita tamen validam eſſe, vt, ſi ei adiungatur traditio, valida ſit omninò, & perfecta. Et ſane, ſi traditio adiungatur omninò liberè, planum eſt, validam eſſe venditionem; quia per talem traditionem apertè ſignificat vendens, ſe ratam habere venditionem. Verum etiam ſi traditio fiat ex eodem metu, & coactione, valida erit venditio; tunc enim eſt ſimpliciter voluntarium, & adeſt titulus, & perfectus omninò contractus.

PROBL. XLV.

Contractus celebratus per metum iniuſtè illatum eſt, & non eſt iure naturæ reſcindendus, poſt factam traditionem.

279. *Non eſt reſcindendus.*

Qvæſierim, num poſt factam traditionem ſit ex natura rei obligatio reſcindendi contractum illum, ſi velit is, qui coactus vendidit? (idem erit iudicium de ſimilibus contractibus permutationis, &c.) iure naturæ contractus hic non eſt reſcindendus. Quia in tali contractu fuit iuſtus titulus, & ſimpliciter voluntarium, ac proindè validus contractus. Ergò ſecluſa reſtitutione damnorum, non eſt in emente obligatio reſtituendi rem, cuius per validum contractum dominium acquiſiuit. Id confirmo, ac expono; quia ſi ſemel demus, contractum fuiſſe validum, non videtur, tunc poſſe manere obligatio reſcindendi; ſi enim manet, contractus non fuit validus; ex contractu enim valido emens rei dominium acquirit: poſt traditionem vero ex illo contractu non poteſt habere obligationem reddendi illam rem venditori. Sic nonnulli, quorum, ſuppreſſo nomine, meminit Dicaſtil. *l.2.de iuſt.tr.3.diſp.1. dubit.17. num.388.*

280. *Eſt reſcindendus.*

Iure naturali adeſt obligatio reſcindendi contractum huiuſmodi, ſi is, qui metu coactus eſt, petat reſciſſionem. Quia in hoc caſu iniuſtè factum eſt, vt vendens celebret contractum, cum factum ſit cõtra ius, quod quiuis habet non alienëdi bona ſua, niſi cum voluerit, & omninò liberè ſine vi, & coactione: Hæc autem iniuſtitia poteſt recompenſari ſine damno ementis; ergo compenſanda eſt. Probo minorem; quia emens poteſt reſtituere rem ſuam domino, & accipere pecuniam, quam dedit pro re, & hac ratione manebunt

bunt res in priori statu sine vlla iniustitia; ergo ad id tenetur emens,si alius velit. Ità Dicastil. citatus.

281. *Hanc sequor sententiam.* Ego quidem huic doctrinæ lubens hæresco, ex qua contrariæ sententiæ fundamenta corruunt. Licet enim in ipso contractu comparatione rei & pretij non fuerit illata iniustitia, fuit tamen, quatenus coactus est dominus illam rem vendere. Quæ quidem iniustitia potest, rebus in statum priorem restitutis,reparari.Porrò non pugnant inter se, & contractum esse validum, & adesse obligationem,illum rescindendi, si alter velit. Atque in primis communis opinio est, talem contractum esse validum iure naturæ, & tamen plures affirmant,contractum venditionis non esse irritum iure positiuo,etiam si celebretur per iniustum metum: sed esse rescindendum iudicis authoritate. Ergo non pugnat ex eorum sententia esse validum, & esse obligationem rescindendi, si alter velit. Vt autem ostendam, hæc duo inter se non pugnare, adnotarim, valorem contractus, & obligationem rescindendi illum, ex diuersis capitibus, quæ secum cohærere possunt, oriri. Valor enim contractus oritur ex iusto titulo, & ex voluntario simpliciter. Quæ duo sufficere ad eum valorem vidimus in præfatis. Ex valore verò conttactus post traditionem sequitur ex natura rei, rem venditam esse sub dominio ementis, ad ipsumque pertinere omnia,quæ per se loquendo comitantur rei dominium, nisi aliud disponat ius positiuum. Obligatio vero conditionalis rescindendi contractum, nempe, si alius velit, orta est in hoc casu ex coactione iniustè illata,qua factum est contra ius illius. Hæc autem obligatio non impedit,emptorem esse dominum rei traditæ, dum is,qui vendidit, non petit rescioſinem; & ita fructus rei illius pro eo tempore ad emptorem pertinent,cui tradita est; &, si periret tunc res, ipsi proculdubio periret. Ex quibus constat longè alium effectum habere venditionem coactam, & obligationem rescindendi, si alius velit. In qua rescisione æqualitas seruanda est in dato & accepto, quamtumuis ex alio capite possit obligari is, qui coactionem intulit, ad illata damna resarcienda,quæ per se ex coactione illata secuta esse videantur.

***

PROBL. XLVI.

Qui accipit pignus in securitatem tenetur, & non tenetur de lata ac leui culpa, non de leuissima.

PRæmittendum, culpam iuridicam, de qua hîc maxime habendus est sermo, triplicem dici in iure ciuili *latam*, *leuem*, *leuissimam*. Lata est, non nosse, & intelligere quod omnes intelligunt, vel non facere, vel non prouidere, aut cauere, quod omnes faciunt, vel prouident, vel cauent. *leg. latæ.ff.de verb.signif.* Vnde qui ignorat, quæ professores eiusdem artis sciunt, dicitur ignorare ex culpa lata.v.gr.deposui apud te librum, tu reliquisti super scamnum in domo tua foribus apertis, vel in platea: commisisti culpam latam in custodiendo librum; quia non fecisti, quod omnes cauti & prudentes facere assolent. Culpa leuis est, non facere seu omittere diligentiam, vel cautionem,quam diligentes eiusdem artis professores assolent adhibere: verbi gratia si commmodante tibi Antonio vestem,tu reliquisti eam in cubiculo tuo, aut in arca claue non obscrata, leuem culpam admisisti; quia gerere prætermiseris, quod homines diligentes præstare solent. Culpa leuissima est, non facere quæ homines diligentissimi facere solent. *leg. si putator ff.ad leg.Aquiliam.& leg. Diuus. ff. de offic. præsid.* verbi gratia si Antonius deposuit apud te vasculum, & tu illud reposuisti in arca, quam claue obsecrasti; sed non animaduertisti,aut obseruasti, an arca omninò perfectè clausa fuisset manu ipsam seram tentans: culpam leuissimam commisisti. Ità Azor.*lib.6.cap.*4. Petr. Nauar. *l.2.de restit.cap.1.dub.2.n.52.* Nauar.*cap.17.num.177.*

282. *De culpa iuridica nonnulla præmitto.*

283. *Tenetur de culpa leuissima.* Quæsierim igitur, de qua culpa teneatur,qui accipit pignus in securitatem? Tenetur de culpa leuissima. Quia pignus traditur in vtilitatem solius accipientis. Sic Caiet. *tom.2.opusc.tract.6.de monte pietat.* & alij.

284. *Non tenetur.* Non tenetur de culpa leuissima, sed de lata & leui. Quia huiusmodi contractus est in gratiam vtriusque contrahentis. Ità Moli. *disp.535.num.14.* Azor.*3.part.lib.7. cap.8.quæst.5.* Vasq. *de pignor. c.5.num.20.* & alij multi.

285. *Idem asserо.* Ego quidem hos sequor Caietani fundamentum falsum omninò iudicans; pignus enim traditur in vtilitatem accipientis,cum ex eo accipiat securitatem crediti:

creditì: traditur etiam in tradentis vtilitatem, cum dominus tradat pignus, vt aliquid aliud recipiat, vel quia iam recepit, & retinet,nondum reddendo.

PROBL. XLVII.

Confessarius tenetur, & non tenetur de de culpa leui.

286. *Tenetur de culpa leui.* SI confessarius gratis ministerium suum gerat, tenetur de culpa lata tantum,sicut depositarius. Si vero mercedem accipiat, tenetur etiam de leui. Quia confessarij munus huiusmodi transit quasi in locationem. Sic Petr.Nauar.*l.3.cap.3.num.5.* qui citat Rosel. & Angel.

287. *Non tenetur de culpa leui.* Confessarius nec de culpa leui tenetur, nec vnquam obligatur ad compensationem damni,quod per ipsius negligentiam, secluso delicto, seu iniuria mortali, alteri tertiæ personæ illatum fuit v.gr. si per leuem iniuriam neglexit imperare restitutionem alicui faciendam.Quia cum aliis personis in ordine ad earum debita temporalia consequenda nulla ipsi nec expressa nec tacita conuentio intercedit. Ergo non tenetur nisi ex delicto, quod secluſa omni conuentione non obligat ad restitutionem,nisi sit mortale.Ita Saa *ver.Restitutio, num.2.* Valent. *tom.3. disp.5.quæst.6.pun.3.* Suar. *3.p.tom.4.disp.32.sect.6.num.9.*

288. *Distinguendum puto.* Distinxerim cum Laymano : Nam vel confessarius scienter vel per ignorantiam crassam dicit debitori, restitutionem gerendam non esse, cum tamen reuera faciendasit: vel tantum negatiuè se habet, non imperando restitutionem. Si primum, obligatur in debitoris defectum. Si vero secundum, tunc probabile existimo non contrahere obligationem restituendi; neque enim tum peccat contrà iustitiam, sed contra charitatis legem. Hoc enim discrimen est inter causas positiuas concurrentes ad damnum iniustum, mandando,consulendo, &c. & inter causas negatiuas tantum:quod illæ per solum voluntarium concursum sint causæ morales damni secuti; negatiuæ vero causæ non propter meram voluntariam taciturnitatem sint causæ damni, nisi etiam adsit obligatio ex iustitia ad significandum hoc, & impediendum damnum. De quo alibi.

PROBL. XLVIII.

Iudex, aduocatus, medicus & alij similes tenentur, & non tenentur de culpa leui.

289. *Tenentur de leui.* IVdex,Aduocatus,Medicus &c. si gratis munus exerant, tenentur de culpa lata solum : si vero mercedem accipiant, tenentur etiam de leui. Quia eorum munus transit quasi in locationem,vti de Confessario diximus. Sic Petr.Nauar. *l.3.c.3.n.5.* & alij.

290. *De nulla tenentur.* Iudex,Aduocatus,Medicus &c.de culpa latia nec leui tenentur,si pro munere mercedem accipiant.Saltem si de culpa aliqua teneantur, haud est illa ciuilis, sed Theologica. Quia nec iudex, nec aduocatus nec medicus ita censentur velle acceptare officium,vt in conscientia teneantur resarcire damnum, quod aut humani ingenij infirmitate aut naturali obliuione præter omnem eius voluntatem, ac proinde sine culpa vlla Theologica euenerit.Ita Laym. *lib.3. de iust.tr.4.c.7.n.5.*

291. *Idem asserо.* Idem existimo asserendum, & in expositionem sententiæ huius reuoco ad memoriam, Theologicam culpam esse deuiationem voluntariam à recta ratione, & lege Dei, ac proinde semper esse culpam vel mortalem,vel venialem : culpam vero iuridicam sumi apud iurisperitos latè, vt comprehendit dolum malum,tam verum, quam præsumptum, atque alias iuridicas culpæ species : Item sumi presse, vt reliquas culpæ species præter dolum comprehendit. Nec hîc agimus de dolo bono,qui vocatur solertia; sed de dolo malo, qui propriè est calliditas, fallacia, seu machinatio adhibita ad aliquem decipiendum. Definit culpam iuridicam in tota sua latitudine Molina *disp.293.*Est deuiatio committendo, aut omittendo, ab eo,quod aliquo modo quis tenetur, & saltem potuit prouidere. Igitur culpam iuridicam triplicem exposuimus *latam, leuem,leuissimam.* Itaque iudex, aduocatus, medicus de culpa mere ciuili, seu iuridica non tenentur.

PROBL. XLIX.

Qui obligantur de leui aut leuissima culpa : tenentur, & non tenentur in conscientia ante sententiam iudicis.

292. *Nonnulla suppono.* SCio, eum, cui aliquid locatur, teneri de lata,ac leui culpa,quia hic cõtractus est in gratiam vtriusque contrahentis:non vero

vero de leuissima sicut in commodato, Molina. *disp.*295. Scio depositarium, qui rem apud se depositam misit domino per eum qui se finxit missum à domino, & accepto depositò, aufugit: teneri solum de dolo & lata culpa, si neque accepit pretium pro munere depositarij, nec vllam habuit fraudis suspicionē; quam si habuit, & per debitam diligentiam non purgauit teneri ad restitutionem non solum culpa iuridica, sed etiam Theologica Rebel. *l.*15. *quæst.vnic. num.*12. Scio, non valere contractum, quod depositarius non teneatur de dolo; quia turpis conuentio. *leg.*1.*illud*, *ff.depositi*. Scio, famulos ex rei domesticæ asseruatione, quando eis ex officio & speciali stipendio incumbit eam seruare, teneri ex culpa leui; quia famulus tenetur præcauere ob contractum in vtriusque sui, & domini vtilitatem. Clauis Reg. *lib.*10.*tr.*2. *cap.*14. *num.*9. Scio, artifices, qui laborant in re alterius accepto stipendio, teneri ad restitutionem, si res pereat leui ipsorum culpa ob præfatam circa famulos rationem. Quod si laborent absque stipendio tenerentur solum de culpa lata. Dicastil. *lib.*2. *de iust.tr.*3. *disp.*1. *dub.*18. *num.*431. Scio, venditorem teneri de leui, si res vendita apud ipsum pereat ante traditionem; quia contractus est in vtriusque contrahentis vtilitatem. Dicastil. citat. Scio, custodes rei alienæ mercede conductos, de leui teneri; quia instar famuli est, & adest vtriusque contrahentis vtilitas. Sylvest. *ver. locatio. quæst.* 17. Scio, eum, qui commodauit alteri vitiosa vasa tantum teneri de culpa lata: eum verò, qui vendidit rem vitiosam teneri de leui; quia in priori contractu est tantum commoditas accipientis; in posteriori verò vtriusque commodum reperitur. Lessi. *l.*2. *cap.*6.*dub.*3.*num.*24. Scio, caupones, stabularios, & similes, qui res alienas custodiendas accipiunt, accepto consueto stipendio, in foro conscientiæ teneri solum de dolo lata, & leui culpa; quia ille contractus aut quasi contractus est in vtriusque, tradentis scilicet, & custodientis vtilitatem in foro tamen externo teneri de leuissima; quia præsumit ius malitiam in huiusmodi hominibus, tum ad comprimendam eorumdem vel malitiam, vel audaciam, ne conueniant cum furibus & aditus fraudibus patefcat. Moli. *quæst.*294.

293. *Ex culpa leui aut leuissima ante sententiam non tenentur.*

Quæsierim igitur, an hi omnes, & alij (de quibus triplici proximo Problemate egimus) teneantur antè iudicis sententiam restituere? Non tenentur in contractibus ad restitutionē nisi ex culpa lata, seu mortali, secluso pacto: ex culpa autem leui, aut leuissima ante iudicis sententiam non tenentur. Quia contrahentes non obligantur ad eam diligentiam aut curam præstandam, quam iura præscribunt, nisi quando speciale pactum circà huiusmodi obseruationem initur. Sic Saa *ver. culpa num.*2. Sotus *lib.*4. *de iust. quæst.*7. *art.*2. Henriq. *de irregul.cap.*25. Lessi. *lib.*2.*c.*27. *dub.*5. *num.*45. probabilem hanc sententiam esse docet.

294. *Ante sententiam tenetur.*

Hi omnes, de quibus sermo procedit statim tenentur in conscientia ante sententiam iudicis. Quia leges, quæ præscribunt diligentiam adhibendam à contrahentibus, decernunt curam, quæ præstanda est ab ipsis circa rem alienam: contrahentes autem saltem implicitè, & virtualiter obligantur ad eam curam, ac diligentiam præstandam, quam iura præscribunt. Ità Moli. *disp.*294. Azor. 3.*p.l.*7.*c.*7. Nauar. *c.*17. *n.*184. Lessi. citatus.

295. *Consentio.*

Consentio; quia ex illa implicita obligatione tenentur proculdubio ad restitutionem damni consurgentis ex omissione diligentiæ sic debitæ: quamuis aliàs sine culpa Theologica. Itaque quidquid sit de obligatione in conscientia secluso pacto, quando tantum est leuis aut leuissima culpa, in hoc casu virtuale interuenit pactum.

PROBL. L.

Quando res alienæ tibi traditæ ad custodiam sunt impartibiles, ac pretiosiores quam propriæ: potes, & non potes petere compensationem rerum propriarum, quæ periere, vt alienas conseruares.

296. *Aliqua suppono.*

VOcas ad quæstionem, an contrahentes teneantur ad restitutionem, quando in periculo amittendi res suas, negligunt alienas, vt proprias valeant conseruare: v. gr. in domus incendio prius collocant res proprias in tuto quam alienas debitas ex contractu? Respondeo quando contrahens tenetur ex leuissima non posse negligere res alienas pro conseruandis propriis. Quia se gerere debet ille, qui de leuissima tenetur, tanquam diligentissimus circa rem propriam se gerere assolet; hic autem conseruaret rem propriam in eo casu. Ergo quando tenetur de leuissima, non potest negligere rem alienam vt conseruet propriam æqualis vel minoris valoris. Secus enim non faceret quod diligentissimus circa rem suam. Molina. *disp.*296.

*disp.*296. Vasq. *de restit. cap.*2.§.3 *dub.*10. *num.*69. Azor. 3.*p.l.*7.*c.*7.*q.*6.

Aliud iudicium esto, quando res propriæ sunt maioris pretij; quamuis enim teneatur commodatarius de leuissima, non tenetur res proprias pretiosiores negligere, vt conseruet alienas minus pretiosas. Qui enim tenetur de leuissima tantum tenetur circa res alienas facere, quod gerit diligentissimus in propriis; nemo autem diligentissimus permittet, pretiosora perire, vt viliora seruet: ac proinde cum nullam culpam committat, restituere non tenetur, Laym. ac Moli. citati. Hinc oritur difficultas, num qui neglexit rem propriam viliorem pro conseruanda aliena debita ex contractu in vtriusque vtilitatem, possit à domino petere compensationem rei propriæ vilioris, & non teneatur ei tradere rem pretiosiorem, donec soluat valorem rei proprię vilioris amissę. Distinguendum puto. (quidquid Molina vbi supra contrarium asserat) Nam vel res alterius seruata est diuisibilis, vel non; si est diuisibilis, vt pecunia, triticum, oleum, aut varia suppellex, & hic potuisset seruare propriam aliam rem quæ æquaret partem rei alienæ, & vt illam sartam tectam seruaret, omninò permisit perire suam: potest petere compensationem totius illius partis, quam seruauit æqualem in valore cum propria, quæ periit. Quia cum hic non teneatur permittere, vt propria res depereat, ne pereat, aliena æqualis: ità nec permittere vt pereat res propria, ne pereat pars rei alienæ æqualis propriæ. Ergo ad eam vsque quantitatem poterit petere compensationem, cum eam quantitatem non teneretur seruare cum propriæ æqualis dispendio.

297. *Potest petere compensationem.*

Iam ad Problematis intentum deueni. Si res aliena est impartibilis, & pretiosior, quam propria, an tunc possit quis petere compensationem rei propriæ, quæ periit, vt illam conseruaret? Potest quidem. Quia hac ratione potest se seruare indemnem, qui rem propriam permisit perire, vt seruaret alienam etiam secundum quantitatem, & valorem, in quo æquabatur cum propria, & non tantùm secundum excessum. Nam licet res partiri non possit secundum suam entitatem (v. gr. si sit imago, aut gemma) partiri tamen potest secundum valorem: & hoc videtur sufficere, se vt eius partis petat compensationem, quæ cundum valorem separari potest à rese, nata, & æquat in valore rem propriam, quam perire permisit. Vt seruaret alienam. Sic Moli. *disp.*296. Less. *l.*2.*c.*27. *dub.*8. *n.*29.

298. *Non potest petere.*

Si res aliena est omninò impartibilis, & seruanda tanquam pretiosior, neglecta propria minus pretiosa: nullam, qui negligit, vt alienam asseruet, potest petere compensationem. Quia eius ad quod tenetur ex iustitia, nulla potest esse compensatio; sed in hoc casu, (vt supponimus) tenetur ex iustitia seruare rem alienam pretiosiorem potius quam propriam minus pretiosam; ergò huius facti nulla est debita compenpensatio ex iustitia. Ita Dicastil. *l.*2.*de iust. tr.*3.*disp.*1.*dub.*18.*num.*450.

299. *Hanc mentem sector.*

Hanc mentem sector, & amplius expono: Quia si tenetur illam rem conseruare ex iustitia, est ideo, vt seruetur æqualitas: & omnis compensatio est ad constituendam æqualitatem in eo, in quo non erat seruata; atqui in illa re conseruanda æqualitas asseruatur. Ergo nulla restat inter contrahentes compensatio. Hinc requiris, quando contrahens tenetur solùm de dolo & lata culpa, an teneatur res proprias æqualis vel maioris pretij negligere, vt conseruet alienas? Respondeo, non teneri, argumento petito à fortiori ex doctrina tradita. Tenetur tamen res proprias minoris pretij negligere pro conseruandis alienis pretiosioribus. Quia in eo casu tenetur, eam diligentiam adhibere in re aliena custodienda, quam communiter homines adhibere assolent; sed communiter homines adhibent maiorem curam in seruandis magis pretiosis, easque præferunt minus pretiosis; ergo tenetur in hoc casu rem pretiosiorem alterius propriæ viliori præferre.

Hæc de vniuersæ Theologiæ Moralis generalioribus principiis prælibasse sufficiat: iam ad specialem materiarum tractationem haud ab simili pergam stylo.

AD

AD DEIPARENTEM DOMINAM MEAM

EPILOGVS.

ORALIS Theologia ab Auſonio Epiſcopo mare magnum appoſite appellatur ob opinionum multiplicem varietatem, ob peccatorum quorum fit mentio multitudinem, ob Pœnitentiæ ſacramenti, ad quod cuncti Tractatus ordinantur, profunditatem. Profecto, ſi Theologiæ moralis Reſolutiones conſilia ſæpè vocitantur, hoc in Mari Mariam Deiparam contemplari liceat Confeſſariis ad peccatorum medicamen conſilia ſalutaria exhibentem. Eccli. 24. *A mari abundat cogitatio eius, & conſilia eius in abyſſo magna.* Quæ premens Richardus Laur. lib. 2. de laud. Virg. fatur : *In mari Pœnitentiæ abundat conſilium Mariæ, hoc eſt, in magnitudine & multitudine peccatorum oportet, nos confugere ad ipſam. Duplex autem conſilium dat ipſa peccatoribus. Vnum Ioan. 2. Omnia, quæ Ieſus dixerit vobis facite.* cuncta implete præcepta, legibus obtemperate, iuſtitiam omnem implentes. *Alterum Eccli. 24. Tranſite ad me omnes, vt edoceamini.* Accuramus ergo ad Mariam Magiſtram, eius conſiliis inſtruamur, ne conqueratur ipſa proclamans *Prou. 1. Deſpexiſtis omne conſilium meum, quod eſt omne bonum, id eſt plenum omni bono.* Sic fere Richardus. Audiui ô Domina, quæ generatim de Theologiæ Moralis Principiis expreſſi, auditurus quidem quæ me ſpeciatim circa cunctas Morales Materias dignata fueris edocere.

Eccli. 24

Richar.

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
quæ in hoc volumine continentur.

P. *Paginam*, N. *Numerum marginalem designat.*

A

Absolutio.

VOMODO in articulo mortis fiat absolutio vittute Bullæ. p.224.n.191
Absolutio Censuræ ex Bulla solum prodest pro foro interno. p.225 n.201
Potest excommunicatus, suspensus & interdictus absolui, satisfacta parte læsa. ibid.n.202
Quid nam absolutio in foro interno, & quinam eius effectus. p.226.n.205
Quomodo impendenda absolutio pro foro exteriori. ibid.n.206.
Si Iudex absoluat parte non satisfacta, peccabit, sed valida erit absolutio. ibid.n.207
Potest quis absolui virtute Bullæ ab omni interdicto personali. p.227.n.213
Non possumus absoluere à Cessatione, nec Degradatione. ibid.n.215
Per vnicam absolutionem plures Censuræ tolli possunt. p.228.n.217
Quando teneatur, & non teneatur absolutus se manifestare excommunicanti. ibid n.218
Inuitus non potest absolui. ibid.n.219
Absoiutio extracta per vim est nulla. ibid n.221

Acedia.

Quid Acedia? In cuius expositionem triplicis gaudij, & tristitiæ exprimo proprietates. p.130.n.143
Vndenam oriatur Acedia. p.131.n.144
Est Acedia alia, quæ per omnia vitiorum genera diuagatur. ibid.n.145
Acedia mortale ex genere. ibid.n.146
Fit veniale dupliciter. ibid.n.147
Acedia est capitale vitium. ibid.n.148
Prima eius filia desperatio. ibid.n.149
Secunda, pusillanimitas, ibid.n.150
Tertia, Torpor. ibid.n.151
Quarta, Malitia. ibid.n.152
Quinta Rancor. p.132 n.153
Sexta euagatio mentis. ibid.n.154

Actio,

Quando nam actio vel passio violenta est inuoluntaria? p.13.n 38
Quando nam actio vel passio violenta censeatur voluntaria? ibid.n.39
Quando nam non voluntaria. ibid.n.40
Non omnes actiones hominis aut bonæ, aut malæ. p.14.n.47.
Actiones quæ causa sunt opus debitum omittendi, malæ sunt: secus, quæ non sunt causa. p.73.n.23
Actio in personam. p.447.n.126
Actio rei persequendæ, actio pœnæ & actio mixta. ibid.n.127.
Actio bonæ fidei & actio strictè iuris. ibid.n.128
Actionum stricti Iuris, & aliarum plures species recenseo. p.447.n.129

Actus.

Quid actus humanus. p.8.n.1
Actus liber quid? p.9.n.5
In actibus elicitis potest homo obiectiuè, & efficienter necessitari. p.10 n.53
Omnis actus intellectus quoad exercitium potest imperari. p.12.n 32
Actus interni vt spectant ad actus externi complementum possunt præcipi ab Ecclesia. p.149 n.32.
Actus externus est exprimendus in Confessione. p.16. num. 60.
Euentus sequens quid addat bonitatis, aut malitiæ actui? ibid.n.61
In actibus naturalibus, ac ciuilibus, liber est homo p.9.n.9.
Et in moralibus. ibid.n.10
Et in supernaturalibus. ibidin.11
Actus liber alius elicitus alius imperatus. ibid n.12
Duo actus volũtatis, elicitus, & imperatus. p.11.n.20
Sex actus voluntatis eliciti. ibid.n.21
Tres actus voluntatis circa finem, amare, intendere, frui. ibid.n.22
Tres actus voluntatis ad finem, eligere, consentire, vti ibid.n.26.
Iudicium intellectus quoad actus speciem potest imperari, quando veritas est obscura, non autem quando est euidens p.12.n.34
Actus appetitus sensitiui ex parte non ex toto possunt imperari. p.12.n.35
Tria à quibus moralitas humanorum actuum pendet. p. 14. n. 48
Humani actus bonitatem, aut malitiam ex obiecto accipiunt. ibid.n. 49
Quonam modo actus erit bonus ex obiecto. ib.n.50
Quonam modo erit ex obiecto malus. ibid.n.51
Tot sunt actuum malorum species, quot in obiecto diuersæ turpitudines. p. 15. n. 52
Actus humanus accipit bonitatis, aut malitiæ incrementum ex circunstantiis. ibid.n.53
Actus externus bonitatem aut malitiã habet. ib. n.58
Non habet bonitatem formalem, nec obiectiuam, sed denominatiuam. ibid n.59

Amare.

Quid, amare. ibid n.23

Ambitio.

Notabilium.

Ambitio.

Ambitio peccatum semper est. p.119.n.45
Tripliciter potest Ambitio contingere. ibid.n.46
Qui nã mortaliter ex ambitione delinquant. ibid.n.47

Amens.

Amentes,dormientes, ebrij, & absentes promulgatione legis, tenentur eam obseruare post accidentale impedimentum. p.149.n.35

Appellatio.

Appellatio facta antè sententiam censuræ absolutam impedit eius incursionem. p.392.n.92
Appellatio non legitima si admittitur à Iudice impedit. ibid.n.93
Appellatio facta post sententiam latam, quamuis facta intra decem dies non impedit. ibid.n.94
Nec impedit denunciationem iam incursæ censuræ. p.393.n.95.
Appellatio à sententia censuræ declaratoria iam facta suspendit talem sententiam. ibid.n.96
Appellatio legitima impedit censuræ incursionem facta antè latam sententiam. ibid.n.89
Et post lationem censuræ sub conditione si fiat appellatio ante factam transgressionem. p.392.n.90
In sententiis Censurarum sub conditione latis potest fieri appellatio etiam post decem dies. ibid.n.91

Apprehensio.

Apprehensio imperio voluntatis subiacet quoad speciem actus. p.12.n.33

Arrogantia.

Arrogantia appetitus semper est vitiosus. p.119.n.48
Quando nam est peccatum mortale. ibid.n.49

Articulus mortis.

Articulus & periculum mortis æquiparantur. p.224
Non lucraberis in præsumpto si pro vero ponitur articulo indulgentia. ibid.n.233

Assertio.

Quid certa Assertio. p.1.n.1
Quæ Theologi asseruere ante Ecclesiæ definitionem improbandum, non ipsi damnandi p.2.n.3
Veriores vocito Assertiones quæ communiter à Doctorribus proferuntur. ibid.n.4

Auaritia,

Auariria est peccatum contra iustitiam, vel contra liberalitatem. p.120.n.50
Si contra iustitiam, est mortale peccatum ex genere; si contra charitatem,aliquando. ibid.n.51
Auaritia vel prodigalitas pura venialis est. ibid.n.52
Septem filiæ auaritiæ. ibid.n.53

Auctor.

Non attendendum ad Auctorum pluralitatem, vt probabilis iudicetur Assertio. p.5.n.17.
Non attendendum ad id, quod Auctores in indice exprimunt,nisi rationem adhibeant. ibid.n.19
Sufficit vnus Auctor, vt probabilem constituat sententiam. p.6.n.25

B

Bona.

BOna furantis ex confidentia Bullæ addicenda Cruciatæ,non pauperibus. p.253.n.428

Bonitas.

Quid bonitas morali. p.14.n.45
Triplex bonitas,aut malitia. p.15.n.57

Bulla.

Bullæ Cruciatæ definitio. p.202.n.1
Quatuor Bullæ partes. ibid.n.2
Auctor Bullæ est summus Pontifex. ibid.n.3
Iuridica, ac certa Bullæ interpretatio ad solum Papam spectat. p.203.n.6
Doctrinalis, & probabilis interpretatio Bullæ licita est literatis. ibid.n.7
Priuilegia Bullæ prout continent actualem iuris dispensationem,sunt strictè interpretanda. ibid.n.8
Prout continent potestatem dispensandi, &c. laxè intelligenda sunt. ibid.n.9
Quibus Bulla prosit. ibid.n.10
Non est præceptum de Bulla accipienda. ibid.n.11
Necessarium est Bullam accipere, vt quis indultis eius potiatur. p.204.n.12
Non sufficit dare stipem,& nomen. ibid.n.13
Acceptanda est. & applicanda. ibid.n.14
Non potest acceptata Bulla in alium transferri. ibid.num.15.
Si non acceptasti, potes transferre in alium ibid.n.16
Potes accipere Bullam pro alio existente in Hispaniæ ditione. ibid.n.17
Non prodest Bulla ei, qui extra Regna adest, cum fit certior, te pro illo Bullam accepisse, cum in Hispania moraretur. ibid.n.18
Satis est, Bullam apud alium habere. ibid.n.19
Si Bulla inculpabiliter amittatur,aut comburatur, eius potiris indultis. ibid.n.20
Non est necessarium, proprium in Bulla nomen scribere, sed vtile est. ibid.n.21
Necessarium est esse Hispaniæ vicinus aut hospes. p.205.n.22.
Si tendas in Hispaniam solo animo accipiendi Bullam, & mox discedendi,non proficit. ibid.n.23
Non valet acceptio Bullæ à me facta pro existente in Italia. ibid.n.24
Qui in Hispania Bullam acceptat,& tendit in Gasliam, potitur ibi eius indultis. ibid.n.25
Non fruitur priuilegio edendi oua, lacticinia,nec carnes ibid.n.26
Prodest Bulla infantibus, & amentibus. ibid.n.27
Prodest iis, qui post rationis vsum in phrenesim aut amentiam inciderunt. ibid.n.28
Prodest Religionum nouitiis etiam Prælatis inuitis. ibid.n.29.
Religiosi Ordinum Militarium possunt, secularium instar, Bullæ indultis frui. ibid.n.30
Mendicantes sine licentia possunt Bullæ priuilegiis gaudere,vno excepto. ibid.n.31
Potest Bulla prodesse existenti in lethali. ibid.n.32
Prodest excommunicatis. ibid.n.33
Peccans cum confidentia negatiua Bullæ omnibus eius frui indultis potest. ibid.n.34
Delinquens ex positiua confidentia Bullæ in duobus casibus expressis priuilegio non gaudet. ibid.n.35
Bulla à die publicationis computatur. ibid.n.36
Publicatio debet fieri in loco, in quo quis Bullam accipit. ibid.n.37
Intelligenda computatio anni siue à principio, siue à fine Bulla accipiatur. 207.n.38
Non computandus à publicatione in Metropoli, sed in locis singulis. ibid.n.39
Finito anno Bulla expirat. ibid.n.40
Papa potest Bullam reuocare. ibid.n.41

Index rerum

Si reuocet, valet absolutio ab ignoranti data. ib.n. 42
Per Bullam Cœnæ nullum Bullæ Cruciatæ priuilegium reuocatur. ibid n.43
Bulla non expirat, mortuo Papa ante præfixum tempus. ibid.n.44
Duæ dragmæ argenteæ est stipes sufficiens diuiti & inopi. p.209 n 58
Pro tantis indultis sufficit hæc parua eleemosyna ibid n.59.
Non committitur simonia. ibid.n.60
Fur non potest ex furtiua pecunia Bullam accipere. ibid.n.61.
Potest meretrix de turpi lucro. ibid.n.62
Religiosi omnes possunt ex bonis per eleemosynam acquisitis, sine recursu ad superiorem Bullam accipere. ibid. n. 63
Debent Religiosi petere facultatem, sed peccabit Prælatus non concedens. ibid.n.64
Viduæ Dominorum non tenentur octo dragmas erogare, nisi vsufructuariæ relinquantur. p. 210. n.65
Qui simul sunt pro indiuiso vel diuiso vnius oppidi Domini simul octo argenteos exhiberent. ibid. num.66.
Qui ex indulto Bullæ carnibus vescitur meritum assequitur ieiunij. ibid.n.106
Conceditur Clericis Sacerdotibus hoc indultum. ibid.n.107.
Potest & pisces edere, qui carnes comedit. ibid.n.108
Pueri à septennio peccant edentes oua sine Bulla. ibid. n.109.
Potest Clericus & Religiosus oua edere à Confessario dispensatus. ibid.n.110
Quid concedit Bulla circa oua. ibid.n.111
Lacticiniorum esus includitur in ouorum vsu. p. 216 num. 112.
Non indiges in Hispania Bulla, ad vtendum ouis extra Quadragesimam. ibid.n.113
Qui vescitur ouis, potest & pisces edere. ibid. n.114
Pueri post septennium Bulla indigent ad oua edenda. ibid. n. 115.
Possunt eius indulto vti laici, & Equites Militares. 216.n.116.
Possunt & Cardinales S R. Ecclesiæ. ibid n.117
Possunt & sacerdotes ac Religiosi sexagenarij. ib.118.
Non possunt Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi. ibid.n.119
Nec Prælati inferiores. ibid n.120
Nec Religiosi. ibid.n.121
Non excipiuntur Beatæ, tertiarij, & Eremitæ. ib n.122
Comprehenduntur in exceptione Societatis Iesu Religiosi tria vota simplicia emittentes p. 217. numer.123.
Et omnes Regulares laici. ibid.n 124
Soli sacerdotes ex sæcularibus excluduntur ab indulto. ibid.n.125
Cur excluduntur Patriarchæ, &c. ibid.n.126
Licet sexagenariis vesci ouis, & non sexagenariis habentibus aliunde priuilegium. bid n.127
Qui commensalis est eius qui priuilegium speciale habet, potest vesci ouis, & lacticiniis, sine Bulla. ibid.n.128
Sacerdos accipiens Bullam in Castella, potest vesci ouis in Lusitania. ibid.n.217
Equites D. Ioannis, & alij vere Religiosi possunt vesci ouis, & lacticiniis. ibid.n.130
In ieiuniis ex voto, pœnitentia ac Iubileo extra Quadragesimam possunt seculares ouis vesci. ib.n.130
Idem de Sacerdotibus ac Regularibus affero. ib.n.132
Quænam specialis participatio bonorum per Bullam conceditur. ibid.n.143
Quid Bulla præstat circa absolutionem in articulo, mortis si ibi nullus casus est reseruatus. p.214.n.194
Virtute Bullæ absolui possumus ab omni excommunicatione, hæresi excepta. ibid n.196
Nõ est per Bullã Cœnę derogata hęc facultas. ib.n.197
Prodest Bulla compositionis omnibus quibus Bulla viuorum, catechumenis, & defunctis. p.248.n.395
Non prodest iis, qui eius confidentia bona aliena illicitè acquisierunt. ibid n.386
Qui retinet aliena, non est in statu ini quo dum parat facere compositionem. ibid n.397
Compositionis quãtitas per Bullam acceptã. ib.n.398
Compositionis quantitas per Comissariũ. ibid.n.399
Æque tutus vterque cõpositionis modus. ibid n 400
Super quæ bona potest fieri compositio. ibid.n.401
Debent esse bona incerta. ibid n.402
Si creditor sit certus, non habet compositio locum ibid.n.403.
Hæc cõpositio pro foro exteriori non prodest. ib.n.404
Fit compositio super illicite habitis. p.249.n.405
Super fructibus beneficiorum. ibid. n. 406
Nõ potest super quotidianis distributionibus ib.n.407
Nec super fructibus, quos Episcopus ac Parochus non residentes perceperunt. ibid.n.408
Potest Pontifex hanc facere compositionem. ib.n.409
Fit super legatis. ibid.n.410
Potest hoc in casu Pontifex valide & licite compositionem concedere. ibid n.411
Fit compositio super legatis factis, ac faciendis. ibid. num 412.
Fit compositio super male ablatis ex iniusta sententia, &c. p.250.n.413
Et ex testis, seu accusatoris iniusta mercede ib n 415
Et ex tabellionis munere iniusto. ibid.n.416
Fit compositio ex iniusta subordinatione pro iure debito. ibid n.417
Fit compositio ex acceptione tabellionum vltra taxam. ibid n 418
Et ex accepta mercede ob intercessionem iniquam ibid n.419.
Et ex iniusta includo lucratione. ibid.n.420
Et ex simulatione sanctitatis, aut in opiæ ad eleemosynam accipiendam. ibid.n.421
Et ex rebus inuentis. ibid.n.422
Et ex deposito, cuius dominus nõ inuenitur. ib.n.423
Et ex damnis illatis ex venatione, &c. ibid.n.424
Et ex turpi lucro fœminarum, aut viuorum. ibid.n.425
Et ex tabernariis vinum aqua diluentibus, & ex dolis in pondere ac mensura. ibid.n.426
Et ex vsura, lucro, &c. ibid n.427
Non requiritur accipientem Bullam defunctorum esse in gratia. p.254.n.433
Potest hæc Bulla bis sumi, & applicari. ibid n.434
Omnes ii, quibus viuorum Bulla conceditur possunt hanc Bullam sumere. p.254.n.435
Anima cui Bullæ indulgentia applicatur, disponitur, vt alia indulgentia liberetur. 439.n.439
Bullæ taxa pro his quorum redditus trecentorum ducatorum summam exequat. p.256 n.448
Patriarchæ, &c. tenentur ad taxam ibi assignatam. p.25.6n.449.
Non tenentur iis, quorum redditus trecentorum ducatorum summam non attingunt. ibid n.450
Coadiutores Canonicorum & Dignitatum ad huiusmodi taxam soluendam non tenentur. ibid.n.451
De secundæ Bullæ aceeptione, de Indulgentiarum per Bullam suspensione, & reualidatione. p.241.n.337
Potestas cõmissarij circa Bullã cõpositionis. ib.n.391

Notabilium.

Tutus manet in conſcientia qui vſus fuerit compoſitione hac. ibid.n.392
Rex, & Reſpublica poſſunt compoſitionem facere de bonis incertis licitè habitis. ibid.n.393
Solus Commiſſarius poteſt virtute Bullæ facere compoſitionem ibid.n.394
Lacticiniorum Bulla. p.255

C

Caro.

QVidnam circa eſum carnium priuilegium Bullæ concedat. p.214
Datur ex Bullæ indulto, vt in cauſa dubia formaliter poſſis veſci carnibus de vtriuſque Medici conſilio. ibid.n.102
Licet ob infirmitatem, & neceſſitatem occiſi hominis veſci carnibus. p.120.n.111

Caſus reſeruatus.

Vna tantum abſolutio pro reſeruatis Papæ concedi poteſt intra annum virtute Bullæ. p.213.n.186
Quo remedio vti debet qui rurſum intra annum reſeruata Papæ perpetrauit. ibid.n.187
Poteſt quis oblitus peccata reſeruata Papæ poſt elapſum tempus Bullæ abſolui. ibid.n.188

Cenſura.

Variæ vocis cenſuræ acceptiones. p.379.n.1.
Definitio cenſuræ in communi. p.380.n.2
Triplex eſt ad minus cenſura, excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, quibus diffinitio aptatur. ibid. n.3
In Eccleſia eſt poteſtas ferendi cenſuras. ibid.n.4
Cenſuratum inſtitutio non fuit immediatè à Chriſto facta. ibid.n.5
Cenſuræ inſtitutæ fuerũt à sũmis Pontificibus.ib.n.6.
Iis eſt poteſtas ferendi cenſuras, in quibus adeſt ordinaria ſiue delegata poteſtas. ibid.n.7
Inuenitur huiuſmodi poteſtas in Papa, Epiſcopis, Archiepiſcopis, in concilio Prouinciali, Legato à latere. ibid. n. 8
In vicario. p.381.n.9
In capitulo Cathedrali ſede vacante. ibid.n.10
In Prælatis non Epiſcopis Cardinalibus & in ſuperioribus Religionum mediatis, & immediatis. ibid.n.11.
Et in Concilio generali, Prouinciali, Synodo, Capitulis Religionum, Archidiaconis, Archipresbyteris. ibid.n.12
Non reperitur in Parochis. ibid.n.34
Reperitur in his, quibus delegatur ab habente poteſtatem ſi capaces ſint. ibid.n.14
Ex Papæ diſpenſatione poteſt quis ſuam delegare iuriſdictionem clerico coniugato, & non clerico. bid .n.15
Delegata hæc poteſtas pendet à delegantis poteſtate. ibid.n.16.
Delegatus valide fert Cenſuras quo vſque veniat ad eum reuocatio. p.381.n.17.
Excommunicatus, ſeu ſuſpenſus non toleratus nec licite nec valide fert Cenſuras. Imo nec toleratus. ibid. n. 18.
Alia eſt Cenſura à Iure. p.382.n.19
Alia ab homine. ibid.n.20
Diſcrimen inter haſce. ibid.
Cenſura ſubdiuiditur in eam, quæ eſt latæ, & quæ eſt ferendæ ſententiæ. ibid.n.21
Quando cenſeatur Cenſura eſſe latæ ſententiæ. ibid. n.22.
Quando ſignificetur eſſe ferendæ ſententiæ. ibid.n.23
Quid in dubio. ibid. n.24
Quænam requirantur in ferente Cenſuras, ad eas validè ferendas. p.383.
Qui fert cenſuras debet eſſe viator. ibid.n.25
Et compos rationis. ibid.n.26
Et baptizatus. ibid.n.27
Et Clericus. ibid.n.28
Et habens vſum iuriſdictionis non impeditũ. ib.n.29.
Cenſura ferenda non eſt in propria cauſa. ibid.n.30
Ferens Cenſuras debet aduertentet eas ferre. ibd.n.31
Debet eſſe intra ſuum territorium. ibid.n.32
Poſſunt alligari Cenſuris omnes & ſoli homines baptizati. ibid.n.33
Debet eſſe viator, qui illigandus cenſuris eſt. ibid.n.34
Debet eſſe doli capax. p.384.n.35.
Inſani Cenſuris non afficiuntur. ibid.n.36
Debet eſſe ſubditus ferentis Cenſuram. ibid n. 37
Summus pontifex non poteſt Cenſuris ligari. ibid.n.38
Poſſunt Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ Cardinales. ibid.n.39
Non poteſt quis ſeipſum Cenſura ligare. ibid.n.40
Poſſunt impuberes ligari Cenſura à iure lata. ibid.n.41
Perpetuo amentes non ligantur quo ad effectus in prohibitione conſiſtentes, ibid.n.42
Incidens in amentiam temporaneam poteſt ligari quoad effectus in Prohibitione conſiſtentes. ibid.n. 43
Exiſtens extra ſuum Epiſcopatum, & non poteſt in alieno ligari Cẽſuris annexis ſtatuto perpetuo. ib.n.44
Subditus exiſtens in aliena Diœceſi poteſt ligari Cenſuris à ſuo Epiſcopo ob delictum commiſſum in proprio Epiſcopatu. ibid.n.45
Exiſtens in aliena Diœceſi animo ſemper manendi in ea, illigatur. p.385.n.46
Exiſtens tanquam hoſpes poteſt ratione delicti in eo Epiſcopatu commiſſi ligari cenſura, &c. ibid.n.47
Comprehenduntur ſtatuto, qui poſt id fiunt ſubditi ibid.n.48
Vagi poſſunt ligari ab Epiſcopo loci, in quo actu habitant. ibid.n.49
Vna cenſura irretitus remanet ſubiectum capax alterius. ibid.n.50
Tot cenſuratũ es capax ſubiectum, quot actiones prohibitas multiplicaſti. ibid.n.51
Violans legem vno actu habente plures circunſtantias non mutantes ſpeciem, vnam incurret cenſuram; plures autẽ, ſi circumſtantiæ mutent ſpeciẽ. ib n.52
Cum actus à multis ſuperioribus habentibus eandem, poteſtatem prohibentur, vnica incurritur cenſura. p. 386. n. 53
Cum actus prohibetur à pluribus diuerſam habentibus poteſtatem plures incurrũtur cenſuræ. ib.n.54
Cenſura non fertur niſi ob peccatum propriu m ibid.n.55.
Conſulens aut mandans opus, cui eſt annexa cenſura eam non incurrit. p.387.n.60
Cenſura lata ob conſilium aut mandatum, acceſſoriè, non incurritur niſi effectu ſecuto. ibid.n.61
Cenſura lata contra facientes aliquod opus, non comprehenditur conſulens, quando in latione id non ſignificatur. ibid.n.62
Reſipiſcentia à conſilio, ſeu mandato impedit Cenſuræ incurſionem, ſi peruenerit ad mandatarij notitiam. p.388 n.63
Cenſura fertur pro peccatis futuris validè, & licitè. ibid.n.64
Cenſura poteſt valide ferri ab homine pro peccatis futuris ibid.n65.
Ad ferendam cenſuram iure aut præcepto pro peccatis futuris non requiritur montiio ibid.n.66

Index rerum

De iis, quæ impediunt Censuræ incursionem. 390
Actualis inaduertentia facti, etsi adsit habitualis scientia impedit censuram. ibid.n.76
Ignorantia vincibilis facti impedit censuram, quando est plenè voluntaria. ibid.n.77
Et quando censura non fertur absolutè, sed addita particula scienter. ibid.n.78
Ordo iuridicus necessario requiritur. p.392.n.86
Non requiritur necessariò pronunciatio in scriptis. ibid.n.87
Non impedit malus finis Iudicis. ibid.n.88
Consensus partis, in cuius fauorem lata est Censura sub conditione, antè eius incursionem impedit. p.393.n.97
Censura solum absolutione tollitur. ibid.98
Censura reseruata ab homine aufertur ab eo, qui tulit,&c. p.393.n.99
Censura non reseruata à quocumque habente potestatem absoluendi à mortalibus. ibid.n.100
Absolutio Censuræ potest inuito dari. ib.101
Quando est lata à iure, seruandus est ordo in ea præscriptus. p.394.n.102
In concessione generali sedis Apostolicæ absoluendi ab omnibus iuris Censuris,comprehenduntur eæ,quæ Diœcesano statuto Episcopi ferunt. ibid.103
A Censuris notoriis priuilegiatus non facilè absoluat sine consensu ordinarij. ibid.n.104
Censuræ absolutio simplex,& ad cautelam. ibid.105
Absolutio censuræ,ad reincidentiam. ibid.n 106
Non est necessaria certa forma ad absolutionem Censuræ.p.395 n.107
Potest sacerdos his vti verbis: ego te absoluo: ad absoluendum à peccatis & simul à Censuris. ib.n.108
Certior tamen absolutionis modus præscribitur. ibid. n.109
Facultas generalis absoluendi à Censuris, comprehendit censuras etiam reseruatas. ibid.n. 10
In absolutione non semper exprimenda censuræ causa. ibid.111
Habens priuilegium absoluendi à censuris sine limitatione,potest in vtroque foro. ibid n.112
Absolutus à Censura in foro conscientiæ non indiget noua absolutione. p.396.n 114
Is cui competit potestas ordinaria absoluendi, valide potest non satisfacta parte;sed non licite. ib.n.115
Idem asserendum de habente potestatem delegatam. ibid.n.116
Quando potestas absoluendi cum limitatione datur satisfactionis,hæc requiritur tanquam conditio necessaria. ibid n.117
Potest absolui pœnitens, qui satisfacere non potest. ibid.118
Qui dubitat se teneri ad satisfaciendum, potest sine satisfactione in foro externo absolui. ibid n.119
A censuris iuris reseruatis absoluit qui eas tulit, &c. à non reseruatis Prælati habentes iurisdictionem in foro externo. ibid. n.120
Censura lata contra personam particularem aufertur ab eo,qui eam tulit. ibid 121
Episcopi absoluunt ab omnibus censuris reseruatis. ibid.n.122
Explico Tridentini præfatam Episcopis concessionem. ibid.123
Hæc potestas Capitulo sede vacante competit. p.397.n.124
Quinam hic nomine Episcopi, & nomine subditorum intelligendi. ibid.n.125
Potest Episcopus absoluere à censura Papæ reseruata, cum ea innodatus infirmitate, pauperie, &c. laborat. ibid.n. 126
Ritus seruandus in absolutione fori externi.ibi.n.127
Post absolutionem publicanda absolutio peccati publici. ibid.n.128.

Character.

Quid Character. p.326.n.65
Per tria Sacramenta Character imprimitur. ibid n.66
Solus habet Characterem qui aliquod ex tribus Sacramentis accipit. ibid.n.68.
In Angelis potest esse, in Deipara, & Apostolis est, ibid.
In Christo non est. p.327.n.69
Character Baptismi reliquis præsupponitur, Ordinis vero Character non habet cum Charactere Confirmationis necessariam connexionem. ibid.n.70
Character Ordinis vnius non præsupponit necessariò alterius Characterem. ibid.n. 71.
Character varias habet proprietates,& effectus.ib.n.73

Cibus.

Vesci cibis insolitis sale, cinere, terra, &c. peccatum est contra charitatem in teipsum: graue, aut leue ex damno illato. p.127

Circunstantia.

Alia circunstantia interioris, alia exterioris actus. p.15.n.54.
Circunstantia est accidens actus humani. ibid n.55
Circunstantia transiens in rationem obiecti actui tribuit speciem essentialem. ibid.n.56
Quid circunstantiæ & quotuplices. p.79.n 62
Circunstantiæ impertinentes. ibid.n.63
Circunstantiæ notabiliter aggrauantes intra eandem speciem. ibid.n 64
De Circunstantia, *Vbi*. p.80.n.68
De circunstantia, *Quibus auxiliis*. ibid.n.69
De circunstantia *cur*. ibid.n.70
Circumstantia finis boni nouam bonitatis speciem addit actioni ex se bonæ:circunstantia finis mali efficit actum,bonũ ex obiecto,simpliciter malum. p.81.71
Circunstantia finis boni dat actui indifferenti primam bonitatis speciem, circumstantia finis mali primam dat speciem malitiæ. ibid.n.72
Circunstantia finis boni non confert actui ex obiecto malo: at circunstantia finis mali confert actui ex obiecto malo nouam malitiam. ibid.73
De circunstautia, *Quomodo*. ibid.n 74
De circunstantia. *Quando*. ibid.n.75

Clausula.

Clausula, *Quatenus sunt in vsu* confirmat solum priuilegia quæ sunt in obseruantia. p.180.n.64
Clausula, *Et sacris Canonibus* non est intelligenda de illis, qui in corpore iuris inserti sunt. ibid.n.65
Aliarum Clausularum intelligentia. ibid.n.66
Derogatoriæ clausulæ derogatio. ibid.n.67
De multis aliis clausulis legendi Doctores. ibid.n.68

Commissarius.

Commissarij Cruciatæ facultas. p.243.n.358
Duo continet hæc amplissima facultas. ibid.n.358
Potest inquirere an ordinarij circa hoc Bullæ negotium rectè se gesserint. ibid.n.359
Potest deputare Commissarios. ibid n.360
Potest,Bullæ tempore elapso absoluere negotia cœpta. ibid.n.361
Potest per cẽsuras compellere tabelliones,&c.ib.n.362
Habet quandam iurisdictionem temporalem.ib n. 363
Cõmissarius generalis habet potestatẽ dispẽsandi circa irregularitates,quę ex delicto proueniũt.p.244.n.364

Et

Notabilium.

Et circa eam, quæ contracta est ex eo, quod ligatus censura celebrauit. p.244.n.365
Potest dispensare in hisce, quamuis publicæ sint. ibid.n.366.
Non potest cum illegitimo &c. ibid.n.367
Nec cum irregulari ex bigamia. ibid.n.368
Quatuor irregularitates excipiuntur. ibid n.369
Non potest despensare in homicidio voluntario. ibid. n.370.
Potest in voluntaria mutilatione. ibid.n.371
Et in homicidio casuali. ibid.n.372.
Non potest in Irregularitate quæ oritur ex Simonia in Ordine. ibid.n.373
Potest dispensare cum illo, qui Censuram in actu Ordinis violauit. p.246.n.380
Potest in primo & secundo gradu affinitatis fornicariæ dispensare matrimonio contracto. ibid. 381.
Sed vt in his gradibus dispensare possit, septem debent conditiones expleri. ibid.n.382
Potest legitimam decernere prolem ex huiusmodi matrimonio irrito. ibid 383
Prodest hæc legitimatio ad omnes Ordines suscipiendos. ibid.n.384
Nequit legitimare prolem nisi dispensando in matrimonio. ibid.n 385
Potest dispensare, vt impediti coniuges petant debitum. ibid.n.386
Potest dare facultatem celebrandi ante auroram. p.247 387.
Et post meridiem. ibid.n 388
Habet facultatem decidendi circa difficultates Bullæ. ibid.n 389.
Et ad eleemosynam taxandam, & Bullam vertendam in vulgarem linguam. ibid.n.390
Potest dispensare in irregularitate contracta ex eo quod in actu Ordinis Censuram violauit. p.245. n.374.
Potest item reualidare titulum beneficij post hanc irregularitatem accepti. ibid.n.375
Non potest dispensare circa irregularitatem ex occulta hæresi, aut apostasia. ibid n 376
Non potest dispensare in irregularitate ob malam Ordinum susceptionem. ibid.n.377
Non prohibetur ei dispensare cum eo qui sacris initiatur per saltum, &c. ibid.n.378
Non potest reualidare titulum beneficij simoniace accepti, &c. ibid.n 379

Confessarius.

De Confessario Bullæ indulto eligendo. p.221.n.158
Approbatus licet iurisdictionem non habeat potest eligi. ibid n.159
Simpliciter approbatus, si sit pius & doctus potest eligi, licet approbatus fuerit ad certum locum, & personas. ibid.n.160
Si cum limitatione approbatus est quia non est satis idoneus, eligi non potest. ibid n.161
Potest tamen à consimilibus eligi. ibid n.162
Non potest eligi à fœmina approbatus ad solos viros. ibid n.163.
Qui absolute ad annum approbatur, potest eligi extra annum. ibid.n.164
Qui non est idoneus, licet sit approbatus, eligi non potest. ibid.n.165
Qui non idoneum eligit confessarium inualide confitetur. ibid n.166
Quilibet Parochus potest eligi ab alienis ouibus intra diœcesim. ibid.n.167
Et ab alienæ diœcesis subditis. ibid.n.168
Et vbique terrarum est capax iurisdictionis. p.222. n.169.
Eligi non potest Parochus intrusus. ibid n.170
Non potest eligi qui beneficium Parochiale renunciauit. ibid.n.171
Regularis potest eligi si approbatus est licet à successore Episcopo facultas reuocetur. ibid n.172
Approbatus ad certum tempus, post illud eligi non potest. ibid.n.173
Religiosus ab vno approbatus, pro libito ab eodem repr_batus, eligi valet. ibid.n.174
Is, cui iniustissime approbatio negatur eligi non potest. ibid.n.175
Regularis ex licentia eligens confessarium, quemlibet potest eligere. ibid n 176
Si virtute Bullæ eligat, debet approbatum eligere. ibid n.177.
Confessarius ligatus censura est eligibilis, si nec ipse delinquat ministrando, nec eligens petendo. ibid. n. 178.
Episcopus potest eligere non approbatum ab alio. p.223.n. 80.
Prælati inferiores non Regulares necessario debent approbatum eligere. ibid.n.181
Quid Papa concedat circa Casus reseruatos sibi & censuras. ibid.n.182
Quid per casus Papæ reseruatos intelligitur. ibid. n.183.
Confessarius virtute Bullæ electus, potest absoluere ab omni suspensione. p.227.n.212

Conscientia.

Conscientiæ cuncta tempora complectentis definitio. p.30.n.1
Triplex Conscientiæ officium. p.31.n.3.
Conscientia practica, & speculatiua. ibid.n.4
Multiplex Conscientia. Certa. ibid.n.5
Probabilis. ibid n.6.
Dubia. ibid n.7
Erronea. ibid.n 8
Quid scientia, opinio, dubium, error, scrupulus? ibid.n.9.
Conscientia recta semper obligat operari. ibid n.10
Conscientia probabilis ex duplici radice. p.32.n.11
Quonam modo censeatur probabilis opinio. ibid. n.12.
Duo requiruntur, vt Conscientia speculatiuè dubia practice deponatur. p.45.n 28
Conscientia erronea ex ignorantia vincibili, & inuincibili. ibid.n.29
Obligat ad operandum Conscientia erronea inuincibiliter. ibid n.30
Qui gerit aliquid malum ex conscientia erronea vincibili, peccat. ibid n.31
Conscientia erronea inuincibiliter obligat ad positiuam sui obseruationem. ibid n.32
Nemo ex Conscientiæ errore eas potest subire angustias, vt peccare cogatur. ibid n.33
Ad quodnam peccati genus reuocetur peccatum ex Conscientia erronea comm ssum. ibid.n.34
Vnde nam conscientia scrupulosa. p.36.n.35

Consentire.

Quid, Consentire? p.11.n.27

Contractus.

Quid, Contractus stricte. p.430.n 25

Index rerum

Quid contractus late. p.430.n.26
Quid contractus latissimè. ibid.n.27
Quo nam modo vnus contractus ab altero discernatur. ibid.n.28
Contractus nominatus, & innominatus. ibid.n.29
Respectiuus, & non respectiuus. ibid.n.30
Nudus, & vestitus. ibid.n.31
Lucratiuus, & onerosus. ibid.n.32
Bonæ fidei, & stricti iuris. ibid.n.33
Diuinus, diabolicus, Ecclesiasticus, ciuilis. ibid. n.34.
Realis & personalis. p.431.n.35
Contractus, qui re, qui verbis, qui consensu colligantur. ibid.n.36
Contractus qui publica scriptura. ibid.n.37
Omnis Contractus parit obligationem saltem in foro conscientiæ. ibid.n.38
Nulla naturalis aut ciuilis, obligatio è Contractu, cui leges repugnant. ibid.n.39
De consensu mutuo liberantur contrahentes ab obligatione. p.432.n.40
Peccat, qui contractus Nominatos non exequitur. ibid.n.41.
Contractus Innominatus non dat actionem vni contrahentium, vt alium cogat, in foro ciuili. ibid. n.41.
Aliqui casus excipiuntur. ibid.
In foro conscientiæ contractus Innominatus valet. ibid.n.43.
De iis, qui legum præscripto contrahere impediuntur. p.433.
Omnes qui sui iuris sunt, possunt contrahere. ibid. n.44.
Qui rationis est expers contrahere non potest. ibid n.45.
Prodigi Contractus inualidi, nisi iuret. ibid.n.46
Religiosus nequit sine superioris licentia obligare Contractu. ibid n.47
Pupillus pubertati nondum proximus se communiter obligare nequit. ibid n.48
Pubertati proximus cum authoritate tutoris potest contrahere. ibid.n.49
Minor sine curatoris authoritate, non potest se alteri ciuiliter adstringere. ibid.n.50
Pubes, qui curatorem non habet, potest se ciuiliter, & naturaliter obligare. ibid.n.51
Ex Contractibus seruorum nulla obligatio ciuilis oritur. 435.n.57
Oritur tamen naturalis. ibid.n.58
Ex Contractu subditorum cum Principe vtraque oritur obligatio. ibid.n.59
Clerici seculares possunt valide ac licitè contrahere. ibid.n.60.
Etiam vxor sine licentia mariti circa aliqua bona. ibid. n.61.
Nullus Contractus est validus sine mutuo contrahentium consensu. ibid.n.62
Non quilibet consensus efficit contractum validum. ibid n.63.
Ad hanc sufficientiam pertinent, verba quibus contrahentes suam explicant intentionem. ibid.n.64
Attendenda est intentio contrahentium, si verba sint dubia. p.436.n.65
Contractus est nullus, si repugnet in stipularionem, deduci. ibid n.66
Contractus est nullus, si fit à persona prohibita. ibid. n.67.
Contractus hypotheticus non habet obligandi vim, si conditio non apponatur. ibid n.68
Nullius roboris est contractus, qui sine culpa geri nequit. ibid.n.69
Contractus est nullus quando contrahentes sententiis discrepant ibid.n.70
Licet Contractus metu factus iusto non sit iure naturæ nullus, tamen in foro conscientiæ rescindi potest. p.437.n.72
Vt Contractus ex metu possit in conscientia irritari, debet iniustè incuti ab eo, quo cum contrahit. ibid.n.73
Contractus graui metu factus non est ciuili in foro ipso iure irritus. ibid.n.74
Nouem casus excipiuntur. ibid.
Contractus ex metu leui non est nullus in foro ciuili. p.438 n.75.
Contractus ex leui metu iure naturæ sunt firmi, sed rescindi possunt. ibid.n.76
Contractus dolo initus aut errore, qui incidit in rei qualitates validus est. ibid n.79
Est tamen in potestate eius, qui decepit, discindere, aut corrigere Contractum. p.439.n.80
Non valet in vtroque foro, si contrahentes expressè vel tacitè animum repugnantem habeant, &c. ibid n.81
Matrimonium ex nullo qualitatis errore est irritum. ibid.n.82.
A quiescumque aliis contracti bus dolo circa qualitates initis potest recedi. ibid.n.83
Quæ vi humana nequeunt esse, subiici non possunt pro materia contractus. ibid.n.84
Contractus de re turpi inanis est. ibid.n.85
Iuramentum promissorium additum contractui, est obseruandum ex obligatione virtutis Religionis, &c. ibid.n.86
Contractus turpitudinem continens nullo in foro accessione iuramenti est validus. p.440.n.87
Iuramentum natura sua non confirmat contractum. ibid.n.88.
Si firmetur iuramento contractus, ideo erit, quia Ecclesiasticus sic Princeps dispossuit. ibid.n.89
Iure ciuili, & canonico solum incipiunt esse firmi accessione iuramenti contractus illi, qui primo & per se inualidantur ob priuatorum vtilitatem. ibid n.90.
Nequit iuramento firmari Contractus, qui ob publicam vetatur vtilitatem. ibid.n.92
Tres adesse debent conditiones, vt Contractui firmitas ex iuramento aduenial. p.441.n.94
Peccatum intelligitur turpitudinis quæ contractum iuramento firmari impedit, nomine. ibid n.95
Non confirmatur iuramento Contractus, cui dolus causa fuit. ibid.n.96
Qui ratione non vtitur non potest iuramento Contractus obfirmare. ibid.n.97
Contractus celebratus sub conditione contra illius substantiam, est nullus. n.99
Celebratus sub conditione de presenti, aut de præterito: aut statim est validus conditione impleta: aut nullus, si non impleatur conditio. ibid.n.100.
Celebratus sub conditione de futuro contingenti, non est statim validus. n.101
Idem assero de Contractu celebrato sub conditione de futuro necessario. p.442.n.102
Idem dicendum de celebrato sub conditione de futuro contingenti cognita vt tali. ibid.n.103
Celebratus sub conditione de futuro impossibili, est semper nullus. ibid.n.104
Celebratus sub conditione de futuro contingenti illicita,

Notabilium.

illicita, ante impletionem conditionis non obligat ad eam ſpectandam. ibid.n.105
Conditio impoſſibilis iure poſitiuo addita contractui matrimoniali aut vltimæ voluntatis non irritat eum. ibid.n.106
Contractus celebratus ſub conditione de futuro, ob quam ſuſpenditur vſque ad impletionem conditionis, purificatur ſola conditionis impletione abſque nouo conſenſu. 442.n.107
Ex pluribus Contractibus ſub conditione ſucceſſiuè de eadem re celebratis cum diuerſis, prior promiſſio prævalet. ibid.n.108
In aliis Contractibus ciuilibus non promiſſoriis conditionis, prior prævalet etiam cum prius conditio poſterioris impletur, ſi poſteriori contrahenti non ſit facta rei traditio. p.443.n.109
Tempus, demonſtratio, cauſa, moduſque contractibus ſolet apponi. p.444.n.110
Contractus, cui apponitur tempus, ſuſpenditur vſque ad illud: & eo accedente, valet abſque nouo conſenſu. p.444 n.111
Contractus in tempus futurum poteſt eſſe abſolutus, & conditionatus, &c. ibid.n.112
Contractus, cui apponitur demonſtratio, non irritatur quamuis ſit falſa, dummodo non apponatur per modum conditionis, &c. ibid.n.114
Variæ in contractibus demonſtrationes expenduntur & quid operentur, indicatur. ibid n.115
Contractus, cui apponitur cauſa motiua, eſt nullus, hac non ſubſiſtente. p.445 n.116
Contractus, cui apponitur cauſa motiua, ſine qua non fieret, non ſit nullus, quamuis cauſa motiua non ſubſiſtat ibid.n.117
Quid operetur modus in contractibus. ibid.n.118

Contradictio.

Contradictio, quæ apparet in titulo Problematum, non eſt contradictio ſed varietas opinionum. p.7.n.29.

Cruciata.

Vide, *Bulla.*
Origo Cruciatæ. pag 203 n.5.

D

Deus.

DEus vere haud eſt cauſa aut author peccati. p.75. num 37.
Eſt cauſa actus ſecundum genus naturæ conſiderati ibid num.38.

Diſpenſatio.

Quid diſpenſatio. p.154.num.70
Legiſlator poteſt ſuis in legibus diſpenſare. ibid.n.71
Ad rectitudinem diſpenſationis requiritur cauſa, & authoritas. ibid.num.72
Inferior non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris, cum ſuperior ſibi diſpenſationem reſeruauit. ibid n.75
Irrita eſt diſpenſatio in iure diuino naturali conceſſa ſine cauſa ibid.n.76
Diſpenſatio inferioris ſine iuſta cauſa, eſt inualida. ibid.n.77.
Peccat qui, allegata falſa cauſa, aliquem ad diſpenſandum inducit. p.155.n.78
Cauſæ iuſtæ Diſpenſationis .ibid.n.79
Poſita iuſta cauſa, aliquando tenetur, aliquando non tenetur ſuperior diſpenſare. ibid.n.80
Princeps admittens aliquem ad actum ad quem habet impedimentum cenſendus cum illo diſpenſare. ibid. p.81.

Dubium.

Dubium ſpeculatiuum, ac practicum. p.34.n.24
Licet, cum dubio ſpeculatiuo aliquando operari. ibid. num.25.
Operans cum practico dubio peccat. ibid.n.26
Dubitans practice in vtramque partem peccat, niſi eligat minus malum. p.35.n 27

E

Ebrietas.

DVpliciter accipitur ebrietas. p.127.n.114
Voluntaria ebrietas peccatum mortale. ibid.n 115
Peccat mortaliter, qui alij ebriando dat operam. ibid. n.116.
Qui ebriatur ignorans potus qualitatem, non delinquit. ibid.n.117
Imperfecta ebrietas eſt venialis. ibid.n.118
Peccata in ebrietate commiſſa imputantur ad culpam ex voluntaria præuiſione. ibid n.119
Fieri poteſt, vt ebrietas ſit mortalis, & tamen malum ſecutum ei non imputetur ad culpam ſaltem venialem. ibid.n 120
Voluntas dicendæ in ebrietate contumeliæ non eſt contra iuſtitiam. p.128.n 121
Non ſunt validi ebrij contractus. ibid.n.122

Eleemoſyna.

De eleemoſyna ab accipiente Bullam exhibenda. p.209

Eligere.

Quid, eligere? p.12.n.28

Epiicheia.

Epiicheia quid. p.155.n.82
Quando liceat epiicheia vti. ibid n 83
Quando excuſeris à legis obligatione. ibid.n.84
Quonam modo vti debeamus Epiicheia. ibid.n.85

Euchariſtia.

Euchariſtia ratione Bullæ accipi poteſt in Oratorio approbato non ſolum generalis Inrerdicti tempore, ſed etiam extra illud. p.212 n.88
Poteſt ſumi in Eccleſia generaliter interdicta, p.213. n.89.
Non poteſt Euchariſtia in Oratorio miniſtrari tempore Paſchatis. ibid.n.90

Excommunicatio.

Excommunicatio maior non poteſt ferri ob culpam leuem. p.386.n.57

F

Fallacia.

QVid fallacia. p.121.n.58
Quando eſt mortalis. ibid n.59

Fides.

Fidei dogmati omnes Doctorum contrariæ Aſſertiones ſubſcribunt. p.1.n.2

Filius.

Index rerum

Filius.

Filius familias impubes non potest ex contractu ciuiliter obligari, adhuc auctore patre. p.434.n.55
Quid si pubes. ibid.
Nequit filius familias circa bona profectitia contrahere absque patris consensu. ibid.n.56
Sex excipiuntur casus. ibid.

Fraus.

Quid Fraus. p.121.n.61
Multipliciter contingit. ibid.n.62

Frui.

Quid Frui. p.11.n.25

G

Generalis.

GEnerales, Prouinciales & Capitula possunt restringere vsum priuilegiorum. p.181.

Gratia.

Primus Sacramentorum effectus gratia : quid hæc ? p.323.n.49.
Gratia ex opere operato, & ex opera operantis. ibid.
Gratia quæ in Sacramentis recipitur est speciei eiusdem. p.325.n.60
Gratia quæ producitur per Sacramenta, dicitur de potentia animæ educi. ibid.n.61
Sacramenta non causant gratiam ante eorum susceptionem. ibid.n.62

Gula.

Quid Gula? p.126.n.106
Quinque modis potest Gulæ vitium perpetrari. ibid. n.107.
Duæ species Gulæ, Crapula, Ebrietas. ibid.n.108
In sex casibus Gula est peccatum mortale. ibid. n.109.
Gula est vitium capitale. p.128 n.113
Prima Gulæ filia, hebetudo mentis. ibid.n 114
Secunda, lætitia inepta. ibid n.115
Tertia, Multiloquium. ibid.n.116
Quarta, Scurrilitas. ibid n.117
Quinta, Immunditia. ibid.n.118

H

Homo.

HOmo rationis capax est legis subiectum. p.149. n.34.

Hypocrisis,

Hypocrisis semper est peccatum. p.117.n.31
Est peccatum mortale, quando est ob finem, qui repugnat charitati Dei, vel proximi. p.118.n.32
Simulare improbitatem, est peccatum graue, aut leue ex materia. ibid.n.33
Sancti licitè improbitatem simulauerunt. ibid.n.34

I

Iactantia.

QVibus modis Iactantia est peccatum mortale. p.116.n.22.
Iactantia de re bona, per se loquendo non est mortalis. Potest tamen ex accidenti mortalis esse. p.117.n.23.
Si ex falsa iactantia sequendum graue incommodum, teneris contradicere laudatori. ibid. n.24.
Qui iactat se vel alterum de re mala, peccat leuiter aut grauiter iuxta materiam. ibid.n.25
Si cum iactantia de re mala coniungatur actus complacentiæ, est duplex peccatum. ibid.n.26
Cum peccato iactantiæ sæpe coniungitur peccatum scandali. ibid n.27
Qui audit Iactantiam de re graui approbans, grauiter delinquit. ibid n.28

Ignorantia.

Quando nam Ignorantia voluntarium tollat ? p.14. n.44.
Ignorantiam facti, aliam iuris, aliam ipsius censuræ: & quamlibet harum aut inuincibilem, aut vincibilem esse. p.390.n.73
Ignorantia facti inuincibilis impedit censuræ incursionem. ibid.n 74
Idem dicendum de Ignorantia inuincibili alicuius circumstantiæ, ex qua oritur illa culpa. ibid. n.75.
Ignorantia iuris inuincibilis impedit Censuram.p.391. n.79.
Ignorantia inuincibilis censuræ annexa statutis perpetuis impedit. ibid.n.80

Imperium.

Omnis actus, è quo vi impulsiua sequitur alius, vocitatur Imperium. p.12.n.31.

Indulgentia.

Inferiores à Papa non possunt concedere plenariam indulgentiam. 203.n.4
Indulgentiam totalem & partialem expono. p.207. n.46.
Indulgentia prima à summo Præsule in Bulla concessa. p.207
Indulgentia hæc Bullæ Cruciatæ est totalis, seu plenissima. p.208.n 48
Hæc conceditur accipientibus Bullam. ibid.n.49
Duo opera debent præstari ad lucrationem huius Indulgentiæ, eleemosyna, contritio, confessio. ibid. n.50.
Attritio cum sacramento sufficit. ibid.n.51
Necessaria vocalis confessio. ibid.n.52
Sufficit muto per signa confiteri. ibid n.53
Qui probabili ignorantia putat, se vere confessum esse, lucratur Indulgentiam, si vltimum opus in gratia perficiat. ibid.n.54
Dispositio remota, & proxima, ad lucrandam Indulgentiam. p.209.n.55
Sufficit esse in gratia, cum vltimum opus geritur. ibid.n.56.
Quidnam Indulgentia quindecim annorum, & quindecim quadragenarum. p.218 n 134
Quidnam per eam remittatur? ibid.n.135
Quænam opera gerenda ? ibid n.136
Ieiunium debet esse extra diem præcepti. ibid n.137
Stationum indulgentiæ. p.219.n.144
Indulgentiæ variæ in Vrbis Ecclesiis, & Capellis. p.220 n.146.
Quid hic Pontifex concedat. ibid n.147
Tria requiruntur ad huius indulgentiæ consecutionem. ibid.n.148
Quid nomine Ecclesiarum intelligatur. ibid.n.149

Suffi.it

Notabilium.

Sufficit quinque altaria inuisere. p.220.n.150
Non sufficit à foris inuisere altaria quæ non vides. ibid.n.151.
Si videas sufficit. ibid.n 152
Debes habere intentionem lucrandi Indulgentiam & orandi ex Pontificis intentione. ibid.n.153
Non est necesse, fundere orationem determinatam. ibid.n.154.
Potes qui in mortali inuisisti altaria iterum in gratia inuisere. ibid.n 155
Qui vult consequi Indulgentiam pro se ac pro defuncto, bis debet altaria inuisere. ibid.n.156
Si adnotetur à Bulla specialis pro anima purgatorij dies sufficit vnica visitatio. ibid n.157
Indulgentia semel in vita, & rursum in mortis articulo concessa, & ea, quæ conceditur sine confessione repente obeunti. p.229.
Concedit Papa plenariam Indulgentiam sibi applicandam. ibid.n.222
Solum semel in vita & semel in articulo mortis ob Bullam vnam lucraberis eam. ibid.n.223
Requiritur, per Confessarium applicari. ibid.n.224
Debet applicari regulariter in sacramento pœnitentiæ. ibid.n.225
Non necessarium expresse petere à confessario applicationem. ibid.n.226
Nec, vt percipias tibi applicari, phrenetico enim dari potest. ibid.n.227
Applicans extra articulū mortis debet esse sacerdos approbatus ab ordinario. ibid.n.228
Non sic qui applicat in articulo mortis. ibid n.229
Potest simplex tonsuratus eam applicare in articulo mortis, si non adest sacerdos. ibid.n.230
Extra mortis articulum non potest absenti applicari. ibid.n.231
Indulgentiam, quæ simpliciter conceditur pro articulo mortis, possumus acquirere toties quoties subimus hoc periculum. p.230.n.234
Non est necessum vti speciali forma præscripta. ibid.n.235.
Qui solum venialia confitetur, potest petere sibi Indulgentiam applicari. ibid.n.236
Quo tardius applicatur in mortis articulo Indulgentia, vtilior est. ibid.n.237
Non plus prosunt multæ indulgentiæ quam vna, si omnes concedantur pro vero mortis articulo, &c. ibid.n.238.
Indulgentia concessa ei qui repente obit sine confessione. ibid n.239
Multa requiruntur ad huius indulgentiæ consecutionem. ibid.n.240
Per hanc Indulgentiam è purgatorio liberatur anima, pro qua Bulla accipitur. p.253.n.430
Triplex Indulgentia defunctis in Bulla latina conceditur. ibid.n.431
Prima Indulgentia. ibid.
Secunda Indulgentia in Bulla defunctorum exprimitur. ibid.n.432
Tertia Indulgentia pro defunctis quinque Altarium visitatio. p.254

Inobedientia.

Inobedientia ex genere est mortale. p.118.n.39
Inobedientia formalis est lethale peccatum. ibid.n.40. ibid.n.40
Communiter est duplex peccatum. ibid.n.41
Inobedientia materialis est peccatum veniale. p.119 n.42.
Contemptus executionis præcepti pro hic & nunc, potest esse venialis. ibid.n.43
Inobedientia ex indignatione, est veniale. ibid.n.44.

Inquietudo mentis.

Quando per Inquietudinem mentis mortaliter delinquatur. p.120.n.56

Intendere.

Quid intendere. p.11.n.24

Interdictum.

De Priuilegio celebrandi, seu audiendi sacrum, &c. tempore Interdicti p 210.
De Interdicto nonnulla. ibid.n.67
Sæculares priuilegio Bullæ possunt Missæ ac diuinis interesse in Templis, vbi ritè peraguntur. ibid.n.69.
Intelligendum hoc priuilegium in interdicto generali loci. ibid.n.70
Nomine Ecclesiarum intelliguntur etiam Monasteria, & Hospitalia. p.211.n.71
Non extenditur priuilegium ad tempus Cessationis. ibid.n.72.
Nullo alio priuilegio ad id vti potes sine Cruciata. ibid.n.73.
Potes tuos familiares adducere ad Ecclesiam. ibid.n.74.
Et tuos consanguineos. ibid.n.75
Per domesticos aut familiares intelliguntur illi, qui Dominum assolent comitari. ibid.n.76
Magistri possunt suos discipulos secum adducere. ibid.n.77.
Dominorum nomine intelliguntur quicumque famulos habentes. ibid.n.78
Consanguinei computandi vsque ad quartum gradum lineæ rectæ ac transuersalis. ibid.n.79
Potes in oratorio approbato Missam celebrare. ibid.n.80.
Vtendum tibi rarissimè hoc priuilegio. ibid.n.81
Possunt tecum in Oratorio interesse familiares, domestici, consanguinei. p.212.n.82
Per familiares ac domesticos intelliguntur commensales. ibid.n.83
Non intelliguntur viri, aut mulieres pedisequæ extra domum degentes. ib d.n.84
De Sacramentis, quæ Interdicti tempore Bullæ priuilegio recipi possunt. p.212

Inuidia.

Inuidia describitur. p.128.n.129
Inuidia est Capitale vitium. p.130 n.137
Prima Inuidiæ filia, Odium. ibid.n.138
Secunda susurratio. ibid.n.139
Tertia, detractio. ibid.n.140
Quarta, Gaudium in aduersis proximi. ibid.n 141
Quinta, Afflictio in prosperis. ibid.n.142

Ira.

Ira est quid indifferens. p.124 n.93
Ira aliquando est virtus. ibid.n.94
Aliquando est peccatum. ibid.n 95
Ex genere mortale. ibid n.96
Tres iræ species. ibid n.97
Ira est vitium capitale. ibid.n.98

Sex

Sex eius filiæ. p.125.n.99
Prima iræ filia indignatio. ibid n.100
Secunda, tumor mentis. ibid.n.101
Tertia, Clamor. p.126.n.102
Quarta, Contumelia. ibid.n.103
Quinta, Blasphemia. ibid n.104
Sexta, Rixa. ibid.n.105

Irregularitas.

Certæ Irregularitates tolli non possunt Bullæ virtute. p.228.n.215

Iudex.

Iudices Papa inferiores non possunt ferre censuram ob peccatum præteritum factum absque contumacia. p.387.n.58

Iuramentum.

Iuramentum assertorium contractui firmando non sufficit. p.440.n.93
Iuramenti confirmatorij pacti quatuor sunt effectus. p.441.n.98
Iuramenta facta in alterius vtilitatem, si acceptata sint, per Bullam commutari non possunt. p.231. n.244.
Si cedant in iurantis vtilitatem, commutari possunt. ibid.n.245.
Iuramentum non acceptatum potest virtute Bullæ commutari. p.232.n.246
Et quod factum est ad voti emissi confirmationem. ibid n.247.
Iuramenta absoluta Religionis, castitatis, & Ierosolymitanum commutari non possunt. ibid. n.250.
Possunt commutari Iuramenta visitandi limina Apostolorum, & D. Iacobi. ibid.n.251

Ius.

Nomen iuris tripliciter accipitur. p.418.n.14
Definitio iuris. ibid n.15
Ius siue iustum in genere est obiectum obedientiæ. ibid.n.16.
Ius, speciale iustum est obiectum iustitiæ particularis. ibid.n.17.
Ius, pro lege, est regula iustitiæ. ibid.n.19
Ius pro potestate legitima, est aliquid, vnde obiectum iustitiæ pendet. p.429.n.20
Ius diuiditur in iustum per æqualitatem proportionum, & iustum per æqualitatem rerum. ibid. n.21.
Ius naturale. p.429.n.22
Ius positiuum, diuinum, vetus, nouum Humanum, Gentium, Ciuile, Canonicum. ibid. n.23.
Ius naturale positiuum, ius in re, & alia iura. ibid. n.24.

Iustitia.

Iustitia accipitur pro omnium virtutum complexione. P.425 n 1.
Accipitur in præsenti pro constanti, ac perpetua voluntate tribuendi cuique ius suum. ibid n.2
Iustitia est virtus. p 426 n.3
A dest in voluntate. ibid.n 4
Distinguitur à reliquis virtutibus. ibid n.5
Non est Iustitia homiuis ad seipsum, patris ad filium, serui ad Dominum. ibid.n.6
Iustitiæ obiectum. ibid n.7
Iustitia secundariò potest passione moderati. ibid. n.8.
Est quædam generalis iustitia, quæ legalis dicitur. p.427.n.9.
Iustitia legalis est virtus, quæ bonum Reipublicæ commune intuetur. ibid.n.10
Iustitia hæc legalis virtus obedientiæ est. ibid.n.11
Iustitia particularis diuiditur in distributiuam, & commutatiuam. ibid.n.12
Hæ duæ Iustitiæ particularis distinguuntur, species. ibid.n.13.

L

Lex.

QVid sit lex. p.145.n.1
Lex diuiditur in æternam, naturalem, humanam, diuinam. p.146 n.2
De lege æterna. ibid n.3
De lege Diuina. ibid n.4
De lege Humana. ibid.n.5
De lege Naturali. ibid.n 6
Lex Naturalis aliquo in casu mutabilis est. ibid. n.7.
Lex ferenda ab iis, qui publicam habent potestatem. n.9.
Pontifex legislator. p.147.n.10
Et Episcopi, Patriarchæ, Archiepiscopi. ibid n.11
Et Cardinales. ibid.n.12
Et Capitulum Cathedralis Ecclesiæ. ibid.n.13
Et Abbates exempti. ibid.n.14
Et Imperator, Reges, Principes. ibid.n.15
Et Regina hæres Regni. ibid n.16
Et Respublica sui iuris. ibid.n.17
Facultas ferendi Leges potest alteri delegari. ibid. n.18.
Concilia generalia possunt ferre legem. ibid.n.19
Sex conditiones requiruntur ad condendam legem. ibd.n.20.
De legis publicatione. ibid.n.21
Vbi nam gerenda. p.148
In singulis Prouinciis publicanda lex. ibid.
De temporis lapsu. ibid n.22
De legis receptione. ibid.n.23
Lex acceptata quoad vnam partem non obligat simpliciter. ibid n.24
Legem acceptatam à maiori parte communitatis minor acceptare debet, non è contra. ibid.n.25
Non excusatur à peccato, qui legem sufficienter promulgatam non acceptat. ibid.n.26
Discrimen inter non vsum legis, & consuetudinem legis contrariam. ibid n.27
Non requiritur scriptura ad rationem legis. ibid n.28.
Lex prohibens, aut præcipiens actum externum prohibet simul, ac præcipit internum illi respondentem. p.149.n.33
De iis, qui legibus humanis parere tenentur, seu de legis subiecto. ibid.n.34
De Legis humanæ obligatione. p 151
Potest obligare grauiter Lex Ecclesiastica, ac ciuilis. ibid n.42.
Num Lex obliget ad mortale, an veniale? primam

Notabilium.

mam regulam do ex legiſlatoris intentione. p.151. n.43.
Secundam regulam exhibeo ex verbis præceptiuis. ibid.n.44.
Alia præceptiua verba recenſeo. ibid.n.45
Tertiam regulam exhibeo ex grauitate materiæ. ibid. n.46.
Quomodo dignoſcendum, an materia ſit grauis, an leuis. ibid.n.47
Quartam regulam reddo ex Eccleſiæ communi conſenſu. ibid.n.48
Quintam regulam do ex pœnæ grauitate, aut leuitate. p.152.n.49.
Lex ciuilis lata ſub pœna capitis, &c. obligat ſub mortali. ibid.n.50
Non obligat Lex grauem continens pœnam ſub leui culpa. ibid.n.51
Lex Eccleſiaſtica præcipiens ſub graui cenſura, grauiter obligat. ibid.n.52
Leges quæ non ſunt propriè pœnales in conferentia non obligant. ibid.n.53
Leges humanæ cum vitæ periculo aliquando poſſunt obligare. ibid.n.54
Non incurruntur pœnæ ſine ſententia Iudicis. ibid. n.55.
Lex iniuſta non obligat in conſcientia. ibid.n.56
Iniuſta eſt Lex humana diuinæ repugnans. pag.153. n.57.
Et quæ bono communi aduerſatur. ibid.n.58
Et quæ tranſcendit legiſlatoris poteſtatem. ibid. n.59.
Et quæ in falſa præſumptione fundatur. ibid. n.60.
Et quæ ſubditis onus cauſæ improportionatum imponit. ibid.n.61
Multæ cauſæ, quibus legis obligatio ceſſat annumerantur. ibid.n.62
Lex recepta vim amittit per poſteriorem contrariam. ibid.n.63.
Secus ſi fuerit prior Lex iuramento firmata. ibid n.64.
Ceſſat legis obligatio ceſſante cauſa finali legis. ibid n..65.
Si cauſa ceſſet reſpectu particularis perſonæ, non ceſſat obligatio legis. ibid.n.66
In dubio præſumendum pro lege. p.154.n.67
Lex per deſuetudinem non derogatur pure negatiuam. ibid.n.68
Derogatur per deſuetudinem. ibid.n.69

Libertas.

Duplex Libertas contradictionis, & contrarietati s p.9 n.6.
Libertas à neceſſitate legis, & à neceſſitate naturæ. p 9 n.8.

Literæ.

Peccat mortaliter Literas aperiens. p.121 n.66
Non peccat, qui ad proprium damnum pellendum aperit. p 122.n.67
Superior poteſt ſubditi Literas aperire. ibid.n.68

Luxuria.

Quid luxuria? p.122.n.70
Semper eſt peccatum. ibid n.71
Graue ex ſuo genere. ibid.n.72
Opponitur caſtitati. ibid.n.73
Non datur in delectatione venerea materiæ leuitas. ibid.n 74.
Luxuria capitale vitium. p.123.n.81
Viperea Luxuriei progenies ex intellectu, & voluntate. p.124.n.82
Octo horum vitiorum grauitas. ibid.n.83

M

Malitia.

QVid Malitia moralis? p.14.n.46

Membrum.

Membra corporis quædam imperantur, quædam minimè. p.13.n.36

Metus.

Metus non tollit voluntarium ſimpliciter. p.13 n.41.
Metus magni mali non excuſat à tranſgreſſione legis, poſita huius obligatione. ibid.n.42
Duplex Metus. p.436.n.71
Facta metu reuerentiali in foro interno valida ſunt, ſed in externo reuocanda. p.438.n.77
Quod facit Metus reuerentialis, gerit precum importunitas. ibid.n,78
Metus grauis non incuſſus in legis contemptum regulariter excuſat à cenſuræ incurſione, quando opus eſt contra ius Eccleſiaſticum, aut diuinum pure poſitiuum. p.391.n.84
Quando opus eſt contra ius naturale, minimè. ibid.

Miniſter.

Non licet petere Sacramentum à Miniſtro, qui ſine peccato conferre id non poteſt, p.323.n.44
Poſſum petere, quando meum ius, vel neceſſitas ſuperat legem Eccleſiæ. ibid.n.45
Cum Miniſter in mortali exiſtens, non ligatur Cenſura, minor neceſſitas requiritur. ibid.n.46

Moniales.

Moniales gaudent priuilegiis ſuæ Religionis. p.181 n.75.

Monitio.

Monitio facienda authoritate illius, qui laturus eſt cenſuram. p.388.n.67
Monitio debet eſſe competens. ibid.n.68
Monitio facienda coram perſonis idoneis ad teſtificandum, & debet fieri perſonaliter, nec ſufficit fieri ad domum niſi aliquibus in caſibus. p.389. n. 69.
Si quis à Iudice declarandus ſit, neceſſum eſt, eum prius citari, data ei ſuæ defenſionis copia. ibid. n.70.
Quinque requiruntur conditiones, vt Monitio ſit canonica ad ſuſpenſionem, & interdictum, ad excommunicationem ſex. ibid.n.71
Non omnes conditiones hæ eodem modo requiruntur, ſed diuerſimodè. ibid.n.72

Motus.

Vt Motus ſenſualitatis culpabiles ſint requiritur aduertentia ex parte intellectus. p.78.n.56
Motus primò primi non ſunt peccata mortalia. ibid n.57.
Nec venialia. ibid.n.58
Motus ſecundò primi ſunt peccata venialia. ibid. n.59.
Motus ſecundò ſecundi ſunt lethales, aut veniales iuxta materiam. p.79.n.60

Non omnes motus appetitus ex causa voluntaria sunt peccata. p.79.n.61

N

Nouitas.

INuentio Nouitatum contra Dei honorem, aut contra proximum est mortalis. p 117.n.29
Grauiter, aut leuiter peccat nouitates inducens iuxta materiæ leuitatem, aut grauitatem. ibid.n.30

Nuptiæ.

Licet dare, & accipere Nuptiales benedictiones, in Ecclesia & Oratorio, tempore generalis interdicti. p.213.n.91.
dlicet sine Bulla in festis Assumptionis & Corporis Christi. ibid.n.92
Non licet in die Conceptionis, Natiuitatis, & Resurrectionis ibid.n.93

O

Obligatio.

QVid, Obligatio, primus contractuum effectus. p.446.n.119.

Opinio.

Num communis Opinio existimanda sit ex Auctorum numero? p.3.n.10
Quænam sit Opinio probabilis. p.4.n.14
Opinio speculatiua probabilis, etiam practicè probabilis est. p.4.n.15
Quidnam sit vnam Opinionem esse tutiorem altera. p.5.n.16.
Ex duabus eam elige Opinionem quæ iuris sensu magis innititur. ibid.n.20
Mitiorem elige Opinionem. ibid.n.21
Tutiorem amplectere. p.6 n.22
Et eam, quæ magis Religioni, iuti, ac pietati fauet. ibid.n.23.
Potes eligere probabilem Opinionem, relicta probabiliori. ibid.n.24
Potest doctus nullo ductore Opinionem suscitare. p.7.n.26.
Possumus sequi Opinionem probabilem, probabiliori relicta, p.32.n.14
Quando non licet vti opinione probabili? ibid. n.15.
In opinionibus circa validitatem Sacramentorum eligenda tutior. ibid.n.16
Interrogatus, aut consulens potest vti aliorum Opinione, propria probabiliori relicta. p.33.n.18
Quænam dicenda communior opinio. ibid n.19
Quænam obseruanda in delectu opinionum. ibid. n.20.
Haud simus iudicij tenaces circa Opinionem propriam. p.34.n.21
iuersitatis Opinionum in moralibus vtilitas. ibid. n.23.

Oraculum.

Oraculum viuæ vocis est concessio, aut gratia facta à Pontefice oretenus. p.184.n.94
Pontifices Gregorius XV. & Vrbanus VIII. viuæ vocis oracula Regularibus facta reuocauerunt ibid. n.95.

P

Pactum.

PActa, quæ iure naturali, diuino, aut gentium sunt nulla, iuramento rata esse non possunt. p.440.n.91.
Qui ex Pacto nudo fidem suam alteri habet obligatam, cogi non potest, si nulla causa sit expressa. p.446.n.121.
Non obligat Pactum, quod in tertij detrimentum vergit. ibid.n.122
Non obligat cum aduersa pars fidem promissis non præstat. ib d n.123
Extra hos casus Pacta nuda atque conuenta obligationem pariunt. ib.d.n.124

Papa.

Papa in omnibus legibus, & statutis Conciliorum dispensat. p.154.n.73
Papa in voto ac iuramento dispensat. ibid.n.74

Peccator, Peccatum.

Peccatum generaliter sumptum. p.68.n.1
Peccatum actuale, & habituale, commissionis, & omissionis. ibid.n.2
Peccatum originale. p 69 n.3
Peccatum mortale. ibid.n.4
Peccatum veniale. ibid.n.5
Triplex peccatum veniale ex genere, ex paruitate, ex indeliberatione. ibid.n.6
Regulæ tres, quibus possis discernere peccatum mortale à veniali. p.70.n.7
Peccatum mortale ex genere potest veniale fieri ex plenæ deliberationis defectu. ibid.n 8
Ex paruitatis materiæ ratione. ibid.n 9
In queisdam Peccatis non datur paruitas materia. ibid.
Peccatum veniale non transit in lethale ob duplex præceptum, nec ex consuetudine committendi venialia, nec ex personæ dignitate. ibid.n 10
Regula ad dignoscendum an plures materiæ paruæ in vnam grauem coalescant. ibid.n.11
Proximæ assertionis exempla exponuntur. pag. 71. n.12.
Quantitas materiæ quæ sufficit ad mortale spectanda est comparatione totius. ibid.n.13
Peccatum veniale ex genere suo sex in casibus transit in mortale. ib d n.14
Peccatum cordis, oris, & operis. p.72.n.15
Peccatum contra Deum, contra proximum ac contra seipsum. ibid.n.16
Peccatum per excessum, & per defectum. ibid. n.17.
Peccatum carnale & spirituale. ibid.n.18
Peccatum capitale est illud, quod est principium aliorum. p.113 n.1
Vocantur mortalia hæc capitalia vitia quia possunt esse origo mortalium. ibid.n.2
Hæc appellatio peccatorum mortalium vulgi errore inducta. ibid.n.3
Ostenditur sufficientia septenarij numeri in peccatis capitalibus. ibid n 4
Peccatum commissionis, & omissionis differunt specie materialiter. p 72.n.20
Peccatum commissionis grauius omissionis peccato. p.73.n.21.
Peccata omssionis inter se distinguuntur ex inæqualitate operis debiti. ibid.n.22
Quæ nam actio sit causa peccati omissionis, quænam

Notabilium.

nam comes tantum? ibid n.24
Externum peccatum omissionis existit cum occurrit præcepti implendi instantia. ibid.n.25
Duo reperiuntur in peccato, materiale, & formale. ibid.n.26.
Peccatum secundum esse formale non habet causam efficientem, sed deficientem. ibid n.27
Causæ internæ peccati voluntas, intellectus, Appetitus. p.74.n.28
Causæ externæ, illecebræ, Diabolus, Homo. ibid. num.29.
Peccatum ex ignorantia, ex infirmitate, ex malitia. ibid.n.30.
Peccatum ex intellectus ignorantia. ibid n.31
Peccatum ex infirmitate. ibid n.32
Peccatum ex malitia. ibid n.33
Grauissimum trium est peccatum ex malitia. ibid. n.34.
Vnum peccatum sæpe assolet esse alterius causa. ibid.n.35.
Dantur causæ exteriores peccati, Homo, Diabolus, Obiecta sensibilia. p.75 n.36
Peccata cordis, oris, & operis specie differunt. ibid. num.39.
Non sunt paria peccata. p.76.n.40
Non sunt necessario connexa. ibid.n.41
Specifica inæqualitas peccatorum desumitur ab obiectorum, seu finium diuersitate ibid.n.42
Grauitas peccati attenditur ex dignitate virtutis, cui opponitur. ihid.n.43
Peccati grauitas attenditur secundùm diuersas voluntarij rationes. ibid.n 44
Peccatum ex circunstantiis aggrauatur. ibid.n.45
Peccatum increscit ex personæ peccantis, seu in quam peccatur conditione. ibid.n 46
Crescit peccatum ex nocumento, quod peccans infert. ibid n.47
Sola diuersitas materialis præceptorum non inducit specificam peccatorum diuersitatem. ibid.n.48
Distinctio numerica desumenda in peccatis internis ex distinctis numero malitiis. p.77 n.50
Peccata oris multiplicantur specie, & numero, cum sermo dirigitur ad obiecta specie diuersa ibid.n.52
Peccata operis multipliciter specie multiplicantur. ibid.n.53.
In sensualitate nullum est peccatum sine ordine ad voluntatem. p.78.
Duobus modis multiplicantur numero. ibid n.54
Peccatum formaliter in sola est voluntate. ibid.n.55
Tres sunt peccati effectus. p 82.n.76
Primus peccati effectus, corruptio naturæ. ibid n.77
Secundus peccati effectus macula in animo relicta. ibid.n.78.
Tertius peccati effectus pœnæ reatus. ibid n.79
Peccatum mortale pœnam damni ac sensus æternam meretur. ibid.n 80
Peccatum veniale pœnam temporalem tam damni quam sensus meretur. ibid n 81
Peccatori publico non sunt ministranda sacramenta. p.313.n.47.
Peccatori occulto ministranda sunt, si publice petat. ibid.n.48.

Pertinacia.

Quid est pertinacia. p.118 n.35
Est mortalis, quando sententia est contra fidem aut bonos mores. ibid.

Pontifex.

Qualiter sentiendum in rebus, quarum veritates à summo Pontifice determinatæ existunt. p.33.n.17

Præceptum.

Quid præceptum affirmatiuum, & negatiuum. p.72 num.19.
Transgrediens plura eiusdem rationis præcepta vnum peccatum committit, secus qui plura diuersæ rationis. p.77.n.49

Princeps.

Princeps vi coactiua suis legibus non obligatur. pag. 149.n.36.
Nec suis pœnis. p.150.n.37
Tenetur tamen, si cum populo legem condidit. ibid.n.38.
Non peccat suas leges violans, si non iurauit. ibid num. 39.

Priuilegia.

Priuilegium est priuata lex? p.172.n.1
Priuilegium Reale & personale: hoc personæ, illud hæret rei. ibid n.2.
Priuilegium triplex personale constituitur, singulariter personale, communiter personale, & corporale. ibid.n 3
In dubio priuilegium iudicandum est Reale, si sit fauorabile: si præiudicet tertio, iudicandum Personale. p.173.n.4
Priuilegium Gratiosum, Remuneratorium, Conuentionale, Purum, purè fauorabile, & odiosum. ibid.n.5.
Priuilegium ex proprio motu, & in gratiam petentis. ibid.n.6
Priuilegium in corpore iuris, & extra iuris corpus. ibid n.7.
Priuilegium conferre potest solus ille, qui legem valet condere. ibid n.8
Priuilegium contra ius conferri potest solum illis, qui aliquo modo sunt subditi: priuilegium præter ius etiam non subditis. ibid n.9
De essentia priuilegij non est scriptura. p.174.n.10
Priuilegium potest valide obtineri pro nescientibus id, & pro inuitis. ibid.n.11
Vim non habet donec acceptetur ab eo, cui conceditur vel ab eius procuratore. ibid.n.12
Concessum alicui potest à concedente reuocari, ante quam acceptetur. ibid.n.13
Priuilegij materia debet esse honesta, &c. ibid.n.14
Vt validi sint eius actus debet seruari forma substantialis. ibid.n.15
Cum priuilegium fuit absolute concessum, priuilegiarius potest eo frui in quolibet concedentis territorio. ibid.n.16
Imo extra territorium, si inibi non extet specialis prohibitio. ibid.n.17
In priuilegiis explicandis seruanda est verborum proprietas. ibid.n.18
Priuilegium purè fauorabile latè exponendum. ibid. num.19.
Priuilegium odiosum strictè exponendum. p.175.n.20
Priuilegium contra ius aut damnum inferens, strictè explicandum. ibid.n.21
Priuilegium in corpore iuris latè exponendum. ibid. num.22.
Priuilegia contenta in corpore iuris contra commune ius sunt strictè exponenda. ibid.n.23
Priuilegium concessum ad lites, strictè explicandum. ibid.n.24.
Potestas concedendi priuilegia latè est interpretanda. ibid n.25.

Index rerum

Non extenditur dispensandi potestas, quoties in præiudicium tertij vergit. p.175.n.26
Priuilegium *Ad instar* sequitur *Exemplaris* conditiones. ibid.n.27
Solis personis in priuilegio contentis id censetur concessum. ibid n.28
In priuilegio non est argumentum à paritate rationis. ibid n.29
Septem modis priuilegium amittitur. p.176.n.30
Amittitur per reuocationem concedentis, vel successoris. ibid.n.31
Priuilegium datum in remunerationem, &c non potest reuocari. ibid n.32
In reuocatione priuilegij onerosi reuocans tenetur compensationem facere. p.176.n.33
Quomodo expressa priuilegij reuocatio fiat. ibid. n.34.
Non reuocantur per clausulam generalem Priuilegia in corpore iuris expressa. ibid.n.35
Reuocatio per clausulam generalem non extenditur ad concessum per modum contractus. ibid.n.36
Necessaria est mentio Tridentini, si reuocandum sit priuilegium in eo contentum. ibid.n.37
Quomodo fiat tacita reuocatio priuilegij. ibid.n.38
Requiritur publicatio reuocationis priuilegij. ibid. n.39.
Sufficit reuocationem innotescere communitati. p.177.n.40.
In reuocatione generali non censentur reuocata priuilegia Mendicantium. ibid.n.41
Priuilegium amittitur per voluntariam priuilegiarij renunciationem. ibid.n.42
Non possunt Prælati renunciare sui Ordinis priuilegiis. ibid.n.43
Priuilegium lapsu temporis præscripti amittitur. ibid. n.44.
Priuilegium amittitur per vsum materialiter ac formaliter contrarium. ibid.n.45
Priuilegium quod habet tractum successiuum amittitur per quamlibet actum materialiter & formaliter contrarium. ibid.n.46
Priuilegium personale extinguitur per mortem eius cui fuerat concessum. ibid n.47
Priuilegium reale non extinguitur morte illius cui concessum fuerat. ibid.n.48
Priuilegium rite obtentum concedentis morte non cessat. p.178.n.49
Quando datur cum limitatione finitur. ibid.n.50
Priuilegium contra legem expirat, cessante tota ipsius causa. ibid.n.53
Priuilegium amittitur per abusum. ibid.n.54
Priuilegium affirmatiuum amittitur per non vsum. ibid.n.55.
Priuilegia in nullius grauamen cedentia nullo tempore amittuntur. p.179 n.56
Quo tempore cesset priuilegium concessum Ecclesiæ, Monasteriis, &c. ibid.n.57
Duobus modis solent priuilegia confirmari. ibid. n.58.
Confirmatio priuilegij ex certa scientia, habet vim nouæ concessionis. ibid n 59
Confirmatio Priuilegij in forma communi nullum nouum ius confert. ibid.n.60
Confirmatis Priuilegiis alicuius Ordinis ex certa scientia, censentur confirmata ad illius instar. ibid.n.61.
Cum Pontifex confirmat ex certa scientia Priuilegia Ordinis vnius, non videtur confirmare sic priuilegia alterius propria. ibid.n.62
Confirmatio *ex certa scientia* non confirmat priuilegium, quod à principio fuit nullum. ibid.n.63
Dupliciter sumitur priuilegij innouatio. p.180 n.69
Innouatio priori modo ius nouum non confert secus posteriori modo innouatio. ibrd.n.70
Ad præscriptionem contra priuilegium hoc innouatum, tempus comparandum à tempore tali, innouationis. ibid.n.71
Priuilegiatus contra pariter priuilegiarum priuilegio non gaudet. p.181.n 73
De Priuilegiorum communicatione. ibid.
Priuilegia odiosa non communicantur. ibid n.76
Communicato Priuilegio, eius restrictio non communicatur. p.182 n.77
In communicatione priuilegiorum non communicatur vsus, & non vsus. ibid.n.78
Priuilegia concessa vni Monasterio censentur cunctis eiusdem Ordinis concessa. ibid.n.79
Priuilegium concessum vni Religioso non conceditur cunctis. ibid n.80
Priuilegium concessum Prælato vnius Monasterij participant omnes Prælati. ibid.n.81
Priuilegium concessum vni Prouinciæ ad alias non extenditur. ibid.n.82
Religio communicans in priuilegiis cum aliis Ordinibus potest eis vti contra Ordinem cui primum fuere concessa. ibid n.83
Priuilegiorum communicatio intelligitur de concessis, & concedendis. p.183.n.84
Mendicantes possunt vti priuilegiis Societatis Iesu. ibid n.85.
De Priuilegiorum Regularibus concessorum interpretatione. ibid.
Interpretatio doctrinalis & magistralis potest fieri à Prælatis Religionum. ibid.n.86
Imò & iuridice possunt Prælati priuilegia interpretari. ibid n.87
Ecclesiæ Prælati non possunt Societatis nostræ Priuilegia interpretari. ibid.n.88
Priuilegia Regularium, quibus datur facultas dispensandi, &c. possunt ad similes casus extendi. ibid. n.89.
Priuilegia concessa communitati Religionis alicuius possunt ad singulos extendi. p.184.n.90
Priuilegia singularibus personis concessa ad generales, & Prouinciales extenduntur. ibid n.91
Priuilegia interpretanda sunt secundum consuetudinem. ibid.n 92
Quatuor regulas expendo pro Priuilegiorum interpretatione. ibid n.93

Problema.

Cur aliquod Problema aliquando subiicio quod iam in vtrumuis probabile non est. p.7.n.30

Promissio.

Promissio facta in tempus futurum determinatum, vt in Pascha, intelligitur in proximum Pascha. p.444. n.113.

R

Religio.

REligiones inter se priuilegiorum habent communicationem. p.181.n.74

Res.

Res immobilis aut alicuius pretii non potest alienari etiam

Notabilium.

etiam approbante tutore. p.434.n.53

Restitutio.

Quid restitutio in integrum. p.448.n.132
Minori viginti quinque annorum conceditur restitutio. ibid.n.133
Et maiori viginti quinque ex consortio cum minore. ibid.n.134.
Non habet locum restitutionis beneficium, quando est nullus omnino Contractus. ibid.n.135
Potest non esse iusta læsio requisita, vt minor gaudeat beneficio huiusmodi quando Contractus est omnino validus. ibid.n.136
Potest minor vti duobus modis huiusmodi beneficio. p.449.n.137
Restitutio hæc facienda minori ob varias læsiones, expenditur. ibid.n.138
Restitutio gerenda ex contractu vel omnino valido, vel claudicante ex parte minoris. ibid.n.139
Quando fructus restituendi ex contractu, quando tradita fuit res minori pretio, ibid.n.140
Potest vti hoc Minor beneficio vsque ad vigesimum nonum annum. p.450.n.142
Non potest semper vti hoc beneficio. ibid.n.143
Quibusnam aliis hoc beneficium concedatur. ib.n.144

S

Sacramentum

SAcramenti definitio,& explicatio. p.316.n.1
Omnia Sacramenta sunt signa rememoratiua, demonstratiua,& prænunciatiua. ibid.n.2
De fide est. septem annumerari Sacramenta. ibid. num.3.
Ratio exigebat, septem Sacramenta à Domino institui ibid.n.4
Sacramenti definitio sacrificio non conuenit. p.317 num 5.
Aliæ congruentiæ circa Sacramentorum numerum. ibid.n.6.
Legis naturæ remedia, Sacramenta legis scriptæ. ibid.n.7.
Differentiæ inter nouæ ac veteris legis Sacramenta. ibid.n 8.
Sacramentorum nouæ legis necessitas. p.318.n.9
Omnia Sacramenta nouæ legis constant materia,& forma. ibid.n.10
In aliquibus duplex est materia. ibid.n.11
Materia & forma Sacramentorum fuit à Christo determinata. ibid.n.12
Ecclesia non potest murare, seu variare Sacramentorum materiam. ibid.n.13
Non singulæ quoad speciem materiæ & formæ sunt determinatæ à Domino. ibid.n.14
Ex diuina institutione est determinata sacramentorum forma. p.319.n.15
In forma potest multipliciter verborum mutatio contingere. ibid n.16
Vocis variatio est accidentalis. ibid.n.17
Mutatio ob verba æquiuoca accidentalis est. ib.n.18
Per additionem quid? ibid n.19
Quid per corruptionem? ibid.n.20
Quid per transpositionem. ibid.n.21
Quid per interruptionem? ibid.n.22
Nemo potest aliis verbis vti in effectione sacramentorum. ibid.n.23
Graniter peccat, qui extra necessitatem materia, seu forma dubia vtitur. p.320.n.24
In necessitate facilius potest adhiberi dubia materia quam dubia forma. ibid.n.25
Delinquit qui è forma certa detrahit,vel ei addit. ibid.n.26
Materia & forma sufficiens ad sacramentum in Ecclesia Græca, sufficit in Romana. ibid.n.27
Solus Deus primarius sacramentorum auctor. ibid. num.28.
Christus causa sacramentorum per potestatem excellentiæ. ibid.n.29
Christus solam potestatem ministralem hominibus communicauit.
Causa ministralis est minister, qui concurrit ad conficienda sacramenta. ibid.n.31
Solus homo de potentia Dei ordinaria, Angelus de dispensatione diuina potest esse sacramentorum minister.
Minister Sacramenti vere hominem abluit,peccata remittit. p.321.n.32
Ad necessitatem Sacramenti requiritur, vt minister intendat saltem implicite homini conferre Sacramentum. ibid.n 33
Non est necessum, vt minister velit gerere, quod agit Ecclesia Romana; sed quod agit Ecclesia vera in communi. ibid n 34
Non est necessaria actualis intentio, virtualis sufficit ibid n 35.
Non sufficit intentio interpretatiua. ibid.n.36
Licet minister non intendat conferre Sacramenti effectum Sacramentum non irritatur. ibid.n.37
Ad Sacramenti valorem requiritur intentio absoluta, p 322.n 38
Sacramentum administratum sub conditione de præsenti, vel de præterito, validum est, delinquente tamen ministro. ibid n.39
Dirigi debet intentio ministri ad materiam, vel personam præsentem. ibid.n.40
Non est necessaria fides aut probitas ministri ad validam Sacramenti ministrationem. ibid.n.41
Necessaria autem est ad licitam. ibid.n.42
Minister consecraturus confiteatur, alia perfecturus Sacramenta studeat contritioni gerendæ. ibid n.43
In singulis Sacramentis dantur specialis gratiæ auxilia proportionata eorum fini. p.324.n.51
Quædam Sacramenta mortuorum, quædam viuorum. ibid.n.52
Qui existens in mortali bona fide recipit Sacramentum credens se esse in gratia, recipit gratiam. ibid.n.53.
In adultis ad Sacramenti valorem requiritur propria suscipiendi voluntas: paruuli & amentes in fide Ecclesiæ recipiunt. ibid.n.54
Non requiritur in adultis æque expressa voluntas circa omnia sacramenta. ibid.n.55
Qui in mortali existens, credis esse in gratia, debes recepturus Sacramenta, actum attritionis elicere, qui super omnia peccata cadat. p.325.n.57
In æque disposito subiecto idem sacramentum æqualem effectum confert. ibid.n.58
Magis dispositus quonam modo recipit vberiorem gratiam ex vi dispositionis. ibid.n.59
Sacramenta causant gratiam quando sunt in esse completo. p326.n.63.
In tempore subsequente non conferunt effectum suum, nisi quando fictè suscepta fuissent. ibid. num.64.
Soli homines viatores sunt Sacramentorum capaces. p.327.n.74.
Non licet extra mortis periculum Sacramentum à ministro non tolerato petere. ibid.n.75
Teneris repetere Sacramentum valde necessarium, si fert opinio, te non valide recepisse. ibid.n.76

Index rerum

Quando apponenda conditio ad Sacramenti receptionem. p.328.n.77

Scrupulosus.

Dupliciter potest Scrupulosus suum iudicium deponere. p.36.n.37
Remedia Scrupulosis adhibenda. ibid.n.38

Sententia.

Quonam modo communem Sententiam possimus discernere. p.3.n.7
Quinam, & quot Auctores Sententiam communem constituant. ibid.n.11
Communis Sententia particulari est præferenda. p.4. n.12.
Immerito conquereris, quòd in re Morali tot diuersæ Sententiæ existant. ibid n.13
Potest vt probabilis admitti Sententia, quam doctus incidenter adstruit. p.7.n.27

Sepultura.

Priuilegium Bullæ circa Ecclesiasticam Sepulturam interdicti tempore. p.213
Extenditur hoc priuilegium ad interdictum particulare. p.214.n.98
Potest cadauer cum moderata pompa sepeliri. ibid. n.99.
Quid si humetur in Ecclesia specialiter interdicta? ibid.n.100.

Statio.

Stationum indulgentia. p.219.n.144
Quid stationes. ibid.n.145

Superbia.

Superbia est omnium septem vitiorum capitalium Regina. p.114.n.5
Superbia quatuor modis accipitur. ibid.n.6
Superbia, siue inclinatio illa naturæ corruptæ ad Dei contemptum est initium omnis peccati. ibid.n.7
Alio ex capite dicitur superbia initium omnis peccati, scilicet quia eius obiectum est propria excellentia. ibid.n.8.
Peccatum Superbiæ potest quatuor modis contingere. p.115.n.11.
Superbia est peccatum mortale. ibid.n.12
Non est contra fidem ibid.n.13
Pluribus aliis modis ex superbia potes peccare mortaliter. ibid.n.14
Potes peccare venialiter ex superbia. ibid.n.15

Suspensio.

Suspensio, & Interdictum potest ferri ob peccatum alterius. p.386.n.56

Synderesis.

Synderesis differt à conscientia. p.30.n.2

T

Tactus.

TActus, amplexus, oscula per delectationem veneream semper sunt peccata. p.121.n.75
Secus tactus, qui non sunt libidinosi. ibid.n.76
Qui fiunt ob finem venialiter malum sunt veniales. ibid n.77.
Exemplum tactus libidinosi. ibid n.78
Eius malitia diuersa est pro personæ diuersitate. ibid. n.79.
Exemplum Tactus non libidinosi. ibid.n.80

Tristitia.

Tristitia ex timore. p.129.n.131
Tristitia ex æmulatione. ibid n.132
Tristitia ex indignatione. ibid.n.133
Tristitia ex odio. ibid.n 134
Tristitia ex charitate, & zelo. ibid.n.135

V

Vana-gloria.

VAna gloria distinguitur à superbia. pag. 114. n.9.
Vana gloria potest apte appellari superbia. pag.115. n.10.
Vana gloria est appetitus manifestationis propriæ excellentiæ cum laude. ibid.n.16
Contingit peccari tripliciter ex Vana gloria. pag.116. n.17.
Quando nam Vana gloria sit peccatum mortale. ibid. n.18.
Quando nam ex Vana gloria venialiter delinquatur. ibid.n.19.
Filiæ vanæ gloriæ seu vitia quæ ex illa oriuntur sunt septem. ibid.n.20

Viator.

Viatores ac peregrini tenentur legibus latis in locis, vbi reperiuntur. p.150.n.41

Voluntarium, Voluntas.

Quid voluntarium? p.8.n.2
Duplex voluntarium. ibid.n.3
Voluntarium liberum & necessarium. p.9.n.4
Requiritur voluntarium liberum ad merendum, aut peccandum. ibid.n.7
Solus Deus potest efficienter necessitare voluntatem. p.10.n.14
Voluntarium potest esse sine omni actu moraliter, sed physicè non potest. ibid.n.15
Voluntarium directum. ibid n.16
Voluntarium ind rectum. ibid n.17
Vt voluntarium sit sine omni actu, tria requiruntur. ibid.n.18.
Non censetur semper voluntarium, quod ex causa volita sequitur. ibid.n.19
Voluntas potest affici in suis operationibus à principio intrinseco, vel extrinseco. p.13.n.37
Voluntas affici potest à variis principiis inttinsecis, nempe à cupiditate, quæ non imminuit, sed auget voluntarium. ibid.n.43

Votum.

Facultas commutandi Vota, & iuramenta. p.231. n.242.
Vota reseruata Pontifici, & Episcopo. p.232.n.248
Omnia vota commutari ex Bulla possunt præter tria. ibid.n.249.
Votum Religionis, castitatis & vltramarinum commutari possunt si emittantur cum protestatione. ibid.n.252.
Potest Confessarius in fine anni durationis Bullæ differre voti commutationem. ibid.n 253
Votum absolutum, & conditionatum: votum conditionatum pœnale, & merè conditionatum. ibid. n.254.
Vota pœnalia absolutè emissa non possunt per Bullam commutari. p.233.n.255

Non

Notabilium.

Non possunt vota pœnalia conditionata commutari, si conditio est de præterito, aut de præsenti. p.253
Nec vota conditionalia apparenter. p.256.n.257
Vel quando conditio tacitè inest vel explicatur eo modo, quo inest. ibid n.258
Cum conditio est de præterito, aut præsenti, non potest votum commutari. ibid.n.259
Potest Confessarius differre post Bullæ tempus voti commutationem. ibid.n.260.
Si pœnitens petat intra tempus, & necessarium sit differri potest commutari votum, post tempus Bullæ. ibd.n.261
Possunt commutari vota quorum numeri non es memor. p.234.n.262
Et quorum speciei non recordaris. ibid.n.263
Cum nulla generalis commutatio præcessit tempore Bullæ, postea nulla fit commutatio voti. ib.n.264
Toties quoties vota emittuntur, commutantur. ibid. num.265.
Causa necessaria est, quoties commutatio indlget Prælati anctoritate. ibid.n.266
Ad commutandum in melius, non indiges causa. ibid n.267.
Ad probabiliter melius nulla causa requiritur. ibid. num.268.
Ad minus, aut ad id, de cuius æqualitate dubitatur, causa requiritur. ibid n.269
Ad commutationem in rem æqualem vel paulo minus, requiritur causa. ibid.n 270
Leuis requiritur causa; ad commutanda vota per Bullam. ibid.n.271
Commutatio ex Bulla solum prodest pro interiori foro p.235.n.277
Votum simplex paupertatis in sæcularibus commutabile est. ibid.n.278
Vota disiunctiua, licet in eis adsit reseruatum, commutantur per Bullam. ibid n.279
Commutabilis est materia non reseruata in quam votum reseruatum est mutatum. ibid.n.280
Potest commutari votum non peccandi. ibid.n.281
Poteris post commutationem ad prius votum redire ibid. n. 282
Si sæpius facta est commutatio potest seruari quidduis illorum, in quod facta fuit. ibid.n.283
Facienda commutatio in subsidium belli. ibid.n.284
Potest commutari votum omnimodæ castitatis, si est ad tempus, ibid n.286
Votum seruandi coniugalem castitatem. ibid.n.287
Et votum, quo alter coniux sine alterius licentia se obligat ad non petendum debitum. ibid.n.288
Etiam si vterque ex licentia mutua emiserit votum. ibid n.289.
Licet ex communi consensu vterque vouisset, nec perere, nec reddere. ibid.n.290
Commutabile votum castitatis sine alterius coniugis licentia post consummatũ matrimonium ib n 291
Votum virginitatis consistentis in primo actu luxuriæ, commutabile est. p 237 n.296
Et votum non nubendi. ibid.n 297
Et non fornicandi. ibid n.298
Et votum quo quis vouet se emissurum castitatis votum. ibid n.299
Quando diuersis votis obligatio ad castitatem perfectam insurgit possunt omnia commutari. ib.n.300
Votum perpetuum Religionis est exceptum solummodo. ibid.n.301
Si est pœnale potest commutari. ibid n.302
Potest commutari votum radendi te hospitali. p. 238 n.303.
Et votum perseuerantiæ in Religione. ibid.n.304
Et ingrediendi strictiorem Religionem. ibid n.305
Non commutatur votum suscipiendi Religionem D Ioannis. ibid.n.306
Commutatur votum obedientiæ in sæculo. ib n.307
Et votum assumendi habitum Beatarum. ibid.n.308
Et votum Religionis non approbatæ. ibid.n.309
Commutatio fieri debet à Confessario. p 239.n.315
Non requiritur, vt sit Confessarius vouentis ib.n 316
Attendenda est maior dignitas materiæ subrogatæ, non voti vinculum. ibid.n.317
Votum vitandi peccatum non eget magna commutatione. ibid.n 318
In commutatione voti & iuramenti nullius vinculi ratio habenda. ibid n.319
Attẽdatur vis voti non petendi cõmutationẽ. ib.n.32
Non semper gerenda commutatio in maius aut æquale bonum. ibid.n.321
Habenda ratio finis, ad quem res promissa ordinatur. ibid.n 322
Habenda ratio difficultatis implendi rem promissam. ibid n.323
In voto peregrinationis habenda ratio laboris, itineris, & expensarum. ibid.n.324
Voti dilatio modica commutatione suppletur. p.240. num.335.
Aspectanda est vouentis fragilitas. ibid.n.336

Vti.

Quid vti? p.12.n.29
Discrimen inter vti, ac frui. ibid.n.30

FINIS.

2.122